image
not
available



Digitized by Google

Digitized by Google

6
7-a
38

7
6 L
21

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-7.a.33

13.1.78

13 13
8 4
23 23

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLI BENII
EVGVBINI

Philoſophiæ & Sacræ Theologiæ Doctoris,

QVI QVATVOR AC VIGINTI ANNOS
In Patauino Gymnaſio profeſſus eſt Eloquentiam e prima ſede,

IN ARISTOTELIS LIBROS
Rhetoricorum Commentarij.

IN QVIBVS ARISTOTELEA DE ARTE DICENDI
Præcepta non ſolùm copioſè declarantur, verùm etiam Centum
Oratorijs Controuerſijs interpoſitiş illuſtrantur:

CVM PLATONE, ETIAM IN DECRETIS MVLTIS,
cum M. Tullio in toto dicendi Artificio, conferuntur.

ACCESSIT PLATONIS RHETORICA
ex eius Monumentis excerpta.

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

BARBARINVM VRBANI VIII.
NEPOTEM OPTIMVM,
ET CARDINALEM AMPLISSIMVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IESV BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IHS



VENETIIS, Apud Io. Guerilium. CIϽ IϽ XXIV.

Facta à Superioribus Poteſtate: Cum Priuilegio.

Digitized by Google

B

N

quaſi
longi
pret:
rim,
ſcrib
lùm
leæ
ac d
Am
tron

Digitized by Google

ILLVSTRISS.[MO,] AC REVER.[MO]

BARBARINO

VRBANI VIII.

NEPOTI OPTIMO,

ET CARDINALI AMPLISSIMO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

COMPERTVM ſanè eſt, eximiam induſtriam, & ſummam vim ingenij, collocaſſe Ariſtotelem in ſuis Monumentis: inter quæ Libri de Moribus & de Arte Dicendi probantur maximè, quaſi omnibus numeris abſoluti atque perfecti. Sed tamen Libri de Arte Dicendi rerum copia, eruditione, ordine,& perfectione cæteris omnibus præponuntur: quaſi verò reliquis Monumentis Authores alios, in hoc, ſe ipſum quàm longiſſimè ſuperauerit. Cum igitur multos Annos in his Libris interpretandis deſudauerim,& vt illos dilucidarem,ſummo ſtudio contenderim,(difficilis enim ſemper eſt Ariſtoteles,quippe qui ingenioſis tantùm ſcribit) cui quæſo illos dicabo,niſi præſtanti ingenio, quódque non ſolùm Iuriſprudentiæ,ac Theologiæ,verùm etiam Philoſophiæ, Ariſtoteleæ præſertim,excellat laude? Tibi igitur hos Commentarios do, dono, ac dico,& tanquam Vrbani VIII. Nepotem Optimum, & Cardinalem Ampliſſimum ac Sapientiſſimum, mihi in Ariſtotelea Rhetorica Patronum deligo. Viue fœlix.

PAVLI BENII

In Ariſtotelis Rhetoricam Commentarij.

Ariſtoteleæ Rhetoricæ præſtãtia qualis & quanta ſit: & de ſummo Authoris ingenio.

ARISTOTELIS Rhetoricen, ſeu libros de Arte ac ratione dicendi, explicandos aggredior: nimirum opus longè præclariſſimum & admirabile, & in quo ſummus hic dicendi atque intelligendi Artifex cum ampliſſimos ingenij doctrinæque theſauros expoſuit & collocauit, tum verò vberrimos atque perennes Eloquentiæ fontes nobis aperuit. Vt propterea in cæteris monumentis cæteros Philoſophos, in hoc ſe ipſum, longo interuallo ſuperauerit. Et ſanè in ijs libris quos de arte ſeu facultate diſſerendi conſignauit poſteritati; mirum ingenij acumen, incredibilem mentis ſolertiam, oſtendit. In ijs etiam in quibus de rebus naturalibus longè latèque diſſeruit, aut de beatis mentibus diuiniſque rebus diſputauit, egregiè, ſi non in omnibus, at certè in pleriſque ſuam ille doctrinam probauit ac ſapientiam. Demum in his quæ de vita ſcripſit ac moribus, nobilem ac propè incredibilem ciuilis prudentiæ humanarúmque rerum cognitionis laudem adeptus eſt. Sed in ijs quæ in hoc noſtro monumento exarauit præcepitque, omnes ſiue ingenij, & ſolertiæ, ſiue eruditionis atque doctrinæ, ſiue prudentiæ ac ſapientiæ, ſiue denique facundiæ & Eloquentiæ, copias profudit ac retulit. Quapropter quod Poetæ olim de Mercurio commenti ſunt, quem facundiſſimum Deorum internuncium ac diſertiſſimum Eloquentiæ Præſidem eſſe voluerunt, id potiore quidem iure de Ariſtotele affirmetur quem eloquentiſſimum Eloquentiæ Interpretem appellaueris. Itaque M. Tullius Ariſtoteleum hoc monumentum diu noctúque peruolutauit: ex hoc aureos Eloquentiæ fluuios deriuauit: & quantus fuit (fuit autem maximus) totus ex Platonis (id quod ipſe non fatetur modò ſed profitetur) hoc eſt ex Ariſtotelis magiſtri, Ariſtotelisque ipſius, ſpatijs extitit. Quid multa? Is eſt Ariſtoteles, qui, ſi eundem M. Tullium audiamus, ſic docendi dicendique virtute præſtitit, vt nemo illo acutior, nemo admirabilior, nemo perfectior, fingi aut excogitari poſſit. Itaque tum olim Græcia vniuerſa ad Ariſtotelem quaſi ad Eloquentiæ Magiſtrum confugiebat, dum admirabilem hunc intelligendi dicendique Authorem in Lycæo liceret audire: tum apud Latinos poſt Syllæ tempora a quo in Italiam delata ſunt Ariſtotelis monumenta; ad Rhetoricos libros, Cicerone Authore atque Magiſtro, itum eſt vndique. Et quanquam Romana Republica non multò poſt euerſa, Vrbe & Italia pelli cœpit Eloquentia, poſt aliquot verò ſæcula, barbaris irruentibus, Græcia & Italia tota vna cum cæteris liberalibus diſciplinis penitus exulare coacta eſt, ſuperiore tamen ætate in Italiam atque Europam penè totam eſt reuocata; ita ut priſtinum nitorem ac decus recuperaſſe videatur. Ita quidem ſic quotidie percrebuit Ariſtotelea Rhetoricæ iubar, vt iam Ariſtoteles apud Rhetores, non minùs quàm apud Philoſophos, obtineat principatum. Etſi enim M. Tullius Romanæ Eloquentiæ parens iurè ac meritò habeatur, quique Græcorum Eloquentiam non æquarit modò, verùm etiam ſuperarit, in præceptis tamen tradendis faſces non ægrè ſubmittit Ariſtoteli, atque huius ingenium, induſtriam, ordinem, vno verbo, docendi rationem, quaſi Eloquentiæ ideam amplectitur ac demiratur. Vt quamuis in foro deinde & curia, quam non attigit Ariſtoteles; Orator maximus apparuerit, atque Oratorum, quantumuis Iſocratem 1

proferas

Digitized by Google

proferas aut Demoſthenem; coriphæus ac Princeps, hanc tamen gloriam Ariſtotelis vigilijs ac lucubrationibus acceptam apertè ingenuéque retulerit.

2 *Præclariſſimum igitur Ariſtotelea Rhetorica monumentum quod in præſens tantopere colitur ac celebratur, explanandum aggrediar. Quanquam non committam interim, Auditores ornatiſſimi, vt dum tale tantúmque opus aggredior, vos de meo conſilio ac ſuſcepti muneris ratione vniuerſa non admoneam. Ergo tripartitus hic Rhetorica commentarius ante Danielis Barbari aut Auguſtini Sueſſani, qui ſuperiore ſæculo floruerunt, ætatem, incultus iacebat (quod modò ſignificare cœperam) ac propè ignotus. Etenim fuit ille quidem (vt dicebam) familiaris M. Tullio: qui inde copiosè hauſit (quod ingenuè quoque non modò fatetur ſed profitetur) & in ſuos libros de ratione dicendi deriuauit plurima. Multò poſt etiam cognitus eſt Quintiliano: qui & illum diligenter peruolutauit; & ſæpè ad eum prouocauit; itaut ex eodem protulerit ac recitauerit non pauca. Sed & ex Græcis inter cæteros Aphrodiſeus Alexander ad illum citatis verbis nos reiecit aliquando: Auerroes denique inter Arabes Paraphraſi, & Alpharabius partitionibus quibuſdam, illum complexus eſt. Sed tamen cum poſt Auerroem Dialectici ac Phyſici Ariſtotelis libri, paulò poſt etiam morales ac lucubrationes reliqua, teri cœpiſſent atque excoli a Latinis noſtris, vnus ferè hic Commentarius intactus diu & incultus relictus eſt, vix vt inter monumenta reliqua de græcis conuerſus reperiretur. Proinde Egidius Romanus ante ſuperiorem ætatem primus illi admouit manum. Sed cum mendoſum codicem offendiſſet, nec græcè noſſet, mirum eſt quàm ſæpè ac facilè ab Ariſtotelis ſententia deerrarit: præſertim verò quia reuera, cum politiore literatura (pro illius ſcilicet ætatis conditione) & liberali eruditione careret, quæ ſine dubio huic libro explanando eſt neceſſaria, ſanè voluntati (id quod eius explanatio ſatis indicat ac ſtylus) longè impar fuit facultas. Sueſſanus tamen non multò poſt huc appulit animum; vir ille quoque ſpinoſis Dialecticorum Phyſicorúmque concertationibus magis quàm Oratorum curriculis aſſuetus: ſic tamen ingenij neruos intendit, vt reuera commodiùs quàm Egidius arduum hoc obierit munus. Etſi enim in Sueßano etiam eruditio eſt penitus requirenda, ac propterea non rarò labitur, minùs tamen quàm Egidius labitur. Denique ſpinoſo ille vtitur ſtylo ac inquinato (id quod in Eloquentia palæſtra minùs ferendum eſt) ſed tamen alioquin aliquid ei gratia habendum eſt. Iam verò præclariùs aliquanto poſt Barbarus: cum enim & meliore Interprete vſus ſit, & græcè noſſet, Ciceronem quoque, & Quintilianum peruolutarit, ac politiorem literaturam adamarit, viſus eſt non illotis manibus illum attingere. Tametſi dum ſtudet breuitati, ac multa ſummatim curſimque perſequitur, multa etiam (vt verè fatear) eáque difficilia omnino prætermittit, nos ſanè Ariſtotelica breuitate ac ſubtilitate adhuc hærentes implicitóſque relinquit. Verùm enim verò Petrus Victorius deinde extitit, qui cum Eloquentia atque ingenuæ diſciplinæ veluti expoſtliminio ad nos rediſſent, græcè ac latinè apprimè eruditus, campum hunc excoluit egregiè: præſertim verò quod admirabilem Poetarum, Oratorum, Hiſtoricorum, ac moralium Philoſophorum cognitionem ſecum attulit; itaut illum non mediocriter illuſtrarit; dicerem ſpem omnem palma præripuiſſe omnibus (præſertim quia tandem editione altera de græcis accuratè illum conuertit) niſi difficultates præteriret facilè, quæ in Ariſtotele & multæ & magnę occurrunt paſſim. Denique dum in vocibus dilucidandis & græcis codicibus conferendis (quod tamen ſtudium non equidem improbo) multus eſt, dubitationes quibus impeditur Ariſtoteles, diſſimulat aut per incogitantiam præterit alacriter. Quo fit vt in eo Ariſtotelis artificium lateat adhuc non vulgariter. Nam de Germano quodam Interprete, qui paulò poſt manum huic admouit*

Quo conſilio ſit declarãda; & de illorũ, qui eã explanarũt, induſtria; nimirum.

De Egidio Romano.

De Auguſtino Sueſſano.

De Daniele Barbaro

De Petro Victorio.

De Germano Interprete.

mouit monumento, nihil attinet dicere: etſi enim græcè & latinè gnarus, in Cicerone etiam (quod plurimum quidem refert) verſatus ſit, dubitationes tamen declinat vehementer, tantum abeſt vt expediat: denique preſſiùs agit quàm vt Ariſtotelis conſulat breuiloquentiæ. idque eò minùs quòd ad Victorium atque alios non rarò prouocat, laborem ſubterfugiens. Quo fit vt dum properat, nos paſſim relinquat in ſalebris. Veriſſimè enim dici poteſt, in Ariſtotele interpretando præpoſteram eſſe feſtinationem, ac nouercam doctrinæ. Huic tamen breui ſucceſſit M. Antonius Maioragius, vir optimis literis atque ingenua eruditione vniuerſa tum græca tum latina ornatus. Is igitur eleganter primùm huiuſmodi Commentarium donauit latinitate, atque ita donauit, vt non tam de græcis conuerſus quàm a latino Authore, eóque diſerto planè ac perpolito, ſcriptus videri poſſit. vſque adeo helliniſmos deuitat omnes, ac Ciceronis, fermè imitatur ſtylum. Tum explanationem eámque elegantem & copioſam, adiunxit, in quo cum ex M. Tullio huc reuocauit plurima, tum ex Poetis, Hiſtoricis, & vt ſummatim dicam, ex laudatiſſimis authoribus omnibus, qui ad eruditionem & eloquentiam conducere poſſunt, hauſit, ornauitque Commentarium. Sed tamen dum Ariſtotelem latiùs vertit (neque enim id inficiari licet) & quas germanas Ariſtotelis ſententias putat, ſuis ille coloribus ac pigmentis illuſtrat, verbis nuſquam inſiſtens, non modò Aſiaticus videri poteſt, ſed licentiùs vertere & ab Authoris ſententia ſæpè diſcedere. Huc accedit quòd ipſe quoque ſcopulos ac difficultates pleraſque clauſis oculis prætervectus eſt: cum tamen hæ, quippe & graues & multæ ſunt, atque Ariſtotelis ſenſa magnopere obſcurant, puppis ſint ferè ac prora in huius monumenti explicatu. Illud enim ei conſtitutum eſſe debet qui Authorem aliquem explanandum ſuſceperit, vt ſi quid hæreat, id ingenuè fateatur, ac cæterorum induſtriam libentiùs exigat, & ingenium excitet, quàm hæſitantiam celet ſuam. Neque enim amicis (quod Periclis pace dixerim) multò minùs Philoſophis, patrocinandum vſque ad aram; ſed quouſque ratio ac veritas patiatur. Quapropter ſi quid occurrat in Ariſtotele quod cum veritate ac bonis moribus pugnare videatur, nec rationem inuenias ac viam vnde illum tueri poſſis vel excuſare, fatendum id quod eſt, & coarguendus magis quàm occultandus error. cum enim talem ſe præbuerit ille, qui veritatem amicis magiſtriſque ipſis, quibus plurimum debemus, anteponendam prædicarit, idque non modò æquum ſed ſanctum iudicarit, cur nos in eo declarando tam egregium præceptum violabimus? Denique explanator non Medici aut Patroni obit munus, qui ſæpè morbum aut erratum cum purgari nequeat, abdere nititur; ſed veluti arbiter ac iudex accedit, qui ad libram & perpendiculum exigat veritatem, ac ſummatim Authorem tum demum tueatur, cum veritas propugnetur. Atque in hunc ſcopulum vtinam Maioragius non incurrat ſæpè dum multa taciturnitate tranſigit aut diſſimulantia: multa etiam non ineleganter ad veritatis adornet imaginem. Quid quod is eruditione interdum magis obruit quàm legentis ſubleuet ingenium? etſi enim ea quæ ex varijs decerpit Authoribus quandoque perbellè cadunt, atque Ariſtotelis ſententiam illuſtrant non mediocriter, ſæpè tamen redundant nec quadrant argumento. Vt omittam quamplurima ex Victorio ac Germano explanatore, quibus propterea plurimùm debet; repetere (ſuppreſſo tamen Authorum nomine) ac pro ſuis vti; ita vt non modò plagiarius deprehendatur, verùm etiam tædium ijs afferat, qui Authores illos priùs (vt par eſt) perlegerint. Et quanquam dum ex M. Tullio, ac celeberrimis Authoribus qui nobis proinde ac Maioribus noſtris in aperto ſunt, ſententias depromit aut enarrat facta, non facilè illum dixerim plagiarium, cum ea peræquè legiſſe potuerit & perſpecta habere, in hoc tamen crimen incurrit dum quæ proprio aliorum Inter-

De Marco Antonio Maioragio.

pretum

pretum ſtudio inuenta & excogitata ſunt, pro ſuis, quanta ſunt (quod ſæpè facit) vſurpans, nullam illorum mentionem facit. Sed Maioragio miſſo ad Bernardum Mirandolanum cuius Commentarij extremo ſuperiore ſæculo editi ſunt; deuento: is igitur Proœmio explicato, ſtatim conuolat ad tertium librum; itaut Ariſtotelis Rhetoricen capite ac pectore truncaſſe videatur. Vt omittam impolito item ſtylo ac rudi hanc enarraſſe artem quæ maximè omnium indiget elegantia. Denique ſic ſtatuo: qui nos informet ad Eloquentiam, huic prouidendum eſt diligenter vt tum humanioribus literis & liberali eruditione imbuerit pectus, tum ne aſperiore Dialecticorum dictione vtatur qua floridiores Oratorum campos ſqualore compleat ac ſitu. Iam verò, ne longum faciam, reliquos illos prætereo qui vel Latinè aut etiam Italicè hoc expreſſerunt monumentum, vel Paraphraſi breuiter ſiue Epitome complexi ſunt, vel ſcholijs & obſeruationibus adornarunt, ſiue in tabulas quaſdam redegerunt. Quanquam Antonium Riccobonum nullo modo prætermittam. Hic igitur, quippe qui triginta integros annos in celeberrimo hoc Patauino Gymnaſio Eloquentiam non ſine laude profeſſus eſt, pulcherrimo huic libro, etſi poſtremus omnium, admonuit ſtylum: ac priùs de græcis illum conuertit, Sigonium & Victorium in primis ſecutus, ſed magna cautione attentèque ſecutus, itaut mihi quidem maximè omnium in Ariſtotelis & verbis & ſententia hærere, & libicum ambiguis in locis iudicium (quod omnino faciendum erat) nobis reliquiſſe videatur. Quam enim in ambiguis locis germanam ſententiam exiſtimes, hanc mihi in Commentarijs potiùs aut notationibus indices velim ac perſuadeas quàm in verſione ipſa (vt ita dixerim) obtrudas. Tum verò ſeorſim Paraphraſi Ariſtotelicam ſententiam ſic proſecutus eſt, vt Authoris artificium & Oeconomiam commonſtret, ac veluti filo ducto ab initio ad finem vſque nos per obſcuros perducat tramites: quod ſine dubio primum eſt intelligentiæ fundamentum, ac præcipuum ferè Interpretis, Ariſtotelei præſertim, officium ac munus. Et quanquam huius Interpretatio aut Paraphraſis reuera minus habeat ſuauitatis, interdum etiam vox aliqua parum habeat latinitatis; nec ad cætera ſeſe illius fundat induſtria quæ vel ad pleniorem interpretationem, vel ad eruditionem, aut ſpiſſas illas dubitationes pertinent; profectò non hæc promiſerat ille, ac ſibi præſtanda receperat, ſed Paraphraſim: itaut fidem ſatis liberauerit ſuam.

De Bernardo Mirandulano.

De Antonio Riccobono.

3 *Ii ſunt quibus nobilem hunc Ariſtotelis campum, quaſi Oratorum atque adeò ingeniorum Marathona placuit excurrere · hæc eorundem fuit induſtria qua illum peragrarunt. Ex quo fit vt non exiguus labori noſtro ſuperſit locus, ſed ampliſſimus adhuc & præcipuus. Etenim qui ſtatuerit difficultates nullo modo declinandas, ſed labore ac ſtudio ſuperandas, ſeu dubitationum tenebras commonſtrandas ac depellendas, ac ſummatim germanam Ariſtotelis ſententiam aperiendam artificiúmque totum dilucidandum, is ſanè habeat in quo vigilias ac lucubrationes collocet perquam vtiliter. Ob id igitur nos cum paſſim Controuerſias nobiles excitabimus quibus abſtruſa Ariſtotelis ſenſa diſceptentur ac explicentur; tum nullum non mouebimus lapidem vt ipſius Ariſtotelis præcepta, ſententias, verba artificium vniuerſum declaremus atque illuſtremus, Platonem etiam & M. Tullium cum Ariſtotele in toto dicendi artificio conferentes.*

Quæ maximè requirantur adhuc.

Iam verò, quoniam de huius monumenti præſtantia & dignitate déque Authoris ingenio & Eloquentia vos admonui, Auditores ornatiſſimi, ac ſimul docui adhuc ſupereſſe locum & campum in quo noſtra deſudet induſtria, poſtularet ſanè ratio vt vos itidem ad Eloquentiæ præcepta capeſſenda ac toto pectore amplectenda cohortarer. Verùm enim verò quominùs id faciam, prohibent multa. Ac primùm facilè

Nihil eſſe cur in præſens Auditores cohortetur ad Eloquẽtiã & quibus de cauſis.

memi-

meminiſtis, me non ita pridem ex eodem hoc loco, cum Manilianam Orationem aggrederer, de Eloquentiæ præſtantia ac dignitate vberiùs diſſeruiſſe, quàm vt hoc tempore ad eiuſdem Eloquentiæ laudationem regredi opus ſit. Huc accedit quòd tandem flagitantibus vobis integrum Orationum volumen publicis literis conſignaui in quo non modò ſemel ſed iterum ac tertiò ad Eloquentia ſtudium retinendum & excolendum vos excitaui. Sed quid moror? An non externa die publicè illum in maiore Templo de more audiſtis qui meo nomine Eloquentiam miris laudibus extulit ac florentiſſimum Auditorum cœtum ad Eloquentiæ ſtudium incendit ac inflammauit? Imprudens igitur ſim ego, ſi actum agere, ac veluti a meta ad carceres remigrare, videar. Quanquam inde etiam prohibeor ne ad Eloquentiæ laudes diuertam, quòd Ariſtoteles ipſe in ſuo Proœmio de Eloquentiæ commodis diſſerit copiosè, atque illius vtilitates, ſiue publicas velis ſiue priuatas, egregiè nobis ante oculos ponit, quibus ad nobiliſſimum hoc ſtudium incendamur. Quid eſt igitur quòd ipſe Proœmium Proœmio, laudationem laudatione, cohortationem cohortatione, anteuertam. Denique ſat ſcio vos huc Auditores nobiliſſimos eo conſilio confluxiſſe non vt Eloquentiæ, quam auidiſſimè expetitis, laudationem audiatis, ſed Eloquentiæ ipſius præcepta ex aureo Ariſtotelis veluti fonte hauriatis. Vt omittam nobiliſſimum hoc monumentum explicari haud poſſe pro dignitate, niſi quibuſdam veluti præludijs atque ijs non ſanè exiguis, eius præceptionibus aperiatur aditus. Vt propterea ſatius ſit huc ſine cunctatione vlla induſtriam ſtylúmque referre, ac non neceſſaria Eloquentiæ laudatione prætermiſſa, ampliſſimam illis viam, quoad eius fieri poſſit, patefacere, in qua fœliciter exultet Oratio. Age dum igitur, Auditores optimi, ad Ariſtotelem ipſum accedamus; Rhetorici huiuſce Monumenti. Inſcriptionem agnoſcentes priùs, quæ eſt huiuſmodi.

ἈΡΙΣΤΟ-

Digitized by Google

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΕΡΙ
ΤΗΣ ΤΕΧΝΗΣ ΡΗΤΟΡΙΚΗΣ
ΒΙΒΛΙΑ ΤΡΙΑ.

ARISTOTELIS DE ARTE DICENDI
Libri Tres.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

P R O OE M I V M.

QVAE PROOEMII loco tractari ſolent.

4 MVlta ſunt quæ ad præclari huius monumenti initium præfati ſolent Interpretes ac diſputare. Nam & de authore, & de authoris conſilio atque inſtituto, & de materia proinde huic operi ſubiecta, ſciſcitantur. Requirunt etiam quo rerum genere contineatur hæc facultas: quáue affinitate attingat cæteras diſciplinas, ac ſummatim ad quam Phyloſophiæ ſeu doctrinæ partem reuocanda ſit. Sed & explorant illius originem & incrementa: & quas humanæ ſocietati vtilitates afferre ſoleat: ad extremùm in quas partes ſit diſtribuenda, & quo ordine ab authore illa ſuo diſpoſita ſir & collocata. Hæc, inquam, ſunt quæ huius commentarij initio requirere fermè ſolent Peripatetici interpretes. Ac præclarè quidem. nam hac ratione ad rem ipſam commodior aditus aperitur ac ſternitur. Vt omittam indecorum videri poſſe ac turpe, huius facultatis præcepta ac veluti myſteria nulla præparatione adhibita, ac tanquam illotis manibus, attingere: ſiue etiam inertis inſtar athletæ ſine vlla armorum, aut virium oſtentatione in arenam certaménque deſcendere. Ne igitur à laudatiſſimo hoc inſtituto diſcedamus, ipſe quoque, Auditores, hæc fermè quæ ad certa interim Theoremata ſeu Controuerſias reuocare luber, præſabor omnia: & ex ordine explanabo.

Tractationis huius ratio atq; neceſſitas.

Principiò igitur explorandum cõſtituendúmque eſt quis ſit germanus huius Commentarij Author, ac iuréne Ariſtoteli acceptus referatur: quandoquidem ne id quidem dubitatione caret, eáque grauiſſima. Etenim illud in primis affert dubitationem, quòd Laërtius longo ordine recenſuit omnia Ariſtotelis monumenta, eádémque accuratè in ſuas partes ſeu libros diſtribuit, & tamen de tripartito hoc monumento ne verbum quidem. nam prodidit Ariſtotelem ſcripſiſſe librum vnum de Rhetorica qui Gryllus inſcriberetur: de arte Rhetorica duos: ſcripſiſſe etiam enthymemata Rhetorica, enthymematum diuiſiones; at tripartitum hoc de arte Rhetorica monumentum recenſuit aut vſurpauit nuſquam. Ad hæc Quintilianus lib. 5. cap. 10. cum ageret de argumentis, hanc (ſi quibuſdam credimus) afferebat ſententiam ex lib. 11. Rhetoricorum Ariſtotelis. *Quid ſequatur aut ambitum aut ſuperſtitionem, quid boni probent, quid mali pe-*

Ex propoſitis CONTROVERSIIS explicatur.

I. Oſtenditur huiuſmo di commentarium non eſſe Ariſtotelis.

II.

5 *Lib. 5. ad init.*

A *tant,*

Il I. *tant, quid milites, quid ruſtici.* Quæ ſanè in his Rhetoricis libris, inquit Franciſcus Patritius, reperiuntur nuſquam. Poſtremò huius commentarii author in 11. libro capite 9. ad extremùm ſic ſcribit. *Ἀρχαὶ τῶν περιόδων χεδὸν ἐν τοῖς Θεοδεκτείοις ἐξηρίθμηνται. Initia periodorum fermè enumerata ſunt in ijs quæ ad Theodecten, ſiue in Theodectys*. ex quo loco ſatis intelligere licet tripartitum hoc opus nō eſſe Ariſtotelis Rhetoricam ad Theodecten: ineptè enim diceretur periodos fuiſſe enumeratos in libris ad Theodecten, ſi hi eſſent Rhetorici libri ad Theodecten. Quapropter cum monumentum hoc noſtrum paſſim græcis & latinis Rhetorica ad Theodecten inſcribatur, verendum profectò eſt ne aut inſcriptio mendax ſit, aut certè Ariſtoteli falsò aſcribatur. Hæc pro iſta ſententia.

Patrit. poſt init. To. 1. lib. 3. pag. 35. m.

Retinetur contraria ſententia quæ hos Ariſtoteles aſcribit libros. Probatur verò prius authoritate.

Veruntamen nihil eſt quòd a recepta ſententia diſcedamus: quæ & authoritate grauiſſimorum virorum & coniecturis non vulgaribus comprobari poteſt. Ac primùm quidem Peri patetici interpretes ſiue Græcos conſulas, ſiue Arabes, ſiue Latinos, pari conſenſione hunc Ariſtoteli aſcribunt librum. Quare Aphrodiſeus Alexander, qui pro Græcis omnibus eſſe poteſt, in Topicis monebat Rhetoricam ab Ariſtotele effici & appellari Dialecticæ *ἀντίστροφον*. vbi ſine dubio in huius operis initium intuebatur, in quo Rhetorica (inquit noſter author) eſt *ἀντίστροφος* Dialecticæ. Auerroës etiam, hoc eſt Arabum Coryphæus ac vertex, in ſua paraphraſi hunc commentarium ſic Ariſtoteli tribuit, vt id pro conſtanti ſumat ac certo. Latini denique quotquot hunc librum aut de Græcis verterunt, aut commentarijs illuſtrarunt, qui ſunt plurimi; omnes ſine vlla dubitatione hoc commentarium acceptum referunt Ariſtoteli. Sed mittamus Peripateticos, M. Tullius, cuius iudicium & authoritas hac in re eſt maxima; permulta affert paſſim & vſurpat ex Ariſtotelis libris de arte dicendi, quæ in noſtro hoc commentario reperiuntur. Quare (ne multa conſecter) illud ipſum initium quod ab Alexandro proferri obſeruauimus, tanquam Ariſtotelicum a M. Tullio quoque profertur in libro de Oratore, ad Brutum vbi, *Ariſtoteles* (inquit) *principio Artis Rhetoricæ dicit illam artem quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticæ*. *cap. 5.* Valerius Maximus etiam libro 8. ſic ſcribit. *Is* (Ariſtotelem intelligit) *Theodecti diſcipulo oratoriæ artis libros quos ederet, donauerat: moleſtèque poſtea ferens titulum eorum ſic alijs ceſſiſſe proprio volumine quibuſdam rebus inſiſtens, planiùs ſibi de his Theodectis libris dictum eſſe adiecit.* Quo in loco alludit Valerius ad ea quæ noſtri huius libri author ſcribit in 3. libro, vbi periodis inſiſtens (vt cū Valerio propè loquar) *cap. 9 ad fin.* *initia periodorum* (inquit) *fermè enumerata ſunt in his, quæ ad Theodecten.* 7 Et idcirco cum Valerius Maximus id totum tribuat Ariſtoteli, Ariſtotelis erit hic commentarius. Quintilianus etiam ſæpiſſimè prouocat ad hunc librum, Ariſtotelem pro Authore cōmemorans, *cap. 16. poſt ini.* quapropter & in 2. libro Ariſtoteleam Rhetoricæ definitionem, Ariſtotele de nomine citato, carpere aggreditur: & paulò poſt *omnia* (inquit) *ſubieciſſe Oratori videtur Ariſtoteles, cum dixit, vim eſſe dicendi quid in vnaquaque re poſſit eſſe perſuaſibile.* Vbi definitionem è ſecundo libri primi capite totidem verbis deſumpſit in quo ſcribit Ariſtoteles Rhetoricam eſſe *δύναμιν περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν*. *cap. 2. ad ini.* Sed quoniam & paulò antè alium ex Quintiliano attulimus locum, in quo ad Ariſtotelem prouocās, non alium quàm hunc noſtrum intelligit commentarium; & alia multa eiuſdem generis loca in Quintiliano occurrunt paſſim, non eſt quòd vos Authoribus recenſendis morer longiùs. Tametſi nō committam vt luculentum Dionyſij Alicarnaſſei teſtimonium prætermittam. *Dionyſ. Tom. 2. græc. p. 124. lat. p. 227.* Etenim grauiſſimus iſte Anthor in ea epiſtola quam Ammæo ſcripſit vt oſtenderet Demoſthenem eloquentiæ præcepta non ex Ariſtotele hauſiſſe, locum profert Ariſtotelis ex 2. Rhetoricorum, in quo ipſe Ariſtoteles ex Demoſthene profert exempla quædam. *Habetur li. 2. c. 24 non lōgè ab init.* Quapropter cum hic quem Dionyſius ex Ariſtotele deſcribit locum, totidem verbis in noſtro hoc commentario, & ibi planè vbi deſignatur, habeatur ac legatur, nemo inficias eat Dionyſio commentarium hunc noſtrum pro Ariſtotelico iure agnoſci ac ſtatui. Ita ſanè ſi authoritate certandum ſit, multos eóſque optimos authores habemus quibus quod volumus euincamus. 8

Probatur rationibus

Quanquam authoritati rationes ſeu coniecturæ, atque illæ non infirmæ, addi poſſunt. *cap. 11.* Etenim Ariſtoteles in libro 1. Rhetoricorum ſcribit ſe de ridiculis ſeorſum egiſſe in ijs quæ de Poëtica: & libro 3. extremo rurſus teſtatum ſe in poëticis egiſſe de ridiculorum formis. Quapropter cum in eo libro de ridiculis proponat agendum (ait enim ſe de illis paulò poſt dicturum: quamuis re vera, vt poſterior pars deſideratur in quam ridicula cōiecta erant, ridiculorum tractatio interijt) qui conceſſerit Poëticæ librum eſſe Ariſtotelis, is Rhetoricam

toricam quoque non iniuria eidem tribui fateatur oportet. Id quoque apertiùs adhuc
cap.1. conſtat tum ex 3. Rhetoricorum, vbi ſcribit ſe & de dictione, & de ornatu, & de nomi-
cap.2. nibus,& de metaphora dixiſſe in poëticis: cum enim hæc omnia in Ariſtotelea poëtica
part.97. extent, vel turpiter negandum erit Poëticam non minùs quàm Rhetoricam falsò tri-
bui Ariſtoteli, vel certè fatendum eſt vtrumque opus eſſe germanum Ariſtotelis mo-
numentum. & huc etiam pertinet quod in Poëtica ſcribit ſe in Rhetoricis proſecutū
eſſe ea quæ ad ſententiam pertinent: quæ ſanè in noſtro hoc commentario exarata ſunt
copiosè. Denique Ariſtotelis ſtylus ac dictio eſt æquabilis ac temperata, ſubtilis etiam
ac preſſa, inſtructa admirabili verborum proprietate ac ſententiarum acumine, atque
Atticam in primis redolet ſiccitatem illam quā in Ariſtotele tantopere laudat M.Tul-
lius. Quæ ſanè in noſtro hoc commentario ſe ſe offerunt omnia, præſertim Græcè il-
lum perlegenti. Vt propterea inficiari haud liceat hoc opus eſſe Ariſtotelis. Nam ſi
9 quis cōcedat Rhetoricam ad Theodecten interijſſe,& tamen fuiſſe Ariſtotelis(id quod
nos concedimus non grauatè) hunc quoque commentarium Ariſtoteli tribuat neceſ-
Lib.2. ſe eſt: cum enim in noſtro hoc author ſe Theodectianæ authorem promulget, profe-
cap.10. ctò ſi Theodectianæ author eſt Ariſtoteles, huius quoque author habendus eſt.

Sed iam (ſi placet) contraria diluamus argumenta. ex quibus ſanè primum hæren- *Contraria*
tem magnopere habuit Victorium: ita vt tandem eò confugerit vt dixerit mendum *diluuntur*
irrepſiſſe in Laërtium, quaſi verò pro A.B. reponendum ſit A.B.Γ. At enim vide quid *argumēta.*
ſtatuas Victoriname, vt omittam in nullo & ſi peruetuſto Laërtij codice(id quod ipſe- *Ad I.*
met fateris) haberi Γ. aut librum tertium vllo modo deſignari, profectò ſi mendum
irrepſiſſet in numerum, iam, quoniam Laërtianus Catalogus noſtro Catalogo refraga-
tur totus, totus erit mendoſus: quingentos enim fermè libros pro Ariſtotelicis enu-
merat Laërtius, qui tamen, ſi quatuor circiter aut quinque exceperis; cum noſtris nec
numero nec inſcriptione conſentiunt. Itaque ne menda innumera in hunc catalogum
temerè intrudas, ſatiùs eſt vt ſuſpicionem iſtam deponas. Neque verò Laërtium inte-
rim dixerim memoria lapſum, quod cenſet Riccobonus: quandoquidem à veriſimili
longè abeſt vt Laërtius memoriter confecerit quingentorum librorum catalogum:
potiúſque ſtatuendum eſt exempla librorum & indices ſibi propoſuiſſe quos deſcribe-
ret. Ego itaque, ne videar Aethyopem dealbare velle, nolim Laërtiani huius facti (niſi
fortè per duos Rhetoricos libros tum noſtrum commentarium, tum alterum ad Ale-
xandrum intelligat, de qua re paulò poſt) cauſam perueſtigare: cum præſertim rem
10 in T.ar. Tim. alio loco, etſi magna ex parte deploratam, proſecutus ſim copiosè. Nunc ſat ſit mo-
nuiſſe, præſtare longiùs tum Alexandro ac Peripateticis reliquis, tum verò M.Tullio
atque alijs authoribus optimis & antiquitatum egregiè gnaris, inhærere, quàm vnius
authoris eiúſq; ignoti fermè ac ſuſpicioſi catalogo & authoritati fidere: cum præſer-
tim ex Strabone, Plutarcho, aliíſque grauiſſimis authoribus conſtet Ariſtotelicos li-
bros, quorum ipſi catalogum atque indices vſurpamus ac terimus, a Theophraſto cui
primùm ab Ariſtotele legati ſunt, ad Neleum, ac tandem Syllæ opera ad Tyrannionem
Andronicúmque, deueniſſe; qui illos promulgauit, atque interpretum opera tanquam
per manus poſteritati reliquæ conſignauit. Adde quòd cum Ariſtotelis monumenta
non ab ipſomet in libros diſtincti fuerint, ſed ſubinde ab alijs, qui etiam decurſu tem-
poris & in capita & in particulas eos diſtinxerunt (atque ob id etiam accidit vt multa
Ariſtotelis monumenta nec ſectionibus, nec capitibus, nec libris apud omnes conſen-
tiant; ita vt libri de naturali auditione verbi gratia, olim quibuſdam ſeptem eſſent tan-
tùm: nobis octo, Iuſtino martyri nouem) quid mirum ſi noſtrum hoc commentariū
in nullos adhuc libros tributum, ad Laërtij, aut certè antiquioris cuiuſpiam cuius indi-
ces & catalogum ſecutus ſit Laërtius, manus peruenerit? Sed & Quintiliani locus no- *Ad II.*
bis mirificè fauet, tantum abeſt vt refragetur. Neque enim Quintilianus eo in loco
conceptis verbis vllam Ariſtotelis ſententiam refert: Sed compendio quodam com-
plectitur vel potiùs pauciſſimis verbis attingit eorum ſummam quę Ariſtoteles de mi-
litum aliorúmque multorum ad ruſticos vſque, ingenio, ac moribus diſſerit in ſecun-
11 do libro: ídque vt de re planiùs conſtet, his verbis. *Ideóque Ariſtoteles in ſecundo de arte*
Lib. 5. *Rhetorica libro diligentiſſimè eſt executus quid cuique rei, & quid cuique homini, ſoleat accidere*
cap. 10. *& quas res, quóſque homines, quibus rebus aut hominibus vel conciliaſſet vel alienaſſet ipſa natura*
poſtini. *vt diuitias, quid ſequatur, aut ambitum aut ſuperſtitionem: quid boni probent, quid mali petant,*

quid milites, quid ruſtici, quo quaque modo res vitari vel appeti ſoleat. Quæ verba & eſſe Quin-
tiliani non Ariſtotelis, & compendio Ariſtotelea quædam indicare, & Patritij, vel incu-
Ad III.
riam vel affectatam diſſimulantiam ne dicam impoſturam referre, ac ſummatim no-
bis fauere, perſpicuum eſt. Iam verò Theodectianos libros a noſtris hiſce longè diffe-
re, atque hunc commentarium falsò a nonnullis ad Theodecten inſcribi, nemo eſt qui
ambigere poſſit dum tamen locum illum tertij Rhetoricorum perlegerit. Vt omittam
Quintilianum qui libro 2. cap. 15. dubitat Theodectiani Ariſtotelíne an Theodecti ſint
tribuendi, cum ad noſtros hoſce commentarios prouocat, conſtanter eos pro Ariſto-
telicis ſemper agnoſcere. Vt propterea ſatis ſupérque conſtet illi Theodectianos fuiſſe
ab hiſce noſtris longè diuerſos. Quapropter qui tam facilè Theodecti hos attribuunt
libros, eoſdémque Rhetoricam ad Theodectem appellant inſcribúntque, erroris cau-
ſam ex Valerio agnoſcant ſui: nos enim Theodectiana, qualia tandem eſſent illa, ab
Ariſtotele ſcripta, Theodectis nomine in publicũ prodidiſſe, fatemur quidem; ſed ad-
dimus Ariſtotelem, & ſe germanum monumenti illius Authorem prodidiſſe tandem,
& planiſſimè declaraſſe, Theodectiana a tripartito hoc monumẽto differre. Etſi Theo-
dectiana, quæcunque illa eſſent, modò non extant.

De Rhetorica ad Alexandrũ, num Ariſtoteli iure tribuatur.
Sed quoniam Theodectianam Rhetoricam ab hac noſtra ſeiugauimus, quid obſe-
cro de altera dicendum quæ ad Alexandrum inſcribitur? ego ſanè eſſe germanum Ari-
ſtotelis opus planè crediderim. cum enim in 3. libro noſtri huius commentarij author
apertè fateatur quin profiteatur ſe Theodectianæ Rhetoricæ authorem, ac rurſus au-
thor Rhetoricæ ad Alexandrum Theodectianam ſibi aſcribat, profectò vnus idémque
& noſtri huius & Alexandreæ Rhetoricæ author fuerit neceſſe eſt. Ita, cum Victorius
certet noſtram hanc eſſe Ariſtotelis, alteram quoque (velit, nolit) Ariſtoteli tribuat 12
neceſſe eſt. & idcirco contrarijs Victorij coniecturis quibus hanc Anaximeni Lampsa-
ceno aſcribere nititur, non neceſſe habeo reſpondere: cum præſertim & teſtatam an-
tiquorum opinionem (quod ipſemet nõ diffitetur) deſerat, & locum quendam Quin-
tiliani perperam corrigat, ne dicã corrumpat & falsò denique opinetur Alexandrum
ad Anaximenem confugiſſe vt in Rhetoricis inſtitueretur, cum eodem tempore Ari-
ſtotele, hoc eſt Doctore optimo vteretur. Quare locus ille efficit quidem hos libros nõ
Explicatur II. & III. Controuerſia.
eſſe pro Theodectianis habendos, ac perperam tribui Ariſtoteli, nullo modo. Sed iam,
ſi placet, requiramus quale fuerit Ariſtotelis inſtitutum atque conſilium in hoc mo-
numento conſcribendo. Neque enim fieri poteſt vt rectà curſum intendamus, atque
intelligenter illum & vtiliter euoluamus, niſi priùs de illius conſtiterit conſilio & in-
ſtituto. Ergo authoris conſilium (ſi me audiatis) illud fuit vt nos ad eloquentiam in-
formaret: ſiue vt eloquentiæ præcepta traderet. quare quemadmodum in libro de ar-
te Poëtica illud inſtituit vt nos ad Poëſim informet, ſiue vt poëmatis pangendi tradat
præcepta, ita in hoc libro illud molitur vt nos informet ad eloquentiam; quod eſt ra-
tionem nobis tradat, vnde ornatè & copiosè, vno verbo, appoſitè dicere poſſimus ad
perſuadendum.

Quæ cum ita ſint, iam animaduertere licebit materiam huic commentario ſubie-
ctam eſſe præcepta eloquentiæ. Vt enim in libro de arte poëtica præcepta poëſis ſunt 13
germana monumenti illius materia, ita in hoc noſtro ſunt eloquentiæ præcepta & do-
cumenta. & idcirco nihil in hoc commentario præcipitur niſi ratio ac via qua ornatè
& copiosè, & (vt dicam breui) ad perſuadendum appoſitè dicere liceat.

Dubitatur I.
Quanquam ſtatim obijciat quiſpiam; Rhetorica, Ariſtotele teſte ac M. Tullio, nul-
lam habet certam materiam in qua verſetur: & hac de cauſa dicitur affinis Dialecticæ,
cui certa ac definita materia ſubijcitur nulla; quî igitur audes eloquentiæ præceptis
Rhetoricæ artis materiam concludere? Adde quòd Orator ea maximè de cauſa dicitur
poſſe de qualibet re appoſitè diſputare, quia communibus vtatur argumentis, ac per
Reſpondetur.
omnia vagetur: certi aliquid ac definiti habeat nihil. Sed hoc nihil eſt: ſi enim Rheto-
rica non per ſe ac ſolitaria ſpectetur, ſed ad vſum referatur, fateor quidem nullam habe-
re certam materiam in qua verſetur; ſed de quauis re poſita probabiliter diſputare poſ-
ſe: verùm ſi per ſe ſpectetur, nimirum nuda, ſolitaria, ſeiugata ab vſu, quod eſt ſecluſa
a Curia, a roſtris, a foro, a iudicijs, a diſceptationibus, iam certam habet materiam, ni-
mirum eloquentiæ præcepta, in quibus occupatur tota. Vt enim Dialectica, quà in vſu
ponitur & probabiliter diſſerit, infinitam habet materiam, ac vagam, quà verò in præ- 14

ceptis

ceptis ipſis occupatur, finitam ac certam, ſic Rhetorica. Non inficior tamen Rhetoricam, quemadmodum & Dialecticam, non per ſe, hoc eſt propter cognitionem præceptorum, ſed propter vſum expeti: atque hinc factum eſſe vt Ariſtoteles ac M. Tullius, Rhetoricæ, quoniam propter vſum, hoc eſt ad ornatè & copioſè de qualibet re dicendum, comparata eſt, infinitum quaſi campum ſiue incertã materiam ac vagam ſubiecerint paſſim: quod tamen nihil prohibet quominus & per ſe ſpectari poſſit, & hoc pacto certam materiam habeat, hoc eſt (vt dixi) eloquentiæ præcepta. Et idcirco, vt paulò adhuc limatiùs atque diſtinctiùs argumento ſatisfaciam, Rhetorica quæ ſignificat artis tractationem, & in arte, qualis qualis ea ſit, tradenda occupatur, habet materiam finitam & certam: tametſi Rhetorica quæ eloquentiam ſignificat, hoc eſt præceptorum vſum, qui infinitus eſt & vagus, incertam habet materiam & vagam.

Neque verò mihi objiciat aliquis, fore vt duæ Rhetoricæ, duæ item Dialecticæ, admittendæ ſint; quarum vna poſita ſit in vſu, altera ab vſu remota ac ſeiugata. Etenim vna eadémque ſiue Dialectica, ſiue Rhetorica, eſt quæ ſiue in vſu ponitur, ſiue ab vſu ſeiugatur. Id quod commodo exemplo illuſtrare licet ac declarare. Eſto igitur in medium afferatur celſa illa & admirabilis, quæ nunc Venetijs recens condita cernitur, ſiue quinqueremis, ſiue prætoria Nauis, ſiue oneraria. Iam licebit Præfecto aut etiam Nauarco, nos de tota illius ſtructura & conſtitutione docere priùs: tum eandem vectoribus, militibus, mercibúſque complere, atque ad vſum referre. Quis igitur neget non vnam eandémque eſſe nauim, etſi modò per ſe ſpectetur ac veluti nuda & ſolitaria: modò milite ac mercimonia cõpleatur & ad vſum referatur? nemo ſanè. Eodem modo vna eadémque erit ſiue Rhetorica, ſiue Dialectica, quamuis priùs veluti nuda & ſolitaria, hoc eſt ſuis illa præceptis contenta, proponatur, mox vero in forum ac iudicia,

Dubitatur II. Reſpondetur.

15 vno verbo ad vſum traducatur. Atque hoc eodem exemplo optimè doceri poteſt & finitam & certam, & infinitam & vagam, poſſe Rhetoricæ ſiue eloquentiæ materiam ſubijci. Vt enim nauis illa, dum ſolitaria ſpectatur, certam ac finitam habet materiam, nimirum ligna quibus conflatur & conſtituitur, & ſi quid huiuſmodi: dum verò ad vſum refertur, vaga illi & infinita ſuccedit materia: cum vectoribus, militibus, tritico, oleo, aliſque mercibus, quæ in magna ac propemodum infinita varietate poſitæ ſunt; conuehendis adhiberi poſſit: ita etiam Rhetorica dum nudis præceptis ſolitariáque ſpectatur, certam habet materiam, nimirum præcepta quæ ad perſuadendum ſeu fidem faciendam comparata ſunt: dum verò in vſum refertur, nullam habet propriam certámque materiam, quia de vnaquaque re fidem facere, ſeu probabiliter diſputare, poteſt Orator. Ita ſanè, Auditores, non duæ Rhetoricæ erunt, ſed vna eadémque: etſi extrinſecùs & accidentaria vt ita dixerim, ratione variata; quemadmodum ego ſiue ſtans, ſiue ſedens, idem planè ſum: licet poſitio aut ſitus qui tandem ad rei naturam nihil pertinet, varietur.

Neque rurſus eſt quod vos illud commoueat, Auditores, atque perturbet, quod aliqui ad propoſitam Rhetoricæ diſtinctionem ſeu varietatem euertendam objicere ſolent ac venditare. nimirum Rhetoricam quam in vſu poſitam dicimus, Rhetoricæ vim ac rationem amittere, atque illius rei ſiue doctrinæ veluti habitum induere in qua verſatur. Si enim Orator (inquiunt iſti) de aſtrorum curſu egerit, is ſanè quantumuis or- *Dubitatur III.*

16 natè & copioſè dixerit, Aſtrologus cenſendus erit, non Orator. Ita etiam ſi de beatis mentibus, de cœleſtibus corporibus, de animantibus, déque huiuſmodi alijs diſertiſſimè ac ſumma vi eloquentiæ diſputarit, Phyloſophus habendus atque dicendus erit, Orator nullo modo. Nihil eſt, inquam, Auditores, cur id vos permoueat quicquam. *Reſpondetur.* Nam primò, adhuc proferre licebit Oratorem, qui in curia & in foro agat, ac, ſiue quẽ laudet aut vituperet, ſiue accuſet aut defendat, ſiue ſuadeat aut diſſuadeat, Oratoris vim retinebit ac nomen. Adhuc igitur Rhetoricam in vſu poſitam retinere licet. & ſanè ſi quid efficeret iſta dubitatio, efficeret Rhetoricæ in vſu poſitæ materiam non planè vagam eſſe ac minimè definitam, ſed certis finibus circumſcriptam (de qua tamen re ſuo loco) at Rhetoricam in vſu poſitam, eſſe explodendam, nullo modo. Denique ſi Orator qui de Aſtrorum curſu aut huiuſmodi alijs ornatè & copioſè egerit, ex penetralibus Aſtrologiæ at proprijs Aſtrologorum initijs ac veluti fontibus hauſerit argumenta, haud equidem inficias iuerim Oratoris vim ac nomen amittere. Verùm ſi communibus vtatur argumẽtis atque ex medijs Rhetorum ſpacijs depromat ratiocinationes,

Oratoris partes tuebitur ac munus. & ideo ſæpè vobis occurrat Ariſtoteles, qui dum communibus argumentis vtitur, quod in phyſiologia ſæpè facit, fatetur atque adeò profitetur ſe Dialecticè diſputare, ita vt quamuis phyſica tractet, phyſica argumenta ſecernat a Dialecticis. Sic ſanè dum Orator conſimilia vſurpat argumenta atque oratorijs ea luminibus illuſtrat, Orator habendus erit. Retinenda igitur erit propoſita diſtinctio; ſimúlque finita materia, hoc eſt præcepta eloquentiæ noſtræ huic quam tradimus

Dubitatur IV. facultati, ſubijcienda erit. Quanquam ne illud vnum prætermittam quod mihi quidem 17
in hac re præcipuum videri ſolet; Quid ſi quis pugnet Rhetoricam, quam in vſu ponimus, oratoriam facultatem efficere potiùs ac gignere, quàm Rhetoricæ, de qua tamen agimus hoc tempore, vim ac naturam retinere? ſanè qui dicendi tradat præcepta, Rhetorem eſſe; id verò compertum eſt: at qui iiſdem præceptis vtatur, Rhetoris potiùs quàm Oratoris obire munus ac retinere vix credi poteſt: qui enim ab vmbra in ſolem, ex palæſtra in arenam & (vt dicam planiùs) ab Gymnaſio in forum curiámque progreditur & cauſas agit, is ab omnibus Orator haberi ac dici ſolet, Rhetor vix ac ne vix quidem: niſi tamen eum qui freno vtitur equitem, χαλινοποιητικὸν hoc eſt frenorum quoque effectorem, ſiue (vt ſignificantiùs etſi barbarè loquar) frenefactorem haberi

Reſpondetur. ac dici velis. Ita demum propoſita diſtinctio atque doctrina conciderct fermè tota. Acutè: ſed quam verè iam iam explorabimus. Ergo, vt rem paulò altiùs repetam, dubitare haud licet quin Rhetoris nomen apud Latinos, multò verò magis apud Græcos, videri poſſit ambiguum. apud Latinos quidem, nam etſi Rhetor propriè ſignificare videtur eum qui tradit præcepta dicendi, a Cicerone tamen pro Oratore, pro eo inquam qui cauſas dicit, non ſemel vſurpatur. quare in Bruto ſcribit Rhetori conceſſum eſſe mētiri in hiſtoria vt aliquid dicere poſſit argutiùs, Oratorem ſine dubio, cui hiſtoriæ ſcribendæ munus imponit, Rhetoris nomine intelligens; & in 2. de finibus ait perpetuam orationem non modò Rhetorum ſedet philoſophorum eſſe. quo etiam in loco quemadmodum in alijs multis, Oratorem deſignat: denique in primo de Inuentione, & alibi ſæpè Rhetoris & Oratoris nomen promiſcuè vſurpat non rarò. id quod ſine dubio ex Græcorum vſu ac more accidit: Græci enim vel propter muneris affinitatem, vel certè quia iidem fermè qui benè dicendi præcepta traderent, in foro & curia 18
cauſas agerent, eodem planè efferunt nomine Rhetorem & Oratorem (& ob id monebam propoſitum nomen multò magis ambiguum eſſe apud Græcos) ῥήτωρα vnum atque alterum appellantes. quæ vſurpatio quoniam in Platone, Ariſtotele, Demoſthene, & optimis quibuſque Græci ſermonis authoribus obuia eſt ac trita, nihil eſt quòd exemplis confirmetur. Hinc factum eſt vt Rhetoricæ quoque nomen cum apud Græcos, tum verò apud Latinos qui & Rhetoris & Rhetoricæ nomen acceperunt a Græcis, perinde ac Rhetoris ſit ambiguum & anceps; cum non modò frequentari ſoleat pro arte & tractatione præceptorum, verùm etiam pro eloquentia ſiue oratoria dictione, &, vt me ſemel explicem, pro ea, quæ in vſu poſita, eſt facultate. Quapropter tam in Græcis quàm in Latinis authoribus magna cautio adhibenda, vt intelligamus quandó nam Rhetoris nomen pro Oratore, Rhetorica pro eloquentia, vel è contrario ille pro Rhetore ac præceptorum Doctore: hæc pro oratoria dictione, accipienda ſit.

Neque verò hæc præmonuiſſe velim vt Rhetoricam, hoc eſt eam facultatem quæ præcepta tradit, ab Eloquentia ſiue Oratoris dictione re ipſa penitus ſeiungerē, quantumuis eodem nomine appellari deprehenſum ſit, ſic enim Rhetorica in vſu, contra quàm ab initio obijciebatur, nomine retineretur quidem, re tamen ipſa concideret tota, cum hinc Oratoris potiùs quàm Rhetoris facultas exiſteret; ſed eo cōſilio hæc commemoraſſe volui vt de tota vocum iſtarum notione, varietate, ambiguitate conſtaret. At enim qui tandē non euertitur diſtinctio atque adeò doctrina propoſita, cum Rhetoris & Oratoris, etſi nomine interdum confundantur, munus ac vera notio ita diuerſa ſint ac diſſita? Minimè verò: nam in cauſis agendis ſic verſatur Orator vt præceptorum cognitione ſiue habitu continenter vtatur, ac proinde Rhetoricam in vſu ponat. Quapropter adhuc facultatem iſtam & ab vſu ſeiugatam & in vſu poſitam intueri licet. quare ſi eum qui præceptis vtitur, neges propriè mereri Rhetoris nomen, atque Oratorem appellari iubeas, quemadmodum is qui freno vtitur non frenefactor ſed eques dicendus eſt, eſt tamen quod fatearis vtrobique præcepta benedicēdi ſubijci & vſurpari, quemadmodum frenum tam in frenefactoria (teram interdum huiuſ- 19

modi

modi voces breuitatis & perſpicuitatis cauſa) quàm in equeſtri tractatur & vſurpatur. Ita demum, licet is qui freno vtitur eques, non χαλινοποιητικὸς ſeu frenefactor dici poſſit, cum tamen qui Rhetorica vtitur Orator, Rhetor quoque (ſic nimirum obtinente vſu, quòd qui artem docerent ij fermè cauſas quoque agerent) dici ſoleat, attamen Rhetoricam a bono Oratore vſurpari, ac propterea & in vſu poſitam, & ab vſu ſeiugatam ſpectari poſſe, nihil eſt quod dubitemus.

Sed quoniam de Authoris inſtituto ſatis conſtat, & de materia huic commentario ſubiecta, erit qui continuò ſuſcitetur quænam ex iſtiuſmodi materiæ tractatione aut 20 cognitione doctrina aut habitus exiſtat: Ars ne, an ſcientia, an virtus, an verò exercitatio tantummodo & experientia, an potiùs facultas. Et ſanè ſi quis totam iſtam cognitionem teneat, qua rectè atque appoſitè dicere valeat ad perſuadendum, quidnam callere dicendus erit? Artémne, an ſcientiam? an verò exercitatione aliqua, ſiue experientia aut facultate inſtructus cenſendus erit? certè ea cognitio qua mens ita ſit informata vt homo facilè & pro arbitratu poſſit appoſitè diſputare, habitus iure ac meritò dici & haberi ſolet. Et hoc eſt etiam quod ab initio quærebam, cum dicerem dubitari poſſe quo rerum genere contineatur hæc tractatio ſiue cognitio. Verùm nolim ego, Auditores, id hoc in loco diſputare: idque ea de cauſa quòd hæc ipſa dubitatio in ipſam et Ariſtotelis diſputationem non multò poſt in conſpectum ſe dabit, ac propterea ne rem aut anteuertere, aut non ſine temporis diſpendio iterare, cogamur, ſatius ſit totam hanc diſputationem in eum locum reijcere. Nunc tamen illud vos breuiter monuiſſe velim, huiuſmodi cognitioni nec conuenire Scientiæ nomen, nec Artis, (ſi Artis aut Scientię nomen propriè ſeu Ariſtoteleo more & modo, vſurpetur, & finis Oratori propoſitus ſpectetur) multò minùs Virtutem eſſe appellandam, aut etiam experientiæ ſoliúſue exercitationis finibus concludendum: ſed facultatis nomine gaudere. quod eſt eſſe quandam mentis uim, quæ ſuapte natura in contrarias partes flecti poſſit, ſiue ad res contrarias probandas referri & adhiberi; aut etiam facilitatem quandam ſuppeditare vnde appoſitè dicamus ad perſuadendum: quemadmodum ſuo loco perſpicuè explicabitur. Quod ſi Plato, ſiue Stoici, aut M. Tullius interdum quin Ariſtoteles ipſe eloquentiæ cognitionem non rarò Artis, ſiue Scientiæ, ſiue etiam Virtutis aut Exercitationis nomine appellant, hæc verò quo conſilio ac nomine proferantur, docebimus poſtea.

EXPLICATVR ſeu attingitur IV. Controuerſia.

Vide poſt proæm. vbi de libri inſcript. et.

Atque eodem tempore licebit explicare ad quam Phyloſophiæ ſeu Doctrinæ partem, ſit reuocanda, vel certè quæ ſiue cum Phyloſophia ſiue cum cęteris doctrinis, aut animi habitibus illi intercedat neceſſitudo atque coniunctio. Id enim ex ſuperiore 21 dubitatione pendet in qua quæritur Sítne Virtus, an ſcientia, an Ars, an Exercitatio, an denique facultas. quare poſt iſtius dubitationis explicationem ad hanc aggrediar: vbi etiam docebo an ad Dialecticam, aut etiam ad Logicam, cum aliquibus reuocanda ſit: an vt alij quidam ſentiunt, ad Politicam, an ad Dialecticam ſimul & Politicam, an denique ſolitaria haberi velit ac ſui iuris. Huic enim rei explicandæ opportunior ſe ſe locus in Ariſtotelis offeret diſputatione. Quanquā ne vos diutius quàm par eſt hærentes habeam in hac re (ſeriùs enim locus occurret cui plenior reſeruatur explicatio) tria vos interim breuiſſimè admoneo. Primum eſt, verè quidem dici Rhetoricam Politicæ ſubijci (id quod in 1. Moralium indicat Ariſtoteles) & Oratorem illi qui Vrbi præeſt regendæ obtemperare: hic enim Rhetoricam & artes reliquas dirigit ad Reipublicæ vtilitatem: ex quo fit vt Orator ſit Politici quaſi adminiſter. Sed tamen Rhetoricæ origo aut materia vel etiam cognitio ex Ciuili minimè pendet, quemadmodū nec Medicinæ ac Poëſis origo aut materia vel cognitio ex Ciuili pendet quantumuis a Politico ad Reipublicæ bonum dirigatur. Alterum eſt, eius originem ac materiam ac proinde genus (hoc enim in præſens requirimus maximè) in rationali facultate eſſe poſitum, ita vt rationalis facultas illi in generis loco tribuenda ſit. rationalem verò facultatem eam appello quæ ratiocinatione vel potiùs (vt cum Quintiliano loquar) ſermocinatione continetur, cuiuſmodi & Grammatica, Poëſis, Hiſtoria (eſt enim narratio quædam) atque Ars diſſerendi vniuerſa: nam hæc quoque, ſiue Analyticam ſpectes ſiue Sophiſticam, ſiue Dialecticam, ſermocinatrix eſt. Atque hinc fit vt tum Rhetorica tum Orator a dicendo ſeu a ſermocinatione inuenerit nomen. Poſtremum eſt, poſſe tamen Rhetoricam, ſi non per ſe vniuerſa, ſed aliqua ex parte ſpectetur, tum ad ciui-

Attingitur & in alium locū reijcitur.

Digitized by Google

ciuilem ſcientiam, tum ad differendi facultatem quoquo modo reuocari: ad Ciuilem 22
quà virtutes, mores, affectus explorat, vnde probationem ex perſona tum Oratoris ducat tum Auditoris. ad Differendi facultatem quà argumentationum rationem ex Analyticis, aut ex Topicis, vtcunque haurit. de qua re tota copioſiùs, vt dicebam, opportuniore loco.

Explicatur. VI. Nunc ad Eloquentiæ Rhetoricæque originem & incrementa ſe ſe conuertat oratio, & per quos nobis inuecta ſit & importata videamus. Ergo Eloquentiam crediderim ego cum humana ſocietate ortam eſſe & propagatam: ac proinde nulla vnquam ætate, nullo vnquam tempore, fuiſſe humanam ſocietatem, in qua non aliqui extiterint qui dicendi virtute cæteris antecellerent, ac faciliùs aliorum animos ſibi conciliarent & adiungerent. Vt enim Natura Duce homo homini præſtat ingenio, ita etiam, quoniam ſermonis initia nobis a Natura inſita ſunt & ingenerata, par eſt exiſtimare Natura Duce ſemper alios alijs dicendi virtute ac dexteritate præſtare. Veruntamen quantum ex hiſtoriarum monumentis colligere licet, Aaron primus commemoratur qui Eloquentia valeret: nam in ſacris literis legimus ideo Moyſi a Deo ſocium & comitem adiunctum eſſe in Hebræi populi gubernatione, quòd eloquens eſſet. Apud Aegyptios verò Trimegiſtus Mercurius, apud Græcos, ſi Homero fides habenda eſt, Neſtor, eloquentiæ nomine commendatur. Poſt Neſtorem verò, etſi non exiguo interuallo temporis interiecto, Solon aliique multi tum Græci tum verò Latini commemorantur qui floruerint eloquentia.

Et quamuis eloquentia ſuam illa maturitatem ac Regiam veluti dignitatem apud 23
Græcos non ante Periclem & Iſocratem, aut etiam Platonem atque Demoſthenem, ſit conſecuta, apud Romanos verò longè ſeriùs, Antonij ſcilicet Craſsíque tempore, aut certè M. Tullij, in quo omnibus numeris abſoluta eſt, veruntamen non eſt quòd inficiemur ante iſtos quoque (vt dicere cœperam) fuiſſe multos qui dicendi gloria excellerent. Quis enim Thucydidem inficietur fuiſſe perdiſertum & eloquentiæ virtute floruiſſe, cùm a Demoſthene ipſo, hoc eſt Græcorum omnium eloquentiſſimo, eloquentiæ laude commendetur? ſanè Demoſthenem ferunt Thucydidis oratione ſic delinitum & captum eſſe, vt eum non modò ſemel, ſed iterum ac tertiò, deſcripſerit totum, quapropter cum ex eo quæreretur cur tandem labores vſque adeò ingentes ſuſciperet, vt non modò ſemel ſed iteratò ac tertiò exſcriberet illum, ego verò (inquit Demoſthenes) dum Thucydidem deſcribo, eius eloquentiam imbibo. Quantò igitur alacriùs ei aures præbuiſſet, ſi per ætatem eum loquentem audire licuiſſet, atque ex aureo illius ore eloquentiam deguſtare? Sed & ante Demoſthenem Alcibiades inter cæteros, Lyſia, Hypperides, Piſiſtratus, aliique floruerunt ad Solonem aut etiam Neſtorem vſque. Neque enim putarim Homerum omnino temerè ceciniſſe, Neſtori verba melle dulciora ex ore defluxiſſe, niſi quia apud priſcos illos mortales eloquentiæ famam ac laudem adeptus erat. Denique ſine dubio alij etiam dicendi gloria claruerunt, quorum memoriam deleuit obliuio.

Quanquam, Auditores, quoniam de eloquentiæ ortu dicere cœpimus, illud diligenter animaduertendum eſt, eloquentiam non perfectam illam quidem atque omnibus 24
numeris abſolutam, ſed quæ in mediocritate quadam poſita ſit, atque in Natura & ingenio nitatur potiùs quàm præceptis & artificio, eſſe Rhetorica artificióque dicendi longè antiquiorem. contra verò perfectam eloquentiam quæque omnibus planè ſit abſoluta numeris, Rhetorica eſſe poſteriorem. Ita vt Rhetorica eloquentiæ tum parens & procreatrix, tum fœtus ac germen, iurè cenſeri poſſit: vel etiam (ſi placet) eloquentiam ipſam Rhetoricæ & Parentem & fœtum vocare liceat. Cum enim Rhetorica dicendíque artificium inde profectum ſit, quòd aliqui cauſis exploratis & notatis vnde quiſpiam dicendo faciliùs quàm cæteri perſuaderet, ac reliquos in ſuam ſententiam adduceret, præcepta inde conflauerint, ex quibus tandem extitit Ars, ſine dubio eloquentiæ ex cuius notatione manauit, fœtus ac germen erit Ars: eloquentia contra procreatrix ac parens. Atque hoc conſilio ac nomine ſcripſit M. Tullius non eloquentiam ex artificio ſed artificium ex eloquentia profectum eſſe. quod ſine dubio de eloquentia nondum perfecta pronunciauit (hæc enim tum demum paratur, cum ingenio ac Naturæ præceptis acceſſerit & artificium) ſed minùs perfecta, quæque mediocritate quadam contenta ſit. Contra verò, cum eloquentia tum demum maturitatem adepta

adepta ſit atque ad ſummum peruenerit, cum ad ingenium exercitatio, ſtudium, Ars denique comes acceſſit (neque enim quicquam initio & inuentum & perfectum eſt) ſit ſanè vt eloquẽtia rurſus (perfecta ſcilicet) Artis ſine Rhetoricæ fœtus ſit ac germen:
25 Ars verò procreatrix ac parens. & hac de cauſa ſcripſit M. Tullius Oratores non quidem naſci, ſed fieri: quod eſt diuturnis laboribus ac ſtudijs, multa exercitatione, præceptorúmque in primis atque Artis præſidijs indigere. Quapropter qui attentiùs repu- ret quot quantiſque vigilijs atque ſudoribus Demoſthenes ac Cicero ad eloquentiæ ſummum peruenerint, is ſanè eloquentiam non ſine ingentibus laboribus ſtudiiſque parari, proindeque perfectam eloquentiam Artis imprimis fœtum eſſe ac germen, fateatur neceſſe eſt.

At enim, ſint iſta, dicat quiſpiam. Verùm cur non artificioſæ eloquentiæ atque adeò Rhetoricæ initia & incrementa nobis demonſtras? nam hactenus eloquentiæ ortum progreſſionéſque indicaſti quidem, & per quos nobis fuerit importata: at de artificio dicendi, quod eſt ipſamet quam nunc explorandam ſuſcepiſti, ſiue Ars ſiue facultas, a quibus ſiue inuentum, ſiue abſolutum ſit, ne verbum quidem. Ergo ad hanc ſe ſe conuertat oratio.

Sunt igitur qui Empedocli Agrigentino, viro peracuto, & ne multa dicam, Siculo, hanc laudem aſcribunt: Sic enim ſignificare videtur tum Ariſtoteles in Sophiſticis tum Laërtius in Empedocle. Quanquam is (quantum ex iſtis & ex Quintiliano rurſus colligere licet) non tam ſcripſit de artificio dicendi, quàm apud ſuos de illo diſſeruit. Quin ne illud quidem crediderim; hunc Artem inueniſſe totam, ac de qualiber Eloquentiæ parte ſuis Auditoribus præcepta dediſſe, ſed de aliquibus, vt initio fieri ſolet. certè Ariſtoteles in ſua Rhetorica negat veteres perfectam dicendi artem tradidiſſe. Per idem verò tempus aut paulò poſt Chorax eiuſdémque Auditor Thyſias
26 dicendi præcepta literis etiam conſignarunt: quemadmodum inter cæteros teſtatur M. Tullius. Ac de ijs id aliqui narrant, quod de Pythagora & Euathlo commemorat Gellius. cum enim Thyſias Choraci operam daret vt ad eloquentiam informaretur, certam quandam argenti ſummam atque eam non mediocrem ſpopondit, ſi quam primò in Iudicio cauſam ageret, in ea victor exiſteret. Cum verò ſatis edoctus eſſet, cœpit eum de pacto argento pœnitere. Itaque a Curia & foro abſtinebat. tum Chorax ſiſtit illum in Iudicio: mercedem petit, eóque in primis dilemmate appetit Thyſiam: ſi enim (inquit) pro me iudicauerint, erit omnino quòd ſoluas: quod ſi tu victor extiteris, iam ex conuentis pactam mihi mercedem ſoluas oportet; ſi quidem tum planè te ſoluturum ſpopondiſti ſi ex prima cauſa victor diſcederes. Tum peracutus diſcipulus, Imò verò (inquit) ſi ipſe ſuccumbam, non erit quòd ſoluam: conuentis enim ſtandum erit: ſi victor diſceſſero, multò minùs: ſic iſti iudicium ambiguitate diſtraxerũt: ita vt hinc manarit illud, Mali corui (is enim, quod græcè nomen indicat, erat Chorax) malum ouum: quaſi diceret, Sophiſta ex Sophiſta, (quo etiam nomine inſimulantur a Platone) ſeu litigioſus Orator & callidus, ex callido & litigioſo. Denique (ne longum faciam) Gorgias Leontinus, Antiphon, Polus Agrigentinus, Protagoras Abderites, Traſimachus, qui fermè omnes a Platone tanquam ſophiſtæ exagitantur, Lyſias denique, & Iſocrates qui in Phœdro a Platone mirificè commendatur, de dicendi artificio vel ſcripſerunt vel docuerunt. Sed hos omnes longo interuallo ſuperauit Ariſtoteles, qui Iſocratis celebritate permotus, illud pronuncians, Turpe eſt Iſocratem dicere, Ariſtotelem verò ſilere, orationis exercitationes cum philoſophicis ſtudijs coniunxit. Itaque cum Piloſophiæ docendæ matutinas horas reſeruaſſet, Pomeridianis Rhetori-
27 cam docere cœpit: ac tantum profecit, vt in artificio præceptiſque dicendi ne ipſe quidem M. Tullius cum eo poſſit æquari. Tametſi enim corioſè multa ac varia ſcripſit M. Tullius de arte dicendi, quæque non ſine fructu ingenti peruoluuntur, eò tamen fuit Ariſtoteli inferior, quòd dum multa non tam definiret & conſtitueret quàm in vtramque partem copioſiſſimè diſputaret (vt ſcilicet vela panderet eloquentiæ atque adeò dicẽdi vim oſtentaret) ingenti rerum multitudine ac varietate obruit, interdum etiam hærentes nos reliquit ac dubios.

Quanquam id totum admirabili eloquentia compenſauit, qua non orationes modò ſed & libros multos ſcripſit & compleuit vndique. Nullus enim orationis lepos, nullus flos, nulla virtus excogitari aut fingi potuit quæ non facilè in M. Tullio non adum-

adumbrata modò ſed nitidiſſimis coloribus luminibúſque expreſſa cernatur. Denique tale ac tantum eſt illius orationis decus, tanta dignitas, tanta Maieſtas, vt Natura atque Ars certatim in eum eloquentiæ præſidia & ornamenta contuliſſe, Gratiæ omnem in illo venuſtatem profudiſſe, &, vt dicam paucis; in eo mortalibus eloquentiæ Ideam tanquam pulcherrimam lucem extuliſſe videatur. Hinc ad eum audiendum concurſus ſemper ingens: eo dicente plauſus & gratulationes maximæ; denique illo gradiente terra ipſa quam calcaret, lætari ac flores emittere dicebatur.

Sed o fallaces hominum ſpes, o inanes lætitias & gratulationes. Vix enim affulſit perfectæ eloquentiæ exemplum ac decus, cum elabi cœpit, & cum ſuo authore penè occidit vniuerſum. Neque enim dici poteſt quantopere ſtatim deformatus ſit latinus ſermo, quanta in eum barbaries ac labes irrepſerit. Sed hæc eſt rerum humanarū conditio, vt quæ a modicis initijs ad ingentem magnitudinem creuerint, ea celeriùs quàm adoleuerint cōſeneſcant. Sed quetelis ac mœrori ſit modus: & ad Ariſtotelē redeamus. 28

Explicatur VII. quāuis copioſior tractatio ad cōmodiorē locum reijcatur.

Verùm enim verò cum de Rhetoricæ ortu & incrementis conſtet ſatis, & per quos nobis inuecta fuerit & importata, poſtularet ſanè ratio vt iam de eius vtilitate verba facerem. quid eſt enim quòd in ea tantopere laboremus, niſi de eiuſdem vtilitate conſtet, imò compertum fuerit frugiferam eſſe totam? Tametſi quoniam de illius vſu & commodis pauca quædam diſſeruimus ab initio, multa etiam dicenda ſunt paulò poſt vbi Ariſtoteles ipſe varia eius commoda vtilitatéſque percenſet, idcirco dabitis mihi hanc veniam, Auditores, vt rem hoc in loco tacitus prætermittam. Tantùm dicam illud Rhetoricæ genus quod ab vſu eſt ſeiugatum, & in præceptis verſatur, eum habere vſum, vt dum contendimus ad eloquentiæ metam, tum Naturæ vitia quibus retardamur, minuat interdúmque etiam corrigat, tum verò eiuſdem naturæ præſidia & adiumenta excolat, reddátque meliora: adde quòd rationem ac viam nobis oſtēdit qua ſine errore in dicendo progrediamur: Sed in primis, Dux eſt imitationis, qua optimorum Oratorum quaſi ſuccum ac ſanguinem in nos conuertimus. Vt propterea eiuſmodi Rhetorica magiſtra ſit benè dicendi & eloquentiæ procreatrix. At verò alterū Rhetoricæ genus quod in vſu poſitum eſt, ac forenſe dixeris, ad vitam & publicè & priuatim confert plurimùm, præſertim verò liberaliter atque ingenuè educato, quíque ſatis intelligat ſe non ſibi ſolùm ſed & amicis & patriæ natum eſſe. Sed quas habeat ad vitam vtilitates, ſuo loco copioſè. 29

Explicatur VIII. quæ eſt poſtrema ex propoſitis.

Nunc ſupereſt, Auditores, vt doceam in quas partes diſtribuenda ſit, & quo ordine a ſuo illa Authore diſpoſita fuerit & collocata. Ergo vt generalem ac ſummam partitionem, vt par eſt, afferamus primò, in Prooemium & Tractationem diſtribuitur hoc monumentum. Ac Prooemium quidem in primo capite continetur (tametſi quale quale ſit eiuſmodi Prooemium paulò poſt) Tractatio reliquam diſputationem ad finem vſque occupat vniuerſam. Iam verò Tractatio (id quod ſuo loco pluribus demonſtrabitur) tripartita ſe ſe offert pro tripartita oratorij muneris varietate. Illud enim Oratori propoſitum eſt, vt doceat, vt flectat, vt delectet: ſiquidem docere (vt ait M. Tullius) eſt neceſſitatis, delectare ſuauitatis, flectere victoriæ. Ariſtoteles igitur in primo libro ea omnia complectetur quæ ad ratiocinationes ac propterea ad docendū pertinent: nam de Enthymemate & exemplo quibus ratiocinatur Orator ac docet, ac proinde etiam de propoſitionibus cauſarum tum generatim tum ſigillatim diſputabit in primo; quæ ad flectendos animos in ſecundum refert; hac enim de cauſa de humanis affectibus diſſerit, déque hominum ingenio & moribus, vt ijs cognitis faciliùs liceat eorum animos permiſcere; quæ denique pertinent ad orationem aptè & verbis & ſententijs inſtruendam & exornandam, vnde maximè oritur delectatio, demonſtrabit in tertio. Atque huc recidit res tota ſi tres efficere lubeat principes Rhetoricæ partes, Inuentionem, Diſpoſitionem & Elocutionem: ſiquidem adhuc tripartitum hunc ordinem agnoſcere licebit: nam in primo & in ſecundo docet ea omnia quæ pertinent ad fidem faciendam ac proinde quicquid pertinet ad Inuentionem: in tertio verò præcipit de reliquis duabus partibus, de Diſpoſitione inquam & Elocutione. Atque hæc a nobis de præclaro hoc Ariſtotelis monumento in vniuerſum. Nunc ad primum Librum aggrediamur. Quanquam enim non me latet Ariſtotelem (id quod antea obſeruare cœperam) ſic ſua illum monumēta conſcripſiſſe aut edidiſſe, vt integra eſſent per ſe ſingula, nec in libros omnino diſtinguerentur (& idcirco librorum nunquam 30

Propoſitis Proœmij Controuerſijs decurſis iam ad primi Libri Inſcriptionem deſcenditur.

meminit

meminit Ariſtoteles cum ſua citat monumenta) ac propterea quam in libros & capita referunt partitionem, Interpretum induſtria huc fuerit importata, veruntamen, quoniam ſuas habet opportunitates, eam retinere non dubitabo. Quin, vt facilitari magis ac magis conſulam, capita rurſus in certas particulas diſtribuam. Ita enim fiet vt ea ſtatim omnia per commodè inuenire liceat ad quæ paſſim prouocabimus: quod ſanè in tanta rerum varietate memoriam intelligentiámque iuuabit plurimùm.

Ἀριστοτέλους περὶ τῆς τέχνης Ῥητορικῆς τὸ Α.

Ariſtotelis de Arte Rhetorica Liber Primus.

QVi hoc monumentum artis nomine ab Ariſtotele ipſo inſcriptum non ambigat, facilè dubitet cur Eloquentiam quæ tradit præcepta, ſeu Rhetoricam, Artis appellauerit nomine. An non is eſt Ariſtoteles qui cum alibi tum maximè in libris de Moribus aſſirmauit ac pugnauit Artem eſſe habitum mentis conſtantem ac certum; quíque errare haud ſinat ac labi, ſiue propoſito fine fruſtrari? Sic ſanè. Et tamẽ in hoc libro fatebitur Eloquẽtiæ præcepta eſſe infirma, quæque nos interdum errare ſinant ac labi, & a propoſito denique fine aberrare longiùs. Id quod euentus ipſe declarauit paſſim, ac res ipſa clamat. An non Aeſchines, Demoſthenes, M. Tullius qui Eloquentia pectus complecterant, interdum repulſam paſſi ſunt & a perſuadendi fine aberrarunt? Temerè igitur Eloquentiæ inſtitutis atque præceptis Artis nomen tribuitur.

li. 6. c. 3. & 4.

De Inſcriptione: de qua dubitatur prius.

31 Ego verò, Auditores, etſi iamdiu ſeſe nobis offert hæc dubitatio, veruntamen ne hîc quidem mihi diſputandum cenſeo num Artis nomen ſit Eloquentiæ concedendum. Neque verò id muneris detrectauerim quòd exiſtimem non ab Ariſtotele ipſo ſed ab Interprete aliquo hoc monumentum Artis nomine fuiſſe inſcriptum. Quanquã enim vix ſemel huius monumenti mẽtionem iniecit, (iniecit autem in Poëtica) atque illud non artis nomine appellauit, ſed tantùm ſententiam de qua tunc ageret, ſe *ἐν τοῖς περὶ Ῥητορικῆς in his quæ de Rhetorica*, explicaſſe dixit, tamen ne id quidem prohibet quo minus Ariſtoteles ſeu quiſquis ille fuerit (de hoc enim opportuniore loco) artis nomine inſcripſiſſet monumentum, etſi integram Rhetoricæ inſcriptionem in propoſito loco haud exprimit ac refert. Quin etiam, cum ſtatim ferè diſputet Rhetoricam arte cõtineri, idque ne temerè de hac præcipere videatur, quis inficias ierit Artis nomine ſuo huic monumento tribuiſſe? præſertim verò dum a priſcis multis, quin vulgò etiã, Ars appellaretur tota hæc dicendi ratio. Denique cum a Laërtio, ac (ſi Laërtij nutet fides) ab alijs multis ex Veteribus Rhetoricæ artis nomine hoc inſcribatur opus, ſatis cõſtat Artis Rhetoricæ titulo editum eſſe: ita vt qui deinde in libros hoc partiti ſunt monumentum Artis retinentes nomen, in Ariſtotele hæſerint toti. Ea igitur de cauſa differre adhuc recuſauerim num Eloquentiæ facultas iurè Artis nomine appelletur ab Ariſtotele, quòd videam Ariſtotelem ipſum in progreſſu totam hanc quæſtionem agitare ac definire, ita vt opportuniori adhuc loco ſit reſeruanda.

Reſpondetur ad dubitationem.

Tametſi ne vos interim omnino ieiunos relinquam quos hac de re iamdiu hærere neceſſe eſt, illud vos moneo, Ariſtotelem in ijs libris populariter loqui ac more Maiorum: cum enim Plato atque alij multi Rhetoricen Artis nomine appellaſſent, ac vulgò quicquid aliqua ratione ac via traderetur, artis nomine nuncuparent, Ariſtoteles ne de nomine diſputaret, more maiorum artis nomen conceſſit Rhetoricæ, ſuſiore interim vocabulo non preſſo, vt alibi interdum ſolet, artis vſurpans nomen. Huc accedit quod Eloquentiæ præcepta, ſi ad finem Oratori præpoſitum referantur qui eſt perſuadere dictione, re vera propriè ad artem non pertinent, cum fine (vt diximus) nõ rarò fruſtretur Orator: verùm ſi cum munere & officio comparetur, nihil prohibet quo minus Rhetorica iurè ſibi vindicet artis nomen, cum Rhetoricæ præceptionis ope ſuo ſungi munere ſemper poſſit Orator & appoſitè dicere ad perſuadendum. Neque enim quicquam prohibet quo minus appoſitè dicat, quamuis deinde a fine aberret nec perſuadeat. Id enim vel cauſæ iniquitate aut obſcuritate, vel Iudicis aut Auditoris improbitate aut ignoratione, contingere poteſt. Vt enim Medicus aptè curare poteſt ægrotum, & ſi morbi improbitate aut ægroti intemperantia ſanitati eum haud reſtituat, ac propterea finem non conſequatur; ita quidem Ariſtoteles dum eò ſpecta-

Explicatur propoſita Inſcriptionis uis ac ratio.

32 (margin number beside "les ne de nomine diſputaret")

ret

ret vt Oratorem inſtitueret quò non dico perſuaderet ſed ad perſuadendum appoſitè diceret, artis nomine Rhetoricen ornare potuit. Sed (vt dixi) de hac dubitatione opportuniore loco: vbi ea quoque explanabimus quæ de hac re tota in 5. Prooemij Theoremate recepimus. At enim ſit iſtud, verùm quid eſt quòd interim iudicare viſus es talem inſcriptionem nō ab Ariſtotele eſſe profectam? ergo, vt id etiam attingam, Num eiuſmodi inſcriptio germana ſit Ariſtotelis, & ab Ariſtotele ipſo profecta, equidem nō facilè omnino conſtituerim. Illud tamen videor mihi veriſſimè affirmare poſſe quod pleriſque fortaſſe nouum & inauditum, ne dicam incredibile, videatur: nimirum Ariſtotelem vbique paſſim ad ſua monumenta prouocare ac nos ad illa reijcere, nec tamen vſquam ita librorum mentionem facere, vt ſuos ſe commentarios in libros diſtribuiſſe indicet. Quare paſſim ad Analyticam, ad Topicam, ad Exiſticam prouocat, nósve reuocat, ſæpiſſimè illud profert, De his in ijs, quæ de principijs, in ijs quæ de Natura, de motu, de anima, de animalibus, de prima philoſophia, in Ethicis, in Piliticis, in Exotericis, in Acroamaticis, nec tamen vſquam certum librum deſignat, aut commentarium vllum & monumentum libris diſtinctum eſſe ſignificat. Quapropter quemadmodum Platonis Politia quæ modò in 10. libros ſeſe offert diſtributa, in veteribus codicibus vnico comprehenditur monumento, nec vllam præ ſe fert partitionem, idémque de ijs dicendum quæ diſputauit de legibus (vnico enim volumine continentur duodecim, quos nunc terimus, libri) ita Ariſtoteles ſingulis voluminibus monumenta ſingula conſignauit. Quæ cum ita ſint, videor mihi non temerè affirmare poſſe huiuſmodi inſcriptionem, quoniam in tres libros diſtribuitur hoc monumētum, non eſſe germanam Ariſtotelis, ſed a Peripatericis ſectatoribus, Teophraſto fortaſſe, hanc Ariſtoteleæ Rhetoricæ inſcriptionem fuiſſe præfixam. Illud tamen interim concedendum eſt, ſcitè omnino & commodè hac monumentum inſcriptione affectum eſſe: Si quidem & Authorem refert & materiam indicat (quæ duo tamen facilè antea præferebat Commentarium) & tripartitò percommodè diſtribuit monumentum: id quod a Peripateticis profectum eſt. Itaque cum & Ariſtotelis germanū eſſe monumentum ſatis conſtet vt docuimus, & artis nomine non immeritò inſcribatur, & verò Ariſtotele ipſo annuente qui Rhetoricam præceptis cohiberi & ad artem reuocari poſſe docuit, probanda eſt ſine dubio Theophraſti ſeu alterius, quiſquis ille fuerit, induſtria. Nam tripartitò diſtribui cōmodè id verò cōſtabit nō multò poſt. 33

Nunc venio ad Ariſtotelis diſputationem, vt tandem aliquando eloquentiæ præcepta ex aureo illius fonte hauriamus. Et ſi enim vt ijs ſeruiam qui fortè græcè neſciunt, græcis particulis ſingulis tum Riccoboni tum Maioragij interpretationē ſubijciam; illam quòd verbis hæreat fideliter, hanc quòd elegans ſit & copioſa; nos tamen græci codicis rationem in primis habebimus, & vt in illius ſententia inſiſtamus toti, curabimus diligenter.

Vide q̃ de Rhetorica definitione diſputatur in capite 2.

KEΦA-

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ

A. CAPVT PRIMVM.

PARTICVLA PRIMA.

ΗΡΗΤΟΡΙΚΗ ἐστὶν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσιν, ἃ κοινὰ τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν, καὶ οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης. διὸ καὶ πάντες τρόπον τινὰ μετέχουσιν ἀμφοῖν. πάντες γὰρ μέχρι τινὸς καὶ ἐξετάζειν καὶ ὑπέχειν λόγον, καὶ ἀπολογεῖσθαι, καὶ κατηγορεῖν ἐγχειροῦσι.

Riccobonus. RHetorica conuenientiam habet cum Dialectica: ambæ enim in eiuſmodi rebus verſantur, quæ communiter quodammodo cognoſcuntur ab omnibus,& nullius ſunt ſcientiæ definitæ. Quamobrem etiam omnes quodammodo ambarum participes ſunt. Omnes enim quadamtenus & exquirere, & ſuſtinere orationem,& defendere, & accuſare conantur.

Maioragius. *RHetorica Dialecticæ affinis eſt, & quaſi ex altera parte reſpondet: ambæ enim in eiuſmodi rebus ſunt, quæ a cunctis hominibus quodammodo cognoſci, atque intelligi poſſunt: nec ſunt in aliqua definita ac certa ſcientia. Quocirca omnes homines vtrarunque ſunt aliquo modo participes: omnes enim aliquo vſque & exquirere, & rationem reddere & defendere & accuſare aggrediuntur.*

Com. I.
34 QVoniam Ariſtoteleum hoc monumentum duabus potiſſimis partibus continetur, nimirum Prooemio & Tractatione, nunc tantiſper, ſi lubet, prætermiſſa Tractatione, prooemiũ (quale quale ſit) de hoc enim opportunius in extremo hoc capite) in ſuas partes tribuamus, ac pro tenuitate noſtra explanemus.

Ariſtotelei Prooemij diuiſio ac ſumma. Ergo prooemium, ſi quis attentiùs æſtimet, quinque partitum eſt. primo enim declarat nobis Ariſtoteles vel potiùs adumbrat Rhetoricæ vim ac naturam. Tum efficit poſſe certa ratione ac via explicari ac præceptis concludi & proinde eſſe Artem. Deinde ab alijs præpoſterè atque adeò vitioſè traditam eſſe. Quartò humanæ ſocietati eſſe perutilem. Poſtremò quod ſit eius officium ac munus. *Explicatur prima pars.* Nunc primam Prooemij partem explicemus. Principiò igitur Rhetoricæ vim ac naturam deſcribit: idque Dialecticæ cui affinis eſt ſimilitudine. quare ait Rhetoricam eſſe Dialecticæ ἀντίστροφον, id eſt, vt paulò poſt oſtendam latiùs, cum Dialectica veluti affinitate quadam eſſe coniunctam: ſeu mauis Dialecticæ ſimilitudine, & proportione reſpondere. quod probat, quia útraque facultas in ijs rebus verſatur quæ & ab omnibus quoquo modo intelligi poſſunt: & nullius ſunt ſcientiæ definitæ. Vbi ſi ad ratiocinationem reuocetur ſententia, ſic diſputat. Quæ duo in ijs occupantur & verſantur, quæ & ab omnibus hominibus quodam modo intelligi poſſunt, & nullius ſunt ſcientiæ definitæ, ſunt inter ſe ἀντίστροφα: Rhetorica & Dialectica ſunt eiuſmodi: ſunt igitur inter ſe ἀντίστροφα. Vt proprerea Rhetorica de qua nobis agendum propoſuimus; Dialecticæ ἀντίστροφος dicenda ſit. Hæc eſt huius loci ratiocinatio. Ex qua colligit alterum, quod dicebam ab eo doceri. nimirum omnes homines eſſe vtriuſque iſtius facultatis participes: quod probat quia omnes vtcunque exquirere,& quæſtionem tueri, accuſare &
35 defendere aggrediuntur. Hoc autem ex dictis ea ratione colligit, quia ſi útraque iſta facultas non ea ſectatur, quæ a communi hominum atque adeò imperitorum intelligentia remota ſunt, ſed quæ in medio ſunt poſita: & in communi quodam vſu verſan-

Digitized by Google

tur; cuiuſmodi eſt aliquo modo accuſare, defendere; in aliorum ſententias ac dicta inquirere: ac tueri ſua: & proinde a cunctis hominibus aliqua ex parte percipi poſſunt, omnino efficitur vt omnes homines ſint quodammodo vtriuſque participes. Hæc

Quàm varia ſit Dialecticæ notio, & qd ſignificet Ariſtot.

primæ huius particulæ quaſi ſtructura & conſtitutio. In qua ſanè vt ne Dialecticæ quácum Rhetorica comparatur, vos fallat notio ac vis, obſeruandum eſt de notione Rhetoricæ ſubiecta aliter ſentire Platonem, aliter Stoicos ac Marcum Tullium quem Latini fermè ſequuntur, aliter Ariſtotelem. Etenim Plato in libro 7. De Republica eum facit Dialecticum qui ea quæ verè ſunt, atque optimum tandem contempletur; Dialecticam verò apicem eſſe ait doctrinarum ac finem: ita vt Dialecticus cum primo Ariſtotelis Philoſopho, Dialectica cum prima ſapientia conuenire videatur. & hac de cauſa in Cratylo qui rebus nomina rectè imponeret atque aptè interrogare poſſet & reſpondere (id quod ſummæ ſapientiæ eſt argumentum) Dialecticum appellari iuſſit, Sic in Phędro Dialecticum mirificè extollit ac tanquam Numen celebrat, quòd vnum & multa pro rerum natura perſpicere poſſit. De quo ſanè Dialectico legendus eſt Plotinus etiam in libro De Triplici aſcenſu ad eum qui animo cernitur Mundum, capite 4. & Marſilius in libro 4. Epiſtolarum: intelligetur enim cum primo Ariſtotelis Philoſopho iurè copulari. niſi tamen quia Ideas atque Idearum fontem huic ſpectandum obijcit Plato, a primo Ariſtotelis Philoſopho tantiſper diſtingui dicendum ſit. At verò Stoici, quos Marcus Tullius ac Latini ſequuti ſunt, Dialecticæ nomine intelligunt diſſerendi artem in vniuerſum quam Græci, præſertim Peripatetici, Logicam appellare ſolent. Quapropter dum Plato Dialectici nomine non eum intelligit qui diſſerendi artem explicat, ſed qui ea excellenter vtitur, ita vt ad optimi contemplationem peruenerit; Stoici contra intra certos fines Dialecticam cohibentes diſſerendi artem illi tradendam imponunt. Sed anguſtioribus adhuc finibus eam concludit Ariſtoteles: cum enim diſſerendi artem tripartitò diſtribuiſſet; in demonſtratiuam, probabilem, captioſam (quanquam hanc poſtremam tantummodo ad Sophiſtas refellendos diſcendam monuit) probabilem Dialectico tribuit, ita vt per Dialecticam interim eam vnam tantùm facultatem intelligat quæ de quæſtione propoſita diſputet probabiliter: & huic affinem eſſe docet Rhetoricen. Atque hac de cauſa ſtatim (id quod paulò ante dicebam) ex eorum vi in quibus útraque hæc facultas verſatur, earundem facultatum demonſtrat conſenſionem, & Rhetoricam Dialecticæ ἀντίστροφον eſſe confirmat. Sed obijcies. 36

Controuerſia. IX. NVM aliqua ob diſſimilitudinem, an verò ob ſimilitudinem omnia dicantur ἀντίστροφα.

Nam cum ἀντίστροφα, ſiue quæ ſibi è regione reſpondent, interdum hoc nomine appellentur quia parilem habent vſum, ſiue ſunt ſimilia: interdum quia contrarium habent vſum, ſúntque repugnantia aut diſſimilia, cur tu Rhetoricam vis ab Ariſtotele appellari Dialecticæ ἀντίστροφον propter ſimilitudinem potiùs & conuenientiam quàm propter diſſimilitudinem & repugnantiam? Ergo, ſi placet, totam hanc rem in Controuerſiam reuocemus; & quoniam obſcura videri poteſt, ac verò locum hunc maximè continet; diſputemus diligenter. Ac profectò, dicat quiſpiam quemadmodum Plato Medicinam Iuſtitiæ fecit ἀντίστροφον, quòd eundem planè vſum haberet in corpore quem habet Iuſtitia in animo; eodémque nomine Ariſtoteles Oligachiam Tyrannidi & Plutarchus Poëſin picturæ fecit ἀντίστροφον, ita è contrariò propter diſſimilitudinem ac repugnantiam deprehendimus non rarò multa cenſeri ἀντίστροφα. certè ab Ariſtotele frigus cerebri dicitur ἀντίστροφον calori cordis: & ab alijs quoque aſcenſus & deſcenſio, proœmium & peroratio dicuntur ἀντίστροφα, ſiue ἀντιστρόφως ſe habere. & ideo Marcus Tullius cum diceret Rhetoricam ex Ariſtotele Dialecticæ quaſi ex altera parte reſpondere, non tam fortaſſe priorem notionem quàm poſteriorem expreſſit. Ego verò ad ſimilitudinem ac proportionem id refero in præſens tum Alexandrum ſecutus, & Philoponum, qui hunc locum ad ſimilitudinem referunt, tum maximè Ariſtotelem ipſum: qui ſuam ipſe ſententiam ſtatim explicans, ait ideo Rhetoricam eſſe Dialecticæ ἀντίστροφον, quia ambæ in ijs verſantur quæ communiter ab omnibus cognoſcuntur: nec certa definitáque ſcientia continentur. Quæ omnia ad ſimilitudinem pertinent. Quin etiam maximè ſuſpicor ſimilitudinē potiùs ac proportionem quàm diſſimilitudinem & repugnantiam eſſe cauſam cur aliqua dicantur ἀντίστροφα. Certè obiecta exempla non modò non fauent Victorio, Maioragio, ceteriſque 37

in Gorg. 4. Polit. cap. 5. lib. de modo aud. poët. p. 8. 4. 2. de ortu animal.

Authoris ſententia. Solam ſimilitudinē ac proportionem eſſe cauſam cur aliqua dicantur ἀντίστροφα.

Alex. 1. Top. in Proœm. Philop. li. 1. Phy. ad init.

que

quæ omnibus qui exiſtimant ἀντίστροφα non rarò valere repugnantia ac diſſimilia,
38 ſed noſtram ſententiam confirmare. nam certè frigus cerebri dicitur ἀντίστροφον calori cordis non propter repugnantiam, ſed propter proportionem; quia ſcilicet eandem vim ac proportionem habet frigus ad cerebrum, quã habet calor ad cor. & ideo licet in diſſimili genere & materia verſentur, analogiam tamen ac proportionem referunt, vnde ἀντίστροφα dici poſſint. Quo circa quemadmodum a Platone Medicina dicitur ἀντίστροφος Iuſtitiæ, quia etſi in diuerſo verſentur genere, eandem tamen habet medicina proportionem ad corpus, quam Iuſtitia ad animum; ita frigus cerebri dicitur ἀντίστροφον calori cordis, quia licet in diuerſo genere ſint, attamen eâdem calor cordi qua frigus cerebro proportione reſpondeat. præſertim verò cum peræquè frigus in cerebro ac calor in corde ſedem habeat ac dominetur: ita vt propter huiuſmodi ſimilitudinem ἀντιστρόφους ſe habeant, ſeque ſimilitudine quadam attingant. Atque eodem pacto procemium & peroratio videntur ἀντίστροφα, quia nimirum dum procemium obtinet alterum orationis terminum, alterum peroratio, ſic vtrinque orationem concludunt, vt ſibi è regione certa proportione reſpondeant, ſic aſcenſus & deſcenſus: quæ interiectum ſpacium hinc inde parili ratione atque proportione veluti dimetiuntur. & ideo quemadmodum Ariſtoteles libro 4. Politicorum Oligarchiam Tyrannidi fecit ἀντίστροφον, cum eâdem paulò ante ἀνάλογα eſſe dixiſſet, ſibique proportione reſpondere, ita magnopere ſuſpicor cætera fermè omnia quæ ἀντίστροφα non immeritò appellantur, in proportione niti debere: in repugnantia vix ac ne vix quidem.

39 Immo verò cum Plato in Gorgia protulerit ἀντιστρόφους facultates quaſdam gymnaſticam nimirum & legalem artem (vt cum Quintiliano loquar) Medicinam & Iuſtitiam, legalem rurſus & ſophiſticam, artem condiendi cibos & Rhetoricam, horúmque ſubinde omnium proportionem commoſtrarit ne temerè ἀντίστροφα dici viderentur; repugnantiam verò nunquam notarit, profectò omnino ſuſpicor apud optimos authores repugnantiam ad hanc rem nihil facere. præſertim verò quia hæc vox videtur deſumpta ex medijs ſpacijs Poetarum, præſertim Tragicorum qui in choris στροφὴν vſurpant & ἀντιστροφὴν, in quibus ſtata quędam ineſt proportio eáque perſpicua. Quamobrem Maioragij aliorúmque multorum pace ſic ſtatuo. Α'ντίστροφα verè illa ſunt vel vna vel maximè quæ ſiue in contrario, ſiue in diſſimili, ſiue in parili atque eodem fermè genere collocata, proportionem atque ſimilitudinem quandam præſeferunt: idque ſiue proportionem quandam illuſtrem referant ac minima cum diſſimilitudine coniunctam, ſiue etiam minùs illuſtris ſit eorum proportio maiori diſſimilitudini adiuncta: ſiue denique proportio ac ſimilitudo ſit obſcura, ac magna cum diſſimilitudine permiſta & copulata. Quapropter dum a Polluce duæ ſuperiores pectoris coſtæ quæ è ſpina quaſi duo ſurculi ſtolonéſue è ſtipite, ſeſe extollentes, mutuò ſibi reſpondent, appellantur ἀντίστροφα, proportio eſt in eodem genere: cum & coſta ſit útraque, & útraque ex eâdem ſpina & quaſi ſtipite oriatur: & eſt maximè aperta & illuſtris: cum earum ſimilitudo ſit maxima. Minus illuſtris atque perſpicua, ſed perſpicua tamen,

40 eſt proportio Iuriſprudentiæ & gymnaſticæ, quæ duæ facultates a Platone inter ἀντίστροφα numerantur. verſantur enim in eodem genere: videlicet circa hominem: ac bonam illius habitudinem conſtitutionémue curant: ſed tamen nec eiuſdem ſunt partis, cum gymnaſtica corpori, Iuriſprudentia animo, ſeruiat; nec iiſdem planè adminiculis vtuntur, cum laboribus vna & corporis exercitationibus, altera virtute & exercitationibus animi contineatur. A quo exemplo parum etiam alterum illud Platonis differt, qui eius ætatis Rhetorem coquo fecit ἀντίστροφον, nimirum quia licet in diuerſo genere verſarentur, eſſent tamen perſimiles: quòd ille auribus atque animis, hic palato & ventri lenocinia pararet ac blandimenta: quo nomine Plutarchus etiam cum Poëſin feciſſet picturæ ἀντίστροφον, *Poëſis enim* (ſubdebat) *eſt veluti loquens pictura: pictura verò quaſi muta poëſis*. Minùs illuſtris etiam & proportio quam in ſtellis ignibúſque nobis obiecit Magnus Baſilius dum ſacram noctem quæ multis ignibus atque luminibus illuſtraretur, cœlo fecit ἀντίστροφον: ſed illuſtris eſt tamen ac non obſcuram (ſplendidiſſimæ noctis illius ac Cœli ſimilitudinem offert. Denique hanc ipſam proportionem obſeruare optimè licet tum in exemplis propoſitis Oligarchiæ & Tyrannidis, & id genus alijs quæ eodem libro paſſim diſſeminata ſunt: tum etiam dum Ariſtoteles quæ duram teſtam habent in mari, nimirum conchylia, vel omnia vel aliqua,

Vide 4. polit. c. 6 in fi. & de formis Democr. c. 10. de Tyran. & Regno cap. 14.

Digitized by Google

ſtirpibus in Terra facit ἀντίστροφα. in eo enim eſt proportio, quòd cum neutra ſe- 41
dem mutent, quemadmodum ſe habent illa ad arenola, quibus affixa ſunt loca & ma-
re, ita ſtirpes ad terram: & idcirco alibi conchylia, plantas eſſe ait & animalia: vt pro-
pterea conchylia ſint ſtirpes marinæ: ſtirpes conchylia terreſtria: quemadmodum
iurè etiam dicere poſſumus Medicinam eſſe quandam veluti Iuſtitiam corporis:
Iuſtitiam verò quandam animi Medicinam: Rhetorem eſſe coquum aurium: co-
quum Rhetorem Palati: Gymnaſticam eſſe iuſtitiam corporis: Iuſtitiam eſſe
gymnaſticam animi; Picturam eſſe mutam Poëſin, Poëſin loquentem picturam:
vel Poëſin eſſe picturam aurium, Picturam eſſe poëſim oculorum. quæ omnia
dum ἀντίστροφα dicuntur, ex proportione proficiſcuntur omnia, atque in propor-
tione nituntur. qua ratione Marcus Tullius qui libro 3. de Legibus aiebat Legem
eſſe mutum magiſtratum, magiſtratum legem eſſe loquentem, & in libro de Claris
Oratoribus ſignificauit Dialecticam eſſe contractam eloquentiam; Eloquentiam di-
latatam Dialecticam, ἀντίστροφα expreſſit egregiè. Ad extremum in cœteris il-
lis exemplis aſcenſus & deſcenſus, procemij & perorationis, obſcura quidem
(fateor) ac tenuis eſt proportio ac ſimilitudo, ac magna cum diſſimilitudine
coniuncta; ſed proportio tamen ineſt illis aliqua ſi quis rectè æſtimet, quare dum
procemium (vt dicebam) obtinet alterum orationis terminum, alterum occu-
pat peroratio, ſic orationem vtrinque concludunt, vt ſibi è regione certa propor-
tione reſpondeant. ſic aſcenſus & deſcenſus quæ hinc inde parili ratione, atque
proportione interiectum ſpacium veluti dimetiuntur. Quid multa? ſi quid eſt
quod magnoperè poſſit aduerſarijs fauere, illud certè eſt, quia Ariſtoteles infini- 42
tum quod cernitur in detractione facit ἀντίστροφον infinito quod in acceſſione ob- *Ariſt. 3. phy. tex.*
ſeruatur; at idem Ariſtoteles duo infinita hæc proportione ſibi ac ſimilitudine re- *59. 60.*
ſpondere affirmat ita vt ἀνάλογα etiam appellare non dubitet; quid eſt igitur *& dein-*
quod a repugnantia vereamur ἀντίστροφα arcere longiùs? Proportioni itaque & ſi- *ceps.*
militudini videtur acceptum eſſe referendum vt aliqua vocentur ἀντίστροφα, repu-
gnantiæ verò ac diſſimilitudini aut raro aut nunquam. Nec aduerſatur nobis Mar-
cus Tullius qui huncipſum locum proferens, ait Rhetoricam ex Ariſtotele qua-
ſi ex altera parte Dialecticæ reſpondere. Si quidem ex altera parte reſpondere, non
contrarium & repugnans ſignificat, ſed è regione collocari; quod citra repugnan-
tiam immò propter proportionem ac ſimilitudinem dici poteſt; nam illud [quaſi]
translationis molliendæ cauſa apponit Cicero: quòd nimirum res corporeæ pro-
priè dicantur ſibi è regione reſpondere: vt quæ columnæ è regione collocatæ; res quæ
corporis expertes ſunt minùs propriè. Quod ſi è veſtigiò ſubijcit, *Vt hoc videlicet
differant inter ſe quòd hæc ratio docendi latior ſit, illa loquendi, contractior*, profectò hæc
ſubijcit, vt aliquod etiam diſcrimen notet; ne interim propter ſuperiora ver-
ba ſuſpiceris idem planè eſſe, ac ſolo nomine diſſidere. Atque hæc de hu-
iuſmodi Controuerſia. Nam ſi quis concedat ob proportionem, cum alia om-
nia, tum maximè Rhetoricam & Dialecticam dici ἀντίστροφα, ſed quærat an
proportio hæc Rhetoricæ & Dialecticæ ſit in eodem genere, vel diuerſo, & in
quo tandem poſita ſit earum ſimilitudo & proportio; id verò quoniam aliò 43
properat hic Ariſtoteles, nec ſigillatim explicat quæ ſint, alibi opportuniùs.

CONTROVERSIA X. Qui tandē inter ſe differant Rhetorica & Dialectica.

Sed ſint iſta inquies. At cum ex materia artibus aliquibus ſiue facultatibus ſubie-
cta, earundem vſus primùm ac functio, tum vis & natura dignoſcatur, qui obſecro
non vna eadémque ars erit Rhetorica & Dialectica; cum idem planè ſit vtriuſ-
que vſus eadémque materia? Acutè forſitan: ſed quàm verè, iam iam ex-
plorabimus, Controuerſiam hac de re tota excitantes. Et ſanè dum Diale-
ctica & Rhetorica, tali ac tanta ſe ſe affinitate attingunt, vt eadem videatur
vtriuſque materia, idémque vſus, non immeritò quæratur qui tandem inter ſe dif-
ferant. Etenim ſi Ariſtotelis ratiocinatio quicquam valet (dicat aliquis) ef-
ficit non modò eſſe perſimiles ac proportione ſibi reſpondere, ſed vnam planè
eandémque eſſe vtriuſque vim atque naturam, ita vt ſolo nomine diſſideant. Ac
fortè id ſibi voluit Stoicorum Princeps Zeno, cùm diceret Rhetoricam pal-
mæ, Dialecticam pugno ſimilem eſſe. ſiquidem manus ſemper eſt eadem, ſi-
ue contrahatur in pugnum: ſiue dilatetur in palmam. Quin etiam cum M. Tul-

lius

lius ſcribat Dialecticam eſſe quaſi contrariam eloquentiam, eloquentiam verò dilatatam Dialecticam, quid, clarius afferri potuit vt intelligatur non duas ſed vnam eandémque eſſe artem? Denique Rhetoricæ definitio ita aptè cadit in Dialecticam, vt eius vim & naturam non minùs explicet quàm Rhetoricæ: cum enim Dialectica e-
44 tiam veriſimile ſeu probabile in vnaquaque re aucupetur, quis obſecro inficietur Dialecticam eſſe vim inueniendi ac facultatem videndi quid in vnaquaque re ſit ad perſuadendum accomodatum? Nam quod Oratoris dictio manet latiùs, Dialecticus preſſiùs dicat, id verò haud efficit vim ac naturam variari atque diſtingui: niſi tamen quis neget me dum ſedeo & conticeſco non eundem eſſe qui ſtem ac verba faciam: aut manum ipſam (vt in Stoicorum exemplo perſiſtam) non eandem eſſe contractam aut dilatatam.

Sed neque his argumentis perturbamur; nam, vt omittam nondum ſatis conſtare an proportio illa Rhetoricæ & Dialecticæ ſit in eodem planè genere vel diuerſo (dum enim ait Ariſtoteles vtranque circa quædam verſari quæ ab omnibus quodammodo intelliguntur, nondum explicat an vna planè eadémque ſit vtriuſque materia) multa ſunt Rhetoricæ & Dialecticæ diſcrimina, quibus efficitur non ſolùm nomine ſed re etiam inter ſe differre: quæ etiam lubet agnoſcere & percenſere. *Reſpondetur.*

Diſcrimina Rhetoricæ ac Dialecticæ.

Ac primùm quidem Orator ſplendorem adhibet orationi, ac lenocinia ſectatur & ornamenta: & hac de cauſa non rarò Poëtarum quoque floſculis & pigmentis gaudet, ita vt interdum eius oratio quaſi calamiſtrata incedat ac picta. Dialecticus contrà orationis lumina ſpernit & ornamenta omnia: ac pedeſtri oratione incedit: ita fit vt Dialectica ancillulæ ſqualorem ac pediſſequæ humilitatem exprimat. Eloquentia con- I.
45 tra liberalis matronæ decus referat ac dignitatem: ſæpè etiam nuptam puellam ſponſámque repreſentet: vt enim hæc auro gemmíſque gaudet ac purpura, ac quicquid demum ad nitorem valet ac decus, amplectitur alacriter, ita etiam eloquentia ſuam purpuram habet, ſuúmque aurum ac gemmas, quibus nitorem orationi addat ac decus. Atque hinc etiam fit vt oratoris dictio ſit copioſa, manétque latiùs, denique vberrimum imitetur fontem atque perennem: contra verò Dialectica preſſo dicendi genere vtitur ac breui, ita vt cum anguſto riuulo iurè conferri poſſit. Ad hæc (ſi Ariſtoteli credas) Rhetorica enthymemate exemplíſque vtitur: ex quo fit vt & intellectu facilior ſit eius oratio, & in primis delectet ac flectat. At Dialectica ſyllogiſmis inſtructa eſt & inductionibus: quibus, & ſi non rarò inter probandum altiùs figit pedem, ſpinoſa tamen videri ſolet, ac difficultatis plus habet ſatis. Atque hinc alterum, licet ſuperiori affine, diſcrimen in eis intueri licet: ſiquidem Orator plerunque a ratiocinationibus tum ad animos afficiendos tum ad mores exprimendos cõuertit ſermonem, ita vt doceat, flectat, delectet: cum tamen Dialecticus affectibus ſpretis ac moribus, ſuis ille ſyllogiſmis & inductionibus contentus ſit, quibus doceat ſolùm. Atque hinc eſt vt morata, vt pathetica & affectibus inſtructa ſit dictio oratoris; Dialectici oratio expers & affectuum & motuum. Ita etiam rarò cernas oratorem extra iudicia & conciones; cum ad publica priuatáque commoda libenter flectat Orationem: & in ciuilibus controuerſijs fermè verſetur; ita ſanè licet nuſquam aſpernetur probabile; hoc
46 tamen in ciuilibus maximè dubitationibus conſectatur. Dialecticus contra ad doctrinas atque ſcientiam, vno verbo ad ea quæ in contemplatione poſita ſunt, ſe ſe refert penè totum. & hoc eſt quod acutè interim indicauit Ariſtoteles dum diceret omnes homines quoquo modo tum accuſare, & defendere, vbi ſanè Oratorem deſignauit; tum in aliorum dicta inquirere & dubitare, cõtra verò tueri ſua: hinc enim id quo Dialecticus fermè deflecteret expreſſit. & ideo Dialecticam Ariſtoteles perutilem eſſe docuit ad Philoſophicas diſciplinas: ita vt quamuis Dialectica ad quodlibet Problema poſſit inflecti dũmodo probabilibus diſceptetur; maximè tamen Philoſophicis Problematis gaudeat. Neq; verò nõ illud magni momẽti eſt, quòd Orator, ſi Ariſtoteli credimus, nõ modò veriſimiles vſurpat rationes, ſed etiã falſas, dũ tamen veriſimili reſperſæ ſint. Neque idcirco Oratoris amittit nomen. At verò Dialectico nullo modo licet illud argumenti genus arripere quod etſi probabile videri poſſit, re ipſa falſum eſſe perſpexerit. Hinc etiam Dialectici amittens nomen, inter Sophiſtas reijcitur ac numeratur. Poſtremò illud inter Rhetoricam & Dialecticam intercedit diſcrimen quòd Orator

II. III. IV. V. VI.

Lib.1. Top.c.1. *Li.1.c.1.*

VII. continenti fermè oratione dicit ac perpetua: Dialecticus (id quod nomen indicat) mutuis concertationibus agit ac tum interrogando tum reſpondendo, ita vt interrupta oratione vtatur. & hinc eſt cur Ariſtoteles in 1. Topicorum libro cū Dialecticæ vſum declararet, monuerit vtilem eſſe ad colloquia. & huc etiam pertinet quod ait Dialecticæ vſu ſine repugnantia ſuſtineri poſſe Problema, quod eſt Problema defendi dum viciſſim ab aduerſario oppugnetur, atque hoc planè ſibi voluit in præſentia dum diceret omnes quoquomodo ἐξετάζειν, καὶ ὑπέχειν λόγον. hoc eſt alienas opiniones exquirere & reſpondendo tueri ſuas. Hæc in primis inter Oratorem Dialecticúmque diſcrimina notare placuit. Nam Oratorem (id quod aliquibus placere video) τὸ πιθανὸν quòd inquam fidei faciendæ accommodatum eſt, conſectari, Dialecticum τὸ ἔνδοξον, quod inquam eſt probabile, ac propterea Dialecticum, opinionem gignere, Oratorem fidem facere, id verò quàm appoſitè in diſcriminis loco habeatur, dicam alibi opportuniùs, vbi ſimul oſtendam cur Rhetorica ab Ariſtotele modò dicatur ὁμοίωμα ſiue ſimulachrum, modò μόριόν τι, pars quædam dialecticæ. cap. 2. 47

Neque verò mihi obijciat quiſpiam iſtiuſmodi diſcrimina extrinſecùs ſumi, neque ad vim naturámque Rhetoricæ ac Dialecticæ pertinere. Nam fateor quidem ex notatis diſcriminibus non ſatis effici aut probari quo minùs materia conuenire poſſint, præſertim verò ſi non perpetuum ſit ac ratum & vna in ijs verſetur, quæ ad actionem pertinent, altera in ijs occupetur quæ contemplatione continentur. Si quidem Ariſtoteles (vt de alijs multis taceam) viſus eſt Dialecticum ad res morales etiam quæque actione continentur, traducere ac deriuare, Oratorem rebus etiam quæ contemplationis ſunt obſtringere. Quanquam de materia Oratoris ſuo loco opportuniùs. Fateor etiam, id vtrunque in ſubiecta materia occupari quod eſt veriſimile. quamuis enim, vt dicere cœperam; τὸ πιθανὸν, hoc eſt id quod fidei faciendæ accommodatum eſt Oratori; Dialectico autem τὸ ἔνδοξον, id ſcilicet quod opinionem gignit, aptare ſoleat, veruntamen ad veriſimile vtrunque recidit: & ideo Ariſtoteles qui initio libri 5. Topicorum τὸ ἔνδοξον tribuit Dialectico, huic capite 9. tribuit etiam τὸ πιθανόν. quemadmodum è contrario in 1. Rhetoricorū Oratori cui πιθανὸν tribuit, aſcribit etiam τὸ ἔνδοξον. ita vt iſthæc promiſcuè omnino vſurpare videatur. de qua etiam re copioſiùs ſuo loco. Sed tamen vnum quoque alterum eſt quod fateantur ac nobis concedant aduerſarij. Primum eſt Ariſtotelem non ex materia modò aut conſiderandi varietate artes diſtinguere & facultates, verùm etiam ex varietate inſtrumentorum quæ ſubiectis rebus tractandis adhibentur, aut etiam quod eodem inſtrumento non eodem planè modo ſed diuerſo vtantur: ſic enim docet ad Poëticæ initium: vbi etiam poëticas ſeu imitatrices facultates quaſdam ſic planè diſtinguit. ex quo ſanè fieret, vt quoniam alio modo Orationem ſeu ratiocinationem vſurpat Orator, alio Dialecticus (nos varietatem iſtam oſtendimus antea & in multis quidem oſtendimus) iurè hinc earum formæ diſtinguerentur. Alterum eſt in doctrinis atque artibus diſtinguendis non eandem planè acribologiam in omnibus requirendam eſſe: etenim in facultatibus quæ aut in mathematicis rationibus occupantur, aut res natura conſtantes tractant, aut etiam ea quæ ſupra naturam poſita ſunt, licet quidem aut ex materia res diſtinguere vt in Arythmetica cernitur & Geometria, aut Medicina & Aſtrologia quæ materias tractant longè diuerſas, aut ex contemplationis inſtituto ac modo, vt Medicina & Phyſiologia dum in corpore humano alia atque alia ratione verſantur: verùm in ijs quæ ex humano ingenio pendent & artificio, cuiuſmodi ſunt morales actiones, quas vocant facultates, quales ſunt Dialectica, Grammatica, Rhetorica & ſi quæ id genus quæ oratione continetur, tanta in ijs requirenda eſt varietas, quantam patitur materia ſubiecta; aut inſtrumentum; ita vt oratio prout fuſa fuerit aut preſſa, ornata aut ornamenti expers, vel etiam exemplo aut inductione, enthymemate aut ſyllogiſmo concluſa, ſatis in hoc rerum genere conſtituat formarum varietatem ac diſtinguat facultates. 48 49

Vnū atque alterum dubitatur adhuc de Rhetorica & Dialectica. At enim illud adhuc nos perturbat quod ſi vtraque iſta facultas conſectatur ea quæ ſunt in communi conſuetudine poſita, atque ab omnibus dignoſci poſſunt, tonſores etiam quin foſſores atque bubulci erunt Rhetores & Dialectici. Quò igitur egregia iſta tua dicendi facultas? quò diurnæ nocturnǽque Dialecticorum vigiliæ & concertationes, quibus nihil aliud tandem docemur, niſi quæ ruſticanis quoque hominibus

ſunt

ſunt peruia? Sed bona verba quæſo. Nam (vt de Rhetorica dicam) Ariſtoteles qui om- I.
nium eſſe ait ea cognoſcere in quibus Rhetorica verſatur, addit etiam τινὰ τρόπον. qui- Reſpõdetur
bus verbis ſignificat vulgi eſſe craſſo modo & adumbratè ea cognoſcere & explicare;
ſeu potiùs leuiter deguſtare: at veſtrum erit eadem & ſubtiliter (pro re tamen ſubiecta
ac Rhetoricæ facultatis natura) explicatéque dignoſcere, acutè ingenioséque proferre.
Quo etiam fiet vt quantum illi mutis animantibus præſtant, dum ſuam ſententiam, etſi
50 impolitè, exponunt; tantum vos propter dicendi facultatem & copiam cæteros ho-
mines ſuperetis. Quod ſi quis dubitet ad extremùm aut percunctetur; quæ ſint ea quæ II.
tam Rhetoris quàm Dialectici eſt dignoſcere; quæque ab omnibus quoquo modo Reſpondetur.
percipi poſſunt, hæc verò habent commodiorem locum. Illud tamen dicam in præſen-
tia, res poſſe tum proprijs tum communibus argumentis explicari: communia appello
quæ alijs quoque rebus explicandis poſſunt aptari; propria quæ nullo modo poſſunt:
illa Rhetori & Dialectico conueniunt: hæc certis facultatibus ac diſciplinis quibus eæ
res continentur. Hinc fit vt Rhetor & Dialecticus, niſi tranſilire ſuos velit fines, com-
munia; cæteræ facultates propria, debeant vſurpare argumēta. Sic Phyſicus qui ex mo-
tus verbi gratia, arythmeticus qui ex paris impariſue numeri natura & vi, ducit argu-
menta, proprijs vtitur rationibus. Dialecticus verò cum a notatione, partium enume-
ratione, atque huiuſmodi alijs locis ducat argumenta, communibus vtitur. Quanquā
vix fieri poſſe videtur vt non confundantur ac permiſceantur iſta genera argumento-
rum: & quæ ex ſe videri potuiſſent communia, non efficiantur propria; & è contrariò:
vt cum Phyſicus enumeratis partibus ſeu formis & ſpeciebus motus quæ omnes in-
teruallum poſtulant, ex hac enumeratione colligit nullum motum fieri poſſe in pūcto
ac momento temporis. Etſi vbi argumenti materia ſit propria, proprium eſt argumē-
tum. & ideo præcipit Ariſtoteles ne Rhetor aut Dialecticus perfectas definitiones ac
51 cætera eiuſmodi vſurpet quæ propria ſunt Doctrinarū, ne in propria incidat argumen-
ta: contra verò ne priuatæ facultates, quaſcunque tandem argumentationis formulas
vſurpet, ab ijs, ſi fieri poſſit, deſcendant quæ ex propria materia ducuntur: tametſi ar-
gumentandi ratio ac locus ille communis videretur. Sed de hoc ſuo loco fuſiùs. Hæc
eſt explicata particulæ huius ſententia: quam M. Tullius in ſuos libros tranſtulit om-
nem. Sed de hac re paulò poſt copioſè. Nunc pergamus in Ariſtotele.

PARTICVLA II.

Τῶν μὲν οὖν πολλῶν, οἱ μὲν εἰκῆ ταῦτα δρῶσιν: οἱ δὲ διὰ σηνήθειαν ἀπὸ ἕξεως. ἐπεὶ δ' ἀμφότερα ἐνδέχεται, δηλονότι εἴη ἂν αὐτὰ καὶ ὁδοποιεῖν. διὸ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν, οἵτε διὰ συνήθειαν, καὶ οἱ ἀπὸ ταυτομάτου, τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται. τὸ δὲ τοιοῦτον ἤδη πάντες ἂν ὁμολογήσαιεν, τέχνης ἔργον εἶναι.

AC ex imperita quidem multitudine alij temerè hæc faciunt: alij conſuetudine & habitu. Quoniam vero vtroque modo contingit, manifeſtum eſt licere quidem etiam facere certa via & ratione. Cur enim finem conſequantur, tū qui hæc faciunt conſuetudine, tum qui caſu, cauſam intueri contingit. Iam vero omnes confeſſi fuerint huiuſmodi eſſe artis munus. Riccobonus.

AT ex imperitorum numero quidam hac temerè, casuque faciunt: quidam autē Maioragius.
habitu quodam animi, longo vſu comparato. cum autem hac vtroque modo fieri
contingat; perſpicuum eſt certa via, atque arte comprehendi poſſe: licet enim cauſam
53 *intueri cur & qui ex vſu & qui fortuitò hac faciunt, id quod volunt aſſequantur.*
Hoc autem ipſum iam Artis opus eſſe, nemo eſt quin fateatur.

Aggre-

Com. II. II. Proœmij Pars.

AGgreditur Ariſtoteles ad II. Proœmij partem: in qua probat Rhetoricam
certa ratione ac via doceri poſſe, ac propterea in Artis loco eſſe haben-
dam. At rectè quidem. cum enim inſtituiſſet ſummus hic dicendi arti-
fex eloquentiæ præcepta atque adeò Artem conſcribere, operæpretium
ſanè erat vt ad omnem inuidiam declinandam oſtenderet priùs ac de-
monſtraret eloquentiam præceptis concludi poſſe & ad artem denique
reuocari. Etenim Lyſias paulo ante pugnauerat, eloquentiam non præceptis & artifi-
cio comparari ſed in natura & ingenio maximè niti: quaſi verò is qui ingenio valeat &
ad dicendum ſit a Natura veluti fictus, is ſanè vllis præceptorum Artíſue præſidijs elo-
quentiæ metam contingere poſſit. Sed & dicendi artem Socrates apud Platonem ac
proinde Plato ipſe labefactare viſus eſt, cum diceret nullam eſſe Artem benè dicendi,
ſed eloquentiam in experientia quadam & exercitatione ſiue dicendi vſu, eſſe poſitam
& collocatam. Id quod Iſocrates etiam aliquando tueri viſus eſt: vt enim adoleſcentes
ad oratoriam palęſtram faciliùs adduceret, haud dubitauit affirmare eloquentiã exer-
citatione contineri totam.

Cum igitur hæc iſti pugnarent ac venditarent, ecce tibi Ariſtoteles, hoc eſt acerri-
mus Platonis & Iſocratis æmulator, qui de arte dicendi conſcripturus, nihil antiquius 54
habuit, vt dicebam, quàm vt priùs demonſtraret eloquentiam præceptis coërceri poſ-
ſe, & ad Artem traduci & reuocari. Id quod perbreui quadam & ſubtili, ſed nobili ta-
men, ratiocinatione docet, ab experientia & obſeruatione ducta, quæ ſi paulò latiùs ex-
plicetur, eſt huiuſmodi. Nemini dubium eſſe poteſt quin ἐκ τῶν πολλῶν, ex imperita in-
quam multitudine ac vulgo, aliqui interdum ad accuſandum aut defendendum, ac
ſummatim ad dicendum, εἰκῇ accedant καὶ ἀπὸ ταυτομάτου temerè inquam & caſu, ac
ſine vlla præmeditatione & præparatione animi: alij verò id faciant διὰ συνήθειαν ἀπὸ
ἕξεως habitu quodam mentis, conſuetudine comparato. Certum eſt etiam ex ijs aliquos
faciliùs quàm cæteros fidem facere & quod volunt perſuadere: ita vt ſiue eos ſpectes
qui repentè ac ſine præmeditatione vlla, ſiue illos qui conſuetudine & habitu, dicunt,
ſemper aliquos cernere liceat qui longè faciliùs quàm cæteri perſuadent. Ergo, quo-
niam nihil ſine cauſa euenire poteſt, accedat qui facti huius cauſas obſeruet, & cur ij
ἐπιτυγχάνουσι, fiunt voti compotes, &, vno verbo, perſuadeant, diligenter notet, atque
hoc pacto præcepta conſcribet ex quibus tandem exiſtet Ars. Sic Ariſtoteles, ſi eius ra-
tio latiùs explicetur.

Quo conſilio diſputet Ariſtoteles Rhetoricã Arte contineri.

Neque verò exiſtimandum eſt hæc eo conſilio diſputari ab Ariſtotele, quòd ſiue in-
genij Naturæque præſidia contemneret, ſiue dicendi vſum & exercitationem nõ ma-
gnopere æſtimaret; ſed eò ſpectat vt intelligatur eloquentiam, quemadmodum de alijs 55
artibus multis atque doctrinis vſu venire ſolet, præceptis comprehendi poſſe & arte,
hoc eſt certa quadã ratione ac via doceri ac tradi: & hoc eſt quod ait ἐνδέχεται ὁδοποιεῖν,
fieri poſſe vt via methodóque tradatur. Quanquam, ſi quis attentiùs æſtimet, Ariſto-
telis ratiocinatione efficitur etiam perfectam eloquentiam quaéque omnibus abſolu-
ta ſit numeris, præceptis omnino indigere atque Artis præſidijs: ita vt quamuis contin-
gat aliquem dicendi conſuetudine atque adeò habitu inſtructum, quod eſt experiẽtia
quadam aut etiam ſine habitu, atque ingenio Duce, quod eſt Natura; facilè perſuade-
re, ſiue appoſitè dicere ad perſuadendum, veruntamen nunquam ad eloquentiæ ſum-
mum peruenire poſſit iſte, niſi cum exercitatione præcepta coniunxerit & Naturam
excoluerit Arte. Et ſi enim Ars ſine Natura eſt otioſa ac vana, quemadmodum cultura
ſterili arenoſóque littori adhibetur fruſtra, Natura tamen è contrario Arte indiget nõ
ſecus atque ager qui etſi pinguis, ſine cultura infructuoſus potiùs quàm frugiferus eſ-
ſe ſolet. Exercitatio quoque & experientia haud ſatis eſt ad perfectam eloquentiam:
quia experientia quid eueniat, videt, cauſam cur id eueniat non videt; Artis enim eſt
cauſas & cernere & afferre & ex harum præſcripto operari: & ideo quemadmodum
Medicus ſine cauſarum cognitione, etſi experientiſſimus, nunquam ſatis perfectus
erit, niſi experiẽtiæ Artem adiungens, cauſas perſpexerit; ita planè Orator tum demum 56
perfectus erit ac tãquam ex omni parte beatus, cum Naturæ exercitationíque Artem
adiunxerit. Et idcirco Natura ſimul & Arte, imitatione tamen & exercitatione acce-
dente, perfecta eloquentia comparatur. Tametſi vtrum Natura an Exercitatio an deni-
que Ars plus valeat ad eloquentiam, id verò declarare non eſt huius loci. Tantùm di-
cam per-

Digitized by Google

eam perfectionem eſſe Artis, & ab arte veluti extremam manum eloquentiæ moli admoueri colum énque imponi; & hoc conſilio illud pronunciatum exiſtimauerim, Oratores fieri. Atque hac de cauſa Ariſtoteles dum ait quoſdam, etſi temerè caſúque dicentes, aut etiam conſuetudine quadam & habitu, conſequi quod volunt, hos & inter imperitam multitudinem numerat, nec niſi quoquomodo Rhetoricæ participes eſſe contendit. Nam huc illud ſpectat, τῶν μὲν οὖν πολλῶν οἱ ταῦτα δρῶσιν, ex vulgo ſiue imperita multitudine hęc faciunt, vbi ταῦτα valet, id quod è veſtigio dixerat, omnes homines noſſe vtcunque accuſare, defendere & cætera id genus alia efficere: quod eſt pingui minerua & rudi, non perfectè: ac propterea etiam hinc efficiebat ſeu confirmabat iſtos Rhetoricæ eſſe tantùm quoquomodo participes: perfectam dicendi artem callere nullo modo.

Quæ cum ita ſint, iam ex hoc loco intelligere quoque licet veriſſimum eſſe quod
57 iandiu docebam: artem ab eloquentia eſſe profectam, ſed ex rudi tamen eloquentia &
inchoata, vel certè non omnibus numeris perfecta: perfecta enim indiget arte: & eſt
Artis germen ac fœtus. Nam id totum inde colligitur quod Ariſtoteles eos qui temerè
aut conſuetudine dum dicunt, faciliùs quàm cæteri perſuadent, cauſarum obſeruationi, notationi, præceptis, arti denique anſam præbuiſſe ſignificat: Artem verò efficere vt quis deinde certa ratione ac via, quod eſt non vna rerum ſingularum cognitione, vt experientia, ſed generum vniuerſorum; ad dicendum veniat. ea enim eſt Ars quæ quēadmodum non ſolis experientijs, & rerum ſingularium notatione & memoria, ſed & cauſarum & generum cognitione gaudet, ita & rationem reddit, & longè perfectiùs quàm experientia operatur.

Sed & illud operæpretium eſt obſeruare, Ariſtotelem hoc in loco ex notatione cauſarum vnde aliqui faciliùs quàm cæteri perſuadent, vel aliqui perſuadent, aliqui re infecta diſcedunt, quod eſt ex Rhetorica in actu quam nos eloquentiam, etſi rudem (eſt enim præceptorum expers & natura nititur aut conſuetudine) appellare poſſumus, efficere eloquentiæ præcepta, quod eſt Rhetoricam ab vſu ſeparatam extitiſſe. Ita vt diſtinctio illa hic etiam deliteſcat.

Sed iam pauca quædam tum de ordine tum de ratione qua diſputat Rhetoricā Arte
58 contineri, dubitare cogor. Etenim præpoſtero ordine videtur Ariſtoteles diſputare: *CONTROVERSIA XI.*
ratio enim poſtulabat vt cum ab initio de Arte dicendi ſeu Rhetorica ſibi ſcribendum
præcipiendúmque propoſuiſſet, primo loco doceret Rhetoricam præceptis concludi *Num rectè tum ordine tum fundamēto diſputet Ariſtoteles Rhetoricam Arte cōtineri. Diſputatur prima Pars.*
poſſe & ad artem reuocari. quid enim erat vt ad cætera deſcenderet, atque adeò eius veluti campum oſtenderet, & cum Dialectico compararet, vno verbo quidquam de illa conſtitueret, niſi antea demonſtraſſet præceptis concludi poſſe & ad artem reuocari? Veruntamen (vt priorem hanc Controuerſiæ partem explicemus tum alteram proponamus) acutè diſſerit Ariſtoteles, cum enim tùm ex ipſius Rhetoricæ vi tum ex vulgaris multitudinis vſu & experientia id eſſet comprobandum, neceſſe habuit priùs cùm ipſius Rhetoricæ vim & naturam adumbrare, tùm vulgaris multitudinis vſum proferre ex quibus colligeretur demonſtratio. atque hinc eſt vt cū hactenus docuerit paſſim contingere vt imperita multitudo vtcūque accuſare & defendere ſoleat, quod eſt Rhetoricæ ipſius munera quædam attingat, nunc occaſione arrepta obſeruet qua ratione imperita quoque multitudo ac vulgus interdum perſuadeat, & vſu quodam id quod inſtituit, dicendo probet & aſſequatur. ex quo colligit obſeruari poſſe cur ij perſuadeāt, & cauſas notari, vnde præcepta exiſtant atque ars denique conſtituatur. Et hinc eſt vt
ad rem verbis illis aggrediatur τῶν μὲν οὖν πολλῶν, οἱ μὲν εἰκῇ ταῦτα δρῶσιν. οἱ δὲ διὰ συνήθειαν
59 ἀπὸ ἕξεως. quod eſt, *ex vulgari multitudine igitur alij temerè hoc faciunt: alij conſuetudine atque
habitu quodam vſu comparato.* ex quibus verbis ſatis intelligitur ex dictis præſentem demonſtrationem deriuari. At enim ſit iſtud: ſed quid dum ex propoſito Ariſtotelis fundamento, ſiue ex ratiocinationis iſtius initijs videtur peræquè colligi poſſe eloquentiā Natura aut exercitatione contineri totam? cum enim videamus interdum multos ex imperitorum numero ſic controuerſias diſceptare, vt quamuis nullo artis præſidio ad dicendū veniant; ſed vel temerè ſeu de repentè ac ſine præmeditatione vlla, vel ad ſummum habitu quoddam longa conſuetudine & exercitatione comparato, aſſequantur tamen quod volunt; hinc iam licebit colligere Rhetoricam in exercitatione potiùs eſſe poſitam, aut caſu naturáue extare quàm arte. profectò M. Tullius in libris de Oratore *Diſputatur pars Altera: idque dubitationibus varijs allatis. II.*
hoc ipſo

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

hoc ipſo argumento Carneadem vſum eſſe teſtatur qui eiuſmodi artem tolleret. Sic
enim ſcribit. *Sæpè etiam in eam partem ferebatur oratio vt omnino diſputaret nullam artem eſſe
dicendi: idque cùm argumentis docuerat, quòd ita nati eſſemus, vt & blandiri, & ſuppliciter inſi-
nuare, & aduerſarios minaciter terrere poſſemus, tum etiam exemplorum copia nitebatur.* Hæc
aliáque huiuſmodi multa Carneades apud M.Tullium vt dicendi artem tollat. Ego
Reſpondetur. verò non inficior Carneadem iſtinc Rhetoricæ artem reijcere voluiſſe. Contra tamen
Ariſtoteles,qui hoc ipſò quòd cernimus multos vſu quodam, aut etiam ſine præmedi-
tatione vlla ad dicendum aggreſſos, aſſequi quod volunt, ac perſuadere, tum efficit & 60
commodiùs etiam,ni fallor,maioréque dexteritate efficit,Rhetoricam poſſe præceptis
concludi;atque ad artem optimè reuocari, tum in primis ad ſolidam ac perfectam elo-
quentiam intendit animum,quæ ſine arte parari nequit. Nã cum artis ſit quid in qua-
que re ad finem valeat notare, ac certas quaſdam rationes & vias tradere rebus a nobis
efficiendis accommodatas; profectò qui & notaret cur illi ſuadeant quod inſtituere;&
quid in vnaquaque re aptum ſit ad perſuadendum obſeruaret; is dicendi facultatem
præceptis concluderet:artémque conficeret. His ex artis natura (vt dicere cœperam)
ducto argumento effecit Ariſtoteles in extrema hac particula Rhetoricam eſſe artem.
Atque idcirco,non temerè illa duo præmiſit,ſed ſcitè. Nam quemadmodum ex priore,
ex ſimilitudine inquam quæ Rhetoricæ intercedit cum Dialectica, appoſitè collegit
omnes homines quoquomodo vtriuſque iſtius facultatis eſſe participes,quod erat po-
ſterius;ita etiam quia nõ alio pacto homines earum facultatum participes ſunt omnes,
quàm quia quoquomodo norunt omnes & exquirere quæſtionémque tueri, & accu-
ſare atque defendere,ſubiecit diuiſionem illam:videlicet ex vulgari multitudine teme-
rè alios & caſu iſthęc facere:alios habitu quodam longa conſuetudine comparato; vn- 61
de ſtatim Rhetoricæ artem quaſi deliteſcentem eduxit atque expreſſit: cum ſi quis ex-
ploret ac notet cur iſti quod volunt aſſequantur vtrique; is artem pariat Rhetoricám-
II. que facultatem ad artem reuocet neceſſe ſit. Iam verò illud etiam dubitet aliquis cur
Dubitatio. Ariſtoteles ſumat eſſe aliquos qui εἰκῇ καὶ ἀπὸ ταυτομάτου, temerè inquam & caſu dicãt,
cum tamen perſuadeant atque id quod volunt aſſequantur: ídque quia in eorum ora-
tione quędam inſint quæ verè valeant ad perſuadendum, ac, ſi notentur, ad artem con-
flandam pertineant: hoc enim poſtremum quod ſcilicet temerè fit & caſu, quo pacto
ad artem valeat & cur non potiùs contra artem ſit,videri poſſet obſcurum. Sed reſpon-
Reſpondetur. deo,nõ difficile eſſe quod intelligatur. Siquidem εἰκῇ καὶ ἀπὸ ταυτομάτου dicere,hoc loco
non valet temerè & impudenter dicere, atque adeò ineptè & inſipienter,(ſic enim ij
neque conferendi eſſent cum illis qui propter dicendi vſum atque experiẽtiam perſua-
dent: ac multò minùs liceret in eorum dictis obſeruare quædã quæ re vera vim habent
ad ſuadendum atque ad artem reuocari poſſunt) ſed valet ſine arte vlla, aut ſine proui-
ſione animi & præmeditatione: quod non prohibet quominùs naturæ bonitate adiuti 62
vtcumque aptè dicant; ita vt ſuadeant: & proinde eorum oratio quædam habeat quæ
ad præcepta reuocari poſſint. Sic Socrates in Apologia cum negaret ſe dicendi peritum
eſſe,quod aduerſarij iactabant, ἀλλὰ (ſubdebat ipſe) ἀκούσεσθαι εἰκῇ λεγόμενα τοῖς ἐπιτυχοῦ-
σιν ὀνόμασι; *quin temerè me dicentem audietis, & quæ mihi fortè occurrerent, voces vſurpantem*; vbi
vt quid ſibi vellet explicaret dum ſe temerè ad dicendum venire profeſſus eſſet; ὑμῶν
δέομαι (addebat paulò poſt) τὸν μὲν τρόπον τῆς λέξεως ἐᾶν. ἴσως μὲν γὰρ τι χείρων, ἴσως δ᾽ ἐ βελτίων
ἂν εἴη. *Illud a vobis peto, ne de ipſa dicendi ratione ſoliciti ſitis: fortaſſe enim deterior interdum erit
quàm in more poſitum ſit: interdum verò commodior.* Vbi temerè dicere, non imprudẽter pla-
nè valet; ſed ſine prouiſione animi & conſultatione: quod nõ impedit quominùs com-
moda eſſe poſſit ac prudens: quaéque denique aliquid habeat quod ad præcepta poſſit
reuocari. Ita quidem tum ordo tum ratiocinatio probari & poteſt & debet. Sed jam re-
quiret aliquis, vt quoniam Ariſtoteles hoc loco data opera docuit Rhetoricam eſſe ar-
tem, tota illa dubitatio explicetur, quæ ab initio de Rhetorica fuerat excitata: an ſcili-
cet verè Ars ſit nec ne. etſi enim quædã hac de re in Inſcriptionis explicatu dicta ſunt,
plenior tamen ac perfecta diſceptatio in opportuniorem locum reiecta eſt qui hîc ſeſe 63
offert ſanè opportuniſſimus. Ego tamen adhuc inducias depoſco: quamquam enim
multa hîc de Arte diſſerui, quæ propoſitæ dubitationi explicanda non nihil vſui eſſent,
veruntamen tunc ſe opportuniſſima offeret occaſio cum Ariſtoteles ſtatuet eſſe facul-
tatem: ibi enim huius quoque rei rationem peruestigabimus: ſimúlque altiùs conſti-
tuemus

tuemus num ars cenſenda ſit an alio genere concludenda. Illud potiùs ediſſeram, quod
de propoſita ratiocinatione requiri atque huic loco vniuerſo illuſtrãdo mirificè adhuc *CONTROVERSIA XII.*
valere poteſt; quî ſcilicet in iis qui repentè dicunt & ſine vlla animi præparatione aut *Qui in iis,*
etiam ſola quadam conſuetudine, obſeruari quædam poſſint vnde faciliùs quàm cæte- *qui temerè*
ri perſuadeant:& quæ ſint. ſiquidem verendum eſt ne ex his qui ita dicunt, præpoſtera *aut repentè*
dicendi ratio veriùs colligatur atque in tumultuaria illorum dictione Orationis vitia *dicunt ali-*
notari poſſint,quæ Oratori omnino vitanda ſint. Ergo vt intelligas Ariſtotelis ſenten- *qua notari*
tiam eſſe veriſſimam. Fac quiſpiam occurrat qui repentè ac ſine præmeditatione vlla *poſſint vn-*
ad dicendum accedat, ſed tamen probitatis famam collegerit antea: ſenties profectò *de facilè p-*
hunc faciliùs perſuadere quàm qui malè audiat nullámue adhuc probitatis collegerit *ſuadeant: et*
64 famam:hoc igitur notare & in præcepti loco habere liceat. Id quod eius factum decla- *quæ ſint.*
rauit quem ferunt Athenis a Populo exploſum quantumuis commodam ſententiam
dixiſſet ac ſalutarem:quæ tamen paulò poſt ab eodem Populo excepta eſt quòd a Viro
probo iterum fuerit propoſita. Atque idem dixerim ſi quis ſaltem inter dicendũ Ora-
tionis moderatione probitatem quandam exprimat atque optimos referat mores:ſiue
enim veluti domo probitatem afferat, ſiue dicendo exprimat, id plurimum valere ad
ſuadendum non eſt quod dubitemus. Quod ſi quis obſeruet eundem cum probitate
experientiam rerum gerendarum ac prudentiam coniunxiſſe, alterum habeat præce-
ptum quod colligat. Nam reuera tunc maximè Viris probis fides haberi ſolet cum pru
dentiæ nomine commendentur: quod ſanè tunc vſu inprimis veniat, cum id de quo
agitur,ancipitem ac perdifficilem deliberationem habeat. Quod ſi obſeruet eundem
quadam vocis ſuauitate, moderato oris ac totius corporis habitu ac geſtu, vti, quibus
aures atque oculos oblectet & capiat,alterum quoque præceptum habeat quod obſer-
uet. Idem dixerim ſi ſimplicitatem quandam in dicendo ac moderationem demiſſio-
némque animi oſtendat. Nam id quoque in præcepti loco haberi poteſt & debet. Idem
ſi in rerum geſtarum monumentis aut in rerum ciuilium ſcientia verſatus appareat:
inde enim exempla, hinc rationes, depromat quibus facilè perſuadeat, etſi alioquin re-
pentè dicat ac ſine præmeditatione vlla. Idem dixerim ſi fortè aliquid aut falsè protu-
lerit aut feſtiuè vnde Auditores delectarit recreatíue. Idem ſi tum ad ridicula confu-
gerit aut eleganter digreſſus ſit cum ægrè aliquid explicari aut defendi poſſit. Vt om-
mittam vno eodémque tempore ſatietati obuiam in uarietate, & inopiam ac ieiunita-
tem copia & vbertate declinari. Idem ſi dum ad dicendum accedit Auditores & bene-
uolos & attentos & dociles(nã id actũ natura ipſa duce euenire poteſt)effecerit,ſibíque
ad reliquam orationem commodam parauerit viam. Nec aliter ſentiendum ſi dum
ſuam ille ſententiam confirmat, validiſſimum argumentum primo loco proferat quo
altiùs animos occupat Auditorum,idémque faciat ad extremum. Vt enim Imperator
fortiſſimos milites in prima collocat acie,triarios in extrema,Tyrones in mediã conij-
cit, ſic ei faciendum qui proferat argumenta. Ita vt vbi quis fortè id caſu fecerit aut na-
tura duce,& vtiliter fecerit,arte deinde fiat & conſultò. Idem ſi ad extremum precibus
egerit aut ſupplex fuerit vel Auditorum fidem obteſtetur, eóſque impellat & cohorte-
tur. Nam hæc omnia quantumuis, natura duce is præſtet ac Rhetoricæ ignarus, reuo-
cari ad præcepta arrémque poſſunt. Vt propterea iurè affirmauerit Ariſtoteles in iis
66 qui repentè dicunt, ac ſine vlla animi præparatione, obſeruari quædam poſſe, vnde fa-
ciliùs quàm cæteri perſuadeant: tantum abeſt vt niſi præpoſtera diceudi ratio quæ arri
obſit, colligi inde ac deriuari haud queat. Hanc inquam & alia id genus ſi quæ ſunt in
iis notare licet qui etſi Rhetoricæ imperiti ſint, faciliùs tamen quàm cæteri perſuadeãt:
atque hæc in præceptorum item loco haberi poſſint, ex quibus Ars tandem exiſtat. Sic
ſanè quàm appoſitè docuerit Ariſtoteles Rhetoricam eſſe artem, luce clariùs perſpi-
cere licet.

Atque hîc ſanè, quoniã orationem aliò conuertit iam Ariſtoteles, ſubſiſtere tãtiſper
lubet, dum ea commemorem quæ Cicero in ſua monumenta ex iis tranſtulerit quæ
67 hactenus dicta ſunt ab Ariſtotele. Ac primò Rhetoricam eſſe Dialecticæ ἀντίστροφον, do- *M. Tullius*
cuit tum in Oratore ad Brutum vbi *Ariſtoteles* (inquit) *principio artis Rhetoricæ affirmat* *cum Ariſto-*
ante m. *Rhetoricam quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticam*: tum in Academicis quæſtionibus, *tele in pro-*
vbi *Dialectica* (inquit) *quaſi ex altera parte oratoria vis dicendi adhibetur*: tum denique in *poſitis de*
Lib. 2. Partitionibus, vbi monebat Eloquentiam ex eodem genere eſſe hauſtam, ex qua illa *cretis com-*
quæ *paratur.*

quæ in diſputando facultas verſatur. Sed & Rhetoricam in huiuſmodi rebus eſſe poſitam quæ a cunctis hominibus quodammodo cognoſci poſſunt, expreſſit atque adeò declarauit copioſè libro 1. de Oratore cum ſic ſcriberet *Cæterarum artium ſtudia ferè recondititis atque abditis è fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio poſita communi quodam in vſu atque hominum more & ſermone verſatur: vt in cæteris id maximè excellat, quod longiſſimè ſit ab imperitorum intelligentia ſenſúque diſiunctum: in dicendo autem vitium vel maximum ſit a vulgari genere Orationis atque a conſuetudine communis ſenſus abhorrere.* Pag. 2. Denique hanc ſubinde ob cauſam omnes homines iſtius eſſe participes facultatis, cum quoquo modo omnes norint accuſare & defendere: ſententiámque tueri aut oppugnare, expreſſit non minùs eleganter quàm copioſè libro primo de Oratore vbi docebat omnes ſine artis præſidio noſſe & blandiri, & ſuppliciter inſinuare iis a quibus eſſet petendum, & aduerſarios minaciter terrere: & rem geſtam exponere, ſed & id quod intenderemus confirmare: id quod contra diceretur refellere: & ad extremùm deprecari aliquid & conqueri, quibus in rebus omnis Oratorum verſaretur facultas. Iam verò dum dicitur ab Ariſtotele ex vulgari multitudine temerè alios, alios vſu & conſuetudine, dicere, artémque proinde hinc gigni ſi quis cauſam notet cur iſti quod volunt conſequantur, 68
expreſſit id M. Tullius in II. de Oratore his verbis. *Etenim cum plerique temerè & nulla ratione cauſas in foro dicant: nonnulli autem propter exercitationem aut propter conſuetudinem aliquam callidiùs id faciant, non dubium quin ſi quis animaduerterit quid ſit quare alij meliùs quàm alij dicant, id poſſit notare. Ergo id quod in toto genere fecerit, is ſi non planè artem, at quaſi artem inuenerit.* Hæc inquam Ariſtoteles ſtrictim de vtraque iſta facultate, M. Tullius ex Ariſtotele de vna Rhetorica. At enim docuerit hoc ille de vna Rhetorica: ſed tamen nil prohibet quominùs furti reus ac plagiarius videri poſſit dum tam facilè ſumpſit atque adeò ſurripuit aliena. Sumpſit ille quidem, ſed furti reus non tam facilè habendus eſt; præſertim verò ſi eos audiamus qui dictitant. Nihil dictum quod non priùs dictum.

CONTROVERSIA XIII. *Num furti reus cenſendus ſit Cicero dũ vſurpat Ariſtotelea, & an verè illud efferatur. Nihil dictũ quod nõ prius dictum. Id quod refellitur.*

De qua re tota (quoniam huc diſputando peruenimus) lubet etiam tantiſper ſciſcitari: eſt enim tum per ſe curioſa & nobilis ad intelligendum, tum noſtris maximè accommodata ſtudiis cum noſſe interſit quatenus M. Tullium liceat imitari. Agedum igitur propoſitam dubitationem diſceptemus.

Ergo (vt hinc ducam initium) ſæpe ac diu mecum ipſe dubitaui num illud verè ac ſcitè fuerit a veteribus enunciatum. Nihil dictum quod non priùs dictum. Etenim ſi id cõceſſeris, nulli planè inuentores doctrinarum extiterint: qui enim primi præclarum aliquid excogitare ac proferre potuerunt & literis conſignare, ſi Nihil dictum quod non priùs dictum? Huc accedit quòd ex Hiſtoriis paſſim & experientia ipſa compertum eſt tum priſcis temporibus tum poſterioribus ſæculis multos floruiſſe qui varias 69
diſciplinas adinuenerunt ac poſteros docuerunt, ita vt de multarum artium ac doctrinarum Inuentoribus integri libri conſcripti ſint ac bona fide conſcripti. Quis igitur
I. niſi temerè illud vſurpet? Immo verò eò adducaris ſi rectè affirmari dixeris. Nihil di-
II. ctum quod non priùs dictum, vt retro in infinitum ſit abeundum: ita nullus primus,
III. nullus author, nullus inuentor, ſtatui poterit vllius artis ac diſciplinæ. Contra tamen

Contraria ſuadetur ſententia.

inde hærere cogor quòd in iis artibus ac diſciplinis quas ab adoleſcentia terere cœpi & ad hunc vſque diem diſcendi ſtudio pertractaui, vix ac ne vix quidem quicquam ſe ſe offert de quo non enunciare liceat. Nihil dictum quod non priùs dictum. Itaque cum Grammaticos primùm euoluerem quorum turba magna eſt, deprehendi hos ex Priſciano ferè omnia deſumpſiſſe: Priſcianum verò ex Diomede atque aliis deriuaſſe. Quid de hiſtoria? Centum quadraginta libris Romanam hiſtoriam proſecutus eſt noſter Liuius; ita tamen, vt integros libros cum ex aliis multis deſcripſerit, tum maximè ex Polybio de Græcis conuerterit, ita vt Polybianam hiſtoriam iterarit. Alicarnaſſeus quoque Dionyſius, quem ego Græcorum ac Latinorum hiſtoricorum Principem exiſtimaui ſemper, ſic Romanam antiquitatem propè vniuerſam ingenti voluminum ſcriptione exarauit, vt omnia ex prioribus hiſtoricis deſumpſerit quos ipſemet 70
longo ordine fideliter recenſet; ita vt quod illi preſsè ac minùs eleganter mandaſſent literis, eleganter ipſe & copioſè pronunciarit. Quid de Dialecticis? At non Ariſtotelis Dialecticam ſeu Topicen quam appellant, de Græcis hauſit M. Tullius? Sic ſanè. An non Gorgianas quoque diſputationes atque alias multas Græcorum lucubrationes (id quod ne ipſe quidem inficiatur) latinas reddidit, vix vt ſplendorem quendam & ampli-

Digitized by Google

amplitudinem illis addiderit? De Platone verò & Ariſtotele (vt ad ſummos Philoſo-
phos veniam) illud veriſſimè affirmare licet quæ Pythagoras, Timæus, Coccus,
Ocellus, Architas de rebus naturalibus, etſi breuiter & obſcurè, ſcripſiſſent, Platonem
in ſuum librum de Natura ſeu de Vniuerſitate tranſtuliſſe ac dilataſſe. Ariſtotelem
verò ex eodem libro ſuam Phyſiologiam deriuaſſe, ita tamen vt quamplurima ex
Empedocle aliiſque Philoſophis multis exceperit, atque hinc ingentem Naturalis
ac Diuinæ Philoſophiæ molem extruxiſſe, non obſcurum. Quapropter ſi eam biblio-
thecam liceret nobis peruolutare, quam ingentibus Alexandri Macedonis ſumptibus
congregauit, ac tandem, cum multos libros edidiſſet, flammis dediſſe fertur, facilè
intelligeremus veriſſimè illud proferri, Nihil dictum quod non priùs dictum. Neque
verò Medici aliter ſentiant, cum ab Aeſculapio Hippocrates, ab Hippocrate Medici
71 reliqui paſſim ſuſtulerint plurima, quæ dilatarunt tantùm. Eodémque modo Gale-
nus ſeptendecim libros ſcripſit de vſu partium, opus ſanè admirabile, quod tamen
Ariſtotelis confecit auxilio: nam quicquid egregij Ariſtoteles in libris de Animalium
vel generatione vel partibus vel hiſtoria ſcriptum reliquit, id fermè ad ſuos libros re-
tulit Galenus. Quapropter quod aliqui ſcribunt de Homero dum cæteros Poëtas cũ eo
conferunt, id videor mihi de vniuerſis doctrinis affirmare poſſe. Scribunt autem Ho-
merum omnibus doctrinis pectus compleuiſſe: cúmque illas aliquando neſcio quo
pacto, euomere coactus eſſet, factum eſſe vt Poëtæ reliqui accurrentes, ex eius vomi-
tione (honor ſit auribus) hauſerint alacriter ac ſua condiderint Poëmata. Id quod li-
ceret, in Virgilio ipſo agnoſcere, qui non tam nouum argumentum canere quàm
Homericum ſiue contrahere ſiue purgare & illuſtrare viſus eſt. Vt minimè mirum
videri debet Ciceronem etiam (id quod paulò antè docebam) tam multa ex Ariſto-
tele accepiſſe. Hæc pro vulgari ſententia. Quid igitur ſtatuimus? Aurea eſt medio-
critas ſine dubio, atque hanc ſectari præſtat hoc tempore. Fateamur igitur priſcis *Quid ſentiendum.*
temporibus diſciplinas atque doctrinas, proíndeque eſſata omnia, ſuum illa autho-
rem habuiſſe, itaut illud liceret ſtatuere, Nihil dictum quod priùs dictum. Quin
idem de multis fatendum eſt quæ temporum decurſu dicta ſunt: quandoquidem
non omnia priſcis temporibus inuenta & explicata, ſed permulta curſu temporis ex-
72 cogitata & declarata. Contra tamen multa ab Hebræis inuenta & Aegyptijs, quibus
Græci deinde pro ſuis vſi ſunt (id quod Plutarchus multis confirmat exemplis) quaſi
earum rerum ac doctrinarum extiterint Authores. id quod deinde apud cæteras con-
tigit nationes, quæ priorum non decreta modò ac præcepta ſed libros integros de illis
vſurparunt.

Quamobrem, vt ad Ariſtotelem redeam ac M. Tullium; non eſt quòd inficiemur
M. Tullium Ariſtoteleam Rhetoricam diligẽter euoluiſſe, & pléraque omnia in ſuos
libros de eloquentia tranſtuliſſe: ſed tamen mirificè ea dilatauit, amplificauit, illuſtra-
uit: multa etiam addidit quæ vix quidem in Ariſtotele, niſi fortè leuiſſimè adumbrata,
deprehendas. De quibus alter fortaſſe diſputandi locus ſeſe offeret aliquando. Nam
reuera ſic pandit M. Tullius vela orationis, vt tum ea fermè dilatauerit quæ de eloquẽ-
tia ſcripſerat Plato & Ariſtoteles, tum alia multa excogitarit, tradideritque copiosè.
Quapropter vel quia primus eas ſuis ciuibus exarauit, vel quia ex Græcis magno labo-
re percœpit conuertitque, vel quia mirificè amplificauit & illuſtrauit, vel quia vſu in
curia & in foro comprobauit, furti reus nullo modo cenſendus eſt. Præſertim verò
quia cum Ariſtoteles preſsè ſcribat ac proinde obſcurus interdum videri poſſit, M.
Tullius enarrator veriùs dici poſſit quàm verus interpres. Vt omittam ſæpè etiam M.
Tullium Ariſtoteleis, ſic vti, vt Authorem proferat, ac non ſine laude proferat: itaut
73 plagij reus haberi nec debeat nec poſſit. Atque hæc dixiſſe velim vbi primùm ſeſe
Tulliana offerunt quæ prodierint ex Ariſtotele: eodémque nomine in progreſſu affe-
renda erunt quæ occurrent paſſim. Etſi aliqua etiam fortaſſe in conſpectum ſeda-
bunt in quibus ægrè cum Ariſtotele conſentiat Cicero. Tametſi aureum vterque no-
bis fontem offeret ſiue inter ſe conſentiant, (quod paſſim continget) ſiue diſſen-
tiant.

PARTICVLA III.

Nῦν μὲν γὰρ οὖν οἱ τὰς τέχνας τῶν λόγων συντιθέντες, ὀλίγον πεποιήκασιν αὐτοῦ μόριον. αἱ γὰρ πίστεις, ἔντεχνόν ἐστι μόνον, τὰ δ' ἄλλα προσθῆκαι. οἱ δὲ περὶ μὲν ἐνθυμημάτων οὐδὲν λέγουσιν, ὅπερ ἐστὶ σῶμα τῆς πίστεως, περὶ δὲ τῶν ἔξω τοῦ πράγματος, τὰ πλεῖστα πραγματεύονται. διαβολὴ γὰρ, καὶ ἔλεος, καὶ ὀργὴ καὶ τὰ τοιαῦτα πάθη τῆς ψυχῆς, οὐ περὶ τοῦ πράγματός ἐστιν, ἀλλὰ πρὸς τὸν δικαστήν.

AC nunc quidem qui artes orationum componunt, exiguam ipſarum particulam confecerunt. Fides enim artificioſa eſt ſolũ: alia verò additamenti ſunt loco. At hi nihil quidem de enthymematibus dicunt, id quod eſt robur fidei: de ijs verò quæ ſunt extra rem, plurima tradunt. Criminatio enim & miſericordia & ira & huiuſmodi animi perturbationes non de re ſunt, ſed ad iudicem. *Riccobonus.* 74

SEd qui hactenus de arte dicendi conſcripſerunt, paruam quandam eius particulam confecerunt: probationes enim ſolæ ad artem pertinent, reliqua verò ſunt additamenta. at iſti nihil de enthymematibus loquuntur, quod corpus eſt ac fundamentum fidei faciendæ, de ijs verò quæ ſunt extra rem poſita, plurima pertractant: nam criminatio, miſericordia, iracundia, cæteræque huiuſmodi perturbationes nequaquam ipſius rei propriæ ſunt: ſed ad monendum iudicem pertinent. *Maioragius.* 75

TERTIA Proœmij pars ĩ qua arguit priſcos Rhetores.

Com. III.

EXploſis ab Ariſtotele ijs qui negarent Rhetoricam pręceptis & arte contineri, potuiſſent facilè reliqui illi gloriari qui & artem eſſe faterentur, & eius præcepta traderẽt; ſed ecce tibi Ariſtoteles, qui, vt neminem ſibi induſtriæ ac doctrinæ gloria non modò anteferri ſed ne æquari quidem ſuſtinuit, in tertia hac proœmij parte aduerſus eos diſputationem conuertit, qui & eiuſmodi artem agnoſcerent, & eiuſdem præcepta cõſcriberent. Neque verò leuem iſtis accuſationem intendit, ſed grauiſſimam: ſiquidem pugnat hos exiguam artis huius particulam pertractaſſe. Cum enim ſolæ probationes (ſic enim πίστεις vertere lubet in præſens) pertineant ad artem, cætera ſint additamenta. iſti de enthymematis ſeu probationibus, quæ ſunt *σῶμα τῆς πίστεως, corpus fidei faciendæ*, nihil præcepere, contra verò extra rem tradidere plurima: nam criminatio (inquit) miſericordia, iracundia, cæteræque huiuſmodi perturbationes animi, de quibus iſti præcipiunt, non ſanè ad rem ſed ad iudicem pertinent. Sed vt planiùs intelligatur tota Ariſtotelis accuſatio, & qua ratione tam grauiter lapſi ſint iſti, ſciẽdum eſt, Oratorem cui propoſitum eſt vt dicendo perſuadeat, tribus modis perſuadere poſſe: vel enim a re ipſa ducit argumenta, vel a propria perſona, vel a perſonis Auditorũ: a re ipſa, inſtruẽs orationẽ argumẽtis quæ (vt ſuo loco declarabitur) a veriſimilibus & ſignis deſumuntur. a propria perſona, ꝑp moratã orationẽ: quia. ſ. ſe dignũ effingit ac repreſẽtat cui fides habeatur: a perſona auditorũ cũ eos afficit, afferẽs eorũ animis motus. ij igitur (inquit Ariſtoteles) qui in præſentia præcepta dicendi conſcripſere, exiguã quandã artis particulã attigere: quandoquidẽ nihil de argumẽtis docuere quæ a re ipſa deſumũtur, quæque corpus ſunt fidei faciẽdæ: ſed toti ſe ad ea cõuertere quæ ſumũtur a pſona aliena, atque ad mouendos afficiendósque animos pertinent. cuiuſmodi eſt, quo pacto iudex ſiue ad miſericordiam ſiue ad odium flecti poſſit, atque ad cæteras animi perturbationes impelli. Hæc eſt germana huius Particulæ ſententia. aduerſus quam equidem Controuerſiam excitare, ac neſcio etiam an multarum Controuerſiarum fontem aperire, cogor ac longa dubitationum varietate requirere. Nũ ſiue iure priſcos Rhetores reprehendat, *Ar. lib. 1 cap. 2. ferè ad init. & lib. 3. c. 1 ad init.* 76

CONTROVERSIA XIV. In qua per dubitatio..

hendat,ſiue interim ſibi conſtet Ariſtoteles. Iā igitur vide Ariſtoteles quid ſtatuas:tot *nes requiri-*
enim in hac vna, eáque perbreui, particula tibi,vel potiùs nobis,dubitationes creas,vt *tur. An ſine*
quot ferè verba profers,tot in dubitationes exiſtant. Ac primùm quidem cum tu hoc *iure priſcos*
in loco priſcos Rhetores reprehendas quòd de affectibus præcipiant, ac proinde *Rhetores re-*
77 illa tradant quæ ad rem non pertinent, quid eſt quòd tu ſtatim ac ventum eſt ad tra- *prehendat,*
ctationem, tam diſertè prædicare cœpiſti tribus partibus benè dicendi artem con- *ſiue interim*
flatam eſſe; diſſerendi ratione qua doceantur auditores; moribus quibus eorum *ſibi conſtet,*
animi concilientur; affectibus vnde flectantur? cur tripartitam hanc dicēdi varietatem *Ariſtoteles.*
ita conſtantem ac certam eſſe iudicaſti, vt quidquid ab initio ad finē vſque Rhetoricæ *Dubitatio.*
tractationis explicaſti,id fermè ad tripartitam iſtam varietatem referri & pertinere ſta- *I.*
Lib.2. tueris? Ad hæc quid erat cur nos grauiſſimis admoneres verbis operæpretium eſſe vt *Quæ eſt*
oratio non probandi ſolùm vim habeat, verùm etiam Iudices atque Auditores percel- *multiplex.*
lat ac moueat? Denique,vt omittam te de prooemio quoque & epilogo accuratè egiſſe,
in quibus tamen affectus concitantur vel maximè; ſi quid eſt in opere hoc toto quod
eximiam quandam ac ſingularem induſtriam præſeferat ac ſtudium, illud eſt quod in
permiſcendorū animorū artificio atque doctrina collocaſti: vſque adeò accuratè om-
nium hominū ordines,eorúmque ingenia,mores, ſtudia,propenſiones exploras atque *Dubitatio.*
peruadis; indeque animos permiſcendi artem conflas ac doces. Deinde quod venditas *II.*
priſcos iſtos Rhetores ea prætermiſiſſe quæ pertinent ad fidem faciendam ſiue ad en-
thymemata,non ſatis video quo pacto non multorum teſtificatione refellatur.etenim
78 Plato in Phædro,ac deinde M.Tullius in Bruto & Quintilianus libro III.omnino teſtā-
tur ac referunt Traſimachum Calcedonium, Prodichū Abderitem, alióſque multos,
cap.1. qui ante te floruerunt,locos topicos ſiue inueniſſe ſiue explicaſſe,ex quibus enthyme- *III.*
mata deriuantur. Id quod tu etiam in poſteriore Elenchorum libro ad extremum cla-
riùs ſanè teſtatus es quàm vt diſſimulari poſſit. Ad hæc certum eſt dicendi artem per-
ſuadendi cauſa comparatam eſſe. cur igitur permotio animorum quæ tātopere valet
ad perſuadendū,non iniuria ab arte arcebitur, aut ab Oratoris munere cenſebitur alie-
na? certè M.Tullius exiſtimauit affectus maximè in oratione dominari, atque in illis
victoriam inprimis eſſe collocatam. a qua ſententia cur tu Ariſtoteles abeſſe dicendus
ſis,non ſatis video: quandoquidem in II. libro Rhetoricorum tātum roboris ac firmi- *IV.*
tatis in affectibus collocas, vt his auditores non modò ſuaderi ſed in noſtrā ſententiam
impelli affirmes.Huc accedit quòd ſi πίστεις tantummodo,hoc eſt,vt ſatis interim expli-
cas,enthymemata, quæque ex re ipſa ducūtur rationes, ſunt ἔντεχνοι,ſiue ad artē per-
tinent,atque has intactas reliquerunt veteres, falſum eſt iſtos ὀλίγον μόριον, exiguam, in-
quam,Artis particulam tradidiſſe: ſiquidem veram partem tradidiſſent nullam aut ſi *V.*
79 è contrariò exiguam tradiderunt partē, aliquam certè tradiderunt: nō igitur eas inta-
ctas reliquerunt aut penitus neglexerunt. Et huc etiam pertinere videtur quod ais iſtos
nō de enthymematis præcepiſſe,ſed de iis quæ ſunt ἔξω τοῦ πράγματος, extra rem atque
ab inſtituto aliena: neque enim ab inſtituto aliena cenſenda ſunt quæ tu artis particu- *VI.*
lam appellaſti. Atque idem fermè dixerim dum te προσθήκας, additamenta inquam,ap-
pellas ea quæ ab iſtis tractata ſunt. vt enim & pars artis, & tamen additamenta,ſint,id *VII.*
verò cohærenter dici haud poteſt: tantum abeſt vt eadē & pars, & additamenta,& a re *quæ eſt bi-*
prorſus aliena(quod ex tuis verbis colligitur) haberi ac dici poſſint. Quid quod tu inte- *partita.*
rim ſtatuis aut certè tanquā certum ſumis,tū πίστεως, hoc eſt fidei ſeu perſuaſionis,no-
men ſolis enthymematis cōuenire, cæteris duobus probationis generibus nullo mo-
do,(in quo tamen paulò poſt tecū ipſe mirificè pugnas) tū ἐνθυμήματα ſic eſſe σῶμα τῆς
πίστεως,*corpus fidei faciendæ*,vt exēpla nō magnopere pertineāt ad fidē faciendā? etſi.n.en-
vide Cō. thymema altiùs plerumque demonſtrat quàm exemplum, exemplum tamē & ſuum
Par.41. habet pondus, & inter Oratoris inſtrumenta atque adeò oratorias demonſtrationes a *VIII.*
te ipſo numeratur. Verùm illud palmare, quod διαβολὴν ſeu criminationem inter ani-
mi affectiones perinde ac miſericordiam irámque enumeras. qua in re te ipſum appel-
lo:tu enim es qui & in II.Libro de anima, & in Topicis,ſed explicatiùs in II.Rhetorico-
rum & II.item de moribus,eas diligenter enumeras,& tamen de criminatione altum
vbique ſilentium. Quanquam quoniam de criminatione ſermonem feci, neque illud *IX.*
80 concedendum eſt, criminationem perinde atque iram, extra rem eſſe, & ad iudicem
pertinere. Siquidem in genere iudiciali criminatio omnino coniuncta eſt cum accuſa-

Digitized by Google

tione,ita vt ad rem ipſam pertineat. Ad extremùm optaſſem vt quemadmodũ ad inui-
X. diam priſcis iſtis conflandam luculenter tuam de affectibus ſententiam hic teſtatam reliquiſti;ita de morbus aliquid certi indicaſſes. etſi enim cõiectare licet idem de moribus quod de affectibus iudicandum, cum a te ipſa peræquè ſint alieni, illud tamen erat quod declarares, num in horum tractatione perinde atque in affectibus occuparentur Rhetores illi.

Hæ ſunt, Auditores, quæ in propoſita particula, etſi perbreui,ſeſe obijciunt dubitationes.In quibus ſanè videtur Ariſtoteles in ſuum mucronem incurrere, ac ſuo ſe telo confodere, ita vt illud ei ſit inclamandum

Heu patior telis vulnera facta meis.

Sed vtinam liceret nobis, Auditores ornatiſſimi, Ariſtotelem ipſum in tot tantíſque dubitationibus ab inferis excitare, atque hîc ſiſtere, vt dum alijs ſiue accuſationem ſiue
Reſpondetur. inuidiam conflat, ſuam viciſſim cauſam tueretur. Quanquam, quoniam in nos eiuſmodi incumbit onus, enitendum eſt pro virili vt ipſi propoſitas dubitationes diluamus. 81

Ad I. Porrò autem, quod attinet ad primam, viſus eſt Ariſtoteles rationem nobis offerre vnde ab omni crimine vindicetur. cum enim in II. Rhetoricorum ad effectus aggrederetur, monebat in oratione animorũ motus auditorum culpa, ac propter deprauatos hominum mores, eſſe pertractandos. Quod etſi breuiter, acutè tamen, pronunciauit. Intelligebat enim ſapientiſſimus Philoſophus ac Rhetor auditores non rarò ignaros ac rudes: interdum largitionibus corruptos aut gratia: inuidos aliquando, aut odio etiam & ira tanquam tempeſtate iactatos: maléque erga nos affectos & animatos. Sentiebat etiam populum qui cum ſæpè agendum eſt Oratori, non modò ignarum eſſe (vt dicebam) ſed vbi ſola honeſtas obijciatur ac dignitas, deſidem ac tardum: contra verò cum impura voluptas ſe obijciat & vtilitas, incitatum atque furentem, ita vt ibi concitandus ſit vi orationis, hic reprimendus. Quin videbat Tyrannos nonnunquam ac non bonum Reipub. moderatorem oratione appetendum, qui cum omnia propria vtilitate metiri ſoleant, atque iræ inprimis cupiditatibúsque indulgere, non rationum momẽtis (ſpernunt enim illa) ſed flexanima ad lenitatem atque demẽtiam reuocandi ſunt. denique animaduertebat ſæpiſſimè eos eſſe auditores ac Iudices, de quorum animo & integritate nihil certi habeamus: ita vt nullum planè officij genus prætermittendum ſit. præſertim verò vbi non Samnis ſpurcus homo defendatur; aut leuis aliqua agatur cauſa, ſed nobilis inprimis & grauis. Id quod eò magis præſtandum eſt, quòd tanta eſt interdum cauſæ obſcuritas, tanta iudiciorum ſententiarúmque varietas, tanta aduerſariorũ ſiue opinio & authoritas, ſiue dicendi vis atque facultas; vt neque apud æquiſſimum integerrimúmque Iudicem tuti eſſe poſſimus. Hæc Iudicũ auditorúmque vitia, quibus porrò animorum permotionibus occurrendum ac proſpiciẽdum eſſe voluit magnus hic dicẽdi & intelligendi author atque Magiſter, quę ſanè vitia (ſi quis rectè æſtimat) tum latè manant, nulla vt controuerſia agitari poſſe videatur quæ eorũ ſit penitus expers. Quod ſi quis obijciat iam eodem nomine priſcos quoque Rhetores de affectibus diſputare potuiſſe, ita vt vel vtrique damnandi ſint, vel certè vtrique abſoluẽdi, vnum adhuc afferri poteſt quod vni fauet Ariſtoteli. etenim tum demum de affectibus egit, & vno auditorum vitio egit, cum de enthymematis ac tota probationum ratione quæ ex re ipſa ac proprijs locis ducitur, copioſè ac pro dignitate diſputaſſet: illi contra vel enthymematis contemptis, ſtatim fermè proſiliẽrũt ad affectus: quos fortaſſe etiã non tam auditorũ vitio ſibi tractandos aut monuerunt aut exiſtimarunt quemadmodum fecit noſter author, quàm quod totam fermè dicendi artem affectibus contineri arbitrarentur. Sed quoniam de hac re tota, vt eſt pulcherrima ac ſcitu digniſſima, & tamen multis ac magnis dubitationibus inuoluta eſt, placuit longiorem Diſputationem atque adeo Libellum integrum conſcribere quem iandiu hoc Titulo edidimus.

82 83

DISPV-

DISPVTATIO.

IN QVA QVAERITVR, AN SIVE ACTORI, ſiue Reo & in vniuerſum Oratori ingenuo; liceat in iudicijs & concionibus affectus concitare: ac iudicum animos flectere & permiſcere.

HAnc tu Controuerſiam conſule, quā propterea, vt huc referatur, Decimamquin tam ex ijs eſſe volumus quas in Ariſtotelis Rhetoricā exarauimus, ac tertię huic Prooemij parti plenius explanandę deſtinauimus. Nūc ad penſum. etenim illud ſtatim in nos vrgebit quiſpiā, quod ipſe ſecūdo loco Ariſtoteli obijciebā: nimirū cū alios multos, tū Ariſtotelē ipſum literis prodidiſſe, Gorgiā atque alios multos argumentorū ſedes oſtendiſſe, cōmunéſque locos explicaſſe: ita vt vel mēdax vel obliuioſus videri poſſit Ariſtoteles, qui negat iſtos de Enthymematis præcepiſſe quicquā. Grauis ſanè accuſatio quæque fortaſſe nō facilè depelli poſſit. Atque hac maximè de cauſa optaſsē ego *CONTROVERSIA XV. An ſiue Actori ſiue Reo & in vniuerſum Oratori ingenuo, liceat in iudicijs et cōcionibus affectus cōcitare: ac iudicū animos flectere & permiſcere. Iam ad II. Dubitationem.*
84 vt Ariſtotelē ab inferis excitare licuiſſet, qui ſuā ipſe causā tantiſper ageret ac tueretur. Sed enitamus ipſi, vt ne pro tenuitate noſtra ei deſuiſſe videamur. Ergo vna atque altera ratione fieri poteſt vt quis tractet Enthymematū locos ac ſummatim eam argumentorū partem quæ in re ipſa poſita eſt: vel vſu quodam & experientia, vel arte atque doctrina. etenim longè intereſt ſiue id facias experientia quadā, ſiue arte etiam. experientia namque verſatur circa res ſingulas: ars circa genera vniuerſa: experientia euētus perſpicit quidem, at cauſas ignorat euentuum: ars & euentus cernit & cauſas: denique cum experientia ignoret cauſas, docere ac præceptis alios erudire nequit: Ars quippe cauſarū gnara, optimè erudire poteſt atque optimis pręceptis imbuere. Hinc fit, vt qui fortè aliquid notet vnde argumēta duci interdū ſoleant, ac ſolo vſu quodā edoctus id faciat & experiētia, longè abſit vt pro dignitate rē tractauerit, aut ſuo muneri ſatisfecerit: id enim artis opus eſt, vt paulò ante egregiè monebat Ariſtoteles. Tales igitur fuerunt Gorgias & cęteri illi qui videri vellent topicos locos explicaſſe: id enim nō ex arte ſed imperitè admodū & quantū vſus quidē tulit, effecerunt. Atque hoc eſt quod Ariſtoteles ipſe obſcurè quidē ſed acutè tamen ac ſcitè indicauit in poſteriore Elenchorū
85 libro ad extremūm, dum diceret iſtorū doctrinā fuiſſe ſine arte: id quod ea ratione declarabat quia perinde feciſſent ac ſi quis ſe diſciplinā traditurū profeſſus vnde non doleant pedes, non ille ſutoriā doceat, & qua tandē ratione conficiantur parentúrue calcei ad tuēdos pedes, ſed varia calceorū offerat genera quibus pro ſuo quiſque arbitratu vtatur; hic enim (inquit Ariſtoteles) conferret ad vſum, artē certè non traderet. Quod verò obijcitur, Oratori illud eſſe propoſitū vt perſuadeat ſeu ſinē faciat, illiúſque proinde munus eſſe appoſitè dicere ad perſuadendū ſiue ad fidem faciendā; non inficior. *Ad III.* Sed & dū additur, fidē ſeu perſuaſionem ex animorū perſuaſione ſiue ex perſona auditorū deriuari, id quoque in præſentia non grauatè concedo. Verùm dū additur, æquè igitur ad artē pertinent affectus ſeu motus ac pertineāt enthymemata, vel etiā (quoniā M. Tullius, imò verò Ariſtoteles ipſe potētiſſimā appellat fidē quæ ex animorū permotione ducitur) multò maximè, ac propterea per iniuriam clamat Ariſtoteles in veteres Rhetores quaſi verò aliena tractēt, quæque ſint ἔξω τοῦ πράγματος, nihil inquā ad rem faciunt; equidē ſic ſtatuo. Orationis conſtitutio, atque eius coagmentatio partiū, cum pulchri animantis coagmentatione iurè ac meritò conferri poteſt. Animali enim (de perfecto loquor) triplex ineſt partiū varietas. Etenim inſunt illi primùm partes quædā
85 ſine quibus exiſtere nullo modo poteſt: cuiuſmodi eſt cor, iecur, cerebrum: eidē aliæ quædā partes tributæ ſunt ſine quibus, & ſi ęgrè omnino vitā traducere poteſt, interdū traducit tamē: atque hæ sūt pedes verbi gratia, cruta, & in homine manus, brachia, & ſi quid huiuſmodi: & ideo illæ a Philoſophis eſſentiales, hæ integrales dicuntur: nos neceſſarias illas, has integrantes appellamus licet. Denique coma, villis, iuba, pennis & eiuſmodi alijs pro ſua quiſque natura inſtructus eſt animās, ita vt iiſdē & ornatur & cōſeruatur. Vt enim arbores frōdibus & ornantur & cōſeruātur, ſic coma, villis, iuba, & id genus alijs ornatur, cōſeruatúrque, Equus v.g. & Leo. Id ipſum certa quadā proportione in eloquētia ſiue oratione cernere licet, huic.n. inſunt primùm neceſſariæ quędā partes ſine quibus exiſtere nullo modo poteſt tales ſunt ratiocinationes quæ ex re ipſa ducuntur: niſi enim rationibus probetur rem eſſe vel non eſſe factam vel non factam,

& vno verbo de eo doceantur auditores cuius cauſa inſtituitur oratio, temerè cætera adhibeantur. aliæ ſunt partes quæ re vera vix ac ne vix quidẽ neceſſariæ videri poſſent, ſed tamen adhibendæ ſunt: tales ſunt mores & affectus qui in ſecundis cõſiſtunt ac tertijs. etſi enim ſolis Enthymematis conflari poſſit oratio, niſi tamẽ auditores & delectare interdum & mouere nitatur orator, ſpinoſior quàm ferre poſſit euadet oratio, atque 87
auerſis audietur auribus. Denique non tam Oratoris quàm Dialectici dictione fermè vtetur. Dialecticus enim eſt qui in ratiocinationibus eſt totus: ac moribus affectibúſque abſtinet perpetuò. Ita fit vt nullo modo ſit concedendum mores & affectus perẽque ad artem pertinere ac ratiocinationes ſiue Enthymemata: tantũ abeſt vt affectus in primis ſint collocandi, rationes in ſecundis aut tertijs. Nam dum ſentire videtur M. Tullius in oratione affectus regnare, id verò quam vim habeat & cur a M. Tullio pronũcietur, proprio loco declarabitur. lubet enim Platonem aliquando, Demoſthenem & Carneadem de hac re differentes inducere, vt quoniam Plato mirificè delectaret, Carneades doceret, Demoſthenes permoueret, ſinguli partes tueantur ſuas, vt tãdem cui debeatur eloquentiæ palma, ſtatuatur.

Ad IV. V. & VI. Et ex his iam enodare licebit argumẽta quæ ſiue quarto loco ſiue quinto aut ſexto propoſita ſunt. Dum enim Ariſtoteles primo loco ait iſtos paruam quandã Rhetoricę particulam confeciſſe, Artem ſumit quatenus tum ex proprijs ſeu neceſſarijs partibus, tum aduentitijs ſiue non omnino neceſſarijs conſtat: propriæ partes ſunt quæ a re ipſa ducuntur argumenta, & rationes quas *πίστεις* hoc loco & *ἐνθυμήματα* appellat. aduẽtitiæ ſunt *τὰ ἠθικὰ καὶ παθητικὰ*, ea inquã quæ in motibus vel affectibus poſita ſunt, & a pro- 88
pria vel aliena perſona ducũtur: & vno verbo, extrinſecùs aſſuuntur. ex quibus priora ſunt neceſſaria, & ideo dicuntur *σῶμα τῆς πίστεως*, corpus & ſubſtantia fidei faciendę: poſteriora verò ſunt non neceſſaria, & ideo dicuntur *προσθῆκαι*, additamẽta. quo fit vt duo iſta poſteriora genera dici poſſint tũ artis particula, tũ additamẽta, tum a re aliena: particula quidem quatenus ars conſtare dicitur ex partibus tã proprijs quàm aduentitijs: additamenta verò quatenus ars cõſtat ex proprijs tantùm. Denique a re aliena, quatenus cum rationibus & enthymematis cõparantur, quæ non modò ſunt artis propria ſed vſque adeò inſita in re ipſa vt conſtituant ipſum veluti corpus fidei faciẽdæ, & hinc etiam fit, vt quoniã iſti plurima de additamentis, vt de affectibus, parũ de tota arte quã ex proprijs aduentitiiſque conflauimus, nihil de enthymematis ſcripſerũt, & plurima & pauca, & nihil ſcripſiſſe dici poſſint. Iã verò dũ videtur ſola enthymemata ad artem

Ad VII. quæ eſt bipartita. Ad priorem partem. reuocare, quaſi verò aut cætera duo probationũ genera quę moribus & affectibus cõtinentur, *πίστεως*, ſeu fidei nomine. haud gaudeãt, ſiue exẽpla non ad artificioſam fidem pertineant, ego ſanè quod attinet ad reliqua illa duo argumentorum genera, ſic ſtatuo. videri quidẽ Ariſtotelẽ hoc in loco (ſi quis attentiùs æſtimet) ſola enthymemata ad ar- 89
tẽ reuocare & fidei nomine deſignare, cũ tamen paulò poſt *τὴν πίστιν* tripartitò diſtribuat, ac mores affectúſque ad *πίστιν* reuocet, ſed tamen fatendũ eſt etiã ijs nõ niſi certa quadã analogia & proportione conuenire fidei nomen; ſeu argumentis quæ ex re ipſa ducuntur propriè tribui, cæteris minùs propriè: ita vt hoc in loco preſſo vocabulo (in priſcorũ ſcilicet inuidiã, qui principatum affectibus tribuebant) deinde fuſiore vſurpet *πίστεως* appellationẽ. certè M. Tullius etiã in partitionibus fidem opponit motibus, ac proinde preſsè illã vſurpat pro ratiocinationibus: cũ tamen alibi ipſe quoque eã diſtribuat tripartitò: ac tripartitę illi, argumentorũ varietati accõmodet. Quod verò attinet

Ad poſteriorem. ad exemplũ, quid ſi ea de cauſa dixit enthymemata eſſe *σῶμα τῆς πίστεως*, quia ſit fundamentũ potiùs aut vertex, quàm totam artificioſam probationẽ ſiue explear ſiue contineat? ſic ſanè reticeret quidẽ de exemplo, at pertinere ad artẽ non negaret. Adde quod exemplũ, ſi formã ſpectemus, eſt quoddã veluti enthymema: ſemper enim ex exemplo bipartita ratiocinatio: ita vt Ariſtoteles non modò enthymema verùm etiã exemplum ad ſyllogiſmũ reuocari poſſe teſtetur. De qua tamẽ re alibi opportuniùs. At propterea tantiſper dum eò peruenerit vt diſtinctè agnoſcat earum varietatum probationẽ quę ex re ipſa petuntur, non grauatè ferendum vt exempli reticeat nomen. Quod verò atti- 90
net ad calumniam ſeu criminationem quam Ariſtoteles numerare viſus eſt inter animi affectiones, an igitur dicendũ eſt interim locutũ eſſe ex opinione aliorũ quaſi verò qm̃ nõ erat hic locus definiẽdi, affectus ne eſſet, maluerit aliorũ more loqui? Ego verò ęgrè ſanè id cõceſſerim: nã neque Ariſtoteles in ijs locis in quibus data opera enumerat

vide infra Cõ. Par. 41.

animi

animi affectus, ac de ſingulis diſputat, indicauit vnquã quẽquã ex antiquis id opinatũ
ſuſpicatúmue eſſe (indicaſſet autẽ ſi quis fuiſſet, nec refellere illũ diſtuliſſet) nec for-
taſſe inueniatur qui tam peregrinam ne dicam abſurdam opinionem in Philoſophiam
inuexerit: An igitur per metonymiam id pronunciauit, cum ſæpè euenire ſoleat vt
effecta pro cauſis, cauſas etiam pro effectis vſurpemus? certè calumniæ ſeu crimina-
tionis cauſa humanæ affectiones eſſe ſolent, vt ira, odium, inuidentia, & ſi quid hu-
iuſmodi. rurſus calumnia ſeu criminatio ſolet eſſe vel iræ, vel odij; vel alterius huiuſ-
modi affectionis ac perturbationis cauſa: facile enim eſt vt Iudex criminatione audi-
ta, illi iraſcatur atque ſuccenſeat de quo crimen audit. Sed neque id placet: nam
Ariſtoteles in doctrinis tradendis ab Poëticis iſtis dicendi generibus abſtinet, ac pro-
91 priè, quoad eius fieri poteſt, ſignificantérque loquitur. quid igitur dicendum? Maio-
ragius omnino concedit hoc loco ab Ariſtotele criminationem inter perturbationes
animi percenſeri: mihi verò non probatur: ſiquidem cum ea verba *τὰ τοιαῦτα πάθη
τῆς ψυχῆς, & huiuſmodi affectus animi,* non incommodè (vt monuerat Victorius) in pri-
mis autem verè poſſint ad miſericordiam, & iram tantùm referri, quas proximè no-
minauerat, nihil eſt cur falsò ad criminationem etiam traducantur. & ſanè cum di-
xiſſet cęteros artis ſcriptores ea perſecutos eſſe quæ ſunt extra rem, atque id (vt decla-
rauit libro 3.) fieri ſoleat, tum criminando aduerſarium, tum Iudicem, auditoréſque
ad miſericordiam, aliáſue perturbationes animi impellendo, quis non denique fatea-
tur hoc planè conſilio criminationis meminiſſe primùm, tum miſericordiæ, iræ, alia-
rúmue perturbationum, vt vnum atque alterum orationis genus deſignaret quod a
re alienum eſt? Quocirca ſatius fuiſſet vel aſſentiri Victorio: vel eum nutantem con-
firmare, quàm argutulas quaſdam rationes (id quod Maioragius facit) commentari
quibus tueretur criminationem inter animi perturbationes eſſe referendam. Quan-
quam ſi quis eò confugiat vt dicat *τὰ πάθη* ſeu affectiones interdum manare latiùs,
ita vt præter veras & proprias animi affectiones alia indicent multa quæ vel ani-
92 mo vel homini accidunt, vel ab homine proficiſcuntur, fortaſſe non aberret. Certè
Ariſtoteles in priore libro de interpretatione ad initium voces appellauit ſigna eorũ
quæ ſunt in animo *παθημάτων*: & tamen ſatis conſtat voces eſſe ſigna non modò affe-
ctionum animi verùm etiam ſententiæ, opinionis atque omnium denique quas con-
cipit cogitationum. Neque verò hoc in loco criminationem intelligit quæ in iudiciali *Ad IX.*
genere cum accuſatione coniuncta eſt, hanc enim ad rem eſſe non diffitemur; ſed quę
citra accuſationem animorum perturbatione aduerſario conflatur vt nimirum inui-
dia illi infamiáque creetur. & hæc quidem refertur ad iudicem, prior ad reum cau-
ſámque ipſam pertinet. Denique hîc non de re agit quæ ſubijcitur controuerſiæ ſeu
de ijs quibus id quod verſatur in controuerſia, perſuadetur. Non igitur criminationẽ
intelligit quæ in iudiciali genere eſt accuſationis materia, ſed quæ in probationis loco
ſeu fidei faciendæ gratia vſurpatur. Ad poſtremum verò in quo quæritur an Rheto- *Ad X.*
res iſti quos reprehendit Ariſtoteles, quemadmodum nihil præceperunt de Enthy-
mematis; ita ea quoque prætermiſerint argumenta quæ a propria perſona ducuntur
ac moribus eius qui dicit; ita vt ea tantùm complexi ſint quæ valerent ad afficiendos
auditores, ſanè res eſt inueſtigatu perdifficilis. Nam ſi tu quidem neges Ariſtoteles,
cur ſcribis, *De ijs verò quæ ſunt extra rem plurima dicuntur*? cum enim dixiſſes ſola enthy-
memata eſſe ad rem; profectò per ea *quæ ſunt extra rem*, videntur reliqua illa duo deſi-
93 gnari, affectus inquam & mores. ſi affirmes: cur deinde tum in hac particula tum in
ſequentibus ſic exagitas Rhetores iſtos, vt toti in permiſcendis animis fuiſſe videan-
tur? ego verò non habeo vnde apertè colligam iſtos argumenta tractaſſe quæ a pro-
priâ perſona ducit Orator: quin Ariſtoteles in Particula vigeſima quinta videtur om-
nino affirmare ſolos affectus tractaſſe. quare hanc ego ſentẽtiam magis probauerim,
præſertim verò quia dum dicuntur plurima dixiſſe de ijs quæ ſunt extra rem, id eis po-
teſt obijci propter ſolos affectus. Poſſet tamen aliquis eo nomine tueri iſtos útraque
tractaſſe, tum quia affectuum nomine videntur comprehendi mores (ſic enim Cice-
ro in partitionibus ad initium, vbi rationibus & affectibus concludit artificioſam hu-
ius facultatis partem vniuerſam, cum tamen alibi eandem faciat tripartitam) tum in
Particula 8. ſcribit docuiſſe quale debeat eſſe prooemium & ſummatim *ὅπως τὸν κρι-
τὴν ποιόν τινα ποιήσωσι,* qua ratione Iudicem talem afficiant. quæ verba videntur poſſe
proferri

Digitized by Google

proferri propter opinionem quã Orator ingenerat in animos auditoris moratæ orationis vſu: cum præſertim hoc ſit procemij munus de quo illi pręceperunt, & a quibus etiam Areopagitæ abſtinendum iubebant. & huc etiam pertinere poteſt criminatio: nam quo tempore aduerſarios criminamur, efficere etiam conamur vt ipſi probi prudenteſque in primis verò auditorum peramantes appareamus. quare non eſſet ne- 94
gandum Rhetores illos in affectibus multos fuiſſe, atque profuſos: cum tamen mores non omnino prætermiſiſſent.

PARTICVLA IV.

Ὥστ᾽ εἰ περὶ πάσας ἦν τὰς κρίσεις, καθάπερ ἐν ἐνίαις τε νῦν ἐστι τῶν πόλεων, καὶ μάλιστα ταῖς εὐνομουμέναις, οὐδὲν ἂν εἶχον ὅτι λέγουσιν. ἅπαντες γὰρ, οἱ μὲν οἴονται δεῖν οὕτω τοὺς νόμους ἀγορεύειν. οἱ δὲ καὶ χρῶνται καὶ κωλύουσιν ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν. καθάπερ καὶ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ. ὀρθῶς τοῦτο νομίζοντες.

Riccobonus. QVòd ſi in omnibus judicijs eueniret, quemadmodum in nonnullis etiam nunc euenit ciuitatibus, maximè verò in ijs, quæ bene ſunt inſtitutæ, nihil haberent quod dicerent. Omnes enim partim arbitrantur oportere ſic leges cauere; partim hoc inſtitutum retinent, & prohibent extra rem dicere, vt etiam in Areopago; rectè ſic ſtatuentes.

Maioragius. *QVod ſi in omnibus iudicijs fieret, quod in aliquibus ciuitatibus etiam hoc tempore fit, atque in illis præcipuè quæ bonis legibus fundatæ ſunt; nihil* 95
ſanè iſti haberent, de quo verbum facere poſſent: omnes enim exiſtimant, legibus hoc caueri oportere: quidam etiam eo vtuntur, & prohibent Oratorem quicquam extra cauſam dicere, quemadmodum Athenis fit in Ariopago, & rectè quidem hoc ſentiunt.

EXagitabat eos qui dicendi artem conſcriberent: ídque ea ratione quia *Com. IV.* relictis enthymematis quæ ſunt corpus fidei faciendæ, ſe ſe ad afficiendos auditores conuerterent: ac ſummatim ea traderent quæ ſunt extra rem. nunc multis rationibus confirmat rem abſurdam eſſe vt quis enthymematis relictis in afficiendis auditoribus occupetur. prima eſt. nam ſi in omnibus Iudicijs id fiéret quod in aliquibus ciuitatibus ſeruatur atque in illis præſertim quæ bonis legibus temperantur, nimirum vt extra rem dicere non liceret, iſti ſanè nihil planè haberent de quo verba facerent: ſed infantiſſimi, imò muti propemodum & elingues apparerent. omnes enim id ſiue arbitrantur oportere a legibus prohiberi, ſiue etiam re ipſa prohibent, cauentes ne quis extra rem dicat. id quod in primis obſeruatur in Areopago, vbi ne quiſpiam apud Areopagitas

De Areopago & Areopagitis. extra rem dicat, lege cautum eſt. Sed quid Areopagus aut Areopagitæ? aut cur ita apud eos ſancitum erat? Areopagitæ quorũ Magiſtratus fuit Athenis celeberrimus, a loco inuenerunt nomen in quo habebatur eorum Senatus: habebatur autem in Areopago: hoc eſt in Martis vico ſeu promontorio aut colle qui erat iuxta Mare ac Martis dicebatur: ſiue interim curia (vt quidem volunt) eſſet ipſa arx, ſiue (vt opinor) 96
eſſet in ipſo arcis templo: nam in Areopago vt Ioſephus teſtatur, ijdem erant & Sa- *li.4.ant.*
cerdotes & Iudices. fuit autem a Solone inſtitutus hic Magiſtratus vt refert M. Tul- *c.16.*
lius libro 1. de officijs, ídque (ſi Euſebio credimus) anno termilleſimo ſexcenteſimo *in Cron.*
nonageſimo quarto a Mundo condito: ac ſinguli quidem Iudices deligebantur ex *an cit.*
Theſmothetis, qui erant Magiſtratus ſanè grauis, & legibus præerant, nec deligeban- *lib.12.*
tur niſi integerrimi ac probatiſſimi. quo fiebat vt Romani Aſiæ Proconſules ijs dif- *c.7.*
ficiliores interdum cauſas committerent, vt Aulus Gellius author eſt. Iure itaque M. Tullius ad Atticum ſcribens libro 1. Areopagitarum ſenatu (inquit) nihil ſeuerius, nihil conſtantius, nihil fortius. Sed & noctu tantùm, ídque ſingulari attentione

& taci-

& taciturnitate ferebant iudicium: cauentes etiam ne quid interim temerè in vulgus efferrent. hinc illud Ἀρεοπαγίτου στεγνότερος, Areopagita taciturnior: ſeu potiùs impenetrabilior atque munitior (id enim ſignificat στεγνότερος) erant enim (vt cum Curtio loquar) arcanorum celantiſſimi. Neque vero iudicabant cauſas capitales tantùm vt aliqui voluere, ſed morum etiam; nam ideo quid quiſque ageret, quóue ſuſtentaretur quæſtu, inquirere ſolebant, teſte Valerio Maximo. Sed & cauſas quoque religio-
97 nis cognoſcebant: atque ideo Paulus qui religionem nouare diceretur, ad Areopagũ
Val. Ma xi. li. 1. traducitur. Vbi cum ex ara ignoto Deo dicata occaſionem arripuiſſet de vero Deo
Act. c. 17 differendi, ad Chriſti fidem magnum illum Areopagitam Dionyſium conuertit qui poſtea Galliarum quaſi Apoſtolus factus, & doctrina & ſanguine florẽtiſſimum illud Regnum Chriſto adiunxit. Erat autem (ſi multis credimus) hic vnus Magiſtratus Athenis perpetuus: ideóque ἰσόβιον καὶ ἀδιάδοχον perennem ac ſucceſſionis expertem vocabant illum. Quamuis cum a Platone vndecem viri dicantur ἀεὶ καθισαμένη ἀρχή,
in Apol. perpetuus Magiſtratus, iidémque ab Areopagitis longè differant (apud eos enim affe-
pag. pen. ctus miſcere, ſupplicare & huiuſmodi alia facere quæ in Areopago prohibebantur; ſolemne erat, vt in eádem Apologia ſæpè commemorat Socrates) non video cur vnus Areopagitarum Magiſtratus eſſet perpetuus: niſi dicas perpetuum dici hîc Magiſtratum non tamen viros: quaſi mutuarentur ij, licet perpetuus eſſet Magiſtratus. Areopagitæ itaque (id quod præcipuè obſeruandum eſt hoc loco) cum ſe ab Hyperide deceptos ſenſiſſent, cuius oratione ad miſericordiam compulſi, Phrynem meretricẽ, etſi capitis ream, abſoluerat, lege cauerunt, ne quis in poſterum affectus permiſceret, aut aliquid extra cauſam diceret. Atque idcirco præterquam quod ad Clepſydram
98 iubebant orationem haberi, per Præconẽ illud proclamabant ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, hoc eſt, ſine procemijs & affectibus. Et hac etiam de cauſa voluerunt vt velum in tenebris audiretur Orator, ne quis ad dicentes reſpiceret, ſed audiret tantùm. Ac de his omnibus videre poteſtis præter recitatos authores Auguſtinum libro 18. de Ciuitate Dei cap. 10. Iſidorum libro 2. Epiſtola 12. Pollucem libro 8. Athenæum lib. 13. Lu-
Pli c. 56 cianum in Hermotimo & in Anacharſi, Plinium libro 7. Quintilianum lib. 2. Deni-
Quint. cap. 6. que Pauſaniam, Budæum, Suidam & Adagia non vno in loco. Ob hæc igitur concludit Ariſtoteles rectè feciſſe Areopagitas qui extra rem dicere prohiberent.

PARTICVLA V.

OΥ' γὰρ δεῖ τὸν δικαστὴν διαστρέφειν εἰς ὀργὴν προσάγοντας, ἢ φθόνον ἔλεον. ὅμοιον γὰρ κἂν εἴ τις ὧ μέλλει χρῆσθαι κανόνι, τοῦτον ποιήσει στρεβλόν.

Riccobonus. NOn enim oportet iudicem peruertere ad irám excitando, vel inuidiam, vel miſericordiam: quia id ſimile eſt ac ſi quis qua vſurus eſt regula, eam reddat peruerſam.

Maioragius. *NEque enim conuenit Iudicem diſtorquere, atque inflectere, ad indignationem, vel inuidiam vel miſericordiam, idem enim eſt, ac ſi quis eam qua vſu-*
99 *rus eſt, regulam obliquam, ac tortuoſam efficeret.*

Com. V. QVæ dixerat aduerſus iniquos affectuum perturbatores, confirmat hoc in loco a ſimili ducto argumento. ſi enim artifex (inquit) vt ædificator, eam ipſam regulam aut normam qua vſurus eſt; efficeret obliquam ac tortuoſam, aut etiam, ſi placet, cylindrum perpendiculúmque peruerteret, ſine dubio tortuoſum inde atque mendoſum exiſteret opus. Item dicendum eſt de Iudicijs: nam hæc quoque ſuam normam habent ac regulam ſiue cylindrum ac perpendiculum. At quale eſt hoc tandem? Iudicis mens, Conſilium, Iudicium. quare ſi quis Iudicis ſiue auditorum affectus, ac mẽtem ipſam Iudiciúmque perturbet, iudicatio ſanè obliqua ac tortuoſa, iudiciúmque mẽdoſum, euadat neceſſe eſt. Et hoc ipſum eſt quod Ariſtoteles libro 5. Politicorum in eodem *Fos adhuc redarguit Rhetores qui affectus perturbarent.*

ſimili

ſimili perſiſtens confirmat, cum, *Ira*, inquit, *peruertit tortuoſúmque reddit Magiſtratus Iudicium.* Id quod Salluſtius egregiè quidem expreſſit, dum in Catilinæ coniuratione *ad cens. init.*
C. Cæſarem ſic loquentem fecit *Omnes homines P.C. qui de rebus dubijs conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet; haud facilè animus verum præuidet, vbi iſta officiunt.* Sed accuratiſſimè omnium vſus eſt hoc ſimili Lucretius libro 4. cum enim 100
doceret ſcientiam ſeu veritatem a ſenſibus eſſe petendam, monebat illud interim cauendum ne ſenſus ſint perturbati, alioquin nobis accideret atque ædificatori qui praua regula, fallaci norma, deniq; libella in qua hilum claudicet, vteretur. vt enim huic fabrica tortuoſa, ac ſummatim mendoſum ſuccederet opus, ita nobis præpoſtera rerum cognitio. Sed præſtat Lucretium ipſum audire, qui ſic canit.

Denique vt in fabrica, ſi praua eſt regula prima,
Nórmaque ſi fallax, rectis regionibus exit:
Et libella, aliqua ſi ex parti claudicat hilum,
Omnia mendoſè fieri atque obſtipa neceſſum eſt.

Ita Lucretius, qui ſanè etſi videri poſſit obſoletis quibuſdam vti verbis, rem ſanè accuratiſſimè (vt dicebam) & appoſitiſſimè explicat. Etenim ſi Vitruuio credimus, ædificator triplici indiget inſtrumento, quo parietis domúſque totius adamuſſim regat fabricationem: nimirum linea, qua parietis exigitur rectitudo: perpendiculum, vnde examinatur altitudo: norma, cui reſpondere debeat angulus. Sic fermè Vitru- *lib. 7.*
uius. cuius doctrinam pauciſſimis verbis complexus erat M. Tullius in 2. libro Academicarum quæſtionum, vbi, *ſi id crederemus* (inquit) *non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis*, ob id igitur Lucretius primo loco regulæ mentionem facit hoc eſt
lineæ (opificum non mathematicorum loquar more) rectæ, æqualis, & longæ: quam 101
ideo primam appellat, quia in ædificatione longitudinem primùm dimetiri contingit cui linea ſeu regula (hanc Græci κανόνα vocant) adhibetur: commemorat ſecundo loco normam quæ ex duabus lineis conflatur, minimè æqualibus, ſed quæ tamen rectum efficiant angulum: γνώμονα Græci vocant; & ad hanc anguli vt reſpondeant, exiguntur. ac de vtroque huiuſmodi inſtrumento illud canit, fabricam, ſi regula ſit praua aut norma fallax, rectis regionibus exire, hoc eſt obliquam fieri & tortuoſam. Libellam verò commemorat tertio loco, quæ cõſtat duabus lineis, ſeu regulis æqualibus ita iunctis vt hinc extrema rectum efficiant angulum, illinc plurimum (quantum ſcilicet oppoſita recti anguli conſtitutio patitur) inter ſe diſtent, & his adhibetur plumbea ac turbinata maſſa (reſpondet hæc cylindro ac perpendiculo: atque hinc eſt vt pro libella aliqui perpendiculum aut etiam cylindrum proferant) quæ è filo pendens a ſummo angulo mediam diſtinguit libellam: & ob id ait fore vt ſi hilum (eſt hoc
exiguum quoddam veluti punctũ in imo turbine infixum) aliqua ex parte (parti pro 102
parte vſurpat metri cauſa) claudicet, nec eſſe ſit omnia fieri mendoſa, atque obſtipa, quod eſt inclinata & obliqua. Sic M. Tullius in Arato inclinatum caput vocat obſtipum, & Perſicus Satyra 3.

Obſtipo capite, & figentes lumine terram.

canit de Solonibus loquens.

Sed ad Ariſtotelem redeo, qui ſanè vbi pulcherrimo huiuſmodi ſimili ſuam ſententiam confirmaſſet, ſic pergebat.

PARTICVLA VI.

Ἔτι δὲ φανερὸν ὅτι τοῦ μὲν ἀμφισβητοῦντος, οὐδέν ἐστιν ἔξω τοῦ δεῖξαι τὸ πρᾶγμα ὅτι ἐστὶν ἢ οὐκ ἐστίν, ἢ γέγονεν ἢ οὐ γέγονεν. εἰ δὲ μέγα ἢ μικρὸν, ἢ δίκαιον ἢ ἄδικον, ὅσα μὴ ὀνομοθέτης διώρικεν, αὐτὸν δή πυτὸν δικαστὴν δεῖ γινώσκειν, καὶ οὐ μανθάνειν παρὰ τῶν ἀμφισβητούντων.

PRæterea verò apparet, eius, qui controuerſatur, nihil eſſe, niſi vt demonſtret *Riccobonus.*
rem eſſe, vel non eſſe, vel factam, vel non factam eſſe. At verò, vtrum magna, an parua ſit, vtrum iuſta, an iniuſta, quæcunque legislator non diſtinxit, ipſum nempe iudicẽ oportere cognoſcere, & nõ diſcere a controuerſantibus.

Præ-

Maioragius. *PRaterea non dubium eſt, eius, qui controuerſiam habet, nullas alias eſſe partes, quàm docere, rem aut eſſe, aut non eſſe, aut factam aut non factam fuiſſe. Vtrum autem magna ſit an parua, iuſta an iniuſta, ſi lator legis non definiuit, ipſum per ſe iudicem intelligere oportet, non autem ab actoribus diſcere.*

Com. V I. 103 HAec eſt ſecunda ratio atque ea partim ex Oratoris, partim ex Iudicis, partim ex Legiſlatoris munere officióque deſumpta. Nam cum tria præcipuè ſint in iudicijs, Lex, Iudex, Orator, legis eſt ſancire quod iuſtum ſit aut iniuſtum, ac ſummatim quàm fieri poteſt maximè, quid agendum fugiendúmue præcipuè. Oratoris quid in ea cauſa quam agit factum aut non factum ſit: ac rem eſſe aut non eſſe, argumentis docere: vt ſcilicet Iudex de toto cauſæ ſtatu edoctus, iudicium ſcienter ac iuſtè ferat. iudicis demum qui eſt veluti loquens lex aut legis adminiſter, atque idcirco ſedet vt ſecundùm legem iudicet, perſpicere quid factum ſit iuſtè aut iniuſtè, ſiue ex lege aut contra legem: atque ex legis præſcripto ſententiam ferre. Quæ cum ita ſint, profectò, inquit Ariſtoteles, non debet Iudex ab Oratore ac litigantibus diſcere an aliquid ſit iuſtum vel iniuſtum: magnum aut paruum; ſeu doceri ab iſtis de magnitudine aut æquitate rei, ſed ex lege id diſcere, aut certè ſi lex, quod non rarò accidit, illud non ſit complexa, Legiſlatórque haud quaquam præuidit, debet Iudex quid iuſtum aut iniuſtum, per ſe conquirere & conſtituere. Vt proinde (id autem colligit Ariſtoteles in particula 8. ſi quidem interim in 7. ſuam interponit ſententiam de legiſlatoris legiſque officio) iſti Rhetoricæ artis ſcriptores, qui toti ſunt in proœmijs, ac ſummatim quicquid præcipiunt, auditoris afficiendi cauſa præcipiunt, ea perſequantur quæ ſint extra rem, cum rationes prætermittant, quibus vnis demonſtratur rem eſſe, vel non

104 eſſe: ſiue factam aut non factam eſſe. Quod ſi hoc tempore Iudex ab Oratore aut Iuriſconſulto non ſolùm diſcere ſolet quid factum aut non factum, verùm etiam quid iuſtum aut iniuſtum (conantur enim illi demonſtrare quid de iure ſit in ea re ſtatuendum, ac legum decretis Iuriſque conſultorum ſententijs certant vt iudicem doceant qualem planè ſententiam ferre debeant) iam nemo eſt qui nō intelligat hinc ſegnem ac minùs cautum & idoneum reddi iudicem: dum enim ex aduerſarijs in ſuam quiſque ſententiam & leges & Iuriſconſultorum reſponſa vſurpat pro libidine, fit ſanè vt Iudex interdum minùs accuratus ſit in legum ſtudio & iuris conquiſitione. cum ſe ab aduerſarijs de iure doceri expectet: interdum decipiatur ab illis qui leges non tam explicant quàm per vim ſeu fraudem in ſuam ſententiam trahunt. Vt propterea licet interdum Iudex poſſit diſſidentibus Iuriſconſultorū reſponſis iuuari, niſi tamen cautus ſit ac doctus, plerunque fallatur ac decipiatur. quòd illi pro iure verbis, re ipſa pro clientulo & ſcribant & dicant. Niſi tamen dicere malis eos pro pecunia ſcribere. cum enim aliqui cōtrarias ſententias non rarò foueant, ac dummodo corradant pecunias ad omnia parati, vno verbo venales ſint, non tam de iure quàm pro pecunia reſpondent. Tametſi non eſt quod dubitemus aliquos etiam offendi inter Iureconſultos

105 qui ob integritatem cum Areopagitis conferri poſſint, atque Iuonem (hoc eſt ſummum Iuriſconſultum qui ſe totum ſuáque omnia in pauperum tutelam effunderet) imitari. Sed de hac re plura fortaſſe poſt. nunc ad Ariſtotelem.

PARTICVLA VII.

MΆλιςα μὲν οὖν προσήκει τοὺς ὀρθῶς κειμένους νόμους, ὅσα ἐνδέχεται πάντα διορίζειν αὐτοὺς, ϗ ὅτι ἐλάχιςα καταλείπειν ἐπὶ τοῖς κρίνουσι. πρῶτον μετὰ, ὅτι ἕνα λαβεῖν καὶ ὀλίγους ῥᾷον, ἢ πολλοὺς εὖ φρονοῦντας, καὶ δυναμένους νομοθετεῖν καὶ δικάζειν. ἔπειθ᾽ αἱ μετὰ νομοθεσίας ἐκ πολλοῦ χρόνου σκεψαμένων γίνονται, αἱ δὲ κρίσεις, ἐξ ὑπογύου. ὥςε χαλεπὸν ἀποδιδόναι τὸ δίκαιον καὶ τὸ συμφέρον καλῶς κρίνοντας. τὸ δὲ πάντων μέγιςον, ὅτι ἡ μὲν τοῦ νομοθέτου κρίσις οὐ κατὰ μέρος, οὔτε ἐπὶ τῶν παρόντων, ἀλλὰ ἐπὶ μελλόντων τε καὶ καθόλου ἐςίν. ὁ δ᾽ ἐκκλησιαςὴς. δὲ δικαςὴς ἤδη, ἐπὶ παρόντων δὲ ἀφωρισμένων κρίνουσι. πρὸς οὓς ϗ τὸ φιλεῖν ἤδη δὲ τὸ μισεῖν, δὲ τὸ ἴδιον συμφέρον συνήρτηται πολλάκις ὥςε μηκέτι δύνασθαι θεωρεῖν ἱκανῶς τὸ ἀληθὲς ἀλλ᾽ ἐπισκοτεῖν τῇ κρίσει τὸ ἴδιον ἡδὺ ἢ λυπηρόν.

Maximè

Eoſdem affectuũ perturbatores inſectatur.

Riccobonus.

MAximè igitur conuenit rectè latas leges, quæcunque poſſunt omnia ipſas
diſtinguere, & quàm pauciſſima relinquere in ijs qui iudicant. Primum, 106
quia facilius eſt vnum habere, & paucos, quàm multos, qui benè exiſtiment; &
poſſint legem ferre, ac ius conformare. Deinde, legum lationes ex longi tempo-
ris conſiderationibus fiunt: at iudicia de repentè. vt difficulter rectam habeant
iuſtitiæ, & vtilitatis rationem illi qui iudicant. Atque quod omnium & maxi-
mum, quia legislatoris iudicium non eſt de rebus ſingularibus nec de præſenti-
bus, ſed de futuris, & de vniuerſalibus. at concio, & iudex de præſentibus ac de-
finitis iudicant, quibúscum & amor; & odium, & propria vtilitas coniuncta ſæ-
penumero eſt. vt non ampliùs poſſint perſpicere ſatis id quod verum eſt, ſed ob-
ſcuret iudicium propria iucunditas, vel moleſtia.

Maioragius.

*MAximè verò expedit benè inſtitutas leges omnia quæcunque poſſunt comple-
cti ac definire, minimamque partem ipſis iudicibus relinquere: primò, quia
longè facilius eſt, vnum aut paucos inuenire, quàm multos, qui benè ſentiant & le-
ges ferre ac verè iudicare poſſint: deinde quia legum lationes longo tempore dili-
gentique conſideratione fiunt, indicia verò plerunque ſubita atque repentina ſunt,
vt difficile ſit ipſos diſceptatores æquitatem atque vtilitatem rectè proſpicere ac
tueri. illud verò maximum omnium, quod legislationis iudicium non de ſingulis
neque de præſentibus rebus eſt ſed de futuris, & de vniuerſo genere. ſententia ve-
rò moderator & iudex de præſentibus iam & definitis rebus diſceptãt ac ſtatuunt,* 107
*qui ſæpe numero vel amore vel odio, vel vtilitate propria mouentur, ita, vt nullo
pacto ampliùs veritatem intelligere ac videre ſatis queant: cum propria voluptas
aut moleſtia vero iudicio tenebras effundat.*

Cō. VII.

Quam modo aduerſus affectuum perturbatores inſtituerat rationē, abſoluit.

IN propoſita ratiocinatione quam oſtendimus tripartito illo munere
contineri, non obſcurè indicauerat Ariſtoteles quod eſſet Oratoris
munus, quæque Iudicis partes, quale autem eſſet legislatoris officiũ,
quod erat ratiocinationis caput, vix obſcurè indicatat, cum iudicem di-
ceret niſi ea quæ lex non enodauit, non debere pet ſe definire. hic igi-
tur antequam efficiat & cogat iſtos extra rem dicere, diſputat de legiſ-
latoris benéque inſtitutæ legis officio, quod eſt inquit, vt quamplurima conſtituat at-
que definiat ipſa: pauciſſima verò relinquat iudicis arbitrio definienda. id quod ſua-
det tribus argumentis. Primum eſt, quia controuerſias dirimere ſapientis viri eſt at-
que prudentis. quare cum longè facilius ſit vnum aliquem aut paucos ſapientes re-
perire quàm multos; facilius quoque erit vnum aliquem aut paucos reperire qui re-
ctè controuerſias dirimant, quàm multos. cum igitur Legislator vnus eſſe ſoleat aut
perpauci; iudices multi plerunq; ac varij; omnino efficitur longè facilius eſſe a legisla-
tore & lege ſapiẽtet cõtrouerſias dirimi ac ius æquúmque oſtendi quàm a Iudicibus. 108
Alterum eſt quia iudicia plerunque repentina ſunt ac ſubito fiunt: leges non de re-
pentè fieri ſolent; ſed longa diligentíque meditatione adhibita. nam ideo apud Athe-
nienſes recitabatur primùm lex a legislatore; deinde celeberrimo in loco exponeba-
tur omnibus, vt ab omnibus quaſi ventillari poſſet: tum poſt aliquot dies audiebantur
ſi qui ad eam improbandam accederent: atque ita demum nomothetis tradebatur,
quorum erat eam vel abrogare vel ferre & confirmare. quem fermè morem deinde
ſecuti ſunt Romani: apud quos ter, diſtinctis interuallis, tribus ſcilicet nundinis, pro- *Macr. li. 1. c. 16.*
mulgabátur per præconem: ac ſi populo tandem probaretur, incidebatur in ære & in
Capitolio collocabatur. quamobrem cum facilius ſit poſt longã accuratámque ani-
maduerſionem, quàm ſubito aut breui interpoſito tempore rectè controuerſias diri-
mere, quídque iuſtum æquúmque ſit definire; efficitur etiam vt id longè cõmodiùs
atque perfectiùs a legislatore ac legibus præſtari poſſit quàm a diſceptatoribus atque
iudicibus.

Poſtre-

Poſtremum, quod omnium grauiſſimum reputat Ariſtoteles; quia Legiſlator non de certa aliqua re decernit, vt iudex: ſed de omnibus quæ ſub ea lege cadere poſſunt: & ideò a Papiniano deinde lex dicta eſt commune præceptum. neque rurſus de rebus præſentibus, vt iudex ipſe: ſed de futuris: prohibere enim, concedere, & iubere,
109 quæ ſunt legis munus, ſpectant conſequens tempus: quo fit vt lex ſit ἀπαθὴς, omniſque affectionis expers: iudex verò facilè amore, aut odio moueri poſſit, aut propriæ vtilitatis ſpe duci, quæ animum perturbant, tenebráſque effundunt iudicio. Hæc ſunt argumenta quibus efficit Ariſtoteles bonas leges illud ſpectare vel maximè vt complectantur plurima: Iudicibus conſtituenda relinquunt pauciſſima. Hic autem non ab re obſerues ea facilè de cauſa Ariſtotelem paulò ante ſic deſcripſiſſe & concluſiſſe Iudicis munus, vt diceret Iudicis eſſe quæcunque legiſlator non diſtinxit, per ſe ipſum cognoſcere ac definire, quemadmodum teſtatur Pollux, quia apud Athenienſes erat in more poſitum, vt Iudex cum primùm deligeretur, iuraret ſe ea, de quibus leges ſtatuerent ex legis præſcripto iudicaturum: de quibus verò non extarent leges, ex æquo & bono ſententiam laturum eſſe: ex quo fiebat vt de quibus lex definiret, hæc non poſſet Iudex aliter conſtituere & iudicare. Et idcirco legimus conſueuiſſe Periclem cum cauſas ageret, ſæpè Iudicibus in memoriam reuocare, eos non ideo ſedere vt pro arbitratu ſententiam ferrent ſed ſecundum legem: id quod Socratem quoque feciſſe aliquando legimus apud Platonem. Quam pauciſſima tamen cenſet Ariſtoteles iudici definienda relinqui oportere, ac propterea legiſlatori faciendum vt quam pauciſſima prætereat. Etſi enim Iudex ei ſe iureiurando obſtringebat, ſe γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ, ſiue ἀρίστῃ ſententiam laturum, non rarò tamen vel propter ignorationem, vel largitione corruptus, vel quia alicui ex litigatoribus infenſus eſſet, aut amicis cuperet gratificari, æquitatis ac iuſtitiæ egrediebatur fines. Et hac de cauſa noſter Author optat, ac rurſus optabit (id quod iam iam intelligere licebit in inſequenti Particula) vt legiſlator quam pauciſſima diſceptatori ac Iudici relinquat definienda. Etſi enim controuerſiæ vix vnquam omni ex parte cum ijs planè conſentiunt, quas fingit lex, aut figurat in tempus, ac propterea Iudex optandus eſt, qui iudicium interponat ſuum vt legiſlatoris mens cohærenter ad præſentem controuerſiam traducatur, verumtamen ſæpè fit vt Iudex affectioni indulgeat ac genio. Ita cogitur Ariſtoteles ſemel atque iterum legiſlatorem oculatiſſimum requirere, quíque ægrè quicquam Iudicis committat fidei.

PARTICVLA VIII.

Περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ὥσπερ λέγομεν, δεῖ ὡς ἐλαχίστων ποιεῖν κύριον τὸν κριτήν. περὶ δὲ τοῦ γεγονέναι ἢ μὴ γεγονέναι, ἢ ἔσεσθαι, ἢ μὴ ἔσεσθαι, ἢ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι, ἀνάγκη ἐπὶ τοῖς κριταῖς καταλείπειν. οὐ γὰρ δυνατὸν ταῦτα τὸν νομοθέτην προϊδεῖν. εἰ δὴ ταῦθ' οὕτως ἔχει, φανερόν, ὅτι τὰ ἔξω τοῦ πράγματος τεχνολογοῦσιν, ὅσοι τἄλλα διορίζουσιν. οἷον τί δεῖ τὸ προοίμιον ἢ τὴν διήγησιν ἔχειν, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον μορίων. οὐδὲν γὰρ ἐν αὐτοῖς ἄλλο πραγματεύονται, πλὴν ὅπως τὸν κριτήν, ποιόν τινα ποιήσωσι. περὶ δὲ τῶν ἐντέχνων πίστεων, οὐδὲν δεικνύουσι. τοῦτο δ' ἐστιν, ὅθεν ἄν τις γένοιτο ἐνθυμηματικός.

Riccobonus. AC de alijs quidem, quemadmodum dicebamus, oportet quam pauciſſimis
110 efficere dominum diſceptatorem. Verùm de re facta aut non facta, futura, aut non futura, quæ eſt, aut non eſt, omnino diſceptatoribus relinquendum eſt iudicium: non enim fieri poteſt vt hæc legiſlator prouideat. Iam ſi hæc ita ſe habent, apparet, ea quæ ſunt extra rem illos præcipere, quicunque in alijs rebus verſantur, vt quid oporteat proœmium aut narrationem habere, & aliarum
111 vnamquamque particularium. Nihil enim in ipſis aliud tradunt, niſi quomodo diſceptatorem cuiuſdam modi efficiant. De artificioſa verò fide nihil demonſtrant, hoc eſt, vnde aliquis fieri enthymematicus poſſit.

IN cæteris igitur rebus, vt antea dixi, quam minimis Iudicem ipſum dominum conſtituere oportet: verum utrum facta res ſit, an non facta, futura, an non futura ſit, nec ne ſit, iudicibus ipſis omnino ſtatuendum relinquere neceſſe eſt: neque enim ullo modo fieri poteſt ut hæc legislator prauideat. Quæ cum ita ſe habeant, perſpicuum eſt, eos ad artem ea reducere, quæ ſunt extra propoſitam materiam, quicunque res alias explicant, ut quid proœmium, quid narrationem habere oporteat, & quid una quæque aliarum partium: nihil enim aliud ſibi proponunt quàm ut Iudicem aliquo modo afficiant: de artificioſis uerò probationibus ne uerbum quidem faciunt, unde argumentorum copiam ſibi quis comparare poſſit.

Rationem propoſitam ex dictis colligit uniuerſam.

QVoniam in Particula ſexta expoſuit quod ſit munus tum Oratoris, tum Iudicis: in ſeptima verò declarauit, atque vberiùs declarauit, quòd ſit officium legislatoris, ſiue benè inſtitutarum legum: nunc in VIII. vt tandem concludat quod inſtituerat, paucis repetit (atque ideo etiã ea verba interponit ὥσπερ λέγομεν, quemadmodum dicebam) & in VIII. colligit quæ in ſecunda hac ratiocinatione dicebat de legislatoris iudicíſque tum officio, tum diſcrimine: móxque argumentationis complexionem inducit, monens perſpicuum eſſe Rhetores illos extra rem locutos eſſe, qui enthymematis argumentíſque relictis quæ ſunt artis propria, ea reuocaſſent ad artem quæ ab illa ſunt aliena; ídque docentes quid proœmium habere debeat, quid narratio, quid denique vnaquæque aliarum partium orationis vt iudicem afficiant atque perturbent. Qua in re, ego quidem, quoniam nos copioſam Diſputationem illam publicis literis conſignauimus, in qua quæſiuimus Num Oratori liceat in iudicijs & concionibus affectus concitare, ac Iudicum & Auditorum animos permiſcere, non ero longior: ſed Lectorem ad eam diſputationem, quam fortaſſe haud pœnitear euoluiſſe; reijcio. CōVIII. 111

CONTROVERSIA XVI. Num ſecũ ipſe pugnet Ariſtoteles in Iudicis & Oratoris muneribus deſcribẽdis & eſt tripartita. Explicatur I. Pars.

Nunc ad præſentem particulam redeo, in qua lubet illud in Controuerſiam reuocare. Qui non interim ſemel, iterum ac tertiò ſecum ipſe pugnet Ariſtoteles. Nam (vt de prima illius repugnantia primo loco dicam) cur obſecro in particula VI. dixit Oratoris eſſe & litigatoris oſtendere rem eſſe vel non eſſe, aut factam vel non factam: in hac autem ait vtrum factum ſit aliquid an non factum iudicibus perſpiciendum eſſe? An non iſthæc mutuò inter ſe pugnant? nónne ex vno eodémque fonte & calidam & frigidam haurit Ariſtoteles? Minimè verò. nam quemadmodum a lege diſcit iudex quid ſit iuſtum aut iniuſtum: ita ab Oratore quid ſit factum vel non factum, quo fit vt tũ Oratoris ſit, iudicem quid factũ vel nõ factũ ſit docere (& hoc ſibi voluit Ariſteteles particula VI.) tum contra iudicis, quid factum vel non factũ ſit ab Oratore ipſo perdiſcere, & ex illius oratione quæ teſtibus, ſcriptis, optimis denique argumentis conſtet, perſpicere. & hoc eſt quod rurſus ſcribit in hac particula. pertinet itaque illud & ad Oratorem & ad iudicem: ad Oratorem, vt de illo iudicem doceat; ad iudicem, vt illud ab Oratore doceatur. quæ duo inter ſe non modò non pugnant ſed cohærent egregiè. Atque hinc appoſitè (vt ſæpè ſolet) admonebat hoc in loco Maioragius Iudicem in medio legis & litigatorum eſſe poſitum, atque ab vtriſque aliquid diſcere debere. a lege quæ ſiue iuſta ſunt aut iniuſta, ſiue magna aut parua. a litigatoribus quæ facta ſunt aut non facta, quæ futura aut non futura. hæc enim quæ ex certis perſonis, locis, temporibus pendent, non poſſunt lege præuideri ac comprehendi: ſed ab aduerſarijs partibus afferenda ac docenda ſunt, vt propterea illa domo cognita afferre debeat iudex: hæc ab Oratoribus ac litigatoribus diſcere. Tametſi quoniam vix fieri poteſt, vt legislator ea quoque præuideat ac lege concludat omnia, quibus quid iuſtum aut iniuſtum ſit doceamur; debet etiam iudex in ijs quæ prætermiſſa a legislatore fuerint quid iuſtum iniuſtúmue ſit per ſe ipſum diſcernere ac conſtituere. 112

At enim duo adhuc Decretum iſtud perturbant. vnum quidem quia dictum eſt in particula VI. ab Oratore docendum eſſe iudicem aliquid tum eſſe, aut non eſſe: tum factum aut non factum: hic verò addit tertium, nimirum cognoſcendum quoque eſſe an aliquid ſit futurum, aut non futurum, alterum verò quia oſtendendum potiùs fuiſſet Ariſtoteli quàm fidenter ne dicam temerè ſumendum 113

Oratoris

Oratoris nullo modo eſſe docere rem iuſtam aut iniuſtam, ſeu magnam aut par-
uam eſſe. ſiquidem vix intelligi poteſt quo pacto his prætermiſſis poſſit Orator in-
nocentem verbi gratia tueri aut quatenus aliquis iuſtè vel iniuſtè plecti aut abſolui
poſſit, demonſtrare. Certè optimorum Oratorum monumenta, ac iuriſconſulto-
rum vſus (de bonis loquor & integerrimis, non de venalibus, quales reprehendebas
paulò ante) ſatis ſuperque declarat ſæpiſſimè litigatores non tam de facti ſtatu di-
ſceptare, & an aliquid factum ſit vel non factum, magnum aut paruum, quàm
quid iura ſiue diuina ſiue humana, ſiue publica ſiue priuata, ea de re decernant,
demonſtrare. Ita vt ſæpè iudici nihil deinde aliud ſuperſit quàm controuerſiam di-
rimere, & cauſam huic vel illi adiudicare. Quo etiam fieret vt dum illa attingit Ora-
tor, non extra rem diceret, ſed optimè ſuo muneri ſatisfaceret. Imò verò ſic ſatiſ-
3. de Orat paulò ante m. p. 211. v. 10. faceret, vt Marcus Tullius libro III. de Oratore affirmet, ſummam Oratoris at-
que eloquentiæ laudem, eámque propriam, in eo eſſe poſitam, vt res dicendo am-
plificetur aut extenuetur. & in Bruto, *Oratoris*, inquit, *maximè proprium eſt rem augere
poſſe laudando, vituperando rurſus affligere.* & in partitionibus ideo philoſophiæ diſcipli-
narúmque cognitionem in eo requirit, vt de bonis & malis, iuſtis & iniuſtis dicere
114 *in fin.* poſſit: eodémque nomine in Oratore ad Brutum & ius ciuile ab Oratore cognoſci
iubet: & eas orationes mirificè laudat in quibus a proprijs perſonis & temporibus
auocantur controuerſiæ: ac de genere ipſo, hoc eſt de rebus iuſtis & iniuſtis, honeſtis
ac turpibus diſputatur. Quam ſententiam Quintilianus & reliqui Rhetores vltrò
amplectuntur omnes. Vt propterea (quod paulò ante dicebam) non pro arbitra- *Explicatur.*
tu illud ſumendum eſſet Ariſtoteli, ſed potiùs ne inauditum hoc παράδοξον que decre- *II.*
tum huc temerè intrudere videtur, rationibus confirmandum. Hæc rurſus contra
hanc particulam. Mihi verò (vt ad priorem dubitationem reſpondeam) eodem ac
potiori iure quæri poſſe videtur an idcirco ſuſtulerit Ariſtoteles ſecundum ac ter-
tium cauſarum ſtatum. nam dum ait Oratoris eſſe docere quid factum aut non fa-
ctum, & cætera quæ in VI. & VIII. iſta particula Oratori demonſtranda propo-
nebat; hæc ſanè ad illum controuerſiæ ſtatum pertinent quem coniecturalem appel-
lant. quocirca tum ſecundus in quo quæritur quid ſit aliquid, ac nominis ſiue defi-
nitionis nuncupatur; tum tertius in quo quæritur quale ſit factum (qualitatis vo-
115 cat Quintilianus) omnino fuiſſent ab Oratore reiecti, quin eodem iure dubita-
ri poſſet, quin eam quoque coniecturalis ſtatus partem Oratori ademiſſet in qua
quæritur quid fieri poſſit aut non poſſit. Nam Cicero in Topicis non bipartitum
aut tripartitum facit coniecturalem ſtatum, vt his in locis videtur feciſſe Ariſtote-
les: ſed quadripartitum. dum enim ſcribit, *Sed hic locus magis ad coniecturales cauſas
quæ verſantur in iudicijs valet. cum quæritur quid aut ſit aut euenerit aut futurum ſit, aut
quid omnino fieri poſſit*; poſtremum hoc quaſi membrum tribus illis adiungitur ab
Ariſtotele conſtitutis. Quanquam cum non ſit hic agendi locus de cauſarum ſtati-
bus, aut de partibus ſtatus coniecturalis; haécque ab Ariſtotele obiter attingantur
in præſentia ac per tranſennam; nihil eſt quod tam alieno in loco, tam ingentes eiuſ-
modi querelas ac multiplicem hanc controuerſiam excitemus. cum præſertim &
tria illa Ariſtoteleæ diuiſionis membra ad Tulliana illa quatuor reuocari poſſint, &
(quod dubitationem omni ex parte diluit) Ariſtoteles ea tantùm enumerat hoc
loco Oratoris munera, quia aduerſus eos diſputet, qui (vt paulò poſt videbimus)
ad vnum Iudiciale genus artis præcepta reuocaſſent: verè enim (vt ex recita-
to Marci Tullij conſtat loco) eæ ſunt partes coniecturalis ſtatus, qui cum iudicijs
coniunctus eſt.
116 Difficilior eſt poſterior dubitatio: cui tamen (ſi in tam ingenti diſſenſione & con- *Explicatur.*
trouerſia iudicium mihi interponere liceret) ipſe ſatisfacerem diſtinctione qua- *III.*
dam adhibita. Nam vel Iudex perfectus fingitur ac ſumma quadam doctrina &
prudentia præditus: vel mediocris (vt ſæpè accidit) atque parabilis. ſi priùs: pro-
fectò nullo pacto ferendum eſſet vt Orator & litigator, quem propria vtilitas tranſ-
uerſum facilè agit ad ius iniquè & pro libidine interpretandum, de facti magnitu-
dine ac paruitate, iniuſtitia aut æquitate verba faceret: Longè enim præſtaret vt
hæc iudex per ſe ipſum cognita haberet & explorata, & hoc pacto egregiè decre-
uiſſet Ariſtoteles: Rhetores verò illi ab re locuti eſſent. Siquidem eorum tempo-

rum vſum ſpectaſſent potiùs & vſui præcepta accommodaſſent, quàm germanum Oratoris, legis, iudicis officium expendiſſent & conſeruare ſtatuiſſent. ſi poſterius, profectò è re eſſet vt Oratores ac litigatores ſiue Iuriſconſulti conarentur tam iuris diſpoſitionem, quam aliqui appellant, atque ſententiam, Iudici ob oculos ponere; ne ille per ignorationem laberetur: ſed quæ hinc inde ex iure ciuili aut aliunde afferuntur diligenter perpenderet, antequam ſententiam ferret: id quo Iudicis quoque fraudi ac maleuolentiæ, ſi quæ in illo eſſet, vtrunque obſiſti ſolet: nam vbi quid iuſtum ſit aut iniuſtum apertis legum ſanctionibus ab Oratore demonſtratur, aut iureconſultorum opinionibus euincitur, profectò iudex, niſi omnes verecundiæ fines tranſierit, atque imprudentiſſimus haberi velit, iuri obtemperet neceſſe eſt. Atque ad hoc ſanè remedium confugit Lyſias in oratione contra Alcibiadem: 117
qui cauſæ æquitate ac ſtatu exaggerato, ad extremum (vt Ariſtoteles ipſe teſtatur) iudicibus grauiſſimis verbis in memoriam reuocauit, eos in iudicium veniſſe non vt nouas leges ferrent, ſed vt ſecundùm latas iudicarent. Id quod Socrates quoque fecit in Apologia apud Platonem: vbi Non ea de cauſa (inquit ille) ſedetis iudices vt quicquam gratiæ tribuaris: ſed vt ſecundùm leges iudicetis: id enim eſt quod iureiurando interpoſito promiſiſtis. Hæc iudicibus Socrates. Tametſi interim lege etiam atque grauiſſimis pœnis cauendum eſſet ac prouidendum, ne malus Iuriſconſultus aut Orator, niſi ſuo malo Iudicem de iuris vi ac diſpoſitione admoneret doceretque fraudulenter: vbi enim fraudis conuictus aut falſitatis, grauiter plecteretur, ſanè in poſterum caueret ne hanc ſibi videret fabam, ac ſuis ſibi vigilijs infamiam detrimentúmque crearet ac pareret.

poſt med. p. 325. col. 1. m.

PARTICVLA IX.

Διὰ γὰρ τοῦτο τῆς αὐτῆς οὔσης μεθόδου περὶ τὰ δημηγορικὰ καὶ δικανικά, καὶ καλλίονος καὶ πολιτικωτέρας τῆς δημηγορικῆς πραγματείας οὔσης, ἢ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα, περὶ μὲν ἐκείνης οὐδὲν λέγουσι, περὶ δὲ τοῦ δικάζεσθαι, πάντες πειρῶνται τεχνολογεῖν.

Riccobonus. HAc enim de cauſa cum eadem ſit via, & ratio in deliberatiuis, & iudicialibus, ſitque pulchrior, ac ciuilior deliberationis traditio, quàm ea, quæ de contractibus eſt, de illa quidem nihil dicunt: at de litigando omnes conantur præcepta tradere.

Maioragius. *ATque hac de cauſa cum eâdem via atque ratione deliberationes & iudicia tractentur: ſitque deliberationis tractatio ſpecioſior & ciuitatibus vtilior, quàm conuentorum & iudiciorum: de illa quidem nihil dicunt, de iudicijs autem omnes artem conſcribere aggrediuntur.*

Noua ratio affertur aduerſus Rhetores qui iudices perturbarent.

EXaggerat altiùs Rhetorum iſtorum factum, qui toti in afficiendis iudicibus occuparentur: ſimúlque tertiam quandam nobis rationem offert vnde appareat ab re longiùs vagari iſtos: vel certè ſummam eorum calliditatem atque adeò iniquitatem commemorat, vt maiorem illis conflet inuidiam. Ergo cum duo, inquit Ariſtoteles, ſint Rhetoricæ facultatis genera, deliberatiuum alterum ſiue concionale, alterum iudiciale: atque eâdem via & ratione tractetur vtrunque, ac ſummatim ad artem non minùs pertineat deliberatiuum quàm iudiciale; quin deliberatiuum hoc habeat, vt eius tractatio ſit pulchrior ac ciuitatibus vtilior; egregij tamen iſti Rhetores deliberatiuum genus taciti prætermittentes, ſéque omnes ad iudiciale conuertentes, de hoc vno, quaſi in eo tota Rhetorica facultas abſumeretur, artem atque præcepta tradiderunt. Sed eſto grauiter iſti peccarint, qui deliberatiuas cauſas contemnentes, vnas iudiciales ſecuti ſunt. at quî tandem iſtinc efficitur Rhetores iſtos

118 Com. IX.

Dubitatur I.

iſtos ab re vagari longiùs (huc enim ſpectat tota hæc diſputatio) cum adhuc in-
tra artis cancellos perſiſterent qui iudiciale genus tractarent? Id nimirum effici-
tur, quia ideò iudiciale genus (vt iam iam docebit Ariſtoteles) complexi ſunt
deliberatiuumque deſeruere quòd in hoc minùs pateat aditus ad afficiendos animos *Reſpondetur.*
119 ac minùs calliditatis ac fallaciæ capax ſit eorum dictio: contrà verò in Iudiciali affe-
ctibus ac fallaciæ aditus pateat ampliſſimus, ita vt eorum ſtudium, quoniam affectuũ
fallaciarúmque gratia iudiciale genus colerent, a propoſito Oratoris maximè ſit alie-
num. Vel certè ſi non huc ſpectat Ariſtoteles, eò ſine dubio pertinebit oratio, vt ſum-
mæ eorum calliditatis & iniquitatis commemoratione, vnde inuidia illis conflетur
maior claudatur inſtituta accuſatio. Hæc in hac particula: in qua cur demonſtratiui *Dubitatur II.*
generis mentionem faciat nullam: quaſi ad artem nihil pertineat (alioquin reprehen-
dendi fuiſſent iſti non ſolùm quòd Deliberatiuum genus ſed Demonſtratiuum
etiam neglexiſſet) & an verè nihil pertineat dicemus ſuo loco. Interim tamen ne vos *Reſpondetur.*
omnino ieiunos relinquam, illud moneo, Ariſtotelem hîc ex propria ſententia nullo
modo efficere potuiſſe duo genera cauſarum: quandoquidem paulò poſt in capite 3.
perſpicuè Demonſtratiuum recipit genus, illúdque ex ſuis cauſis atque initijs non ſe-
cus ac reliqua duo deriuat, dum docet cur tria planè ſint genera cauſarum; quin eiuſ-
dem generis partes, finem, tempus declarat perindeac cæterorum. in 9. verò capite
copioſè explicat ea, quibus pro dignitate in eodem genere verſari poſſit Orator, pro-
120 poſitionum ratiocinationúmque locos commonſtrans. Denique in 2. & 3. libro non
minùs Demonſtratiuo generi ſeruit Ariſtoteles quàm Deliberatiuo & Iudiciali. Ita-
que vel fortaſſe hîc per τὰ δημηγορικὰ ſeu δημηγορικὴν πραγματείαν intelligit concionem
(concio verò & Demonſtratiui & Deliberatiui generis eſſe poteſt) vel certè Delibera-
tiuum ſolum intelligit, ſed tamen non ille affirmat duo tantùm eſſe genera cauſarũ,
ſed eos reprehendit ſolùm quòd deliberatiuo prætermiſſo ad iudiciale ſeſe tranſtule-
rint toti. Neque verò erat quòd eos illo etiam nomine reprehenderet, quòd demon- *Dubitatur rurſus & reſpõdetur*
ſtratiuum quoque prætermiſiſſent: quandoquidem non tam facilè huius, quemad-
modum Deliberatiui, præſtantiam illis obijcere potuiſſet: & ideo ne quis pro illis re-
ſponderet Iudiciale eſſe longè maioris momenti quàm Demonſtratiuũ, quod pom-
pæ plerunque ſeruit & priuatæ laudi, maluit ſolius Deliberatiui mentionem facere
in quo minùs tergiuerſari licebat aduerſarijs: ſed de hac re (vt indicare cœperam) in-
fra in capite 9. copioſiùs: vbi etiam declarabitur cur iudiciale deliberatiuúmque ge-
nus eâdem ratione ac via tractari dicantur. Interim enim nobis ſatis eſſe poteſt vtrun-
que cum Reipublicæ vſu & bono eſſe coniunctum, vtrunque conſultationis & iudi-
cationis cauſa ſuſcipi, cum tàm is qui deliberat, quàm qui iudicat (quod tamen ægrè
in Demonſtratiuo agnoſcas) iudicium ferat; ita ut tempore variato, quo in iudicio de
præteritis, in deliberatione de futuris, ſtatuimus, methodus alioquin ſit ſimillima.
Denique iiſdem partibus, inuentione, inquã, diſpoſitione ac cæteris (notæ enim ſunt)
continentur. Ex quo ſatis efficitur atque oſtenditur quod fuerat inſtitutum, nimirũ
non fuiſſe committendum, vt iudiciale tractaretur, demonſtratiuum prætermittere-
tur. etſi enim propoſitis partibus gaudet Demonſtratiuum quoque genus, cætera ta- *Cur genus*
121 men quæ in Deliberatiuo & Iudiciali obſeruauimus, abſunt a Demonſtratiuo. Sed de *deliberatiuũ dicatur*
hac re copioſè in capite IX. dum in Particula CCXI. laudem & conſilia eiuſdem item *pulchrius*
methodi facit ſeu formæ. Iam verò cur pulchrior ciuilíque rationi accommodatior *& Reip. accommodatius.*
deliberatiua cenſeatur tractatio quàm iudicialis cauſa in promptu eſt: ſiquidem de-
liberatiuæ conciones ſunt fermè de pace & bello, de fœdere, de legibus, de religione,
déque huiuſmodi alijs quibus Reipublicæ adminiſtratio ac ſalus continetur vel ma-
ximè. At iudicia ad forum pertinent: vbi de emptione, venditione & locatione,
de pecunia͏̈rijs controuerſijs eiuſmodíque commercijs agitur, aut ad ſummum de
ſalute, ac capite priuati alicuius hominis non de totius Reipublicæ ſumma. Quare
quæ ad deliberationem pertinent maiorem tum dignitatem habent atque ſplendo-
rem (& ideo καλλίονα hoc eſt ſpecioſiora dicuntur ab Ariſtotele) tum è re ciuili ma-
gis ſunt & cum Reipublicæ bono coniuncta, & ideo ab eodem Ariſtotele πολιτικώτερα
appellantur. Iudicia verò, & ſi honeſta quidem ſunt ac ſæpè etiam neceſſaria, adde
etiam non rarò difficiliora, quàm quæ attinent ad deliberationem; veruntа-
men, vt minutis plerunque in rebus verſantur, quæque cum Reipublicæ vtilitate

minùs coniuncta ſunt, minùs ſplendoris habent ac dignitatis, & ideo Ariſtoteles hoc loco τὰ συναλλάγματα, contractus inquam quos Iuriſconſulti vocant & commercia, vulgares nimirum res & populares, tribuit iudicijs. Interim quantopere hac in re cũ Ariſtotele conſentiat M. Tullius atque adeo totam illius ſententiam dilucidet dum Deliberatiuum genus anteponit Iudiciali, egregiè obſeruauit Maioragius dum ſic
ſcriberet, *Quod autem ſpecioſius & ciuilius ſit deliberatiuum genus quàm iudiciale, declarat*
etiam M. Antonius in ſecundo de Oratore: Suadere (inquit) aliquid aut diſſuadere grauiſſimæ
mihi videtur eſſe perſonæ. nam & ſapientis eſt conſilium explicare ſuum de maximis rebus: & ho- 122
neſti & diſerti vt mente prouidere, authoritate probare, oratione perſuadere poſſit. & infra:
Concio capit omnem vim orationis & grauitatem varietatemque deſiderat. Ergo in ſuadendo ni-
hil eſt optabilius quàm dignitas. rurſus paulò poſt: *quia ſumma dignitas eſt populi grauiſſima cauſa Reip. maximi motus multitudinis: genus quoque dicendi grandius quoddam & illuſtrius eſſe adhibendum videtur.* Hæc iſte qui rurſus diligenter obſeruat Iudiciale etiam Ciceroni quoque viſum eſſe difficilius, dum ſic pergit. *Quamuis autem honeſtiores ſint atque vtiliores deliberationes, tamen putat idem M. Antonius eodem in libro iudicia multò difficiliùs tractari, ſic enim ait: omnium cæterarum rerum oratio, mihi crede, ludus eſt homini non hebeti neque inexercitato, neque communium litterarum & politioris humanitatis experti. in cauſarum contentionibus magnum eſt quoddam opus atque haud ſcio an de humanis operibus longè maximum, in quibus vis oratoris plerunque ab imperitis exitu & victoria iudicatur, vbi adeſt armatus aduerſarius, qui ſit & feriendus & refellendus.*

PARTICVLA X.

Ὅτι ἧττόν ἐστιν πρὸ ἔργου τὰ ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν, ἐν τοῖς δημηγορικοῖς,
καὶ ἧττόν ἐστι κακοῦργον ἡ δημηγορία δικολογίας, ἀλλὰ κοινότερον. ἐν ταῦτα
μὲν γὰρ ὁ κριτὴς ἐπ' οἰκείων κρίνει. ὥστ' οὐδὲν ἄλλο δεῖ πλὴν ἀποδεῖξαι, ὅτι οὕτως
ἔχει ὥς φησιν ὁ συμβουλεύων. ἐν δὲ τοῖς δικανικοῖς οὐχ ἱκανὸν τοῦτο. ἀλλὰ πρὸ ἔρ- 123
γου ἐστὶν ἀναβαλεῖν τὸν ἀκροατήν. περὶ ἀλλοτρίων γὰρ ἡ κρίσις. ὥστε πρὸς τὸ αὐ-
τῶν σκοπούμενοι, καὶ πρὸς χάριν ἀκροώμενοι, διδόασι τοῖς ἀμφισβητοῦσιν, ἀλλ'
οὐ κρίνουσι.

Riccobonus. QVia minùs prodeſt ea, quæ ſunt extra rem, dicere in deliberatiuis, ac minùs malitioſa eſt concio, quàm de iure diſceptatio, quia res communior ſit. Hic enim diſceptator de proprijs iudicat, vt nihil aliud opus ſit, niſi demonſtrate, rem ita ſe habere, vt ait is, qui conſulit. In iudicialibus verò id non ſat eſt: ſed operæ precium eſt atripere auditorem. De alienis enim iudicium eſt, vt dum ſe ipſos ſpectant, & ad gratiam audiunt, ſedent illis, qui controuerſantur, non autem iudicent.

Maioragius. *NAm in deliberatiuo genere longè minùs prodeſt ea quæ ſunt extra cauſam, dicere: minùſque calliditatis ac fallaciæ capax eſt ſententiæ dictio, quàm iudicium; ſed magis aperta eſt ac popularis: hic enim diſceptator ipſe de ſuis ac proprijs rebus iudicat, itaque nihil aliud opus eſt, quàm oſtendere, rem ita ſe habere quemadmodum is ait qui ſententiam dicit. In iudicijs verò nequaquam hoc ſatis eſt, ſed auditoris animum occupare permagni intereſt; quoniam de alienis rebus futurum eſt iudicium. itaque ſæpè iudices commodum ſuum ſpectantes & ad gratiam audientes, litigantibus gratificantur, non verè iudicant.*

Dixerat

Com. X.

Cur ſe Rhetores illi Iudiciali generi mancipârent.

DIxerat Rhetores illos Iudiciali genere ſeſe tradidiſſe totos: nunc aperit
cur id fecerint. Ergo ea, inquit, de cauſa ſeſe iudicijs deuouerunt illi,
quòd animaduerterent in deliberatiuo genere longè minùs valere ex-
tra cauſam dicere quàm in iudicijs: ac deliberationes ipſas, vt magis
apertæ ſunt, & in communi vſu poſitæ, minùs eſſe fallacijs peruias. ſed
124] cur obſecro minùs eſt fallaciæ locus in concionibus, quàm in iudicijs?
eam nimirum ob cauſam (ſubdit Ariſtoteles) quòd in deliberationibus auditor ac
diſceptator de proprijs rebus audit atque decernit, ac propterea diligenter cauet ne
ſibi ab Oratore imponatur. Quo etiam fit, vt in concionibus oratori, ſi perſuadere ve-
lit, illud vnum ſuperſit, vt oſtendat rem ita ſe habere vel non habere. Contra in iudi-
cijs: in quibus quoniam diſceptator ac iudex de alienis rebus iudicat, permagni inter-
eſt auditoris animum occupare: ita vt ſiue ad iram & ſeueritatem, ſiue ad miſericor-
diam & lenitatem concitatus, ſiue denique ſpe propriæ vtilitatis & commodi excita-
tus, alióue perturbationis genere commotus, Oratori aſſentiat, atque ad gratiam po-
tiùs quàm iuſtè ac verè iudicium ferat. Quanquam alia (dicat aliquis) facti huius vi- *Alia rurſus affertur cauſa*
deri poteſt cauſa. Qui enim in Iudiciali genere eſſent toti, ij in cauſis iudicialibus ver-
ſabantur paſſim, has enim cuique tractare licebat. at verò Reip. deliberationibus &
conſultationibus quæ in Senatu peraguntur, non facilè iis patebat aditus: nam Sena-
tus fermè eſt optimatum. Hac igitur de cauſa factum eſt vt quæ quotidie tractarent,
ea præceptis concluderent. Sed tamen ijs qui eloquentiæ Artem profiterentur, vel
de tripartita illa varietate præcipiendum erat ac ſtudio partes implendæ omnes, vel
125 munus, ſi impares erant vires, prætermittendum. quid eſt enim quod eloquentiam
ac perſuadendi artem profitearis, vbi tale tantúmque munus nequeas ſuſtinere? Ve- *Dubitatur*
rùm quid eſt quod ait Deliberationem de proprijs eſſe ac diſceptatorem de ſuis rebus
iudicare, cum paulò antè affirmauerit Deliberationes eſſe κοινοτέρας ſeu communio- *Reſpondetur.*
nes? Sed quæ conſultantur in Senatu propria dicuntur comparate, propter ea ſcilicet
quæ tractantur in iudicijs, hæc enim aliena planè ſunt nec cum iudicis re coniuncta,
Rurſus verò quæ conſultantur dicuntur communia, quia non vnius ex Senatoribus,
ſed omnium atque adeò reipublicæ vniuerſæ res agitur. Sic pax de qua interdum agi-
tur, dicitur communis, quia totius intereſt Reipublicæ: propria quia non de re aliena
vt in iudicijs, ſed de re quæ eorum damnum vtilitatémque continet, conſultatur.

PARTICVLA XI.

ΔΙὸ καὶ πολλαχοῦ, ὥσπερ καὶ πρότερον εἶπον, ὁ νόμος κωλύει λέγειν ἔξω τοῦ
πράγματος. ἐκεῖ δ᾽ αὐτοὶ οἱ κριταὶ τοῦτο τηροῦσιν ἱκανῶς.

Riccobonus.

ITaque multis in locis, vt etiam priùs dicebamus, lex prohibet extra rem dice-
re. Ibi autem ipſi diſceptatores hoc cuſtodiunt ſatis.

Maioragius.

126 *ATque hoc in cauſa eſt, vt multis in locis, ſicut antea dixi, lex prohibeat, ali-
quid extra cauſam dicere, quod in ſententijs ipſi diſceptatores, quorum de re
agitur, ſatis diligenter obſeruant.*

Co. XI.

Loci ſumma & vis.

QVoniam hactenus ſatis ſupérque oſtendit atque exaggerauit quàm
præpoſterè & abſurdè dicendi artē atque præcepta tradidiſſent Rhe-
tores eſti, vnum in præſentia ex dictis euincit atque cōfirmat adhuc,
quod paulò antè attigerat. nimirum has ob cauſas multis in locis le-
gem prohibere extra rem dicere: ibíque Iudices ipſos id obſeruare,
& cuſtodire diligenter. Sed vbinam id obſeruant aut qui iudices?
ſiue (vt loci huius ambiguitatem oſtendam planiùs) quem nobis locum deſignat ea *Dubitatur*
particula ἐκεῖ; aut quos iudices ſpectant voces illæ αὐτοὶ οἱ κριταὶ *iudices ipſi*? Ἐκεῖ Vi- *Victorij et Maioragij ſententia.*
ctorio non locum ſed deliberatiuum genus ſignificat: iudices verò deliberatiuæ cau-
ſæ iudices: idem placuit Maioragio, qui ad iudices quorum de re in deliberatiua cauſa
agitur.

Digitized by Google

agitur, refert hanc ſententiam. Ego verò minùs ægrè aſſentirem iſtis, niſi me ſubdura
Refellitur. ac minimè propria retardaret vocum interpretatio: nam Ariſtotelem in vocibus deli-
gendis, minimè durum fuiſſe; immo ſummam quandam proprieratem ſeruaſſe, no-
runt omnes qui in eo, vel mediocriter verſati ſunt. Quocirca ſuſpicor ad ea ſpectaſſe
Authoris ſententia. quæ dixerat Particula IV. tum de legibus quæ cauerent extra rem dicere; tum de ciui-
tatibus quibuſdam, ſigillatímque de Areopagi magiſtratu ac iudicibus, apud quos di-
xerat talem legem omnino obſeruari. Et ideo (id quod ſententiam noſtram cõfirmat)
dum ſcribit lex multis in locis extra rem dicere prohibet, *ὥσπερ καὶ πρότερον εἶπον, vt iam* 127
antea dicebam: (ſic enim vertendus eſt locus, non *vt modo dixi* quemadmodum vertit Si-
gonius) his verbis nos non ad ea reuocat, quæ iam iam monuerat de Iudicibus ac di-
ſceptatoribus deliberatiuæ cauſæ; ſed ad ea, quæ iam antea dixerat de multorum ciui-
tatibus ac legibus & de Areopago ipſo. Vt omittam dum ait, *Itaque lex multis in locis vt
antea dicebam, extra rem dicere prohibet*; non poſſe hæc verba ad particulam ſuperiotem
referri vbi de deliberatiuo genere agitur; cum ibi de lege quę extra rem dicere prohi-
beret, ne verbum quidem. Ita ſanè quam in priſcos Rhetores accuſationem intende-
rat Ariſtoteles, hîc vel perorat vel ad perorationem inflectit, rem in proxima omnibus
vndique partibus expleturus. Nam vtrum rectè faciat qui ſic reprehendit Rhetores
iſtos, vt affectuum permotionem improbare videatur, & an ſecum ipſe pugnet qui eoſ-
dem affectus ac permotiones animorum amplectitur, ac ſummatim an ij probãdi ſint
ac retinendi, opportuniore loco a nobis diſputatur copioſè.

PARTICVLA XII.

Ἐπεὶ δὲ φανερόν ἐστι, ὅτι ἡ μὲν ἔντεχνος μέθοδος, περὶ τὰς πίστεις ἐστὶν, ἡ δὲ πίστις, ἀπόδειξίς τις. τότε γὰρ πιστεύομεν μάλιστα, ὅταν ἀποδεδεῖχθαι ἀπολάβωμεν. ἔστι δὲ ἀπόδειξις ῥητορικὴ, ἐνθύμημα. καί ἐστι τοῦτο, ὡς εἰπεῖν ἁπλῶς, κυριώτατον τῶν πίστεων. τὸ δὲ ἐνθύμημα, συλλογισμός τις. περὶ δὲ συλλογισμοῦ ὁμοίως ἅπαντος τῆς διαλεκτικῆς ἐστιν ἰδεῖν ἢ αὐτῆς ὅλης ἢ μέρους τινός. δῆλον δ' ὅτι ὁ μάλιστα τῆς τὸ δυνάμενος θεωρεῖν ἐκ τίνων, καὶ πῶς γίνεται συλλογισμὸς, οὗτος καὶ ἐνθυμηματικὸς ἂν εἴη μάλιστα, προσλαβὼν περὶ ποῖα τέ ἐστι τὰ ἐνθυμήματα, καὶ τίνας ἔχει διαφορὰς πρὸς τοὺς λογικοὺς συλλογισμούς.

QVoniam verò apparet artificioſam methodum ad fidem pertinere, & fides
demonſtratio quædam eſt (tunc enim fidem habemus maximè, cum de- *Riccobonus.*
monſtratum eſſe arbitramur) & demõſtratio oratoria eſt enthymema, & eſt hoc, 128
vt ſimpliciter dicam, potentiſſimum ad faciendam fidem: & enthymema eſt ſyl-
logiſmus quidam, & quæ ad ſyllogiſmum pertinent æquè omnem, Dialecticę eſt
videre, vel ipſius vniuerſæ, vel partis alicuius: non eſt dubium, qui maximè hoc
poteſt intueri, ex quibus & quomodo fiat ſyllogiſmus, eum etiam enthymemati-
cum eſſe maximè: cum aſſumpſerit, & in cuiuſmodi rebus verſentur enthymema-
ta, & quas habeant differentias ad logicos ſyllogiſmos.

IAm verò illud certum atque exploratum eſt, eam viam atque rationem, quæ ad ar- *Maioragius.*
*tem pertinet, totam in probationibus eſſe poſitam. probatio autem ac fides, quædam
eſt, argumenti concluſio: tunc enim maximè credimus, cum rectè concluſum eſſe pu-
tamus. rhetorica porrò concluſio probatióque vocatur enthymema: hoc enim omnium
probationum plurimum valet. Eſt autem enthymema ſyllogiſmus ac ratiocinatio
quædam. de omni verò ſyllogiſmo tractare Dialectica proprium eſt, vel vniuerſæ, vel
certè cuiuſdam partis eius. Non dubium eſt igitur, eum qui perſpiciendi facultatem
habet, ex quibus propoſitionibus, quo pacto collocatis, ſyllogiſmus fiat, in enthymema-
tibus etiam acrem futurum: modò præterea intelligat, quæ ſit materia quam tractẽt,
& in qua verſentur enthymemata, & quomodo a logicis ſyllogiſmis diſtinguantur.*

Quid

Digitized by Google

Com. XII.

129 QVid doceat Ariſtoteles in hac particula non magnopere obſcurum eſt: docet enim quo pacto Orator poſſit eſſe enthymematicus: hoc eſt qua ratione & via ratiocinationes conficere poſſit, quæ ſunt corpus fidei faciendæ, & in quibus vis huius artis poſita eſt. At verò cur id hoc loco doceat, videtur omnino obſcurum. Etenim cum in procœmio verſetur adhuc, ita vt cum docuerit Rhetoricam eſſe artem, eandémque a cæteris vitioſè fuiſſe traditam, tum vtilitas ſuperſit quam demonſtret, tum Oratoris officium, quæ duo iam iam aggredietur; cur obſecro de ratiocinationis conflandæ artificio interponit diſputationem? cum enim enthymemata ſiue ratiocinationes conſtituant ipſum veluti corpus huiuſce facultatis, perſpicuum eſt enthymemata non ad procœmium ſed ad Tractationem vel vna vel maximè pertinere.

Quid doceat loco in loco. pl. nũ. *Quò ſpectet, obſcurum.*

Sed tamen, ſi rem accuratiùs expendamus, intelligemus appoſitè id tradi. ſiquidem cum hactenus clamaſſet ac vendicaſſet Rhetores illos extra rē locutos eſſe, idque quia nihil minùs quàm de enthymematis præcepiſſent, quæ tamen ſunt corpus fidei faciēdæ, potuiſſet aliquis rogare Ariſtotelem vt exponeret, quid tandem eſſet enthymematicum eſſe, vt hinc pateret clariùs iſtos re vera extra rem dixiſſe, qui enthymematici non fuiſſent. potuiſſet etiam alter dignum exiſtimare vt cum tā fusè proſecutus eſſet ea quæ illi præpoſtetè tradidiſſent, ea etiam explanaret, aut ſaltem breuiter ac pingui Minerua attingeret & adumbraret, quæ non ſine crimine prætermiſiſſent; itaque ecce tibi Ariſtoteles qui docet etiam quo pacto Orator euadat enthymematicus, ac pauciſſimis fidei faciēdæ rationem, quam illi prætermiſiſſent, ante oculos ponit. Et hinc eſt,
139 vt ſtatim atque id peregit, epilogum faciens teſtetur ſe ea omnia diſputaſſe, vt omni ex parte conſtet eos reuera extra rem locutos eſſe. Fateor itaque (vt argumēto enucleatè ſatisfaciam) explicatam atque perfectam enthymematum conficiendorum rationem pertinere non ad Procœmium, ſed ad Tractationem: & ideò etiam in tractatione ea accuratiſſimè tradit, vt conſtabit in hoc ipſo libro. At ſummam quandam enthymematici artificij tradere, ac pauciſſimis perſtringere, vt omni ex parte Rhetorum illorum error detegeretur, atque accuſatio omnibus perfecta numeris clauderetur, huius loci erat vel maximè.

Declaratur tamen quò ſpectet.

Sed videamus quo pacto nos doceat Ariſtoteles rationem ac viam vnde Orator fiat enthymematicus. Rhetoricam (inquit Ariſtoteles) verſari circa probationes ſeu fides (ſic enim τὰς πίστεις vertam in præſens) hoc eſt tradere rationem fidei faciendæ, perſpicuum eſt. quem enim ſibi finem proponit Orator, niſi vt fidem auditoribus faciat ac perſuadeat? Quod ſi ita eſt, illud etiam ſequitur vt debeat per demonſtrationem fidem facere; hoc eſt argumentando ac ratiocinando concludere atque probare. ſiquidem tum maximè ad credendum inducimur, cum bona ratiocinatione ac demonſtratione concluſum eſſe arbitremur. demonſtratio itaque vſurpanda eſt Oratori. ſed quænam eſt Oratoris demonſtratio? enthymema ſine dubio, quod eſt etiam præcipuum fidei faciendæ inſtrumentum. enthymema verò eſt quidam ſyllogiſmus, ſiue ratio quædā:
131 de qua ratione ſiue ſyllogiſmo agere eſt Dialectici. quocirca qui poterit rectè perſpicere ex quibus propoſitionibus & quomodo collocatis fiat ſyllogiſmus, hic enthymematicus erit: dummodo tamen eodem tempore obſeruet & intelligat circa quæ verſetur enthymema; & quà differat à logicis ſyllogiſmis. Hæc eſt ſumma huius particulæ. In qua quoniam & iam antea methodi mentionem fecit Ariſtoteles, & hic etiā ἔντεχνον μέθοδον introducit, & paulò poſt etiā ἄτεχνον μέθοδον videtur ſtatuere, quæri poſſet: quid artificioſa methodus, quid methodus artis expers atque omnino quid methodus ipſa ſignificet Ariſtoteli. Verùm quoniam opportuniorem habet locum hæc quæſtio in Ariſtotele, nec paucis abſolui poteſt, eam hoc tempore prætermittā. Tametſi illud vnum quod eſt huius loci proprium non eſt prætermittendum: nimirum hinc apertè ſatis colligi, quàm ab Ariſtotele diſcedant ij Peripatetici qui μέθοδον non ad œconomiā ac rationem totius alicuius tractationis referunt (hanc enim ad ordinem reuocant) & partium diſpoſitionem: ſed ad artificium quo ex propoſitione & aſſumptione colligitur complexio. verè enim ſignificat totam rerum docendarum diſponendarúmque rationem atque artem: ſigillatímque in re noſtra totam fidei faciendæ artem ac viam, ſiue in ijs quæ nos ipſi inuenimus ac parimus, ſiue in ijs quæ antea quoque erant, & a nobis non parantur, ſed vſurpantur tantùm, verſentur & occupentur. Quo fit vt iſtorū & me-

Iā Authoris conſilio declarato, explicātur quæ docet ſingula. *Quid per methodum intelligat.*

& methodum & ordinem & artificium doctrinæ vniuerſæ contineat Ariſtotelea methodus. licet, quoniam hoc in loco artificioſam methodum in probationibus agnoſcit & enthymematis: infra verò ad eandẽ reuocare videtur ea omnia quæ a nobis pariuntur atque parantur, nimirum enthymemata. affectus & mores, ſuo loco videbimus quæ ſint methodi huius partes: quidque in primis per artificioſam methodum intelligi velit. par. 22. & 23. 132

Sed & quæri poſſet, cur ἀπόδειξις Rhetorica ſiue enthymema, dicatur κυριώτατον τῶν πίστεων, probatio potiſſima quæque inter cæteras dominetur: nam licet enthymema verè longiùs valeat ad fidem faciendam quàm exemplum; verumtamẽ dum & in Particula III. enthymema dicitur corpus fidei, & hic appellatur oratoria demonſtratio; videtur Ariſtoteles cætera omnia habere in additamentorum loco. Quæ ſunt igitur fides ſeu probationes inter quæ dominatur enthymema? præſertim verò quia cum enthymema dicatur κυριώτατον τῶν πίστεων, non exemplum tantùm, aut vnum aliquod probationis genus, debet proferri quod enthymemate ſuperetur; ſed plura. Sed verè probationum loco habet non modò enthymema & exemplum, ſed etiam teſtes, quæſtiones, & huiuſmodi alia, de quibus in Particula XXIII. & ideò dum appellat enthymema probationem omnium principem, ſi non ad probationes reſpectum habet, quæ tum ex moribus, tum ex affectibus gignuntur, at certè exempli, teſtium, & huiuſmodi aliorum rationem habet, quæ reuera, ſi cum enthymemate cõparentur, infirmæ ſunt ac minùs habent firmamenti. & conſimili de cauſa enthymema dici poteſt & oratoria demõſtratio, & corpus fidei faciendæ. antonomaſticè illud, hoc metaphoricè. Tametſi omnino crediderim enthymema dici potiſſimam fidem quòd affectibus & moribus præſtet: nam affectus & mores infra ad probationes reuocabit paſſim, itaut inde tripartitò fidem diſtribuat. Quod ſi paulò ante viſus eſt affectus & mores in additamenti habere loco, ſat ſit in præſentia ab alijs ſaltem in fidei loco ſtatui, quibúſcũ propter vſum id detur aut affectus & mores in fidei loco habeantur. Denique affectus & mores ſi nõ præuiſi ac ſimpliciter, certis ſaltẽ de cauſis (has proſequimur alibi) fidei faciendæ cauſa excipiuntur: ita vt de illis non ſecus ac de moribus & affectibus præcipiatur: ita quidẽ, iurè ac meritò enthymema, ſi cum affectibus ac moribus conferatur, ſtatuit fidem eſſe potiſſimum & τῶν πίστεων κυριώτατον. Quod ſi vrgeas rurſum ab Ariſtotele in capite II. fidem quæ morata oratione conciliatur & ex perſona dicentis propter mores ducitur, κυριωτάτην appellari, id verò cùm ibi explicabitur opportuniùs, tùm verò propria quã hac de re inſtituemus, Controuerſia diſceptabitur copiosè. 133

De methodo alia quædã vide ĩ par. 20.

Cur videre de oĩ ſyllogiſmo ſit totius Dialectica vel partis.

Iam verò quærendum quoque eſſet cur dicat videri de omni ſyllogiſmo eſſe totius Dialecticæ vel partis alicuius. Sed cauſa eſt in promptu. nam de materia neceſſarij ſyllogiſmi agitur in poſterioribus analyticis: quemadmodum de materia probabili & ſedibus argumentorum in Topicis: de fallaci & captioſa (vt ſcilicet Sophiſtas refellere valeamus) in elenchis. de forma verò eáque multiplici, agitur in analyticis prioribus: quemadmodum de propoſitionibus harúmque partibus in libris de interpretatione. quibus omnibus tota ſyllogiſmi tractatio ac varietas continetur. & ideo cum dixiſſet de omni ſyllogiſmo agere eſſe Dialecticæ, ſtatim, quaſi ſe ipſum corrigens, ſubdit, Dialecticæ inquam vel vniuerſæ vel alicuius partis; quia de varijs ſyllogiſmi formis, quas vnas hoc in loco ſpectauerat hactenus vt de diſcrimine cõſtaret enthymematis & ſyllogiſmi reuera agitur in analyticis prioribus. Tametſi quoniam otioſa eſſet cognitio formę materia ignorata propterea ſtatim addit, modò intelligat etiam quæ ſit materia quam tractent, & in qua verſentur enthymemata: & quomodo a logicis differant ſyllogiſmis. Quanquam nõ me latet Iacobum Carpentarium, qui in tertium Alcinoi caput prætexit nuſquam ab Ariſtotele Dialecticæ nomine vniuerſum differendi artificium, & vno verbo logicam totam ſignificari, longè aliter interpretari tum hunc locum, tum alterum ex Lib. I. de anima, ac tertium item, ex Libro XIII. Methaphyſicæ. Quanquam cur interim alterum prætermiſerit, qui paulò poſt explicabitur, quíque non minorem ſanè quàm reliqua vim habet, imò fortaſſe maiorem, non video. Sed de re hac tota, quoniam Carpentarij interpretatio non facilè eſt contemnenda, in altero quem prætermiſit loco, vnde etiam maior ſe ſe rei vniuerſæ dirimendæ occaſio offeret, copioſiùs: aut etiam, ſi opus fuerit, tota hæc res propria Controuerſia excitata, ſeorſim explicabitur. 134 pag. 18. cap. 1. cap. 4. par. 35.

PARTICVLA XIII.

TO', τε γὰρ ἀληθὲς καὶ τὸ ὅμοιον τῷ ἀληθεῖ, τῆς αὐτῆς ἐστὶ δυνάμεως ἰδεῖν. ἅμα δὲ καὶ οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸ ἀληθὲς πεφύκασιν ἱκανῶς, καὶ τὰ πλείω τυγχάνουσι τῆς ἀληθείας. διὸ, πρὸς τὰ ἔνδοξα στοχαστικῶς ἔχειν τοῦ ὁμοίως ἔχοντος, καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν ἐστίν.

Riccobonus. NAm verum & ſimile vero, eiuſdem eſt facultatis videre. Simul autem & homines ad verum natura conformati ſunt ſatis, & plerunque conſequuntur veritatem. Quamobrem ad probabilia conijcienda ſe habere eius eſt qui eodem modo ſe habeat ad veritatem.

Maioragius. *EIuſdem enim facultatis eſt, & quid verum, & quid veriſimile ſit intelligere. Huc accedit, quod homines ipſi a natura ad veritatem ſatis informati ſunt, & in maiori rerum parte veritatem conſequuntur: quapropter eiuſdem hominis eſt, qui*
135 *ad verum conijciendum aptus ſit, etiam ad res probabiles, ita ſe habere, vt facilè eas indagare queat.*

POtuiſſet mirari quiſpiam cur Ariſtoteles enthymematum rationem ac Rhetoricæ facultatis cognitionem ſic cum ſyllogiſmis ac logica diſciplina cõiungat, vt velit Rhetorem vtranque tractare atque callere; nam certum eſt Rhetorem veriſimilia tãtùm ſeu probabilia quærere, immò quæ veriſimilia videntur, ſiue maius horum inueniẽdi rationem atque inſtrumentum ſuppeditare Oratori: logicam verò conſectari veritatem ipſam, ſiue veritati dignoſcendæ inſtrumenta Philoſopho fabricare, quæ duo longè inter ſe differunt; anteuertit itaque Ariſtoteles talem dubitationem, atque ideò non immeritò Rhetorem ad ſyllogiſmos vſque veritatíſque cognitionem reuocari, quòd eiuſdem ſit facultatis cognoſcere quid verum ſit, quidue ſimile vero. Sed quid intelligit per δύναμιν ſeu facultatem, cuius eſſe ait vtrũque iſtud cognoſcere? artémne ipſam & diſciplinam atque docendi ſiue diſſerendi viam, vt ſentit Maioragius, an verò facul-
136 tatem ingenij atque humanæ intelligẽtiæ vim, vt ego quidem exiſtimo, & facultatem? nam hoc apertè ſignificant & quaſi clamant quæ proximè ſequuntur verba. Siquidem hoc ipſum explicans è veſtigio Ariſtoteles, ſubdit homines a natura factos eſſe ad veritatem cognoſcendã, hâncque plerunque aſſequi, ac proinde qui ad veriſimilia conijcienda aptus ſit, eſſe quoque ad veritatem conijciendam aptum atque idoneum. quæ ſanè verba ſatis ſupérque oſtendunt Ariſtotelem de vi & facultate animi & intelligentia loqui. vt propterea Maioragius qui hac in re reprehendit Victorium minimè audiendus ſed reprehendendus ipſe ſit. Imò verò magnopere verendum eſt, ne ſi pro facultate artem intelligeret Ariſtoteles, falsò & præter rem diſputaret: falsò quia reuera nõ eâdem planè ars ſeu facultas & verum & veriſimile contemplatur, ſiquidem illud ab Analytico, hoc a Topico explicatur: præter rem, quia probãdum illi erat eum qui perſpicere poſſit quomodo fiat ſyllogiſmus, hunc enthymematicum quoque fieri poſſe, quod rectè probat dum ſubdit, eiuſdem facultatis (id eſt facultatis ingenij ac mentis) eſſe verum dignoſcere ac veriſimile. Neque verò dum ſignificat Ariſtoteles eum Oratorem fore vel maximè enthymematicum qui perſpexerit ex quibus & quomodo fiat ſyllogiſmus, Logicam ſtatuit Oratori eſſe neceſſariam nec niſi Logicæ ope (id quod aliqui venditant) poſſe eloquentiam comparari. nam, vt omittam, neque ſyllogiſmi cognitionem totius logicæ ſtudium cognitionémque continere (quis enim inficietur definitionis quoque uim ſeu definiendi artificium Logici induſtriam requirere?) in-
137 dicat quidem fore vt Orator ex ſyllogiſmi cognitione, quæ maximè in prioribus analyticis traditur, enthymematis vim planiùs intelligat ac ſummatim iuuetur, (& idcircò Ariſtoteles in priore libro priorum Analyticorum capite XXIII. de enthymemate quoque

Num hinc colligere liceat Logicam ante Rhetoricã eſſe diſcendã, aut hãc ſine illa parari non poſſe.

Digitized by Google

quoque agit, quod oratorium ſyllogiſmum & appellat & a ſyllogiſmo tanquam deriuat) non tamen logicæ ſtudio eloquẽtiæ ſtudium anteuerti iubet: præſertim verò quia cum Oratori ſatis eſſe poſſit mediocris quædam, ne dicam rudis ſyllogiſticæ rationis cognitio (perfectam enim Philoſopho reſeruatur) ſat ſit inter eloquentiæ ſtudium de ſyllogiſmi vi audire aliquid atque perdiſcere. alioquin verendum eſt, quoniam Orator cum totius antiquitatis cognitione tũ morali philoſophia indiget antiquitas vniuerſa ciuili philoſophia ſit ei peragranda antequam attingat Rhetoricam. Quanquam vbi quis id mihi conceſſerit, poſſe quempiam ad Eloquentiam aggredi ante Dialecticę ſtudium, illud ipſe viciſſim ei conceſſerim, poſſe Eloquentiæ ſtudioſum nõ inutiliter verſari in prioribus Analyticis, atque inde tum enthymematis, tum verò exempli ortum atque naturam perdiſcere, cum enthymema a ſyllogiſmo, exemplum ab inductione veluti dimanet: quæ tamen in XXIII. ac XXIV. capite non toto opere illo, declarãtur. Quin etiã vtiliter logicã vniuerſam euoluat; ſiquidem ad diſciplinas omnes ac proinde ad Rhetoricam etiam conferre poteſt. Sed tamen non neceſſariò, niſi ad ea quæ duobus illis capitibus continentur, confugiat. Quanquam ne id quidem neceſſariò, quandoquidem Ariſtoteles in primum Rhetoricorum tranſtulit ea omnia, quæ in prioribus analyticis, tum de ſyllogiſmo & enthymemate, tum de inductione & exemplo præceperat. quæ etiam & explicatiùs & planiùs complexus eſt. Quid plura? apud noſtrates tanta cum politioris litteraturæ ac purioris ſermonis iactura traduntur logicæ præcepta, vt magnopere optandum ſit ne eloquentiæ ſtudioſus logicæ (niſi fortè græcè nouerit & eruditum perpolitúmque doctorem inuenerit) ſtudijs occupetur:
vſque adeò vberrimos eloquentiæ campos ac reliquarum exinde ſpatia & curricula 138
doctrinarum dumetis ac ſpinis (dicam planiùs) barbarie atque omni vocum colluſioſione & impuritate complent plerique noſtrates Logici.

PARTICVLA XIV.

Ὅτι μὲν οὖν τὰ ἔξω τοῦ πράγματος καὶ οἱ ἄλλοι τεχναλογοῦσι, καὶ διότι μᾶλλον ἀπονενεύκασι πρὸς τὸ δικαλογεῖν, φανερόν.

AC alios quidem ea, quæ ſunt extra rem, præcipere, & qua de cauſa magis deflexerint ad iuris diſputationem apparet. *Riccobonus.*

IAm igitur cur ij, qui de arte dicendi ſcribunt quæ ſunt extra cauſam proſequuntur, & cur ad Iudiciale genus magis inclinant, ſatis oſtenſum eſt. *Maioragius.*

Quid docuerit aduerſus Rhetores iſtos, colligit vt aliò cõuertat orationem.

PErſtringit paucis quæ dicta ſunt in ſecunda hac procemij parte, nimirum *Com. XIV.* cæteros Rhetores tum ad artem reuocaſſe quæ ſunt extra rem; tum ad iudiciale genus deflexiſſe. Atque hinc ſanè conſtat ſecundum hanc procemij partem aduerſus Rhetores inſtitutam ad hunc vſque locum protendi: ac proinde quæ in XII. & XIII. particula tradidit de enthymematum artificio cum eadem parte ac Rhetorum accuſatione coniuncta eſſe, eo planè artificio ac ratione quam expoſui in particula XII. Alioquin aut non hîc einſmodi Epilogus fuiſſet faciendus, ſed ante XII. particulam. aut certè in eo prætermiſſa fuiſſet eorum ſumma quæ de enthymematum conſtituendorum ratione tradiderat. Dum verò ſcribit hîc Ariſtoteles priſcos Rhetores iſtos magis inclinaſſe ſeu deflexiſſe ad iuris diſputationem quod eſt iudiciale genus, ſignificat (ſi Maioragio credas) re vera deliberatiuum, quod ſpretum ab illis dixerat non penitus prætermiſiſſe. Quanquam cum ſupra dixerit Ariſtoteles de illo nihil dixiſſe, hoc ſanè minùs tutò ſtatuitur. Niſi tamen dicas eos de illo nihil dixiſſe, quia nihil planè de illo præceperint: cũ
tamen nihil prohibeat quò minùs eorum aliqui deliberatiuas cauſas in Curia interdũ 139
attigerint. cum enim non idem ſit deliberatiuas cauſas in Curia attingere, & de iiſdem in gymnaſijs aut libris præcipere, fieri potuit vt ſcriptis de deliberatiuo genere nil omnino

Digitized by Google

nino præceperint,cum tamen eiuſdem generis cauſas in Curia non omni ex parte ſpreuerint ac reliquerint omnes. & ſanè ſupra vbi negat eos quicquam dixiſſe,de præceptis loquitur: hic verò vbi ait ad iudicia deflexiſſe, ſignificat ad iudicialis generis cauſas deflexiſſe & inclinaſſe.

Nunc verò quoniam in prima & ſecunda procemij parte obſeruauimus nihil in ea reperiri quod M.Tullius in ſuos nō tranſtulerit libros,& copioſiſſimè explicarit,ſupereſſet vt hoc ipſum obſeruaremus in III. hac parte vniuerſa ſi tamē in inſtituto perſeuerauit Cicero. Sed reuera dum cęteros Rhetores reprehendit hoc in loco atque adeo digreditur Ariſtoteles,ſunt quidem nōnulla in quibus Cicero cū eo conuenit, quæque adumbrauit,expreſſitue(hæc nos partim attigimus ſparſim in varijs huiuſce Partis III. locis ac particulis, partim ſubijciemus paulo poſt) ſed tamen multa quoque ſunt in quibus ab eo diſcedere viſus eſt:ac præſertim in ipſa rei ſumma. Voluit enim M. Tullius
140 Rhetoricæ vim non in enthymematis aut ſolùm aut maximè eſſe ſitā ſed in affectibus quoque & moribus:id quod in libris de Oratore atque alibi non rarò docet. Quanquā neque Ariſtoteles deinde ſic de hac facultate præcepit, vt quæ tum ad mores tum ad affectus pertinent,non accuratiſſimè proſecutus ſit. neque cōtra M.Tullius ſic ſemper in tanta præceptorum multitudine perſtitit in ſententia, quin interdum cū Ariſtotele in hac ipſa quæſtione, aut in eiuſdem initijs & fundamentis aliqua ex parte conuenire viſus ſit. cum enim in eo paſſim eſſet totus,vt præclarum ſuæ eloquentiæ ſpectaculum daret,maluit in vtranque partem veterum Philoſophorum ac Rhetorum controuerſias differere,ac varijs quas introducit perſonis ſententias effingere. Atque hinc etiam factum eſt vt neque de Rhetoricæ facultatis materia eadem vbique doceat,ſed varium illi campum obijciat,in quem excurrat: interdum etiam lautiſſimam illi ſuppellectilē ac magnificā attribuit, interdum vulgarem & communem. An etiā Rhetorica ſit ars diſputat pluribus: nec tamen quicquam ſtatuit, de quibus omnibus ſuo loco & ſuſiùs & opportuniùs. Quanquam ne vos interim omnino ieiunos relinquam, cum Tertiæ huius Partis ſumma conſentiunt cùm alia quædam, tùm verò illa quibus in libro I. de Oratore M. Antonius Carneadis nomine veteres illos Rhetores irridebat, quorū libri procemijs, Epilogis,aliiſque huiuſmodi nugis(ſic enim ille loquitur)referti eſſent:hęc enim ea maximè de cauſa excogitabantur quòd comparata eſſent ad affectus ciendos & auditores perturbandos. In Rhetorica quoque ad Herennium (ſi tamen Ciceronis eſt hic liber) totam dicendi artem & munus Oratoris confirmatione & confutatione, hoc eſt Ariſtotelis enthymematis concludi voluit.& in Topicis omnem Oratoris ſcientiam apud Rhetores ait enthymematum nomine cōprehendi. Quæ ſanè cum ſecunda
141 hac Ariſtotelici procemij parte conſentiunt. Quanquam(vt dicere cœperam)non diu in reliquis libris, imò ne in ijs quidem quos attuli, iſthæc reuera probauit: multóque minùs in orationibus:ſiquidem in ijs omnes permiſcendi animos pertētare vias ſolet: ita vt interdum etiam glorietur ſe hoc artificio iudicibus tenebras offudiſſe: in illis verò cum eaſdem vias oſtendit paſſim: tum παθητικὸν dicendi genus proponit in quo dominetur oratio. Atque hac etiam de cauſa(id quod iamdiu dicere cœperā)amplificādi & extenuandi vias omnes explorat. non modò (quod æquiſſimè fortaſſe facit) legum cognitione ac iuris diſputatione quam hìc arcere nititur Ariſtoteles atque ab oratoria dictione præcludere,inſtruit Oratorem. Hoc de rei ſumma Ariſtotelis(ſi tamen III. huius partis inſtitutum ſpectes)Ciceroniſque diſſidium. Nam quod attinet ad ea quibus interim ſuam ſententiam proſequitur Ariſtoteles, multa ſunt quæ Cicero etiam probauit ac de more expreſſit. Tale eſt quod ſcribit libro II. de Oratore. Vbi *Plura*, inquit, *multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut errore, aut aliqua permotione mentis; quàm veritate aut præſcripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus*. Tale quod in eodem libro multis magniſque rationibus diſputat, Deliberatiuum genus illuſtrius eſſe quàm Iudiciale. Tale quod in Oratore ad Brutum ait Oratori vicinam ac finitimam Dialecticorum ſcientiam eſſe aſſumēdam & cognoſcendam. quam rem proſequitur multis.

PARTICVLA XV.

Χρήσιμος δέ ἐστιν ἡ ῥητορική, διὰ τὸ φύσει εἶναι κρείττω τ᾽ ἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια τῶν ἐναντίων. ὥστε ἐὰν μὴ κατὰ τὸ προσῆκον αἱ κρίσεις γίνωνται, ἀνάγκη δι᾽ αὐτῶν ἡττᾶσθαι. τοῦτο δ᾽ ἐστὶν ἄξιον ἐπιτιμήσεως. 142

Riccobonus. VTilis autem eſt Rhetorica propterea quòd narura ſunt meliora vera, & iuſta, quàm contraria. Quare, niſi prout conuenit iudicia fiant, neceſſe eſt per ipſa ſuperari. atque hoc dignum eſt reprehenſione.

Maioragius. *VTilis eſt autẽ Rhetorica, propterea quod res veræ ac iuſtæ natura meliores ac potentiores ſunt, quàm contraria. quòd ſi non rectè iudicia exerceãtur, neceſſe eſt, eas a falſis & iniquis ſuperari. hoc autẽ vituperatione ac reprehenſione dignũ eſt.*

Com. XV.

IV. PROOEMII Pars Rhetoricam eſſe vtilem. I. Ratio.

QVartam procœmij partem aggreditur in qua vt ad Rhetoricam perdiſcendam efficiamur alacriores, oſtendit eam eſſe humanæ ſocietari perutilem: ídque quatuor rationibus. Prima eſt quia licet natura cõparatum ſit vt res veræ ac iuſtæ longè meliores ſint ac poriores quàm contrariæ; veruntamen, ſi non rectè iudicia exerceantur; neceſſe eſt, vt veræ ac iuſtæ a falſis iuſtíſque ſuperentur: quod turpe eſt & reprehenſione digniſſimum. Ergo cum Rhetorica efficere poſſit vt rectè iudicia exerceantur, ac res veræ ac iuſtæ propugnentur, Rherorica vtilis eſt. Hæc eſt prima rario ab officio, vt videtis, vſúque ipſius Rhetoricæ ducta. *Dubitatur* Neque verò objiciat quiſpiam exareſcere interim Ariſtotelis Orationem: cum eloquentiæ vtilitas ſit ampliſſima quæque mirificè ab alijs celebretur, & tamen Ariſtotelis neſcio quam rationem primò afferat 143 quæ exilis ac ſpinoſa videri poſſit, præſertim verò cum eius vtilitatem iudiciali genere concludere videatur. Nam tantum ſignificat fore vt ſi iudicia non rectè exerceãtur res iuſtæ ab iniquis ſuperentur. Denique quicquid efficiat, nemo non intelligit hinc ieiunè ac tenuiter admodum Eloquentiam commendari ad quam tamen nos inflãmare debuiſſet. *Reſpondetur.* Veruntamen breuiloquentiam ſectatur ille quidem, ſed tamen quæ clam admirabilem eloquẽtiæ vim indicet qua nobilitetur ac celebretur. Nam qui attentiùs æſtimet, intelliget illud primum ſignificare; non eſſe quòd eloquentiam ſpernamus, quaſi verò res iuſtæ ac veræ per ſe ſatis mortalibus arrideant, ac propterea Oratore non indigeant qui nos ad eas ſectandas & amplectendas incendat: vbi nõ modò vtilitatem ſed neceſſitatem quodammodo oſtendit, quaſi diceret. Tametſi res veræ ac iuſtæ meliores ſunt ac potentiores quàm falſæ & iniuſtæ, veruntamen quoniam ſæpè mortales per improbitatem iniuſtitiæ ac mendacio ſeruiunt, præſto eſſe debet Orator qui Iuſtitiæ ac Veritati patrocinetur: alioquin ſi vera a falſis, iuſta ab iniuſtis ſuperentur id verò vituperatione dignum ſit. Quin non modò videtur eius neceſſitatem indicare, verùm etiam ad excellentem quandam Oratoris dignitatem veluti digitũ intendere. Ea enim de cauſa Oratorem profert qui iudicia ſeu τὰς κρίσεις dirigat quòd Oratorem (id quod indicauit in libro I. Moralium) quaſi aſſeclam & adminiſtrum illi adiunxerit qui Reipublicæ ac Ciuitati regendæ (Politicum appellat) præeſſe ſoleat. Sentit enim Oratori in Reipublicæ cura inuigilandum, & tanquam è ſpecula proſpiciendum vt ne iudicia præpoſterè fiant. Sic ſanè Periclẽ legimus iudicijs præſto fuiſſe ac Iudices admonuiſſe 144 eos idcirco ſedere vt ſecundum legem, non pro arbitratu ſententiam ferrent. Idẽ Iudices admonuit Socrates. Cicero etiam in Verrinis deprauata iudicia reprehendit eámque integritatem in forum eſſe reuocãdam. Quin fortaſſe dum Ariſtoteles κρίσεις damnat ſi non rectè fierent, non ſolùm iudiciale deſignat genus, verùm etiam Curiæ deliberationes atque iudicia. Nã quæ deliberationis cauſa dr̃ ſentẽtia, ea quoque κρίσις meritò appelletur. Et ſanè Orator multò magis præficitur publicis deliberationibus in quibus de rebus grauiſſimis conſultatur & iudicium interponitur, quàm forẽſibus quæ res priuatas fermè cõtinent. Itaque Cato Senator grauiſſimus atque Orator optimus, ſi quãdo ſententiam quiſpiam diceret in Senatu quæ cum Reipublicæ ſalute aut dignitate minùs congrueret, aſſurgens conuitium illi facere non dubitabat. Atque in hoc Oratoris officiũ intuẽs M. Tullius, *Quid porro* (inquit) *tã regium, tã liberale, tã munificum, quã opẽ ferre ſupplicibus, excitare afflictos; dare ſalutẽ, liberare periculis, retinere hoĩes in Ciuitate*

Et rurſus

Et rurſus *Eadem dicendi facultate fraus hominum ad perniciem, & integritas ad ſalutẽ vocatur:*
quis cohortari ad virtutem ardentiùs? quis a vitÿs acriùs reuocare? quis vituperare improbos aſpe-
riùs? quis laudare bonos ornatiùs? quis cupiditatem vehementiùs frangere accuſando poteſt? quis
pag. 2. *mærorem leuare mitiùs conſolando?* His adde quod in libro primo de Inuentione ſcriptum
reliquit: nimirum, Eloquentiam ſic & natam & progreſſam longiùs, vt maximis in
in.... rebus pacis & belli cum ſummis hominum vtilitatibus verſata ſit. & alibi, hanc ad ſa-
de offic. lutem hominum & conſeruationem nobis eſſe tributam. Quibus ſanè Oratoris iudi-
145 cium ac munus manare iubet latiùs. Ita quidem Ariſtotelis ratio, quantumuis preſſa,
ſucco pleniſſima videri poteſt. Veruntamen Ariſtotelea hæc ſententia graui adhuc ac
variæ obnoxia eſt dubitationi, cui explicandæ Controuerſiam par ſit excitare & inter- *CONTROVERSIA XVII.*
ponere. Quæramus igitur Num commoda ratione Rhetoricæ vtilitatem probet Ari-
ſtoteles; cui rei illud repugnare videtur primùm quia ſcribit vera & iuſta ſuis cõtrarijs
hoc eſt falſis & iniuſtis, eſſe meliora. comparatio enim inter res ſimiles fieri debet, non *Num Rhetorica vtilitati declaranda commodam rationẽ adhibuerit Ariſtoteles.*
inter diſſimiles & contrarias. Quapropter dum ait iuſta iniuſtis eſſe meliora, perinde
eſt ac ſi dixiſſet ignem eſſe calidiorem quàm aquam, ſolem magis ſplẽdere quàm ter-
ram, quæ ſunt auditu ridicula. Deinde quis non inficietur Rhetoricam ſiue eloquen-
tiam efficere vt iudicia rectè exerceantur, ſiue vt iuſta & vera ab iniuſtis & falſis non
ſuperentur? Id enim eſt quidem iuſtitiæ ac ſapientiæ propriũ, quæ nõ poteſt non iuſta
& vera tueri; at rhetoricæ, quæ in vtranque partem flecti poteſt, nullo modo. Et ſanè *Oppugnatur.*
cum Ariſtoteles fateatur artem militarem & eloquentiam perinde ac robur corporis
& valetudinem poſſe in bonum ac prauum vſum referri, ſolámque virtutẽ extra hanc *I.*
aleam poſitam eſſe, quid eſt quod in præſentia id muneris ac dignitatis Rhetoricæ tri- *II.*
buat, vt eius ſit iudicia optimè adminiſtrare? Huc accedit quod (ſi Aphrodiſeo, Ale- *III.*
146 xandro atque alijs multis credimus) ideo ab Ariſtotele δύναμις ſeu facultas appellatur
Rhetorica, quòd verſatilis ſit & in contrarias partes (id quod paulò poſt confirmabit)
flecti & poſſit & ſoleat. Quapropter videmus Oratores paſſim inter ſe pugnare & ad-
uerſarias cauſas tueri, quarum alteram iniuſtam eſſe neceſſe eſt. Certè M. Tullius fa-
tetur, ſe aliquando tenebras iudicibus offudiſſe: Demoſthenem & ſilentium & oratio-
nem conſtat venalem habuiſſe: Hippericlem Phrynem impudicam fœminam atque
adeò iniuſtitiam defendiſſe; atque idem factitaſſe ſexcentos alios. Et huc etiã pertinet
quod M. Tullius in Libro I. de Inuentione ſcribit multa ac magna detrimenta per ora-
tores fuiſſe in Rempublicam importata. Plato etiam Cymonem, Alcibiadem alióſque
multos eâdem inſimulat de cauſa. Vt mirum ſit Ariſtotelem tam fidenter id Rhetori-
cæ tribuere vt iuſtitiam tueatur prohibeátque ne quid contra ius efficiatur: quaſi verò
iudex non è veſtigio Oratoris voluntati obſiſtere poſſit ac pro arbitrâtu ac libidine ſen- IV.
tentiam dicere. Quid plura? propoſita Ariſtotelis ratio ſuperiorem quam in priſcos
Rhetores accuſationẽ ac Diſputationem inſtituit, videtur euertere totã. nam ſi Rhe-
torica vſurpanda eſt vt ijs reſiſtamus qui nõ rectè exercent iudicia, atque adeò Iudicũ
iniquitati occurramus, cur non eâdem de cauſa licebit ad affectus cõfugere, ac Iudicũ *V.*
peruicaciam inflectere ac frãgere? Hæc contra propoſitam ſententiã. Tametſi id quo-
que addi poteſt, totam Ariſtotelis rationem (ſi interpretes audiamus) non quidem ex
qualiber ſiue fori ſiue cauſæ iudicatione aut ex tripartita cauſarũ varietate par erat ſed
ex iudiciali genere tantùm eſſe deſumptam: tum vtilitas Rhetoricæ vniuerſæ atque
147 adeò tripartitæ varietatis eloquentiæ eſſet demonſtranda. Ac propterea accuratiùs Ci-
cero qui in ijs quos paulò ante recitauimus locis Rhetoricæ vtilitatem in generibus
declarat ſingulis. Nam idcirco illud quoque vſurpabat, *Quid tam potens támque magnifi-*
cum quàm populi motus, iudicum religiones, Senatus grauitatem vnius oratione conuerti? & illud.
Quis a vitijs acriùs reuocare? quis vituperare improbos aſperiùs? quis laudare bonos ornatiùs?
his enim demonſtratiui, ibi omnium generum vtilitates indicauit. Sed iam Ariſtote-
lis ſententiam, ſi quo modo nobis liceat, tueamur oportet; ac propterea obiectis argu- *Reſpondetur.*
mentis vt occurramus & ſatisfaciamus, nitendum eſt pro virili. Et ſanè (vt primo ſa-
tisfaciam) fateor comparationem videri abſurdam, ſed tamen, ſi acutiùs ſpectetur, eſt *Ad I.*
optima: nam tanta eſt rerum ambiguitas interdum & varietas iudiciorum, vt nõ raro
iniuſtum iuſti, falſum veri præſeferat ſpeciẽ, præſertim litigatorum artificio. Ait igitur
Ariſtoteles adhuc iuſta iniuſtis, vera falſis eſſe meliora ac potiora, nõ tã in naturã eorũ
ſpectãs q̃ in ſpeciẽ quæ ſeſe offerret ac ſimulacrũ & idcò turpe eſſe iudicat, vt cũ adhuc

vera falſis, iuſta iniuſtis potiora ſit ac meliorẽ veluti faciẽ referãt, vera & iuſta ſuperari
Ad II. & III. patiatur Orator. Quòd ſi eloquentia id habet vt ad nocendũ, ad iuſtum verúmque op-
pugnandum referri poſſit, id ſanè artifici potiùs quàm arti tribuendum eſt vitio: ars
enim ſuapte ad verum iuſtúmque tuendum accommodatior eſt: quemadmodũ verũ
& iuſtum potiorem offert defenſioni locum. Itaque dum Cymones & Alcibiades 148
eloquentia Rempublicam labefactaſſe, dum Hyppericles, Demoſtenes, Cicero, aliíque
ſexcenti Iuſtitiam oppugnaſſe dicitur, id verò non Eloquentiæ ſed illorum improbi-
tati acceptum eſt referendum. Tametſi illud interim non prætermittam, Eloquentiã
ſi copioſè loquentem ſapientiam eſſe dicamus, ac niſi in bonum virum cadere haud
poſſe, non eam eſſe quæ ad deteriorem partem referri poſſit. itaque is qui dicendi vi
abuteretur, non tam Orator aut etiam eloquentia ipſa abuti dicendus eſſet quàm ve-
terator, aut improbus diſputator, quíque pro eloquẽtia, fallacijs & veteratoria oratio-
ne vteretur præſtigiiſque dicendi. quod tamen cum Ariſtotelis non conſentit ſenten-
tia: qua fatetur ac ſtatuit homines dicendi arte & eloquentia abuti poſſe ſolámque
virtutem huius aleæ ac diſcriminis expertem eſſe. Quam tamen rem variè tractat Ci-
cero: qui modò eloquentiam copioſè loquentẽ ſapientiam facit, modò cum eloquen-
tia ſapientiam coniungi iubet, ne Reipublicæ ac mortalibus ſit pernicioſa. Id quod nõ
minùs doctè quam copioſè diſputat in libro primo de Inuentione: vbi cum animad-
uerteret mortales per deſertos homines multis incommodis fuiſſe affectos, ſic ſcribit.
*Ac me diu quidem cogitantem, ratio ipſa in hanc potiſſimùm ſententiam ducit, vt exiſtimem ſa-
pientiam ſine eloquentia parùm prodeſſe Ciuitatibus, eloquentiam verò ſine ſapientia nimiũ obeſſe
plerumque, prodeſſe nunquam. Quare ſi quis omiſſis rectiſſimis atque honeſtiſſimis ſtudijs rationis* 149
*& officij, conſumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis ſibi, pernicioſus patriæ ciuis
alitur: qui verò ita ſeſe armat eloquentia, vt non oppugnare commoda patriæ, ſed pro his pugnare
poſſit, is mihi vir & ſuis & publicis rationibus vtiliſſimus atque amiciſſimus eius fore videtur.*
Ad IV Sed de hac re alibi copioſe. Interim illud etiam breuiter monuiſſe velim, qui ad affe-
ctus ea planè de cauſa confugiunt vt Iudicum frangant peruicaciam & iniquitatem,
hos improbandos non eſſe. Certè Ariſtoteles ad II. libri initium hoc nomine ad affe-
ctus deſcendit pertractandos. Itaque non negarim propoſitam rationem qua docuit
Ariſtoteles Rhetoricam eſſe aduerſus iniquos iudices vſurpandam, efficere cõtra eoſ-
Ad V. dem affectus etiam eſſe attingendos. Quod ſi forte propoſita ratio ex iudiciali genere
deriuetur tantùm (id quod nos ęgrè concedimus quin improbamus) iam pręterquam
quod hinc etiam maxima Rhetoricæ vtilitas declaratur, aliæ conſulantur rationes
quas ſubiungit Ariſtoteles. Nam ſimul totam dicendi varietatem ſpectant atque il-
lius demonſtrant vtilitatem.

PARTICVLA XVI.

Ἔτι δὲ πρὸς ἐνίους, οὐδ' εἰ τὴν ἀκριβεστάτην ἔχοιμεν ἐπιστήμην, ῥᾴδιον ἀπ' ἐκείνης
πεῖσαι λέγοντας. διδασκαλίας γάρ ἐστιν, ὁ κατὰ τὴν ἐπιστήμην λόγος. τοῦτο δὲ 150
ἀδύνατον. ἀλλ' ἀνάγκη τὰ τῶν κοινῶν ποιεῖσθαι τὰς πίστεις καὶ τοὺς λόγους. ὥσπερ καὶ
ἐν τοῖς τοπικοῖς ἐλέγομεν περὶ τῆς πρὸς τοὺς πολλοὺς ἐντεύξεως.

PRæterea verò apud nonnullos nec ſi exquiſitiſſimam haberemus ſcientiam,
facile eſt per illam perſuadere dicendo. Doctrinæ enim eſt ea, quæ a ſcientia Riccobonus.
proficiſcitur, oratio. Id autem fieri non poteſt: ſed neceſſe eſt ex communibus
duci fidem, & rationem, quemadmodum etiam in Topicis dicebamus de collo-
cutione cum imperita hominum multitudine.

*PRæterea apud quoſdam homines, etiamſi exquiſitam ſcientiam haberemus; non
facilè eſſet argumentis ab ea ductis, dicendo perſuadere; qua enim a ſcientia pro-* Maioragius.
*ficiſcitur oratio, munus operúmque doctoris requirit, quod in perſuadendo fieri non
poteſt. Sed omnem probationem & orationem a communibus & probabilibus ducere
opus eſt, vt in Topicis etiam diximus, cum doceremus quomodo cum imperita multi-
tudine congrediendum ſit.*

Com. XVI. HAec eſt ſecunda ratio, quæ ducitur ab auditorũ perſona, & eſt huiuſmo- *II. Ratio pro Rhetorica vtilitate.*
di. Non rarò accidit vt ij apud quod dicit Orator, ſint rudes & imperiti:
quo fit vt ne ſi perfecta quadam rerum ſcientia atque doctrina prædi-
tus ſit Orator, huius ſcientiæ ope quicquam illis perſuadere valeat: nã
quæ ex doctrinis ducuntur argumenta & diſputationes, *διδασκαλίας*,
doctrinæ inquam, egent & ſubtili præceptione, quæ nullo modo tradi
151 poteſt ab Oratore in eiuſmodi concionibus. Quin potiùs cogitur Orator argumenta
ducere, ac fidem facere ex ijs quæ cõmunia ſunt, & in medio poſita quemadmodum
declaratur in libris Topicorum, dum ratio traditur, qua cum imperita multitudine
Lib.8. diſſerendum eſt. Vt propterea cum Oratio ſit a ſubtili ad vulgarem populארémque
ſenſum, communémque intelligentiam traducenda, Rhetorica quæ id præſtat, vtilis
exiſtimanda ſit. Hæc eſt ſecunda ratio. a qua ſanè haud diſceſſit M. Tullius: nam dum
diceret libro I. de Oratore *Cæterarum artium ſtudia ferè reconditis atque abditis è fontibus
hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio poſita, communi quodam in vſu & ſermone verſa-
tur: vt in cæteris id maximè excellat, quod longiſſimè ſit ab imperitorum intelligentia ſenſúque di-
ſiunctum: In dicendo vitium eſt vel maximum a vulgari genere orationis, atque a conſuetudine
communis ſenſus abhorrere*: reuera hunc ipſum Rhetoricæ vſum ab Ariſtotele traditum
expreſſit; licet non eodem planè nomine in eiuſmodi ſermonem inciderit vterque.
Quanquam quid ſi quis neget Oratoris eſſe apud imperitos potiùs quàm eruditos ac *Dubitatur*
doctos verba facere? ſanè iudicijs præficiendi ſunt & verò præfici ſolent Iureconſulti,
iíque plerumque optimi ac ſcientiſſimi: id quod Ariſtoteles ipſe, velit nolit, fatetur
aliquando: nam cum dicat oportere vt iudex ab Oratore doceatur quid factum aut nõ
factum, non verò quid iuſtum aut iniuſtum, atque hoc oportere Iudici antea ex legi-
bus perſpectum eſſe, quid eſt aliud quàm auditores nauos peritóſque requirere? Et idẽ
dixerim vbi in deliberatiuo genere verſetur Orator. nam præterquam quod in Senatu
res prudentioribus ac ſapientioribus deferri ſolet, quid prohibet quò minùs delibera-
152 tionibus quoque, vt par eſt, ij præficiantur qui prudentia & ſapientia cæteris antecel-
lant? Denique ne in Demonſtratiuo quidem videtur facilè concedendum, auditores
fore rudes & imperitos. etſi enim videri poſſet non magnopere intereſſe ſiue doctos
auditores nanciſcatur ſiue imperitos, qui in hoc genere verſatur Orator (neque enim
huic quicquam deliberandum videtur aut diſceptandum) verũtamen nobiles paſſim
auditores nauóſque requirimus laudationes inſtituentes, atque eos qui de dicẽtis fa-
cap.3. cultate (id quod Ariſtoteles ipſe fatetur) poſſit iudicare. Verùm de hac re copioſè op- *Reſpondetur.*
portuniore loco. Nunc tantùm dicam & eloquentiam in populari ſtatu aut Repu-
blica dominari maximè: in quibus diſceptatores, vt in multitudine plerũque accidit, a
doctrinis ſunt alieni, & Oratores ijs fermè cauſis adhiberi quæ coniecturis nituntur (ſi
enim exploratas rationes eáſque obuias contineat cauſa, vix Oratoris ſtudium indu-
ſtriáque requiritur) & veriſimilibus tantùm ſeu probabilibus agitari & perſuaderi
poſſunt, cui rei eloquentia ſeruit ac Rhetoricæ Ars quæ probabilia conſectatur. Quod
ſi Ariſtoteles nauos iudices induſtrióſque requirebat, quíque ex ſe & a lege non a li-
tigatoribus iuſtum iniuſtúmque didiciſſent, profectò nec propterea toti eloquentiæ
varietati creauit dubitationem, ſed iudiciali tantùm generi: nec ea alio conſilio diſpu-
153 tauit Ariſtoteles, niſi vt intelligeremus, quid in optimè conſtitutis iudicijs contigiſſet
illis qui ſe totos ad iudices perturbandos conuerterent. Nil tamen prohibet quò mi-
nùs Ariſtoteles minùs eruditos auditores quin & iudices interdum vt fit (præſertim
perobſcura in cauſa) admittendos iudicauerit cum tandem in præceptis tradendis in-
telligeret ſibi ijs iudicijs & concionibus ſeruiendum, in quibus populares ac multitu-
do dominarentur. Nam quod in hoc genere Auditoris ſit de dicentis facultate iudi-
care, profectò nec talis diiudicatio neceſſarij operis eſt, quemadmodum in Deliberati-
uo ac Iudiciali neceſſaria eſt diſceptatio, nec ſi eſſet (quod tamen non concedimus) a
perito potiùs quàm ab imperito expectanda, ſed vt pro ſuo quiſque ſenſu iudicet per-
mittendum. Adde ſcitè eas voces vſurpari ab Ariſtotele *πρὸς ἐνίους, apud aliquos*;
ſignificat enim fieri quidem interdum poſſe vt diſceptatores eruditi ſint ac ſapientes
ſed tamen plerumque eſſe imperitos, pleroſque ſaltem dum cum multitudine, vt ſæpè
fit, agendum eſt. & ideo cogi Oratorem populares rationes arripere.

PARTICVLA XVII.

Ἔτι δὲ τἀναντία δεῖ δύνασθαι πείθειν, καθάπερ καὶ ἐν τοῖς συλλογισμοῖς. οὐχ ὅπως ἀμφότερα πράττωμεν. οὐ γὰρ δεῖ τὰ φαῦλα πείθειν, ἀλλ᾽ ἵνα μήτε λανθάνῃ πῶς ἔχει, καὶ ὅπως ἄλλου χρωμένου τοῖς λόγοις αὐτοῖς μὴ δικαίως, λύειν ἔχωμεν. τῶν μὲν οὖν ἄλλων τεχνῶν οὐδεμία τἀναντία συλλογίζεται. ἡ δὲ διαλεκτικὴ καὶ ἡ ῥητορικὴ μόναι τοῦτο ποιοῦσιν. ὁμοίως γάρ εἰσιν ἀμφότεραι τῶν ἐναντίων. τὰ μέντοι ὑποκείμενα πράγματα οὐχ ὁμοίως ἔχει, ἀλλ᾽ αἰεὶ τἀληθῆ καὶ τὰ βελτίω τῇ φύσει, εὐσυλλογιστότερα καὶ πιθανώτερα, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν.

Riccobonus. DEinde verò contraria oportet poſſe perſuadere, quemadmodum etiam in ſyllogiſmis, non vt vtraque faciamus (non enim oportet mala perſuadere) ſed vt ne lateant, quomodo ſe habent, & alio vtẽte rationibus ipſis minùs iuſtè, 154 ſoluere poſſimus. Ac ex alijs quidem artibus nulla contraria ſyllogiſmo concludit. Dialectica verò & Rhetorica, ſolæ id faciunt. æquè enim ſunt ambæ contrariorum. At quæ ſubiectæ ſunt res, non æquè ſe habent, ſed ſemper veræ, & meliores natura, aptiores ad ſyllogiſmum, & magis idoneæ ad perſuaſionem ſunt, vt ſimpliciter dicam.

Maioragius. *IAm verò etiam opus eſt res contrarias dicendo perſuadere poſſe, quemadmodum in ſyllogiſmis ac diſſerendi ratione fieri ſolet: non quidem vt vtrumque faciamus: neque enim quæ mala ſunt perſuadere oportet; ſed ne lateat nos, quomodo hoc fieri poſſit: & ſi quis huiuſmodi ratione non iuſtè vtatur; eam refellere valeamus. Ex alijs autem artibus nulla eſt, quæ in contrarias partes diſſerat: verùm Dialectica ac Rhetorica tantùm hoc proprium eſt: ambæ enim eodem modo in vtranque partem diſſerunt, & contraria colligunt: ſed tamen res, quæ his artibus ſubiectæ ſunt, non eodem modo ſe habent: ſemper enim, quæ vera ac meliores natura ſunt, illa faciliùs etiam probantur & perſuadentur, dico autem, vt generatim & plerunque fit.*

III. Ratio. *Conſ. XVII.* TErtia ratio ſumitur ab effectu Rhetoricæ; quia nimirum efficit vt contrarias partes perſuadere valeamus; atque his continetur. ea eſt Rhetoricæ vis vt eius cognitione atque vſu in contrarias partes dicere, & res contrarias perſuadere valeamus. quemadmodum de diſſerendi ratione ſeu dialectica accidit, cuius vſu in vtranque partem diſputamus. ergo eſt vtilis. At. n. cur tu Ariſtoteles hanc facultatẽ vtilẽ appellas cuius vſu iniuſtitiã tueri licet, non minùs quàm æquitatẽ: malũ nõ minùs ſuadere quàm bonũ? *Dubitatur.* & ad turpitudinem cohortari non minùs quàm ad honeſtatẽ? Denique ſi non alius eſt Rhetoricæ vſus, niſi vt falsũ nõ minùs q̃ verũ probare poſſim, valeat vnà cũ Rhetorica 155 egregia iſta facultas: quin per me licet vt iſtarũ Doctores facultatũ gymnaſijs vrbibúſque pellantur, atque in extremas vſque inſulas aut etiã infra mortuos amãdẽtur. Atqui non ideò, inquit Ariſtoteles, hæ artes ſunt perdiſcendæ, vt quæ turpia ſunt ac mala ſuadeamus, & ex vno eodémque fonte frigidam modò, modò calidam pro libidine haurientes, varia ac pugnantia doceamus; hoc enim ſceleſti hominis eſſet ac nefarij; ſed vt *Reſpondetur.* vitioſis iſtorum rationibus perſpectis vndique, faciliùs eorum fraudes detegere ac declinare valeamus. Optimi nimirum inſtar medici, qui venenorum etiam ſcrutatur vim vt veneficũm maleficia a corporibus noſtris depellat. Denique, ex alijs artibus (addit Ariſtoteles) nulla eſt quæ diſſerat in contrarias partes: hoc tamen habet Rhetorica & Dialectica, quarum vtraque inter contraria verſatur: atque in cõtrariam partem diſſerens colligit contraria. Tametſi non eſt negandum (id quod earũdem vim atque vſum laudatiſſimum reddit ac frugiferum) res ijs artibus ſubiectas non eodem modo ſe habere:

ſe habere: aut peræquè probabiles eſſe, & in vtranque partem æquis argumentorum
momentis poſſe diſputari. Siquidem ea quæ veræ ſunt aut natura meliores proban-
tur faciliùs commodiúſque ſuadentur. Itaque faciliùs iuſtitia quàm iniuſtitia orne-
tur perſuadeatúrque: verum faciliùs probetur quàm falſum. Sed cur ait Ariſtoteles
156 vera & meliora faciliora eſſe quæ probentur ac ſuadeantur ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, generatim *Reditur ad explicatũ.*
inquam, ac plerunque non præciſè ac ſine exceptione vlla? Maioragius ſcribit Ari-
ſtotelem hac quaſi correctione vſum, quòd interdum aliqui homines vſque adeò de-
prauati ſint, vt plus apud eos mendacium valeat quàm vera ratio: ac proinde non
ſemper id quod verum ac melius eſt, concludi ac ſuaderi poſſit. Sed (ni vehementer
fallor) magnopere fallitur Maioragius: nam non ſpectat hoc in loco Ariſtoteles quid
propter hominum iniquitatem aut probitatem facilè ſuaderi poſſit. Sed quid propter
ſe ipſum ac nulla auditorum ratione habita, tale ſit quod facilè ſuadeatur. quare ait
in vniuerſum ac plerunque vera & meliora eſſe facilia quæ ab Oratore demonſtren-
tur ac ſuadeantur, quia reuera ſunt interdum aliqua, quæ etſi vera ſint & meliora, ſic
tamen falſitatis & iniquitatis referunt ſpeciem, vt non facilè demonſtrari ac ſuaderi
poſſint. quemadmodum è contrario quædam licet iniqua ſint & falſa, tantam tamen
probitatis veritatíſque ſpeciem præſeferunt, vt difficile ſit, non in illis aberrare. &
hoc eſt quod alibi ait Ariſtoteles eſſe quędam quæ veriſſima ſunt cum tamen nullam
habeant probabilitatis ſpeciem: imò omnino falſa eſſe videantur. Iam verò rem lu-
bricam eſſe dixeris & periculoſam, vt ea facultas (etſi exercitationis gratia) a nobis
excolatur, quæ in malam partem flecti poſſit. quid enim ſi quis per intemperantiam
157 ac ſcelus illa abutatur? ſanè plurimos non modò eam exercitationis gratia ad iniuſti-
tiam deteriorémque partem probandam vſurpaſſe legimus, vt Carneadem & eos
Lib. 1. omnes quos Carneades æmulatos eſſe conſtar, verùm etiam Aphrodiſeo Alexandro
Top. li. 1 teſte, etiam ſeriò ac pro libidine: quod & de Craſſo reſtatur, & de ſe fatetur M. Anto-
de Orat. nius. qui etiam fatebatur ſe orationem ſcripſiſſe nullam, vt poſſet aliquando alteram
quoque partem, ſi opus eſſet, tueri. Sed quoniam homines a Natura quodammodo
ficti ſunt ad eloquentiam ac proinde facultatem in vtranque partem habent, ſatius *Reſpondetur.*
eſt Ariſtotelis præceptum colere, quo deteriorem partem attingi iubet defenſionis
tantùm cauſa, & ad eos refellendos qui eloquentia præpoſterè vterentur, quàm peri-
culum deplorare. nam idem & philoſophiæ accidit, cui Eriſtica tractanda eſt ad ſo-
phiſtas refellendos; & medicis vſu venit, quibus venena dignoſcenda ſunt vnde ve-
neficis reſiſtant. Denique vt te probum Oratorem oſtendas, efficito, quòd eloquen-
tia abutantur aliqui, non in artem, ſed in malum artificem reijcito. Sed de hac re to-
ta & in ſuperiore particula alia quædam diximus, & vberiùs adhuc dicemus infrà.

PARTICVLA XVIII.

Πρὸς τούτοις ἄτοπον, εἰ τῷ σώματι μὲν αἰσχρὸν, μὴ δύνασθαι βοηθεῖν ἑαυτῷ,
λόγῳ δ' οὐκ αἰσχρόν. ὃ μᾶλλον ἴδιόν ἐστιν ἀνθρώπου τῆς τοῦ σώματος χρείας.

Riccobonus. AD hæc abſurdum eſt, ſi corpore quidem turpe ſit, non poſſe opitulari ſibi
ipſi, oratione verò turpe non ſit, quæ magis propria eſt hominis quàm
corporis vſus.

Maioragius. *PRaterea ſi turpe eſt homini, non poſſe ſibi ipſum corpore opitulari; quantò tur-*
158 *pius erit, oratione ſe defendere non poſſe, qua magis quàm vſus corporis, homi-*
nis propria eſt.

Comm. XVIII. QVartam rationem affert ex hominis officio actionibúſque deſumptam,
quæ & poſtrema eſt. Ait igitur, Dictu abſurdum eſt, vt indecorum iu- *IV. Ratio.*
dicetur & abſurdum, ſi quis non valeat ſibi corporis viribus opitulari:
nec tamen indecorum iudicetur ac turpe, ſi quis non valeat ſibi opi-
tulari oratione, quæ magis quàm vſus corporis aut robur eſt hominis
propria. (vſus enim corporis, robur, firmitudo, eſt nobis cum mutis
animantibus communis: vſus verò orationis nequaquam) ergo ne humanam na-
turam

turam hac turpitudinis ac dedecoris nota condemnemus, fatendum eſt poſſe homi-
nem ſibi dicendo opitulari, ac propterea cùm orationem eſſe vtilem, tùm multò ma-
ximè Rhetoricam qua excolitur & perpolitur oratio, & vt ad opitulandum nobis
magis ac magis valeat, efficitur.

Dubitatur

Sed dubitatur: nam quid eſt quod turpe eſſe ait ſi quis non poſſit ſibi corpore opi-
tulari? imò non ſolùm ait eſſe turpe, ſed & abſurdum id non turpitudini adſcribere?
Maioragius ideo hoc dici affirmat, quia iure naturali conceſſum ſit homini vim vi re-
pellere, ſibique corporis robore opem ferre. ac propterea timidus & ignarus haben-
dus ſit qui id non valeat. Sed certè qui non propria culpa ſed morbo aut caſu aliquo
corporis viribus ſpoliati ſint, ignominia interim notandi eſſent: idque licet interim
prudentia excellerent ac ſapientia: aut etiam pro patria ac religione dimicantes, quod
multis accidit, infirmi euaſiſſent. & tamen huiuſmodi viros inſimulare abſurdum
eſſet. Nam quod ait Iſocrates μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς, Nemini calamitatem expro-

Reſpondetur.

bres, id ſanè egregiè dictum videtur. Ergo omnino putatim Ariſtotelem non priua-
tos aliquos homines, ſed genus naturámque vniuerſam ſpectaſſe: quæ ſine dubio in-
uenuſta eſſet atque adeò monſtroſa ſi corpore ipſo nullo modo ſibi opitulari poſſet. 159
neque enim negandum eſt, poſſe aliquid vitioſum eſſe in genere vniuerſo, quod in ali-
quibus ſit laudabile: vt Chriſti ſide priuari oculis, quod in genere vniuerſo & a natura
profectum indecorum eſſet ac turpe. Et ideo Ariſtoteles non de homine aliquo &
ſigillatim ſed vniuerſim loquitur. quare vniuerſim etiam id colligit quod attinet ad
orationem. Quanquam ſi quis id ad priuatum quoque hominem traducere velit tū
demum eſt concedendum cum a Natura iteu talem imbecillitatem contraxerit vn-
de ſibi opitulari haud valeat. quod tamen exprobrandum non eſt: licet reuera turpe
videri ſolet. Tametſi hoc argumentum ex ijs mihi videri ſolet quæ in contrariam par-
tem conuerti poſſunt, quid enim turpe ſit homini viribus corporis deſtitui, cum ani-
mi vires hoc eſt prudentiam atque alias virtutes ſibi parare poſſit a quibus tum inter
mortales celebretur, tum inſuper ſibi conſilium pro robore exerens opituletur? Et
tamen vetus in Naturam extat nonnullorum querela, qui cæteras animantes a Na-
tura armis inſtructas obſeruant quibus ſibi opitulentur, nam & roſtro, & dente, & vn-
gue & cornu plerunque animantia inſtructa ſunt, ita vt piſcis etiã reperiatur qui gla-
dium & gerat & tutelæ adhibeat ſuæ. denique ſi quæ exiguis ſint viribus, hæc vel aſtu
tia & calliditate, vel pernicitate vt aues multæ, vel pedum celeritate vt lepus, inſtructa
ſunt. vt omittam quoſdam animantes ijs promiſcuè vti præſidijs: his tanquam præſi-
dijs mutas animantes inſtruxit Natura: cum tamen homo inermis naſcatur quíque
ſibi nullo modo queat opitulari: ita vt Natura aliorum animantium mater, hominis
nouerca videri poſſit. Qua in re ſat ſcio Chriſtianum Theologum reſponſurum ho-
minem perfectum eſſe conditum ab authore Deo, quíque nullas iniurias pertimeſce- 160
ret, ac propterea nullis egeret armis: licet ob neglectum Dei præceptum modò præ-
ſidijs multis indigeat atque adeò omnibus infirmior animantibus in lucem prodeat.
Scio Philoſophum id reſponſi daturum, vt dicat hominem manu eſſe a Natura in-
ſtructum quæ eſt organorum organum, quaéque armis & fabricandis & tractandis
vſque adeò ſit idonea, omnem vt iniuriam repellere ac ſibi maximè omnium opitu-
lari poſſit: præſertim verò quòd excellat ingenio, atque hoc duce omne armorum ge-
nus proferre poſſit, quà ſe tutari, quà cæteros animantes, etiam immanes, oppugnare
valeat. Ego verò vt noſtro interim ſtudio faueamus, atque Eloquentiæ canamus, af-
firmauerim Eloquentiam pro armis homini tributam eſſe. vt enim loquendi facul-
tate præſtat belluis, ſic eloquenti virtute ſibi opitulari poteſt. quapropter multos qui
eloquentia excellerent hoſtium impetus Eloquentia fregiſſe legimus. denique qui di-
cendi facultate valeat ſine dubio cōmodè ſibi opituletur ac proſpiciat. Quod ſi obij-
cias ante adoleſcentiam aut ſaltem toto infantiæ tempore hoc eſt ſeptennio toto ad-
huc inermem relinqui hominem, ſanè hæc accuſatio non minus noſtram quàm Phi-
loſophorum euertat reſponſionem. Tametſi, vt puer parentum tutela munitur, ſi-
gillatimque ſeptennio illo toto matris patrocinio & charitate defenditur (id circò e-
nim partus dicitur ventrem ſequi) eo tempore parentum quaſi pars aut membrum
cenſendus eſt; ita vt parentum vires, arma, induſtria illi opitulentur, atque adeò præ-
ſidia ſint communia. Nam qui mulierem etſi adultam, imbecillam adhuc iudicet, 161
quaéque

quaéque ſibi non ſatis opitulari poſſit, is illud reputet tum pulchritudinem ac decus valere illi ad tutelam, lachrymulas quas habent in promptu (atque hæ infantibus etiam maximo præſidio ſunt cum alienam opem inde implorēt aſſequantúrque) tum denique aſtutia quæ in fœminis eſt maxima. quò enim infirmior homo eò callidior: ſic ſanè & querelam propoſitam diluimus, & Eloquentiam nobis præſidio comparandam (id quod interim docere molitur Ariſtoteles) demonſtrauimus. Nam etſi Eloquentia valeat homo, adhuc corporis imbecillitatem indecoram habendam eſſe, inde intelligitur quòd vires corporis & Eloquentiam plurimum adiuuent præſertim propter actionem, & homo alias functiones exerceat multas quas ſine corporis viribus exercere nequeat ac ſummatim ne Eloquentia quidem infirmis latebribus ac viribus ſibi opitulari poſſit ſatis. At enim ſint iſta. Sed quid tu Ariſtoteles dicendi facultatem inde commendas, quòd ea cùm ſibi tùm cæteris opem ferre poſſit Orator? an non cōtrà etiam experimur (id quod paulò ante monere cœperam) hac ipſa cùm ſibi, tùm Reipublicæ perniciem attuliſſe multos? Certè Plato in Gorgia Periclem ſignificat aliósque multos hac vna facultate Rempublicam labefactaſſe, vt propterea Socrates eiuſmodi facultatem mirificè improbare ac damnare videatur. Lacedemones etiam (quod Tertullianus inter cæteros teſtatur in Apologetico) hac vna de cauſa Rhetores expulerunt è ciuitate. Idem Romani aliquando, qui vt author eſt Gel-
162 lius Senatuſconſulto Rhetores tanquam iuuētuti ac Reip. pernicioſos pellendos eſſe decreuerunt. Denique Oratores apud Areopagitas etiam malè audiſſe intelligitur a quibus niſi reſecatis vnguibus atque capillis non reciperentur. Sed reſpondet Ariſtoteles, ſic pergens.

PARTICVLA XIX.

Εἰ δ' ὅτι μεγάλα βλάψειεν ἂν ὁ χρώμενος ἀδίκως τῇ τοιαύτῃ δυνάμει τῶν λόγων, τοῦτό τε κοινόν ἐστι κατὰ πάντων τῶν ἀγαθῶν, πλὴν ἀρετῆς. καὶ μάλιστα κατὰ τῶν χρησιμωτάτω, οἷον, ἰσχύος, ὑγιείας, πλούτου, στρατηγίας. τούτοις γὰρ ἄν τις ὠφελήσειε τὰ μέγιστα χρώμενος δικαίως, καὶ βλάψειεν, ἀδίκως.

Riccobonus. SI verò obijciatur, quòd valde nocebit is, qui vtatur iniuſtè huiuſmodi facultate rationum, id commune eſt aduerſus omnia bona, præter virtutem, & maximè aduerſus vtiliſſima vt robur, valetudinem, diuitias, diſciplinam militarem. His enim aliquis profuerit maximè, ſi vtatur iuſtè, & nocuerit, ſi iniuſtè.

Maioragius. *QVòd ſi quis obijciat, maxima incommoda importaturum qui iniuſtè hac dicendi facultate vtatur; hoc iam commune eſt cum alijs omnibus bonis præter virtutem, & cum eis præcipuè, quæ maximas vtilitates adferre ſolent: vt cum fortitudine corporis, cum bona valetudine, cum diuitijs, cum arte imperatoria: quibus ſi iuſtè quis vtatur plurimum prodeſſe; ſin iniuſtè, non mediocriter obeſſe poteſt.*

Cō. XIX VBi non ideò, inquit, eſt improbanda hæc ars, quòd illa iniquè vtatur aliquis: ſiquidem non in arte eſt vitium, ſed in eo qui malè illa vtitur & flagitioſè. alioquin vna morum virtute excepta, qua abuti non poſſumus, cætera bona omnia damnanda eſſent: atque ea in primis, ex qui-
163 bus magnas vtilitates capere ſolemus. Nam quis ignorat diuitias, robur corporis, bonam valetudinem, rei militaris ſcientiam, imperatoriámque virtutem magnas Reipublicæ vtilitates parere ſolere? & tamen vbi illis abutatur quiſpiam, magna quoque important detrimenta, ac Remp. ſæpè euertunt. Sic fermè Ariſtoteles. Quo cum non ſententia ſolùm, ſed etiam verbis planè ipſis conſenſit æmulator Iſocrates, cum in Nicode Οὐδ' εἴτινες, inquit τοὺς ἀπατῶντας τύπτοιεν, τῆς ῥώμης κατηγορεῖν αὐτο διὰ τοὺς ἀποκτείνουντας. τὴν ἀνδρίαν λοιδορεῖν. οὐθ' ὅλως, τὴν τῶν ἀνθρώπων πονηρίαν ἐπὶ τὰ πράγματα μεταφαίρειν. ἀλλ' αὐτοὺς ἐκείνους ψέγειν, ὅσοι τοῖς ἀγαθοῖς κακῶς χρῶνται, καὶ τοῖς ὠφελεῖν δυναμένοις τούτοις βλάπτειν τοὺς συμπολιτευμένους ἐπιχειροῦσι.

Diluitur dubitatio quæ aduerſus Rhetoricæ vtilitatem afferri poſſit.

hoc

hoc eſt. *Haud conuenit vt ſi qui obuios verberant, robur accuſemus: aut propter homicidas, fortitudini conuitiemur: ac denique humanam improbitatem in res transferamus. ſed illi ipſi culpandi ſunt, qui bonis rebus malè vtuntur, & ciues ſuos per ea lædere nouerunt quæ ad eorum ſalutem conuertere debuiſſent.* Quocirca laudanda eſt ars: vituperandi ij qui ea vtuntur iniquè. Neque Plato qui Periclem, alióſque multos hac de cauſa damnare viſus eſt, Rhetoricam damnauit: ſed eorum calliditatem qui ad pertentandos flectendóſque animos Rhetoricam conuerterent, Iuſtitiæ patrocinium deſerentes ac Reip. vt in extremo Gorgia pulcherrimè ac copioſè admonuit. Nam Lacedemones (de Areopagitis
enim, an iurè παθητικὸν orationis genus repudiarint; quippe qui Oratores aliqua ex 164
parte ſuſpectos haberent, dicam ſuo loco) qui in animis Reipublicæ firmamentum conſtituentes, Philoſophos ac Rhetores expulere, ac Romanos etiam qui hoc ipſum hac vna de cauſa fecere, quòd dicerent adoleſcentes ijs artibus ab armis ad otium atque ſocordiam auocari; equidem cur laudem non habeo. ſi quidem ad pacem potiùs moderatúmque imperium reuocanda ſint ſtudia, quàm ad bellum non neceſſarium, atque ad nationes reliquas ſubigendas vt dominandi cupiditatem & ardorem expleamus. Proſecutus eſt autem more ſuo Cicero hanc quoque dubitationem copioſè libro priore de inuentione ad initium: vbi cum multa attuliſſet, vt oſtenderet dicendi facultatem multa incommoda attuliſſe Reip. rurſúſque effeciſſet ex eâdem plurimũ vtilitatis emanaſſe in humanam ſocietatem; ſic denique ſtatuebat. Eloquentiam ſine ſapientia plerunque Reip. pernicioſam: cum ſapientia perutilem. Quanquam de Eloquentiæ vtilitate erit, opinor, cut alibi copioſè diſputemus, controuerſiam hac de re data opera excitantes.

PARTICVLA XX.

Ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἔστιν οὔτε ἑνός τινος γένους ἀφωρισμένου ἡ ῥητορική, ἀλλὰ καθάπερ ἡ διαλεκτική, καὶ ὅτι χρήσιμος, φανερόν.

AC non eſſe quidem alicuius generis definiti Rhetoricam, ſed talem, qualis eſt Dialectica, & vtilem eſſe, apparet. *Riccobonus.*

IAm igitur dicendi artem non eſſe in aliquo certo ac definito genere, ſicuti neque Dialectica eſt, & magnopere vtilem eſſe perſpicuum eſt. *Maioragius.*

165

Duo tãquã Epilogo colligit quæ docuerat.

COlligit Ariſtoteles ea quæ docuit hactenus: aítque ex dictis duo conſtare. Vnum eſt Rhetoricam perinde ac Dialecticam non eſſe vllius generis definiti: hoc eſt non eſſe poſitam in aliquo certo ac definito rerũ genere ac materia: quemadmodum Aſtrologiæ verbi gratia, Medicinæ & huiuſmodi alijs facultatibus ſeu doctrinis atque artibus accidit, quæ certum definitúmque campum habent in quo verſentur: quin potiùs in vtramque partem de rebus omnibus diſſerere. vbi ſanè Rhetoricam & Dialecticam non habere certum genus, quod hoc in loco ſtatuit, idem valet ac verſari in quibuſdam quæ quoquomodo ſunt omnibus expoſita ad cognoſcendum: ac nullam ſibi vindicant ſcientiam definitam, quod ſcripſit ab initio: eo ſi quidem nos reuocat in præſentia dum ſignificat ex dictis, perſpicuum eſſe, Rhetoricam non eſſe poſitam in aliquo certo genere. Alterum quod iam oſtendit eſt, Rhetoricam eſſe vtilem. Sed cur obſecro recolit in hac enumeratione, quod fuit in diſputatione primum? nimirũ Rhetoricam non habere certam materiam, quam tractet, ſtatímque ſubiungit quod eſt poſtremum, nimirum Rhetoricam eſſe vtilem. quæ verò tam fuſè interpoſuit media, tacitus prætermittit omnia? nam quod enumerentur in particula XIV. (ſi tamen enumerantur omnia) id ſaltem non efficit quò minùs vitioſa ſit enumeratio, quę tam præpoſtero ordine facta eſt. Sed profectò pulcherrima & artificioſa eſt enume- 166
ratio: nam in particula XIV. enumerauit ea quæ iam tum diſputauerat aliorum occaſione Rhetorum qui præpoſterè de dicendi facultate præceperant: quæque ipſe veluti digreſſione facta aduerſus illos diſſeruerat. nunc enumerat ea quæ ipſemet vl-

Cõ. XX.

Dubitatur de propoſito Epilogo.

Reſpondetur, ac partium huiuſce capitis ordo & oeconomia declaratur

trò

trò præcepit ac docuit. quare quemadmodum appoſitè illa collegit enumerauítque eo in loco, vt ſcilicet antequam ſeſe inde ad propria decreta ſtatuenda reciperet, de ijs conſtaret, de quibus reprehendiſſet alios; ita quæ ex ſua veluti officina protulit & ex inſtituto docuit, appoſitè enumerat hoc in loco in quo eadem abſoluit. Nam ſi obijcias inter ea quæ, nobis docētibus, data opera probantur hîc ab Ariſtotele, illud etiam numerari quod ſecundo loco docuit, nimirum Rhetoricam eſſe Artem, nec tamen id vſquam epilogo concludi; iam cum ſatis ſupérque conſtet fuiſſe declaratum Rhetoricam eſſe artem, nihil eſt quòd magnopere perturbemur, aut inter proœmij partes hoc referre ac recenſere vereamur: præſertim verò quia id tum in particula II. concludit ad extremum: tum in XIX. & XXIV. tanquam demonſtratum arripit. Ita vt iam ſatis & conſtitutum concluſúmque & nobis in memoriam reuocatum, videri poſſet. Vt omittam minutæ eſſe diligentiæ cauere ne epilogum pars vlla præſertim quæ paucis tractata ac probata ſit, effugiat. Sanè Rhetoricæ munus atque officium eſſe appoſitè dicere ad perſuadendum, iam iam docebit Ariſtoteles, quod poſtremum erit ex ijs quæ in hoc primo capite ſiue in Proœmio declarantur; nec tamen id epilogo rurſus concluditur.

167 Ex hac verò enumeratione intelligere licet Ariſtotelem ab initio dum doceret Rhetoricam non habere certam materiam in qua verſetur, ſiue (quod in idem tandem recidit) in ijs verſari, quæ non ſunt alicuius ſcientiæ definitæ, id non modò docuiſſe, vt inde ſenſim colligeret (quod effecit etiam) Rhetoricam eſſe artem; verùm etiam vt hoc ipſum per ſe ſtatueretur quod ad Rhetoricæ vim naturámque percipiendam pertineret. Quamuis, quoniam hoc ibi vix oſtendere cœpit, cum eò diſputationem vniuerſam traduxit, vt euinceret Rhetoricam eſſe artem; non abſurdè dixeris nō tam per ſe quàm alterius rei gratia (id quod ipſi monebamus) Rhetoricæ vim ac naturam fuiſſe ibi propoſitam: nimirum ad docendum, Rhetoricam, quoniam de illa præcipere decreuerat, Arte contineri, ſiue concludi poſſe. Tametſi deinde colligit etiam non eſſe in certo genere, vt quoniam id vſui futurum erat Rhetoricæ definitionem atque explicatum molienti (de qua conſtabit in II. capite) nos interim admoneret id iam fuiſſe demonſtratum & conſtitutum. Hæc de IV. proœmij parte. De quibus quid M. Tullius Ariſtoteli cōſentiens dixerit, oſtendemus in propoſitis rationibus ſingulis.

PARTICVLA XXI.

ΚΑὶ ὅτι οὐ τὸ πεῖσαι ἔργον αὐτῆς, ἀλλὰ τὸ ἰδεῖν τὰ ὑπάρχοντα πιθανὰ περὶ ἕκαστον, καθάπερ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις τέχναις πάσαις. οὐ δὲ γὰρ ἰατρικῆς τὸ ὑγιᾶ ποιῆσαι, ἀλλὰ καὶ μέχρι οὗ ἐνδέχεται, μέχρι τούτου προαγαγεῖν. ἔστι γὰρ καὶ τοὺς ἀδυνάτους μεταλαβεῖν ὑγιείας, ὅμως θεραπεῦσαι καλῶς.

168 *Riccobonus.* NEque verò perſuadere eſſe munus ipſius, ſed videre, quæ poſſunt opponi ad perſuadendum in quaque re, quemadmodum etiam in alijs artibus omnibus. Neque enim medicinæ eſt ſanum facere, ſed quouſque fieri poteſt couſque perducere. Licet enim etiam illos, qui non poſſunt recuperare ſanitatem, tamen curare bene.

Maioragius. *PRæterea officium eius eſſe non perſuadere, ſed ea videre, quæ ad perſuadendum accommodata ſint. Quod etiam in alijs omnibus artibus vſu venit: neque enim medici officium eſt ſanare, ſed vſque eò rem perducere, quò ratio curandi patitur. nam fieri poteſt, vt is benè atque ex arte curetur, qui bonam valetudinem recuperare nullo modo poſſit.*

Poſtremam

V. Seu po-ſtrema Pro-œmij pars: in qua de Oratoris officio.

Com. XXI.

POſtremam procemij partem aggreditur in hac particula: in qua planũ
eſt quid doceat, ſed cur id doceat ſeu potiùs quamobrem hac ratione
& via id doceat, obſcurum. Etenim perſpicuum eſt illum efficere at-
que optimo argumento efficere non eſſe Oratoris officium ac munus
fidẽ facere, ſed, vt ille loquitur, videre τὰ ὑπάρχοντα πιθανὰ περὶ ἕκαστον,
quid in quaque re inſit ad perſuadendum idoneum & accommoda-
tum: quemadmodum in alijs artibus omnibus vſu venire ſolet. nam Medici officium
exempli gratia non eſt ſanare: ſed curationem eò vſque perducere, quò ars patitur:
quod eſt ea quæ ad ſanandum valent; quatenus ars patitur, adhibere morbo: ſiqui-
dem fieri poteſt vt Medicus ſuo munere fungatur egregiè; cum tamen ſiue propter
ægroti intemperantiam, ſiue quia morbus altiores radices egerit, quàm vt euelli poſ-
ſit, ægrotus non recuperet ſanitatem. id inquam perſpicuum eſt: obſcurum eſt autem
cur ſcribat ex dictis hoc etiam eſſe perſpicuum: ſiue cur non ſecus ac Rhetoricam eſſe
vtilem, id ex dictis colligat: cum de hac re hactenus ne verbum quidem. Neque ve- 169
rò leuis exiguique momenti eſt hæc res: nam Ariſtotelis methodus, quæ nobis in tan
ta rerum obſcuritate, ac dicendi breuitate quandam veluti facem præferre ſolet, mea
quidem ſententia eſt diligenter obſeruanda ſemper atque adeò tenenda & cuſtodien-
da mordicus. Ac propterea optaſſem omnino vt interpretes in hanc curam incubuiſ-
ſent pro munere. Ergo videtur mihi hæc particula nõ tam rerum explicatarum enu-
merationem continere, quàm earum corolarium eſſe quæ ex dictis videntur colligi
poſſe ac deriuari: vel certè partim res explicatas enumerare, partim quæ ex dictis col-
ligi poſſunt atque in illis tanquam in initijs quibuſdam & cauſis deliteſcunt, in lucem
proferre. nam reuera quæ perſtringit in particula XIV. pertinent ad enumerationem,
oſtenſa enim ſunt ac declarata. quæ verò modò aggredimur in XX. pertinent ad co-
rolarium; & ideo (id quod ſententiam noſtram confirmat mirificè) non tam ex di-
ctis eliciuntur, quàm probantur hoc in loco, ac ratione paulò ante explicata demon-
ſtrantur.

Sed quo pacto, inquies, ex dictis poteſt etiam quaſi corolarium elici ſiue in rebus
dictis tanquam in ſuis initijs poteſtate ſitum oſtendi, Rhetoris munus non eſſe fidem
facere, ſed tantùm dicere appoſitè ad perſuadendum? Inde elicitur, vt ego quidem exi-
ſtimo, quia dixit in particula I. Rhetoricam & Dialecticam in quibuſdam rebus ver-
ſari; quæ quoquomodo ab omnibus dignoſci poſſunt & nullius ſunt ſcientiæ definitæ. 170
Quod (ſi quis rectè reputet) eſt iſtas facultates veriſimilia ſpectare ac probabilia. hæc
enim ſunt quæ quoquomodo omnibus ſunt peruia ac nullius ſunt ſcientiæ definitæ.
& ideo ſubdebat omnes homines eſſe vtriuſque participes quoquomodo, quia ſcili-
cet veriſimilia & probabilia vtcunque dignoſcere ac probabiliter proinde quoquo-
modo diſputare omnes norunt. & ob id etiam monebat in particula XII. enthyme-
mata differre a logicis ſyllogiſmis, quod eſt hos vera, illa veriſimilia, conſectari. & in
XII. ne quis miraretur cur Rhetorem qui veriſimilia ſectatur, ad logicos quoque ſyl-
logiſmos contemplandos, compelleret; ſubdebat, ***Etenim verum & veriſimile eſt eiuſdem
facultatis***, quaſi diceret, veriſſimum eſt quidem verum ad Logicum ſpectare, veriſi-
mile ad Rhetorem; veruntamen cũ homo a Natura fictus ſit ad verum quoque con-
iectandum, non iniuria Oratorem ad logicos ſyllogiſmos verique cognitionem tra-
ducimus. Cum igitur ex his omnibus conſtet Rhetorem in vna quaque re probabi-
lia ſectari efficitur ſanè Oratoris nihil plus eſſe quàm videre quid vnicuique rei inſit
probabile, ſiue ad perſuadendum idoneum. non igitur Oratoris munus eſt perſua-
dere, ſed quæ ad perſuadendum videntur idonea proferre. Hæc eſt ratio cur id etiam
ex dictis quaſi colligat: hoc enim ex ſe non fuerat diſputatum, in ijs tamen quæ diſpu- 171
tauerat deliteſcebat. Id verò colligit in præſens & in apertum profert quòd Rhetori-
cæ definiendæ ac definitioni ipſi quam continenter afferet, conſtituendæ plurimùm
valeat; quemadmodum ad II. capitis initium conſtabit.

Neque verò quæ interim ſtatuit de Oratoris officio, cum ijs pugnant, quæ ſcripſit
in particula VI. dum diceret Oratoris officium eſſe oſtendere rem eſſe vel non eſſe,
factam aut non factam, ſiue etiam (quod intelligitur ex particula VIII.) futuram vel
non futuram. nam reuera eatenus dicitur hæc oſtendere, quatenus quibus poteſt ve-
riſimilibus argumẽtis nititur vt hæc oſtendat ac perſuadeat, quod eſt appoſitè ad per-
ſuadendum

Digitized by Google

ſuadendum dicere: vel certè, ſi iſthæc non contineant ipſum veluti ſcopum ſiue id quod ſuadere vel diſsuadere conatur Orator, ſed ea ſint quibus ad illud ſuadendum vtitur, optimè fieri poteſt vt vtrunque ad Oratoris officium reuocetur: nam nihil impedit quominus reuera Orator efficiat ac demonſtret aliquid eſſe vel non eſſe; cum tamen non hac de cauſa id quod caput eſt, & cuius cauſa debet appoſitè ad perſuadendum dicere, perſuadeat. Certè Ariſtoteles cum diceret Oratoris eſſe oſtendere rem eſſe vel non eſſe, factam vel non factam, addebat etiam, an verò iuſta ſit vel iniuſta, id iudici ac diſceptatori definiendum ac ſtatuendum eſſe. Vt propterea qui oſtendit rem factam aut non factam, eſſe vel non eſſe, is cenſendus ſit non tam perſuadere quàm ad ſuadendum appoſitè dicere, ac ſuo muneri ſatisfacere. An verò ar-
172 tium ceterarum omnium reuera id vnum ſit vt, ea excogitare & parare debeant, quæ ad finem aſſequendum valent, non omnino finem ipſum aſſequi, videbimus opportuniore loco.

PARTICVLA XXII.

Πρὸς δὲ τούτοις, ὅτι τῆς αὐτῆς τό γε πιθανὸν καὶ τὸ φαινόμενον ἰδεῖν πιθανὸν, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῆς διαλεκτικῆς συλλογισμόν τε, καὶ φαινόμενον συλλογισμόν. ὁ γὰρ σοφιστικὸς, οὐκ ἐν τῇ δυνάμει ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει, πλὴν ἐνταῦθα μὲν ἐστὶ ὁ μὲν, κατὰ τὴν ἐπιστήμην, ὁ δὲ, κατὰ τὴν προαίρεσιν ῥήτωρ. ἐκεῖ δὲ σοφιστὴς μὲν, κατὰ τὴν προαίρεσιν διαλεκτικὸς δὲ οὐ κατὰ τὴν προαίρεσιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν δύναμιν.

Riccobonus. AD hæc autem eiuſdem eſſe tum appoſitum ad perſuadendum, tum quod videtur appoſitum, videre, vt etiam in Dialectica tum ſyllogiſmum, tum qui videtur ſyllogiſmus (Sophiſticus enim non eſt in facultate, ſed in prælectione) Tamen hic quidem erit partim ſecundum ſcientiam, partim ſecundum prælectionem Orator. Ibi verò Sophiſta quidem ſecundum prælectionem, Dialecticus autem non ſecundum prælectionem, ſed ſecundum facultatem.

Maioragius. *ILlud etiam manifeſtum eſt, eiuſdem artis eſſe, & quod appoſitum eſt ad perſuadendum & quod videtur appoſitum inuenire: quemadmodum Dialectica eſt verum ſyllogiſmum, & qui verus videtur intelligere: fallax enim & captioſus diſputator non ex facultate, ſed ex voluntate atque delectu debet æſtimari. Sed ea eſt differentia, quod in arte dicendi tam is, qui fallacibus vtitur argumentationibus, quàm is, qui ſcientia contentus eas fugit, Orator vocatur. In diſſerendi verò ra-*
173 *tione diſtincta ſunt nomina: nam qui ſtudio fallendi ducitur, ſophiſta; qui autem facultatem quidem habet fallendi, ſed ea non vtitur, dialecticus appellatur.*

Comm. XXII. ALterum profert corolarium, quod in dictis item latebat quódque Rhetoricæ definitionem meditanti vſui futurum erat; nimirum eiuſdem eſſe artis videre & quid aptum eſt ad perſuadendum & quid videatur aptum: ídque Dialectici inſtar, qui non modò quærit verum ſyllogiſmum, ſed eum etiam qui videtur verus. colligitur autem hoc corolarium ex ijs quæ dicta ſunt in particula XIII. nam quemadmodum homo (vt ibi docemus) a Natura fictus eſt ad verum ſimul ac veriſimile conijciendum; ita etiam qui veriſimile ſiue quod eſt aptum ad perſuadendum, perueſtigat, æquè exquirere poteſt quid in ſpeciem ſit veriſimile, aut re ipſa ad perſuadendum accommodatum: nam eâdem fermè proportione id quod refert ſpeciem quandam pro- *De Rhetorica officio itē, in quo Rhetoricen confert cū Dialectica*

babilitatis, reſpondet ei quod reuera eſt probabile; quia id quod eſt probabile ei re-
ſpondet quod eſt verum. Loquitur autem Ariſtoteles hoc in loco non de vero &
veriſimili quemadmodum in particula XIII. Sed de veriſimili & eo quod apparet
tantùm. Atque vt ibi verum & veriſimile ad eandem mentis facultatem, ita hic veri-
ſimile & apparens veriſimile ad eandem reuocat artem, nimirum ad Dialecticam,
quamuis in logica non eadem planè Ars ſeu facultas aut doctrina aut certè doctrinæ
pars conſiderat verum & veriſimile, quin neque veriſimile & apparens tantùm veri- 174
ſimile (ideo enim poſteriores libri Analytici a Topicis, Topici ab Eriſticis diſtin-
guuntur) Rhetores tamen veriſimilia cum apparentibus omnino confundunt ac
miſcent.

Quo conſilio fallacẽ ſyllogiſmũ eiuſq. vim Oratori offerat agnoſcendum.

Sed quónam obſecro, Ariſtoteles, ſpectat fallacis ſyllogiſmi eorúmque cognitio
quæ ſpeciem referunt veritatis, cum reuera falſa ſint, & ad decipiendum tantùm ido-
nea? ac proinde cur ea quæ ſpeciem habent probabilitatis, ſed re ipſa probabilia non
ſunt, ab Oratore ſunt perdiſcenda? an non ſophiſticus ille & captioſus, hic malus
Orator, cenſendus eſt & flagitioſus? eò ſpectat, inquit Ariſtoteles; vt ijs qui fallacibus
argumentationibus vtuntur, reſiſtamus, dum ea ſectantur quæ ſpeciem tantùm ha-
beat veriſimilis aut probabilitatis, ſed falſa ſunt & iniqua. nam Dialecticus ſophiſti-
cus euadit ſiue captioſus & fallax non ex facultate, ſed ex præelectione, hoc eſt non
propter fallacem argumẽtationum cognitionem, ſed propter delectum atque vſum,
ac ſi ſpontè illas vſurpet. ac proinde Orator etiam non propter eorum cognitionem
quæ in ſpeciem tantùm ſunt ad perſuadendum idonea, ſed qui fallendi ſtudio dele-
ctatur ac conſultò illis vtatur reprehendendus eſt. Quanquam (ſubdit Ariſtoteles)
non eſt negandum Dialecticum & Rhetorem eo differre hac in re dùm ſponte vſur-
pant ea quæ aſpectu tantùm ſunt veriſimilia aut probabilia, quòd Dialecticus qui ſtu-
dio fallendi ductus hoc facit, Dialectici amittit nomen, ac ſophiſta nuncupatur: Ora-
tor verò nullum tale nomen inuenit: Sed ſiue ea nouerit tantùm, ſiue vſurpet etiam,
ſemper retinet Oratoris nomen. Vbi obſerua non audere Ariſtotelem inficiari Ora-
torem non interdum falſis rationibus de induſtria vti dummodo veriſimili ſint re-
ſperſæ & ad decipiendum accommodatæ. & ideo infra in particula CCIV. docet
oportere Oratorem ſumere illa etiam quæ ſpeciem tantùm virtutis referunt, ac pro-
pterea audacem verbi gratia fortem fingere, prodigum verò liberalem: nam id (in- 175
quit) videbitur multis, & paralogiſmus vnde auditor decipiatur vim habebit ex cau-
ſa: quaſi dicat ſatis eſſe ſi veritatis vmbra quædam offerri poſſit.

M. Tullius in hac quoque parte confertur cum Ariſtotele.

Hæc in poſtrema procemij parte Ariſtoteles; quócum de Oratoris officio & fine
mirificè conſentit Cicero: quandoquidem libro I. de Orat. & I. de Inuent. hunc Ari-
ſtotelis locum totidem penè verbis expreſſit. Nam ibi, Oratoris officium, inquit, eſt *pag. 121 ver. 17.*
dicere ad perſuadendum accommodatè. Hîc verò cum hanc ipſam ſententiam re-
petijſſet, ſtatim ne quis Oratoris officium cum fine confunderet, pluribus docuit quid
inter vtrunque interſit. Ad quam rem explicandam hoc ipſum Ariſtotelis ex Medi-
ci officio ac fine petitum exemplum vſurpauit. verba hæc ſunt. *Officium autem Ora-* *pag. 2. et*
toriæ facultatis videtur eſſe dicere appoſitè ad perſuaſionem: finis perſuadere dictione. Inter offi- *pag. 179*
cium autem & finem hoc intereſt, quòd in officio quid fieri; in fine quid officio conueniat, conſi- *in ini.*
deratur: vt Medici officium dicimus eſſe curare ad ſanandum appoſitè: finem ſanare curatione.
Sed & Rhetoris eſſe non illud modò perquirere quid ſit appoſitum ad perſuaden-
dum, verùm etiam quod videatur appoſitum, docuit quoque Cicero lib. I. de Inuen-
tione his verbis. *Probabile autem eſt id quod ferè fieri ſolet: aut quod in opinione poſitum* *pag. 66.*
eſt: aut quod habet in ſe quandam ſimilitudinem; ſiue id falſum eſt ſiue verum. Atque has *v. 12.*
quidem probabilis ſpecies ſeu formas ac partes ſuis quæque ibidem illuſtrauit exem-
plis. Illud tamen vnum videntur differre quòd Ariſtoteles hoc in loco φαινόμενον
πιθανόν, hoc eſt id quod probabile videtur, tantùm illud appellare videtur, quod ab
Oratore agnoſcitur eſſe falſum: & ideò eius interdicit vſu, (etſi deinde, neſcio quo
pacto, illum concedit, & ad paralogiſmum in Demonſtratiuo ſaltem genere Orato-
rem inſtruit; & cognitione contentum eſſe iubet.) At Cicero ſine diſcrimine videtur
offerre Oratori probabile & quod videtur probabile: quaſi vnum ſpectare debeat ni- 176
mirum vt id quod vſurpat, habeat ſaltem probabilitatis ſpeciem; nec deinde curioſiùs
exquirere verúmne ſit an falſum. & ideo videtur vſum quoque concedere Oratori.

Quanquam an Ariſtoteles etiam Oratori denique conceſſerit vt ſuum illud τὸ φαινό-
μενον πιθανὸν vſurpet quocunque ſe ſe offerat modo, ſiue, inquam, ei conſtet de falſi-
tate, ſiue non conſtet, requiremus adhuc diligentiùs, ac iuréne id fecerit, diſceptabi-
mus. Nam Cicero paſſim ſtatuit eloquentiam nihil aliud eſſe niſi copioſè loquen-
tem ſapientiam, & in Partitionibus cauendum eſſe ait, ne fallant nos ea quæ viden-
pag. 22. tur virtutem imitari: ac propterea damnans in diſputatione fallaces concertationes
pag...... captionéſque verborum, pari argumento refellit inanem illam verborum profluen-
tiam, quæ, vt ipſe ait, Oratoris vim imitatur, viſus eſt etiam a potiori ſententia non
abhorrere, & eius quod eſt φαινόμενον πιθανὸν tantùm, vſum Oratoti denegare. Sed
hæc in M. Tullio qui nihil potius habuit quàm vt in contrarias partes diſſereret, non
eſt quod miremur. Denique hic quoque locus eſt, in quo videtur adumbrare Mar-
cus Tullius quod dixerat Ariſtoteles tum de Dialectico, qui ſi falſa de induſtria vſur-
pet, ſophiſta euadit: tum de Oratore qui dum idem facit, etſi nomen non amittit,
177 ſuo tamen munere abuti dicendus eſt: nam diſputator captioſus qui veri diſputatoris
virtutem imitatur, eſt is qui apud Ariſtotelem ex Dialectico fit ſophiſta, qui item
profluentia verborum Oratorem imitatur, eſt Orator item qui apud Ariſtotelem
non amittit nomen, a veri tamen Oratoris diſcedit munere.

Atque his primum Rhetoricæ caput atque adeò Prœmium vniuerſum explica- *NVM*
tum ſit: ſi tamen in germani Prœmij loco habenda ſunt quæ docuit in hoc primo *Prœmij*
capite. Etenim facilè ambigat quiſpiam Num verè Prœmij locum obtineat pri- *locũ obti-*
mum hoc caput, ita vt verè dici poſſit Ariſtotelem Prœmio vſum eſſe in ſuo *neat pri-*
hoc monumento. Nam præterquamquod rarò vti illo ſolet, ſanè initium, in *mum hoc*
quo Rhetoricen deſcribit ſiue adumbrat videtur ad rem ipſam ſeu ad Tracta- *caput.*
tionem pertinere: quæ enim a rei natura proficiſcitur oratio, ea ſanè perti-
net ad Tractationem. Idem dixerim dum ad extremùm deſcribit Oratoris officium
aç muņus: idem rurſus dum efficit eiuſdem facultatis eſſe videre τὸ πιθανὸν καὶ τὸ φαι-
νόμενον πιθανόν. & hinc eſt vt quam mox in ſecundo capite in apertum profert Rheto-
ricã definitionem, eam ex dictis colligat: ita ut in primo capite non tam præfari
quàm ſibi aditum ad perfectam definitionem, (quod Tractationis eſt proprium)
ſternere videatur. Et hinc eſt vt eo modo loquendi vtatur, *Tanquam igitur de integro
ordientes, ipſam definitionem afferamus tum reliqua proſequamur.* Quid plura? qui librum
conſcribat is titulo attentum ac docilem efficere lectorem ſolet: quod optimè effece-
178 rat Ariſtoteles qui de Arte Rhetorica hoc eſt re vtili & graui & verò delectationis ple
niſſima; propoſuerat dicendum. Ita vt nouo aut longiore prœmio non indigeret.
Contra verò dum in eodem capite ſtatim ferè docet Rhetoricam tum ad artem re-
uocari poſſe, tum præpoſterè a veteribus explicatam, tum multas ac magnas vtilita-
tes habere, quis non videt hæc ad Prœmium pertinere? cum enim in Inſcriptione
propoſuiſſet ſibi de Arte Rhetorica agendum, præſtabat tum docere, poſſe illam ad
artem reuocari ne temerè id moliri ac tanquam Iſthmum perfodere videretur: tum
hoc munere non eſſe ſuperſedendum quòd iam multi illud occupaſſent: tum audi-
tores attentos reddere rerum dicendarum vtilitate propoſita. Ita vt dum hæc præ-
ſtat Prœmio vti penitus videatur: ſi enim non beneuolos (id enim a Philoſopho
non eſt magnopere exigendum) at certè attentos nos reddit ac dociles. Quid igitur *Authoris*
ſtatuemus? Ego verò crediderim explicatum Prœmij vſum non eſſe illi neceſſa- *ſententia.*
rium qui libros condat: nam Inſcriptio ſine dubio Prœmij locum obtinet cum Le-
ctorem attentum ac docilem efficere ſoleat. Quemadmodum hîc accidit vt oſten-
dimus. Veruntamen contingere poteſt vt alia de cauſa Prœmio eóque explicato
vtendum ſit: quod Ariſtoteli accidere potuit dum cauendum illi erat ne operam lu-
dere crederetur vel quia multi Rhetoricam eſſe artem aut præceptis concludi poſſe
179 negarent: vel quia multi etiam hanc artem ſatis explicaſſe dicerentur. Et ideo arte
concludi poſſe ac præpoſterè ab alijs tractatam docuit, quod ad ipſius Ariſtolis offi-
cium ac munus cuius tacitè rationem reddit, pertinebat. Et huc etiam ſpectat quod
de eiuſdem Rhetoricæ vtilitate diſſerit atque eos refellit qui dicerent eſſe pernicio-
ſam. Nam id quoque ad eius pertinebat officium qui hoc ſubibat munus ne rem
inutilem ac pernicioſam ſed vtilem aggredi videretur. Hac igitur de cauſa dum hæc
præſtat Ariſtoteles quæ fortè præſtanda erant, ne offenderet, vti placuit Prœmio

in quo de ijs admoneremur quæ Inſcriptione complecti haud licuit. Neque initium
in quo adumbrabat Rhetoricam tam eò pertinet vt definitioni muniat viam quàm
vt hinc colligat poſſe præceptis concludi (quod continenter etiam colligit) & adar-
tem reuocari vt tacitè calumniam depellat qua dici potuiſſet Iſthmum perfodere.
Ita vt ad finem vſque vbi ad Oratoris munus deſcendit de Procemio conſtare poſſit.
Quod ſi ad extremùm docet quale ſit Oratoris officium, addítque eiuſdem eſſe fa-
cultatis videre τό πιθανὸν καὶ τὸ φαινόμενον πιθανὸν, iam hæc quoniam vſui futura erant
Rhetoricæ quam mox allaturus erat definitioni, tanquam corolarium (vt fit) ex di-
ctis collegit ne oblatam rei benè gerendæ occaſionem amitteret: ſed ei quam me-
ditabatur definitioni proferendæ & conſtituendæ adhiberet. Hæc dum quæritur:
NVM quæ docet in hoc primo capite, iurè ac meritò Procemij locum obtinere poſ-
ſint. Quanquam de hac re paulò poſt copioſiùs, vbi Rhetorica cum Dialectica inde
comparatur quòd vtraque in contrarias diſputet partes. Vt enim huiuſce rei, quæ
alioquin & difficilis & abſurda videri poſſet, ratio afferatur, hinc nobis deſumenda
erit occaſio. Interim illud ex dictis colligam, vel potiùs obiter quaſi πάρεργον animad-
uertam, procemium vix præterenndum Oratori. Cum enim dicat, non ſcribat ac
propterea nulla vtatur Inſcriptione qua ſaltem dociles (vt par eſt) nos efficiat, neceſſe
eſt vt oratione ipſa dociles, adde etiam attentos, ſi opus ſit, reddat Auditores: Ita qui- 180
dem niſi aliunde iam de re tractanda déque eiuſdem vtilitate penitus conſtet, aut ne-
ceſſitas vrgeat, vt rem ſtatim attingat, Procemium ſine crimine vix ac ne vix quidem
prætermittat, Scriptores contra titulo contenti eſſe poſſunt quo id efficiant: niſi ta-
men noua aliqua de cauſa, vt Ariſtoteli accidit hoc in loco, vel vt vberiùs Auditores
dociles efficiant attentóſque, explicato Procemio vti malint. Et hinc eſt vt Epici qui
videri volunt non tam ſcribere quàm canere, Propoſitione eáque accurata vtantur,
qua nos & dociles & attentos reddant. Ita vt non mirum ſi Ariſtoteles quippe In-
ſcriptione contentus, rem ſæpè attingit ſtatim; cum tamen hoc in loco Procemio
vtatur eóque luculento. Ita quidem (vt rem totam in pauca contraham) tum do-
ciles nos effecit Ariſtoteles tum verò attentos. attentos quia multas & magnas Rhe-
toricæ vtilitates commemorauit: dociles dum ea indicaret quæ dicenda ſunt ac per-
tractanda, cum enim eam vim habeat propoſitio ac procemium, vt lectoris animum
comparet ad reliquam dictionem, ſine dubio Ariſtoteles qui res dicendas vniuerſim
ſaltem propoſuit, id efficit vt intelligenter ad Tractationem accedere liceat. Nam
quod attinet ad beneuolentiam, profectò nihil erat cur beneuolentiam ſibi concilia-
re niteretur, quæ a perſona ac meritis ducitur tota. Siquidem Ariſtotelem, hoc eſt gra-
uiſſimum philoſophum, decebat nos non tam meritis ac dignitate allicere quàm re-
rum dicendarum præſtantia ac pondere.

Quæ hoc Procemio paſſim in alium locum explicanda reiecta ſunt, colliguntur & enumerantur omnia.

Iam verò antequam ad Tractationem quaſi in arenam deſcendamus poſtularet
ſanè ratio, vt paulò vberiùs nonnulla explicarem quæ in Procemio partim diſſimula-
uimus, partim in alium locum reiecimus (ſunt enim ſine dubio præclara, quæque
eloquentiæ artem tradenti nullò modo ſunt prætermittenda) quin etiam oratio-
nis iam ferè pandenda eſſent vela, vt oratorias Controuerſias quaſdam pulcher- 181
rimas explanarem, quæ inter Platonem, Ariſtotelem atque alios Rhetores Phi-
loſophóſque clariſſimos, eorum quæ hactenus dicta ſunt, occaſione ſe ſe obij-
ciunt.

Ac primum quidem diſceptandum eſſet num Rhetorica ſit Ars nec ne; & ad quā
I. Philoſophiæ ſeu doctrinæ partem pertineat: nam id tum ab ipſo initio ſemel atque
II. iterum ſe ſe offerebat, quod tamen in alium locum declarandum reiecimus. Quan-
quam hoc argumentum cum breuiter attigimus vbi de Inſcriptione egimus, tum
pleniùs explanabitur in II. capite vbi ſe ſe rurſus nobis offeret quòd Ariſtoteles
III. hanc doctrinam malit facultatis nomine appellari. Deinde videndum quoque eſſet
qualis & quanta ſit huius ſiue Artis ſiue facultatis vtilitas: niſi tamen cum ab initio
receperim me de huius vtilitate Artis alibi dicturum, quæ ſtrictim Ariſtoteles attin-
git, aut ipſe breuiter adieci explicatus gratia, ea ſatis eſſe putem, quibus fidem liberem
meam. Ad hæc dum inde vel maximè ſtatuit Rhetoricam Dialecticæ affinem eſſe
& inter ſe ſimillimas, quòd contrarias res probare ſoleant, atque idem in contra-
rias partes probabiliter, diſſerere, id verò qua tandem ratione efficiant, exem-

plo

plo aliquo eſſet declarandum , ita vt idea quædam & imago conſimilis ſludij ap-
pareret. Neque enim facilè intelligi poteſt quî tandem res ipſæ contrarias planè
rationes offerant paſſim Dialectico & Oratori . Sed & illud declarandum quod IV.
vberiùs alibi explicandum ſignificaui , an fortè enthymematis nomine exemplum V.
quoquomodo complexus ſit Ariſtoteles, dum ſola enthymemata Oratori conce-
dere ac σῶμα τῆς πίστεως facere videretur. Cur etiam Iudiciale Deliberatiuúmque ge- VI.
nus eâdem via ac ratione tractari dicantur, explicatiùs (quod polliciti ſumus) decla-
randum eſſet. Verùm illud in primis tractandum ac definiendum videretur, num VII.
De hac re part. 9. & 211. affectus concitare liceat; præſertim verò quia Ariſtotiles qui hactenus aduerſus affe-
ctionum permotionem tam acriter decertauit, non modò a M. Tullio atque alijs
multis, verùm etiam a ſe ipſo diſſentire viſus eſt: cum deinde in libro II. miſcendo-
182 rum animorum rationes ac vias exploret omnes, & de re hac vniuerſa quàm accura-
tiſſimè præcipiat. Tametſi enim ipſi totam hanc rem integro libro ſic perſecuti ſu-
mus vt vtrinque magnis viribus certatum videri poſſit; res tamen adhuc definita a
nobis ac penitus conſtituta non eſt. Denique ea quæ ſtrictim attigimus paulò ante
dum totam hanc dubitationem obijceremus Ariſtoteli, grauiſſimæ huic Controuer-
ſiæ ſedandæ haud ſatis adhuc videri poſſunt. Neque verò interim ab re eſſet vt de me-
thodo certiùs aliquid ſtatueretur: cum enim hactenus nobis ſæpè illa ſe in conſpe- VIII.
ctum dederit, de tota illius vi ac notione ex Ariſtotelis ſententia, prout promiſimus,
dicendum eſſet accuratiùs. Sed maiore fortaſſe cura nodus ille eſſet explicandus, cur IX.
probationem quæ ex ratiocinationibus ducitur, aut ſolùm aut maximè tribuatur
Oratori, cum deinde probationem quæ ducitur ex moribus, κυριωτάτην appellet atque X.
omnium principem. Quin de nomine ac vi Dialecticæ, & quid planè Ariſtoteli in-
terim ſignificet, ſæpè orta eſt dubitatio, quam nos paulò poſt planiùs explicaturos
183 pollicebamur, quod tamen nondum perfecimus. Num etiam Iudex & auditor ru- XI.
dis ſit ſtatuendus & imperitus, an nauus & doctus, a nobis dubitabatur, dum ex audi-
torum imperitia & tarditate argumentum duceret Ariſtoteles ad Rhetoricæ vtilita-
tem neceſſitatémue ſtatuendam. Quæ enim ibi diximus ad rem hanc dilucidan-
dam, fortaſſe vberiorem requirunt diſputationem. Num præterea ſinendum ſit vt XII.
Rhetor in vtranque partem excolat artem, quod eſt in contrarias partes ſe exerceat;
in dubium a nobis fuerat reuocatum, cum id concedere quin iubere viſus ſit Ariſto-
teles. Ambigebatur quoque num reuera ſingularum artium ſit non tam conſequi XIII.
propoſitum finem, quàm quæ ad finem pertinent dignoſcere & comparare. veren-
dum enim eſt ne id commune ſit Rhetoricæ cum artibus cæteris, ita vt hinc ab eis
minùs commodè a Dialectica nullo modo diſtinguatur. Denique num quod appa- XIV.
ret falſum, atque adeò falſi argumenti vſum, reuera Oratori concedat Ariſtoteles,
& ſi concedat, num iurè id faciat, diſceptandum poſuimus. Hæc inquam quæ
partim diſſimulauimus, partim ſicco pede prætereuntes alio loco explananda reie-
cimus, tractanda eſſent ac definienda. cum præſertim pleraque pulcherrimum no-
bis offerant campum, in quem magna cum vtilitate & iucunditate noſtra excur-
rat oratio. Quanquam alia quoque ſunt, quæ non minùs opportunè tractare &
in quibus vela orationis pandere non ſine fructu ac voluptate liceat. Etenim gra-
ues eæque pulcherrimæ & nobiles inter Ariſtotelem alióſque præcipuos Rhetores
184 & Philoſophos agitari ſolent Controuerſiæ, quæ ex dictis iam ſeſe vltrò quodammo-
do offerre viſæ ſunt. nimirum quæ ſit materia Rhetoricæ ſiue Oratoris: cùm alijqui XV.
nihil planè non ei ſubijciant; aut quę in quæſtionem venire poſſunt, illi tribuunt om-
nia: alij tria genera cauſarum, alij Deliberatiuum tantùm & Iudiciale; quidam
etiam vnum Deliberatiuum ad Oratoriam materiam reuocent. Quid præterea & XVI.
qualis ſit ea Dialectica, quácum paſſim Rhetoricam comparat Ariſtoteles: præſer-
tim verò quia deinde Rhetorica modò ſit Ciuilis ſcientiæ pars, modò eiuſdem ad-
miniſtra & veluti ancilla, modò pars Dialecticæ, modò ex Ciuili ſcientia conflatur
& Dialectica, ſæpè etiam Dialecticæ è regione tanquam ἀντίστροφος collocatur: in-
terdum exiguum quoddam Dialecticæ germen ac veluti ſtolo, interdum denique
eiuſdem veluti effigies & ſimulacrum iudicatur. Vt omittam aliquando cū Dialecti-
ca ſimul & ſophiſtica captioſáue facultate cōiūgi ac fieri veluti vtrique affinē. Ad hæc XVII.
an Rhetorica reuera ſit Ars (id quod quærēdū propoſuerā) explicāti, docēdū quoque

Digitized by Google

eſſet cur rurſus cenſeatur facultas; & cur ſine diſcrimine vllo modò facultas, modò
ars ab Ariſtotele appelletur: cum iſthæc multùm inter ſe differant: quin etiam
an ſcientia, ſeu virtus, ſeu exercitatio quædam quod alijs multis placuiſſe vi-
XVIII. deo, habenda ac dicenda ſit. Statuendum quoque eſſet quouſque progredien-
dum ſit Oratori in probando; ne ſiue Iudicis partes occupet ac munus; ſiue ſuo
ille muneri deeſſe videatur, qui legum iuriſque tractationem negligat. nam hanc 185
controuerſiam grauiſſimam attigimus quidem, ſed paucis. Atque idem dixerim
XIX. dum quærerem NVM Dialecticæ cognitionem, aut etiam vniuerſam differendi artē,
neceſſariam Oratori ſic reputauerit, vt non poſſit ſine iactura prætermitti. Nam id
XX. etiam breuiſſimè complexi ſumus. Denique differendum eſſet tum de fine tum de
XXI. officio Oratoris; nam non deſunt qui ab Ariſtotele magnopere diſcedant. Præſertim
verò quia facilè pugnet quiſpiam hinc vnum atque alterum Oratori finem eſſe pro-
poſitum, atque adeò duos fines, eóſque inter ſe non magnopere cohærentes, ſpectare,
quod abſurdum videri poſſit. Hæc inquam (vt taceam minora quædam) expendenda
eſſent & explananda, vt planiùs de ijs conſtaret, quæ in toto hoc procœmio ſeſe nobis
obtulere. Sed ne Ariſtotelis quaſi curſum tot tantarúmque rerum diſputationibus
interpellemus, ea ſanè, ſi per tempus (licebit autem ſi veſtra mihi induſtria ac diligen-
tia non fuerit requirenda) vel ſeorſim explicabo, vel ex hoc eodem loco, vbi occaſio-
nem & opportunitatem nactus fuero, aut omnia aut pléraque, perſequar pro virili.
Nunc ſat ſit ea ſimul collegiſſe ac vobis tanquam ſub aſpectum poſuiſſe, vt in quibus
mihi fides liberanda ſit, vtriſque noſtrum compertum ſic at planum. Nunc ad Tra-
ctationem. Tametſi quoniam huiuſce capitis explicatum abſolui, poſtulat ſanè ratio
vt pleniùs diſputem NVM eiuſmodi caput in Prooemij loco ſit habendum, ac fidem

CONTROVERSIA XVIII. & XIX.

NVM primũ hoc caput Prooemij locũ obtineat.

NVM verè Rhetorica & Dialectica idē planè in cõtrarias partes agitent.

Dialecticè ſeu Rhetoricè oſtenditur propoſitum caput non obtinere Prooemij locum:

liberem meam; ſiquidem id planè & propoſui ab initio, & paulò poſt in hunc locum
reieci. Quanquam id ita diſceptare & explicare conſtitui vt vno eodémque tempore
Rhetoricæ ac Dialecticæ ideam quandam tanquam ſignum extollam (nam id quo-
que iam antea recepi) vt de eius vi ac natura conſtet planiùs. Agedum igitur id diſce-
ptantes, exemplo doceamus quæ tandem ex eodem capite contrariæ deriuari poſſint
ſententiæ, & dialecticè propoſitum argumentum ſeu Rhetoricè diſputari. Principiò
igitur (vt priùs ſuadeam nullo modo in Prooemij loco habendum hoc caput) cum 186
eiuſmodi opus inſcriptionem præſerat ſuam qua egregiè de materia docemur, eiuſ-
démque præſtantiam agnoſcere poſſumus, quid quæſo erat cur Author Prooemio
vteretur? Deinde cum ſtatim, ac primis ipſis verbis, Rhetoricæ materiam requirat ac
ſtatuat, quis nõ fateatur ad rem ipſam primo quoque tempore deueniſſe atque omni
Prooemio ſuperſediſſe? Idem dixerim dum docet præceptis cohiberi poſſe & ad artem
reuocari ac propterea artem eſſe. Nam præter quam quod hoc non tam diſputan-
dum proponit; quod Prooemio eſſet accommodatum; quàm declarat, quod Tracta-
tionis eſſe ſolet ac legitimæ diſputationis, id ſanè ad Rhetoricæ naturam pertinet de-
clarandam. Præterea quorſum de officio Rhetoris agere, niſi vt de Rhetoricæ vi &
natura conſtaret? Et hinc eſt vt ex his quæ de officio ſtatuerat, colligat Rhetoricæ de-
finitionem qua natura ipſa Rhetoricæ declaratur: quod potiſſimum eſt Tractationis
ſeu legitimæ diſceptationis munus; Prooemij nullo modo. Quid quod poſt longam
diſputationem epilogo ſeu rerum dictarum enumeratione vtitur? An non ab Prooe-
I. mij munere id eſt alieniſſimum? Sic ſanè: ſiquidem Prooemium & Epilogus veluti
II. è regione opponuntur. Atque idem ea præ ſe ferunt verba quibus finem indicat Rhe-
III. toricæ: id enim naturæ declarandæ in primis ſeruit non Prooemio. quapropter, vt
IV. ratiocinatione agam, ſic diſputo. Quæ oratio & materiam perueſtigat & officium
V. & finem, ac proinde tum genus indicat, tum ad rei vim & naturam cognoſcendam
VI. inducit, non ad Prooemium pertinet ſed ad Tractationem. Præſens igitur caput in
VII. quo hæc præſtantur, non ad Prooemium ſed ad Tractationem pertineat neceſſe eſt.

Dialecticè rurſus ſeu Rhetoricè contraria ſentẽtia cõprobatur.

En ſeptem argumentis effeci Prooemij munus ac nomen denegandum huic capiti.
Nunc, quaſi velum conuertens, & contrariam remigationem ſuſcipiens, totidē argu-
mentis ex eodē planè loco deriuatis, efficiā huic capiti germani Prooemij nomen eſſe
tribuendũ. Ita quidē licebit animaduertere quí ex eodē loco contraria ducantur argu
mēta, ſeu vna eádémque res in cõtrarias partes dicendo diſtrahatur, ac ſummatim ex
eodē fonte calida & frigida hauriatur. Id.n.eſt proprium Rhetoris ac Dialectici, ea in 187

vna-

vnaquaque re obſeruare quibus contrariæ ſententiæ probabiliter ſuadentur. Ita qui-
dem extabit vobis Rhetoricæ ac Dialecticæ imago. Agedum igitur ex hoc loco con-
trariam ſententiam colligamus. Ac primùm M. Tullius ſe ſe offert, hoc eſt magnus
Ariſtoteleæ Rhetoricæ æſtimator. Scribit enim Ariſtotelem Prooemijs vti conſueuiſſe: I.
id quod in Rhetoricam in primis intuens affirmari oportet cũ hanc verſaret maximè.
Ciceronis igitur iudicio Primum hoc caput Prooemij obtinet locũ. Huc accedit quòd II.
dum docet Rhetoricam præceptis cohiberi poſſe & ad artem reuocari, eò planè ſpe-
ctat vt liceat ſibi deinde huiuſmodi præcepta tradere atque artem conſcribere.
Non igitur artem hîc aggreditur, ſed ſibi conſcribendam proponit, vel ſibi vt liceat, ve-
luti deprecatur, quod Prooemij munus eſt. Nec profectò aliò pertinet priſcorum re- III.
prehenſio quos præpoſterè tractaſſe ait hanc artem. Hinc enim efficit ſibi concedendũ
vt eiuſmodi artem conſcribat. Quid quod copiosè proponit & commemorat Rheto- IV.
ricæ vtilitates? hoc ſanè ad attentionem cõciliandam pertinet vel maximè. Sed & dum
ait *de hac methodo demus operam vt & quomodo & ex quibus propoſitum conſequatur*, quis non V.
intelligat hic proponere quæ dicenda ſunt, eádemque bipartitò diſtribuere, quod
eſt germanum Prooemij munus? Atque huc pertinet quod in principio ſecundi VI.
capitis ſcribit, *tanquam de integro ordiamur*, ſignificat enim iam in ſecundo capite ſibi ad
rem ipſam aggrediendum ſiue deueniendum eſſe. Quapropter vt rem totam ratioci- VII.
natione concludam, Omnis, quæ de re aliqua ſuſcipitur, diſputatio, debet, quoad eius
fieri poſſit, a definitione proficiſci, ita ut definitio ſit fons & caput Tractationis. Quæ
igitur antegrediuntur ſecundum caput, in quo aſſertur Definitio, ad Prooemium perti-
neant neceſſe. Primum igitur caput Prooemij obtinet locum. Ita quidem videor mihi
totidem argumentis contrariam ſententiam ſuaſiſſe, atque ex eodem loco argumenta
in contrariam partem deprompſiſſe. Atque hæc de vi Rhetoricæ ac Dialecticæ, ne fictę
& commentitiæ videri poſſint, dum vno eodémque tempore contraria illis vis atque
facultas tribuitur. Et hæc quidem ſit germana illarum veluti idea, quam tanquam ſi-
188 gnum ſuſtuliſſe volui vt de illa vobis magis ac magis conſtaret. Nũc ad id quod priore
loco quærebatur redeamus, & vtrum Prooemij nomen ſit huic capiti concedendum
cõſtituamus. Sic igitur ſtatuo. Si Prooemium vſurpetur propriè, ita ut oratorium exor-
dium ſignificet quod totum auditorum animis pręparandis eſt comparatum, minimè
id quidem eſt concedendum: quòd ſi fuſiore vocabulo accipiatur, & pro initio vnde
commodè ad Tractationem ac rem ipſam deſcẽditur, nihil prohibet. Certum eſt enim
hîc Ariſtotelem ſibi aditum ſternere ad definitionem, ſed ita ſternere vt tãquam leuis
armaturæ excurſionibus ad certamen deſcendat, non verò Auditorum gratiam aucu-
petur ac beneuolentiam. Sed iam ad ſecundum caput ad Tractationem ſe ſe conuer-
tat oratio.

Colligitur Rhetorica ac Dialectica vis ac tanquã ſimulacro oſtenditur.

PARTICVLA XXIII.

Περὶ δὲ αὐτῆς ἤδη τῆς μεθόδου πειρώμεθα λέγειν, πῶς τε καὶ ἐκ τίνων δυνησόμεθα τυγχάνειν τῶν προκειμένων. πάλιν οὖν οἷον ἐξ ὑπαρχῆς ὁρισάμενοι αὐτὴν τίς ἐστι, λέγωμεν τὰ λοιπά.

Riccobonus. IAm verò de ipſa methodo conemur dicere, & quomodo, & ex quibus poterimus conſequi ea, quæ propoſuerimus. Rurſus igitur tanquam de integro ordientes, cum definiuerimus ipſam, quid ſit, reliqua dicamus.

Maioragius. S*Ed age iam de ipſa arte dicere aggrediamur, & quo modo quibúsque argumentationibus ea quæ propoſita ſunt aſſequi poterimus. Rurſus ergo tanquam a principio, naturam eius definiendo aperiamus, deinde etiam de reliquis dicamus.*

Tracta-

AD TRActationē deſcendit.

Com. XXIII.

TRactationem iam iam aggeſſurus, Proœmium, quale quale ſit, claudit
& ad ipſam methodum, quod eſt ad artē ipſam & rationē benè dicē-
di, ſine cunctatione aggrediendum proponit: quærens (vt ipſe ſubdit)
πῶς καὶ ἐκ τίνων, quomodo & quibus aſſequi ea liceat quæ propoſita ſunt.
Quam rem, vt rectè & ex arte peragat, a Rhetoricæ definitione ordiri
ſtatuit. Et ideo ait. Rurſus igitur tanquam a capite ordientes quid ea
ſit videamus, tum reliqua proſequamur. Appoſitè verò ait tanquam a capite. quia illa
quæ proœmio continentur, etſi vtilia ſunt & ad rem aditum aperiunt, viámque mu-
niunt, non tamen habenda ſunt rei pars, quemadmodum nec Prologus Comędię, nec
exordium orationis, propriæ ſunt partes. Et idcirco tum ſine Prologo Comędia, tum
ſine exordio (quo ſcilicet docilis aut attentus aut beneuolus fiat auditor) oratio conſta- 189
re poteſt. Tametſi enim ſæpè commodiùs proœmio ſiue exordio vtaris, ſæpè etiam nō
ſine crimine illud prætermittas, nil tamē prohibet quominus tum a re ipſa ſine iactura
vlla, aut certè leuiſſima, initium dicendi facias. Denique in Tractatione ac Diſputatio-
ne illud cenſendum eſt caput, quod & ad rei naturam pertinet, & inter res tractādas ac
diſputandas ſeſe obijcit primo loco: id quod in præſens eſt Rhetoricæ definitio. Qua-
propter egregiè, vt ſæpè ſolet, hoc in loco ex optimis authoribus commemorauit ac
ſcriptum reliquit Maioragius. Quod ait [tanquam a principio] oſtendit ea quæ dixit
hactenus, licet ad artem pertinent, non tamen eius naturam exprimere. Porrò didice-
rat a magiſtro Platone id quod primo de Officijs ita poſuit Cicero; Omnis enim quæ
a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet a definitione proficiſci, vt intelligatur
quid ſit id de quo diſputatur. Et in ſecundo de Finibus ita inquit: *Omnis autem in quæ-
rendo quæ via quadam & ratione habetur Oratio, præſcribere primùm debet, vt quibuſdam in for-
mulis ea res agatur, vt inter quos diſſeritur, conueniat quid ſit id de quo diſſeratur.* hoc poſitum
in Phædro a Platone probauit Epicurus, ſenſúque in omni diſputatione id fieri opor-
tere. Locus autem Platonis, quem Cicero citat ita ſe habet in Phędro: vt nos vertimus. 190
*Vnum in omni re principium eſt eis, qui benè conſultare volunt, vt ſciant quid ſit, id de quo conſul-
tatio eſt. Vel omnino aberrare neceſſe eſt.* Quod cum præclarè intelligeret Ariſtoteles dixit
in Poſterioribus, definitionem eſſe Demonſtrationis principium, & hoc loco princi-
pium artis Rhetoricæ vocat eius definitionem. Sic iſte. Tametſi quod cenſet ea etiam
quæ in primo capite dicta ſunt, pertinere ad artem, non tam ſumendum quàm docen-
dum fuiſſet. quantumuis enim conſtaret inde ad artem muniri viam; adhuc tamen li-
ceret dubitare num propriè ad artem pertinerent.

TRACTAtionis partitio et œconomia vniuerſa.

Sed quoniam nunc primùm Tractationem attigimus, agedum illam, id quod de
proœmio fecimus, in ſuas partes diſtribuamus. Ergo Tractatio eſt tripartita. Nam cum
tria ſint quibus vniuerſa Rhetoricę facultas continetur (quod enim ſtrictim attigimus
in Proœmio paulò vberiùs declarare lubet & explicatiùs) Inuentio qua obſeruamus
ea quæ ad fidem valent faciendam; Diſpoſitio qua quæ inuenta ſunt ſuo quæque loco
collocamus, Elocutio, qua eadem aptis ſententijs ac verbis complectimur atque or-
namus: primum in primo & ſecundo libro proſequitur: reliqua duo in tertio. Ad hæc
quoniam inuentio verſatur circa fidem (fidem cum dico, Ariſtotelis *πίστιν* intelligo)
fides verò vel artificioſa eſt ac noſtra induſtria comparata: vel expers artis, ita vt a no-
bis non paretur ſed cum antea per ſe exiſteret, aſſumatur, ideo de artificioſa diſputatio- 191
nem inſtituit priùs, tum de ea quæ caret arte. Et quia artificioſa fides vel in demonſtra-
tionibus occupatur, quibus id quod volumus argumentando demonſtramus: vel in
moribus exprimendis, vnde probum ac ſeſe fide dignum effingit Orator, vel in audito-
rum animis afficiendis, vt ſcilicet faciliùs in ſententiam adducantur, primum primo
loco præſtāt, idque in hoc libro; ſecundum ac tertium in ſequenti. Denique quia fides
quæ fit demonſtrando vel enthymemate fit, ſeu ratiocinatione, vel exemplo, ideo priùs
de ratiocinatione verba facit, tum de exemplo.

Hæc in vniuerſum eſt Tractationis ſeries & diſtributio. In qua, vt de artificio conſtet
adhuc clariùs atque diſtinctiùs, ſic progreditur. Nam cum diſputatio, vbi poſſit, debeat
a definitione proficiſci, Rhetoricæ definitionem affert primum, qua ſtatuit eſſe facul-
tatem videndi quid in vnaquaque re valeat ad fidem faciendam. Tum ex definitione
occaſione arrepta, de fide generatim agit, ſeu potiùs eam tribuit in ſuas partes: nimirū
in artificioſam & expertem artis. Statim verò artificioſæ fidei genera ſeu partes mauis

ſpeciéſque

ſpeciéſque cõmõſtrat: quæ ſunt ratiocinationes, mores & affectus. Quibus vno atque
altero libro explicatis, fide etiam artis expertè declarata, tandem in tertio ad elocutio-
nem (vt dicere cœperam) diſpoſitionémque aggreditur. Quanquam quoniam de en-
192 thymemate & exemplo tum generatim diſputari poteſt, tum ſigillatim. Idcircò iam
de enthymemate quàm de exemplo ſemel atque iterum verba facit: generatim ſcili-
cet in primo libro: ſigillatim in ſecundo. Atque hinc ſanè factum eſt vt non ita de ſin-
gulis artificioſæ fidei generibus agat, quin diſputationem interpellet ac miſceat varia
iſta enthymematis & exempli tractatione: ac varijs item enthymematum locis, qui tũ
proprij ſunt: de quibus in primo libro agitur: tum communes, de quibus in ſecundo.
Quin fidem etiam quę arte caret explicat antequam ſecundum artificioſæ fidei genus
attingat: idque in hoc ipſo primo libro. quæ tamen non ſine ratione facit, tametſi inte-
rim Ariadnæ ſiue filo ſiue ſidere opus erit: dum inuoluta hæc tot tantarúmque admi-
ſtione rerum nos veluti in labyrintho exercet Ariſtoteles.

Hæc admirabilis huius operis ſtructura & ſeries: quæ (vt ab initio dicere cœperam)
tota in rhetorica inuentione, diſpoſitione & elocutione innititur. Nam de memoria &
actione, quas plerique alij tribus illis tanquam germanas huiuſce artis partes adiun-
gunt, an verè ſint huius facultatis, & an ab Ariſtotele attingantur, dicemus ſuo loco.
Pari ratione de Exordio, Narratione, Confirmatione, Confutatione, & Peroratione,
193 quæ cenſentur orationis partes, tunc agemus cum ad diſpoſitionem ventum erit. De-
nique de partibus elocutionis, quæ ſunt, vt ſit emendata, decora, numeroſa, vrbana,
conueniens quaéque ſine humilitate elationéve vlla perſpicuitatẽ referat (in his enim
perfectæ elocutionis laus eſt poſita) dicam libro tertiò, vbi de elocutione diſputatur.
Nũc ad præſens quod iam aggredimur caput, tota reuocetur oratio. quod ſanè caput, I. AM II. HOC
ſuperioris fermè inſtar, quinque partitò diſtribui poteſt non incommodè. ſiquidem in caput IV.
eo agitur primò de Natura Rhetoricæ vel certè inchoata quædam illius affertur ima- partes di-
go. Tum verò, quoniam interim eius vis in fide facienda collocatur, duplex fidei genus ſtribuitur
proponitur, artificiale vnum, alterum expers artis. mox de artificiali diſſeritur, quod
diſtribuitur tripartitò; in ratiocinationem ſcilicet, affectus, & mores. vnde rurſus Rhe-
toricæ vis ac natura paulò clariùs ac latiùs deſcribitur. Inde verò primum artificioſæ
fidei explanatur genus, quod ratiocinatione contineri diximus. Et hac de cauſa de en-
thymemate & exemplo: inprimíſque de vtriusque forma & materia diſputatur. Sed
iam primam partem atque adeò rerum dicendarum caput, hoc eſt Rhetorica Defini-
tionem agnoſcamus.

CAPVT II.

PARTICVLA XXIV.

Ἔστω δ' ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν.
τοῦτο γὰρ οὐδεμιᾶς ἑτέρας ἐστὶ τέχνης ἔργον. τῶν γὰρ ἄλλων ἑκάστη, περὶ τὸ αὐτῇ
ὑποκείμενόν ἐστι διδασκαλικὴ καὶ πειστική. οἷον ἰατρικὴ, περὶ ὑγιεινὸν καὶ νοσερόν.
καὶ γεωμετρία περὶ τὰ συμβεβηκότα πάθη τοῖς μεγέθεσι. καὶ ἀριθμητικὴ περὶ
ἀριθμόν. ὁμοίως δὲ καὶ αἱ λοιπαὶ τῶν τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν. ἡ δὲ ῥητορικὴ περὶ τοῦ
δοθέντος, ὡς εἰπεῖν, δοκεῖ δύνασθαι θεωρεῖν τὸ πιθανόν. διὸ καὶ φαμὲν αὐτὴν, οὐ
194 περί τι γένος ἴδιον ἀφωρισμένον ἔχειν τὸ τεχνικόν.

SIt autem Rhetorica facultas in quaque re videndi, quod contingit eſſe ido-
Riccobonus. neum ad faciendam fidem. Hoc enim nullius alterius eſt artis munus. Nam
ex alijs vnaquæque in re ſibi ſubiecta exercet vim docendi, & perſuadendi, quẽ-
admodum Medicina in ſanabili, & morboſo: & Geometria in affectionibus quæ
accidunt magnitudinibus: & Arithmetica in numero. Similiter verò etiam reli-
quæ artes & ſcientiæ. At Rhetorica de re propoſita, vt ita dicam, videtur poſſe
tueri,

tueri, quod appoſitum eſt ad faciendam fidem. Quamobrem etiam dicimus ipſam non in aliquo genere proprio definitio habere vim artificioſam.

Maioragius. *EST igitur Rhetorica vis quædam ac facultas videndi quid in quaque re ſit ad perſuadendum accommodatum: hoc enim nullius artis alterius officium eſt: nã artes aliæ ſingulæ tantùm ea docere ac probare contendunt quæ materiæ illius ſunt, in qua verſantur: vt Medicina, quid ſalubre, quid inſalubre ſit: Geometria, quæ ſint euenta, quæ magnitudinibus accidunt: Arithmetica numeros, eodem modo aliæ artes & ſcientiæ. Rhetorica verò de omnibus penè dixerim, propoſita quæſtione appoſitè ad perſuadendum dicere poteſt. Atque ideo dicimus, eam non in aliquo proprio aut definito genere artis ſuæ vim habere.*

Com. XXV. 195 *EXPLICATVR prima Pars in qua Rhetoricæ affertur Definitio.* QVam ſibi definiendam propoſuerat Rhetoricen, iam hoc in loco his definit verbis. Ἔστω δ' ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. hoc eſt, *Sit autem Rhetorica facultas in vnaquaque re inueniendi quod contingit aptum ad perſuadendum.* Vbi δύναμιν ſeu vim & facultatem habet in generis loco: reliquis particulis conſtituit differentiam. Conſtat enim rem aliqua definire molienti primò ſumendum eſſe id quod rei definiendæ eſt cum alijs conſimilibus ac veluti affinibus commune: tum quod eiuſdẽ proprium eſt, atque in alterã nullã conuenire poteſt, ſubijciendum: vno verbo, genus priùs ſumendum, quod hîc δύναμις eſt ſeu facultas, per quam cum alijs facultatibus conuenit vt cum Dialectica; tum differentiam addendam quæ reliquis illis verbis [in vnaquaque re inueniendi quod contingit aptum ad perſuadendũ] deſignatur: per quã differentiã & conſtituitur atque adeò perficitur & a cæteris facultatibus diſtinguitur. & idcirco ſtatim ſubdit, Hoc enim nullius alterius eſt Artis munus: quaſi diceret hanc proinde eſſe germanam differentiam, vnde Rhetorica & diſtinguitur a reliquis facultatibus, & in certa facultatis ſpecie conſtituitur. Atque huc etiam ſpectat quod continenter docet ex alijs artibus vnamquamque habere certam materiam quam tractet, vt Medicinam corpus morboſum, Geometriam magnitudinis affectiones, Arithmeticam numerum: Rhetoricam verò in qualibet re propoſita peruestigare id, quod eſt aptum ad perſuadendum: ac propterea in nullo certo genere verſari. Hæc enim ſpectãt ad propoſitam definitionis differentiam declarandam & confirmãdam. Ita ſanè Rhetoricæ definitio perſpicua videri poſſet ac plana. nam per vim ſeu facultatem quæ obtinet generis locum, ſine dubio ſignificat animi ſeu mentis facultatem ac vim: neque enim præter animum ſiue mentem quicquam eſt, quod explorare illa poſſet ac perueſtigare, quæ ſunt accommodata ad perſuadendum. atque hinc etiam fit vt quoniam mens alias quoque habet facultates ac vires, Rhetorica deinde per cæteras propoſitæ definitionis particulas, quemadmodum docebam, tum conſtituatur atque omnibus

CONTROVERSIA XX. NVM propoſita Rhetoricæ Definitio probanda ſit. Dubitatur. numeris perficiatur, tum ab alijs facultatibus diſtinguatur. Quanquam (vt verè fatear) propoſita definitio plurimas eáſque grauiſſimas habet dubitationes; itaut cogar Diſputationem benè longam eámque varijs Controuerſijs & diſſenſionibus refertam, inſtituere. Itaque argumenta plurima longo ordine veluti in aciem educam & collocabo, tum eadem pro virili parte mea ſiue refellam ſiue explanabo. Ac primùm dũ Rhetorica facultatis nomine definitur, nemo nõ ſtatim dubitet, cur Ariſtoteles, qui ab initio Rhetoricæ doctrinã inſcripſerit artis nomine, & (quod magis refert) artem eſſe demonſtrauerit, nunc facultatem eſſe ſtatuat ſeu per facultatem definiat. Nam artem & 196

I.

II. facultatem differre plurimùm ex ijs quæ tum in Topicis de facultate tum in Moralibus de Arte ſcriptum reliquit Ariſtoteles, compertum eſt. Deinde paulò ante eandem Rhetoricam ἐπιστήμης ſeu ſcientiæ nomine ornauit cum diceret, Oratorem ob rerum tam ſcientiam quàm vſum ſuum retinere nomẽ. quid eſt igitur quod eam ſtatim tam facilè in facultatem conuertat? nam ſcientiæ vis ac notio cum facultatis notione nullo modo conuenit. Ad hæc ſi quid eſt magnopere in definitione proſpiciendũ, illud certè

III. eſt, vt perſpicuis verbis vtamur. At δύναμις anceps eſt nomen, obſcurũ, quódque patet quã latiſſimè, & res maximè diſſidentes ſignificat: itaut apud optimos Græcæ linguæ

Authores

Digitized by Google

Authores exercitum quoque, pretium, medicamentum, ac (ne conſecter omnia) inſi-
tam vnicuique rei vim tam ad agendum quàm ad patiendum ſignificet. Huc accedit
Lib. 2. quod cum Ariſtoteles in Moralibus diligenter explicauerit, quæ ſit vis ac notio ſcien- IV.
cap. 3. et tiæ, Artis, Sapientiæ, Prudentiæ, Intelligentiæ, quæ omnia ſunt mentis habitus quidam,
deinceps de facultate ne verbum quidem. Et tamen ſi hæc facultas in ijs cognoſcendis occupa-
tur quæ ſunt ad perſuadendum idonea, debuiſſet hanc quoque vim animi attingere, ſi
197 tamen vera ac germana ſit non commentitia. Nam quod habitus illi verum ſpectent,
facultas hęc veriſimile, nihil impedit: etenim quæ veriſimilia inuenit facultas, hęc citra
mendaciũ, pro veriſimilibus profert, ita ut conſtanter ac verè ſint probabilia. Etſi enim
inde Auditores non docentur ſed ſuadentur, per ſe tamen verè ſunt probabilia. Itaut V.
eorum inuentio conſtans ſit & errore vacet. Quin etiam cum Authores multi iique
graues cenſeant Rhetoricam in ingenio ac mentis acumine & celeritate poſitam eſſe,
alij eſſe exercitationem quandam, ſeu ſola exercitatione contineri, alij κακοτεχνίαν ac
prauitatem quandam ſeu calliditatem mentis, alij contra mentis probitatem ac virtu-
tem, videndum erat Ariſtoteli, vt ne tam facilè haſce deſpiceret & abijceret opiniones;
præſertim verò quia dum Oratori adumbratas etiam quæque veræ apparent ſolùm
rationes concedit, viſus eſt in κακοτεχνίαν illam ac mentis calliditatem incidere. Quan-
quam illud palmare, quòd cum ipſe in progreſſu ad Rhetoricam reuocet non inuen- VI.
tionem modò, verùm etiam diſpoſitionẽ & elocutionem (hac enim de cauſa de ijs in
tertio diſputat libro) in præſens vnius Inuentionis habuerit rationem: cũ enim ait eſſe
facultatem inueniendi quæ ſunt apta ad perſuadendum, quis non videat vnius Inuen-
tionis rationem haberi? Nam de actione ac pronunciatione tota, multò verò minùs de
memoria, nihil attinet dicere hoc tempore, quod de illis (quæcunque fuerit cauſa; eſt VII.
enim alterius loci) aut nullam aut exiguam habuerit rationem in hiſce libris, tantum
abeſt vt in præſenti illas, quippe eloquentiæ partes vnà cum Inuentione in Definitione
comprehenderit. Imò verò in propoſita definitione Inuentionis ſic habita eſt ratio vt VIII.
cum Inuentio ſit tripartita, vnicam tantùm illius partem complexus ſit. Etenim certũ
eſt fidem nõ ex argumentis ſolùm duci quæ ſunt in vnaquaque re, verùm etiam & ab
Auditoribus & ab Oratoris perſona: & tamen dum ait Rhetoricam eſſe facultatem
198 videndi quid in quaque re ſit aptum ad perſuadendum, primum tantùm fidei genus
ſeu primam tantùm inuentionis partem attingit: eam nimirum quæ ex rebus ducitur:
reliquæ duæ quæ in perſonis ſitæ ſunt, quáſque rebus opponit Ariſtoteles, in definitio-
nem hanc non cõueniunt. Quanquam verendum eſt ne dum ex inuentione ducit de-
finitionem, operam ludat ſuam. Nam inuentio eſt Oratori communis cum Epico & IX.
Dramatico, ac ſummatim cum Poëta, immo cum imitatore quolibet, cuiuſmodi eſt
pictor & ſtatuarius. Sed quid imitatores commemoro? & Dialecticus, & Phyſicus ac
propè dixerim quisquis in doctrinarum ac bonarum artium palæſtra verſatur, is Inuẽ-
tione indiget. Quid eſt igitur quod cum facultatis nomine tanquam genere Rhetori-
cam primò cum alijs facultatibus coniunxerit, & tamen Inuentione quaſi nouo ge-
nere cumulet definitionem? Sic ſanè monſtroſa euadat neceſſe eſt. Quin etiam dũ hoc
facit, non modò quod Oratoris eſt proprium non attingit ac Rhetoricæ definiendæ X.
adhibet; ſed ne id quidem addit quod ſaltem minùs proprium videri poteſt, ſed id ar-
ripit quod eſt alienum. Etenim Inuentio, ſi Ciceroni credimus, non Oratoris ſed pru-
dentis hominis eſt, quíque acri ad excogitandũ ingenio ſit præditus a Natura: ac pro-
pterea non ſolùm eſt Oratori communis cum Poëta & imitatoribus aut etiam cum
Philoſopho aut alijs multis, verùm etiam viro induſtrio & prudenti ferè penitus reſer-
uanda. Quin, ſi quis attẽtiùs æſtimet intelliget Elocutionem verè Oratoris eſſe totàm.
Et idcirco nec ab Inuentione accepit nomen ſed ad Elocutionem (Græcè enim ab elo-
quendo ῥήτωρ, & Latinè eloquens, dictus eſt) nec aliud ab illo exigitur, niſi vt dicendo XI.
probet, delectet ac flectat, quod eſt vt in eloquendo excellat. Quid? an igitur ſi ea vſur-
pet Orator, quæ non tam probabilia ſunt quàm perſpicua & certa, nec tã ſuadẽt quàm XII.
apertè demonſtrant, munere ſuo defuerit? minimè verò: niſi cauſam præpoſterè agere
moliatur, ac pro aureis, argenteis, interdum etiam plumbeis vtatur. & tamen Rheto-
ricæ munus eſſe ſcribit explorare τὰ πιθανὰ quæ inquam ſuadendi vim habent tantùm
ac fidem faciendi. Qui ſcopulus eò magis erat Ariſtoteli declinandum, quòd deinde
199 tecmirijs quoque Oratorem inſtruxit, quæ ſunt certiſſimæ rerum notæ, ac quod volu-
mus

XIII. mus planè euincunt. Neque verò eſt prætermittendum illud περὶ ἕκαστον ſiue in vna-
quaque re miram cùm falſitatem tùm Ariſtotelis inconſtantiam referre. nam vt hu-
mana mens ea exploret quæ in vnaquaque re apta ſunt ad fidem faciendam, optandũ
eſt magis quàm ſperandum: quanquam ne optandum quidem: niſi tamen infinitum
opus quæque fieri nullo modo poſſunt, temerè optare velis. Adde quod paulò poſt
totum Oratoris munus tripartito illo cauſarum concludit genere, nec diu in vnaqua-
XIV. que re verſari illum ſinit. Denique cum Ariſtoteles modò immenſam Oratori tribuat
materiam, quæque nullis ſit finibus definita (finitam enim cæteris artibus ſingulis cõ-
cedit tantùm) modò de re propoſita fermè dicere iubeat, quod eſt de omni ferè pro-
poſita quæſtione, modò ſuaſione & diſſuaſione, laude & vituperatione, accuſatione &
defenſione illius campum præfiniat vniuerſum, modò πρὸς τὰ δημηγορικὰ καὶ δικανικά, eũ
conijciat, quaſi demonſtratiuum genus (quod tamen ampliſſimum eſt) prætermittẽ-
dum ſit, modò vna conſultatione ac proinde deliberatiuo genere illum coerceat, mo-
dò affirmet materiam habere nullam, quid inconſtantius proferri potuit aut repugnã-
XV. tius? Quanquam quod attinet ad demonſtratiuum genus, id quidem non modò alibi;
ſed hoc etiam in loco excludere viſus eſt. Si enim Rhetorica requirit ea quæ valent ad
perſuadendum, quî obſecro Demõſtratiuum genus, in quo nihil ſuadetur aut diſſua-
XVI. detur, pertinebit ad Oratorem? Quin etiam cum deinde ſuaſionem ac diſſuaſionem
Deliberatiui generis propriã faciat, in hac definitione Iudiciale quoque genus (neſcio
XVII. quo pacto) prætererierit neceſſe eſt. Sed quid ſi quis pugnet hanc definitionem in Dia le-
cticam omnino cadere & conuenire? Nam Dialecticam & eſſe facultatem & inueſti- 200
gare in vnaquaque re id quod eſt veriſimile, ac proinde opinioni ac fidei gignẽdæ eſſe
accommodatam, & in his libris & in Topicis teſtatius eſt, quàm vt diſſimulari poſſit.
Quapropter propoſita definitio vel iſtiuſmodi facultati cõueniret vtrique (atque huc
ſpectat quod argumentorum loci ac ſedes ſunt vtrique communes) vel certè in neu-
tram caderet. cum vera definitio vni tantùm rei cõuenire poſſit. Quid etiam ſi pugnet
XVIII. aliquis definitionem iſtam vni Dialecticæ conuenire, Rhetoricæ nullo modo? ſanè
Dialecticæ vim ſic explere & continere videtur totam, vt nihil in ea deſideres. cũ enim
Diſpoſitio & Elocutio aut etiam Actio non cẽſeantur Dialecticæ partes; ac propterea
hæc ſola inuentione nitatur, quid erit Dialectica niſi facultas inueniendi quid in vna-
quaque re ſit probabile & aptum ad perſuadendum? contra verò cum Rhetorica cæ-
teras illas partes ſibi vendicet omnes, nec ſine illis conſiſtere vllo modo poſſit, cur nõ
propoſitam definitionem Dialecticæ concedat totam? Denique Dialectica inter ana-
lyticam facultatem & ſophiſticam collocatur, quòd res certas analytico, falſas ſophi-
ſtico relinquens, medias, nimirum veriſimiles ſeu probabiles, conſectetur. Rhetorica è
contrario & veras interdum amplectitur cum in rerum verarum aut veriſimilium in-
uentione verſetur, & falſas interdum, dum tamẽ veriſimili reſperſæ ſint, arripit, ſi Ari-
XIX. ſtoteli credimus. non igitur Rhetoricæ accommodata eſt propoſita definitio, ſed Dia-
lecticæ tantùm. Ita ſanè liceret Flacci illud in Ariſtotelem conuertere

——— *Amphora cœpit*
Inſtitui currente rota, cur vrceus exit?

Verè enim Rhetoricẽ ſibi ab initio definiendam propoſuit cũ tamen inde operis ſum-
ma Dialecticæ extiterit definitio. Quin nouis adhuc fluctibus ac veluti tempeſtate ia-
ctatur Ariſtotelea iſta Definitio: quandoquidem ita cadit in Dialecticam vt vno eo-
démque tempore in παιδείαν quoque illam cadat, quam Ariſtoteles in ſuis libris de par
tibus animalium in mediũ attulit: hanc enim perito illi præſcribebat cui non tam ad- lib. 1. c. 1
amuſſim ac doctè, quàm eruditè & probabiliter de vnaquaque re cenſuit differẽdum:
ita vt hæc definitio vacillet vndique ac nutet, nec certam rem complectatur. Ad extre-
mum eum apud Platonem promulgata ſit ea Rhetoricę definitio, nimirum eſſe artem
XX. benè dicendi, atque omnibus numeris ſit abſoluta, cũ & a cæteris artibus (artem more 201
maiorum vſurpo) diſtinguatur quibúſcum in genere conuenit, & omnes eloquentiæ
partes amplectatur (ſiquidem ad benè dicendum tum tripartita illa Inuẽtio, tum Di-
ſpoſitio tum Elocutio requiritur) quis nõ ſentiat eſſe optimam? certè M. Tullius atque
alij multi etiam toto pectore complecti & retinere viſi ſunt. Atque hæ ſint dubitatio-
nes, quæ ſeſe offerunt in propoſita Rhetoricæ definitione: etſi enim breuiſſima eſt ver-
bis, dubitationibus ſanè abundat & ſcatet vndique; quæque vltrò ſe ſe ex ipſius defini-
tionis

tionis quaſi viſceribus offerunt. Sed tamen optandum eſſet vt res ijs dubitationibus
terminaretur. verendum eſt enim, ne in ijſdem ſigillatim explicandis, aliæ rurſus emer-
gant plurimæ, quibus veluti obruamur. Itaque magnopere optarim vt Ariſtotelem
ipſum liceret ab inferis excitare, qui tot tantóſque diſſolueret nodos, ac ſuam ille cau-
ſam tueretur. Quanquam licebit fortaſſe aliquando Ariſtotelem ipſum de re hac tota
differentem audire: ac, ni me fallit cogitatio, in quarto, quem ijs planè dubitationibus
atque oratorijs controuerſijs Dialogum deſtinauimus, aut copioſè peraget, aut enixè
conabitur omnia. Cum enim integrum volumen ſeu decem Dialogos ijs Controuer-
ſijs deſtinauerim, quæ in Ariſtotelis Rhetorica longiorem requirunt diſputationem,
ſanè cum aliæ multæ, tum eæ, quas in ſuperioris capitis fine longo ordine recẽſuimus,
atque hæ rurſus quæ interim ſeſe in propoſita definitione obijciunt, in illis pro tenui-
tate noſtra proſequemur: vbi etiam quç inter prçcipuos Philoſophos ac Rhetores, ma-
ximè verò inter Platonem & Ariſtotelem hac de re diſſenſiones oriuntur, aut M. Tul-
lius dubitare nos cogit, complectemur. Tametſi dum interim quas attulimus dubita-
102 tiones aduerſus definitionem propoſitam, eas in quartum Dialogum reijcimus; quod
longioris ſint ſcriptionis ac temporis nec par ſit Ariſtoreleæ diſputationis filum inte-
gris libris aut recidere aut implicare; opret facilè quiſpiam vt hîc breuiter ſaltem &
curſim explicentur. Huic igitur non grauatè ſatisfaciam. Ac primùm quidem, ſi Ars
aut facultas propriè ac ſtricto iure (vt aiunt) ſumeretur, prout interdum ſumunt Peri- *Ad I.*
patetici, eſſet quòd mutuò pugnare diceremus. Ars enim eſt cognitio quædam ſtabi-
lis ac firma, quaéque haud ſinit vt in rebus perficiendis erremus, ſed certam rationem
ac viam offert vnde aliquid tutò & ſine errore moliamur. Facultas contra nulli rei ef-
ficiendæ deſtinata eſt, ſed tantùm vim præbet agendi aliquid. Itaque cognitio illa eſt
habitus, facultas nullo modo: illa ſtudio & conſuetudine paratur, hæc a Natura tribui-
tur. Neque enim facultas videndi, audiendi, tangendi, vſu comparatur vt cognitio &
ars, ſed a Natura nobis tributa eſt. Illa denique opus aliquod ac monumentum relin-
quit: hæc nullum. Idem dixerim ſi facultatis nomine id intelligas quod facilitatem
præbet tantùm: nam hoc etiam differret ab Arte quæ in rebus efficiendis non facilita-
tem præſtat ſed certam rationem. Verùm ſi Ars & Facultas populatiter vſurpetur
prout a Philoſophis etiam & Oratoribus vſurpatur non rarò (nam Plato in Gorgia &
M. Tullius paſſim populariter ac fuſo vocabulo Artis & Facultatis ſumunt nomen)
nimirum pro qualibet cognitione & vi vnde aliquid commodiùs agimus vel effici-
mus vel etiam cognoſcimus, iam licebit has voces more maiorum promiſcuè vſurpa-
re. Id quod ſine dubio fecit Ariſtoteles hoc in loco. & ideo cum dixiſſet Rhetoricam
eſſe facultatem videndi quid in vnaquaque re ſit aptum ad perſuadendum, ſubdebat è
veſtigio, *hoc enim nullius alterius eſt Artis opus*; vbi oſtendit Facultatis & Artis nomen a
ſe vſurpatum promiſcuè. Et idem fecit continenter cum ſubijceret ex alijs artibus ſin-
gulas de re certa agere ac definita (quod Medicinæ & Arithmeticæ illuſtrauit exem-
plo, Arithmeticam quoque populariter appellans artem, cum alioquin ſit perfecta
203 ſcientia) Rhetoricam verò de omnibus verba facere. Et eodem modo tollitur ſecun-
da dubitatio. Nam licet ſcientia propriè ſumpta longè differat ab Arte & Facultate, *Ad II.*
ſæpè tamen a bonis etiam authoribus cum illis confunditur: id quod hîc fecit Ariſto-
teles, Artis, facultatis & ſcientiæ nomine quantũcunque cognitionẽ etiam infirmam
intelligens, idque ſiue alicui rei cognoſcendæ, ſiue agendæ ſiue efficiendæ, ſeruiat: ac
rurſus ſiue ſine errore, ſiue cum erroris periculo, aut ſuſpicione, talem offerat oppor-
tunitatem. Quæ cum ita ſint, iam non ambigua erit habenda facultatis notio; ſed *Ad III.*
quoniam comperium eſt in primis ſignificare vim mentis & cognitionem, qualis
qualis illa ſit, profectò vis animi & cognitio vnde videamus quid in vnaquaque re ſit
aptum ad perſuadendum, facultas iure ac meritò appellabitur. Denique eſto ambi-
gua ſit interdum, quaéque res ſignificet longè varias, hîc tamen nemo non animad-
uertere poſſit eiuſmodi vim & facultatem animi (vt dicere cœperam) ac mentis eſſe
vim & facultatem, cum vna mens explorare poſſit quæ ſint ad perſuadendum accom-
modata. Atque hinc etiam licet animaduertere temerè obijci hanc mentis cognitio- *Ad IV.*
nem debuiſſe ad aliquem ex quinque habitibus reuocari qui ab Ariſtotele numeran-
tur in Ethicis; ac propterea ad artem vel ad ſcientiam aut etiam ad prudentiam perti-

Propoſitæ dubitationes etſi reijciuntur in aliũ locum, in quo explicabũtur copioſè, interim breuiter enodantur ſingulæ.

 nere,

nere, cum hæc cognitio ab iſtis abhorreat habitibus, nam ibi conſtantem cognitio-
nem & habitus certos enumerat qui errare haud ſinunt, non cognitionem quæ pa-
teat latiùs & infirma ſit etiam. Et ideo eodem in loco ſignificauit alias cognitiones
infirmas prætermitti quòd ſint multæ ac variæ, & hoc genere cognitionis, infimæ
ſcilicet, continetur Rhetorica: quæ propterea Artis & ſcientiæ nomine niſi populari-
ter & licenter, etſi more maiorum, non appellatur. ex quo fit vt arguiè magis quàm
verè ac ſcitè obijciatur nos hac facultate ſi non res conſtantes ac veras cognoſcimus,
at certè id quod eſt probabile, pro probabili conſtanter offerre ac verè: ſiquidem ne-
ceſſe eſt vt quæ proferuntur ſint ex ſe vera & conſtantia, cuiuſmodi ex Ariſtotele ſunt
quæ ſcientia complectimur, nec ſatis eſt vt pro probabilibus conſtanter proferantur.
Ad V. Quod ſi animi ἀρετὴ ſeu κακοτεχνία, virtus inquam aut etiam improbitas & vitium
habita eſt a quibuſdam, ab alijs in ingenio, aut prudentia, aut exercitatione poſita eſt
& collocata, ſanè Ariſtoteles qui docuit tum præceptis contineri tum eſſe mortali-
bus vtilem, ſed ita vtilem vt ex earum rerum ordine ſit quæ a non bono Oratore in
malam adhuc partem, vt pleraque alia, inflecti poſſit, ſatis indicauit, nec virtutem nec
vitium eſſe (cur enim apparens adumbratúmque argumentum concedat Oratori ali-
bi copiosè) nec tam ad ſolum ingenium, aut prudentiam, aut exercitationem quod
Artem ſeu cognitionem præceptis, quæcunque illa ſit, comparatam, eſſe reuocandam.
Denique non inficiatur Ariſtoteles ad Eloquentiam ingenium & Naturam valere
plurimum, tum vſum & exercitationem momentum habere maximum, tum propter 204
improbitatem ſaltem Oratoris calliditatem quandam ac vitium videri poſſe; ſed con-
tendit præceptis quoque contineri, & ad Artem quoque poſſe reuocari, ſeu etiam vim
quandam eſſe & facultatem; itaut non neceſſe habuerit eos refellere, ſed potiùs ſuam
quoque ſententiam ſtatuere & confirmare. Dum verò pugnatur in propoſita defini-
Ad VI. tione vnius Inuentionis haberi rationem; Diſpoſitionem & Elocutionem contemni,
clauſula hęc ſit; Ariſtotelem quippe qui principio ſibi de Inuentione, vt par erat, agen-
dum indicauerat, ad inuentionem quæ in rationibus inueniendis ad perſuadendum
idoneis occupatur ſpectaſſe; itaut inchoata ſit hæc definitio non perfecta: & ideo ad
III. initium monet ad Rhetoricam adhuc Elocutionis & Diſpoſitionis munus perti-
nere (atque hoc nomine rationem interim offert vnde definitio omnibus expleatur
numeris) atque has duas partes continenter proſequitur: itaut reuera inchoata ſit tan-
tùm propoſita definitio. Et huc etiam pertinet quod illis eam verbis propoſuit ἔστω
δ' ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. Sit igitur Rhetorica fa-
cultas videndi in vnaquaque re quod contingat eſſe aptum ad perſuadendum; vbi
quaſi Mathematicorum more poſtulauit vt illud vnum ſibi interea concederetur,
Rhetoricam in Inuentione rationum quibus fidem faciamus, verſari. itaut hîc non
tam de Rhetorica definienda, præſertim definitione perfecta & omnibus partibus
abſoluta, quàm de Inuentionis artificio tanquam præcipuo Rhetoricæ munere pro-
ponendo, cogitarit, quod de Inuentione ſibi primùm agendum iudicaſſet. atque hinc
eſt vt Inuentionem ſibi primò poſtularit Rhetoricæ conuenire. Et hinc ſanè licet ijs
Ad VII. ſatisfacere quæ cum propter actionem tum propter memoriam & pronuntiationem
obijciuntur. Nam tum demum erit Ariſtotelis induſtria in ijs etiam requirenda cum
locum nobis obtulerit in quo inchoatam definitionem abſoluamus. Tametſi ne
illud quidem eſt reticendum actionem quantumuis Demoſthenes in primis eam
collocaret, quin tanti faceret vt in ſecundis etiam & in tertijs illam conſtitueret, non
omnino propriam eſſe Oratoris, ſed cum Tragico ſaltem & Comico illi commu-
nem eſſe; & hinc eſt vt è Roſcio Comœdo vel ipſe Cicero actionem perdiceret. Quod 205
multò magis affirmauerim de memoria quæ alijs multis non minùs quàm Oratori
eſt neceſſaria, præſertim Dramaticis actoribus. Is enim, quoniam aliena recitant,
multò magis ea indigent quàm Orator, qui ſatis etiam ſuo muneri ſatisfecerit ſi ca-
pita rerum memoria comprehenderit, verba ex tempore depopoſcerit. Quin minùs
fœlicem eum Oratorem iudicauerim cui verba tanquam puerulo ſint ediſcenda.
Denique de pronunciatione vel quia cum actione coniungitur vel quia commu-
nis ſit Oratori cum Poeta & Dialectico, nihil eſt quod longiùs faciam. Diffi-
cilius eſt quod obijcitur de ſecunda & tertia Inuentionis parte. Cum enim Oratoria

Inuentio

Inuentio ſit tripartita, viſus eſt quidem Ariſtoteles in definitione propoſita eius partis Ad VIII.
habere rationem quæ ex rebus ducit argumenta ad fidem faciendam: cõtra verò eam
quæ a perſona vel Auditoris propter affectus, vel ipſius Oratoris propter mores ac vir-
tutes, ducitur fidem penitus deſpexiſſe. An igitur concedendum eſt reuera vnius illius
partis habuiſſe rationem? ſanè ita videtur. idque tum quia ab initio ſtatuerat ſolam
hanc partem eſſe σῶμα τῆς πίστεως ſeu corpus & ſummam Oratoriæ fidei, reliquas duas,
quas enumerabam partes, eſſe additamenta, atque adeò extra rem: tum quia quemad-
modum in propoſita definitione ſolius Inuentionis rationem habuit, quòd de Inuen-
tione primo loco eſſet agendum, Diſpoſitio & Elocutio ad extremùm reijcienda, ita
in eâdem primæ tantùm fidei partis quæ ad Inuentionem pertinet, rationem habere
potuit, quòd hæc vna & primùm & toto hoc libro tractanda eſſet; reliquæ duæ ad ſe-
cundum reijciendæ. Quanquam illud obſtat quòd Ariſtoteles, definitione illa expli-
cata, ſtatim fidem Oratoriam in artificioſam & artis expertem diſtribuit: atque artifi-
cioſam rurſus in rationes, affectus & mores, quaſi verò in propoſita definitione tri-
partita illa fides fuiſſet incluſa. Nam reuera πιθανὸν pro fide vſurpatum ſignificauit
continenter atque ita vſurpatum, vt totam Oratoriæ fidei varietatem concluderet.
Quamuis enim temerè id feciſſe dicat fortaſſe quiſpiam, cum paulò ante totam fidei
faciendæ vim in rationibus collocaſſet, quas vnas σῶμα τῆς πίστεως appellarat, fecit ta-
men & clariùs quàm vt in controuerſiam vocari poſſit. Ergo ſi quis definitionis ver-
ba ſic exponat vt πιθανὸν quod ſpectari iùbet in vnaquaque re ſpectetur non modò in
rebus verùm etiam in Oratore & Auditore (quia ſcilicet Auditor etiam & Orator
206 res ſint) fortaſſe componat omnia; ſed tamen duriorem ſenſum inde eliciat, ac verbis
vim adhibeat (contemplari enim in vnaquaque re πιθανόν, rectè dixeris eum qui in re-
bus quæ perſonis apponuntur, contẽplatur probabile; & ideo fides quæ ducitur ex re-
bus ei deinde opponitur quæ ducitur ex perſonis; in perſonis certè id contemplari non
rectè dixeris) ita ut adhuc res ſit ambigua: niſi fortè ἕκαστον non modò rebus verũ etiam
pſonis aptari poſſit. Sed de hoc alio loco copioſè. Quod ſi Inuẽtio eſt Oratori cũ Poëta
& imitatoribus aut alijs artificibus cõmunis, ita ut adhuc in genere, ſeu in ijs quę cõmu-
nia ſunt, verſetur Ariſtoteles; ecce tibi mox eiuſmodi Inuentionẽ ad fidẽ contrahit gi- Ad IX.
gnendã, vnde cõmodè diſterminatur a cæteris facultatibus quotquot indigẽt Inuẽtio-
ne. Neque verò facilè illud eſt concedendũ, ita prudẽtis viri eſſe Inuentionẽ, vt prudẽs
hic vir Oratori è regione opponatur. Nã prudentia ſeu mentis ſolertia quã requirimus
in Oratore vt excogitet quę idonea ſunt ad fidẽ faciẽdam dum ad talem Inuentionem Ad X.
contrahitur Oratoris eſt propria, quemadmodum in vniuersùm communis videri po-
teſt. Denique nihil obſtat quominùs in definitione, populari pręſertim quaéque ad de-
ſcriptionẽ accedat, poſt genus differentia collocetur aliqua quæ non planè rem diſtin-
guat ab omnibus alijs quibúscum cõuenit; ita ut neceſſe ſit alias differentias ſubiunge-
re. vt propterea non duo genera contineat propoſita definitio nec proinde monſtroſa
ſit, ſed vnicum genus, differentias multas, ex quibus tamen conflatur vnica ita ut defi-
nitio inchoata ſit illa quidem mõſtroſa nullo modo. Quod ſi M. Tullius Elocutionem
potiùs quàm Inuentionem Oratoris propriam cenſuit aliquãdo, equidem a M. Tullio
ad M. Tullium prouoco. An non tu M. Tulli duos libros de Inuentione ſcripſiſti, To- Ad XI.
picos quoque libros qui vni Inuentioni ſeruiũt, confeciſti, ac ſexcenta alia in alijs libris
præcepiſti, vt oratoriæ Inuentioni ſeruires? Sed quid dico ſeruires? immo hac vel maxi-
mè Rhetoricæ artificiũ contineri oſtenderes? ſic ſanè. Igitur quod de Elocutione diſſe-
207 ruiſti aliquãdo, quaſi verò hæc potiùs quàm Inuẽtio ſit propria Oratoris, tuo illi ſtudio
acceptũ eſt referendũ quo nouorũ Academicorũ more de vnaquaque re variè diſpu-
taſti, vt non tam aliquid conſtanter concluderes, quàm vela orationis panderes & elo-
quentiã oſtentares. Id quod & in libris de natura Deorũ (quod ſanè cõqueritur B. Au-
guſtinus) & in alijs multis feciſti, vſque adeò in cõtrarias partes diſſerere delectauit ani-
mum tuum, vt eloquẽtiæ famã colligeres. Ita ſanè cur Inuentionẽ à Rhetoricæ defini-
tione arceamus, haud ſanè habemus. Verùm quid obſecro dũ veriſimile potiùs quàm
verũ ſpectandum proponitur Oratori? Equidẽ in hoc etiã videri poſſit Ariſtoteles ſecũ
ipſe pugnare. Nã tecmirion vnde res explorata colligitur ac certa, concedat paulò poſt
Oratori; & Oratorẽ tum quia demonſtret, tũ quia demonſtrare videatur, ac propterea Ad XII.

rationes tum certas tum veriſimiles, proindeque verũ ac veriſimile, Oratori cõcedet,
vt omittam multorum oratorum vſum qui vera cũ veriſimilibus miſcent paſſim. Nã
à Platone totam hanc rẽ reprehendi acriter, cũ clamet veritatẽ requirendã bono Ora-
tori, non eſt quod dubitemus. Sed ſat ſit in præſens Oratorẽ ijs adhiberi diſceptãdis quæ
in obſcuritate verſantur, nec certã cognitionẽ ſuppeditant, vt ſunt res humanæ quæ in
magna ſunt varietate & obſcuritate poſitæ, ita vt per rarò conſtantẽ vllã cõcedant co-
gnitionẽ. Ex quo fit vt veriſimile quod eſt obuiũ, requiratur quidẽ ab Oratore, verùm
non neceſſariò requiratur: licet ſi fortè quando occurrat, nõ ſit Oratori ſpernendũ ſed
arripiendũ. Ita quidẽ definitio fuit ex ijs conſtituẽda quæ ab Oratore neceſſariò exqui-
runtur (huiuſmodi verò ſunt veriſimilia) non ex ijs, quæ non neceſſariò exiguntur ab
Oratore. Et hoc nomine requiritur vt demonſtret; Oratoria enim demõſtratio eſt ve-
riſimilis probatio & ratiocinatio. At cur περὶ ἕκαστον; An non æthna grauius imponitur
Oratori onus? Qui enim veriſimile in vnaquaque re explorare poſſit Orator, cum nihil
Ad XIII. cælo, terra, marique ſe ſe obijciat quod non veriſimile aliquid offerat cõtemplanti? ſed
fortaſſe iubet Ariſtoteles vt Orator cõtempletur veriſimile in vnaquaque re ex ijs quæ 208
de more ſint diſceptandæ. Ita vt ſi fortè tribus tantùm generibus cauſarũ ijs quæ in Se-
natu & Iudicijs diſceptantur, eius concludatur induſtria, non in omnibus ſit probabile
requirendũ. non enim de Cæleſtiũ motuũ varietate, aut maris fluxu, aut defectu lunæ,
déque huiuſmodi alijs, oritur cõtrouerſia in iudicijs aut diſceptatur in curia. Huc ac-
cedit quòd ſi quando res quæ in cõtrouerſia verſatur a cõmuni vſu paulò eſſet remo-
tior, ac propterea coniecturæ & argumenta ex abditis remotiſue fontibus ſint deriuã-
da, Oratori earũ rerum periti ſunt conſulendi vt horũ ope rẽ ſaltem probabiliter tra-
ctare poſſit. Sic Medicũ conſulet vbi veneni adſit ſuſpicio: ſic Iuriſconſultũ vbi aliquid
inciderit, quod ex interiori Iuriſprudentiæ aditis ſit petendũ: ita ut ad agricolas etiã &
nautas cõfugere liceat queãdmodũ egregiè diſſerit M. Tullius. Quamquã, quoniam hæc res
eſt cũ altera dubitatione inuoluta in qua de materia Oratoris quæritur, & nouus Pro-
theus ab Ariſtotele fictus vr, ad hãc ſe ſe cõuertat Oratio. Igitur dũ obijcitur tã variam
Ad XIV. nobis materiã obiecisſe Ariſtotelẽ ac ſecũ mirificè ſæpè ac ſæpiùs pugnaſſe, quin toto
cælo diſſidẽtes ſentẽtias protuliſſe, ſic ſtatuo. Præcipuũ ac primũ & ferè vnicũ Oratoris
munus eſt de ijs cõſiliũ dare & copiosè verba facere quæ in Senatu ſunt diſceptãda. eſt
enim Orator à Politico Reipublicæ cuſtodiæ deſtinatus, vt pro ſua prudẽtia & eloquẽ-
tia caueat, ne quid Reſpublica detrimẽti capiat. & hoc maximè, quaſi Principis aſſecla,
elaborat Orator. Itaque genus deliberatiuũ habet pro materia: & hac de cauſa, queãd-
modũ eiuſmodi genus dicitur ab Ariſtotele πολιτικώτερον, ita Orator deliberationibus
ac Reip. tuendæ adhibetur ac deſtinatur. Quod ſi iudicia proximè attingit & genus iu-
diciale, id fuit quòd iudicia quoque, etſi minùs politicotera quã deliberationes (ſunt. n.
de rebus priuatis, & fermè de emptione, vẽditione & huiuſmodi alijs, aut ad ſummum
de alicuius capite interdũ: cũ deliberationes ſint de publicis rebus & maximis) pluri-
mùm conferunt ad publicã vtilitatẽ. & eãdẽ analogia & proportione ad genus demõ- 209
ſtratiuũ deſcẽdit aliquãdo: cũ è publica re ſit vituperari improbos ac probos ornari. ſic
paulatim ad res cæteras quæ copiosè tractari poſſunt, & dicẽdo exornari, paulò poſt au-
ſus eſt proſilire, quod eius dicendi vbertate ac venuſtate gaudeãt propè omnia; ita ut lõgè
ac latè ſe ſe fundat Eloquẽtia, licet deliberationibus primò inuigilet, iũ analogia quadã
aliquã curæ partẽ & induſtriæ deriuet ad cætera. Hinc variè viſus eſt loqui Ariſtoteles,
cũ tamẽ vario nomine ac proinde rectè vbique. Nã ne illud quidẽ pugnat in infinitum
manare aut nullũ campũ habere: quãdoquidem nullũ campũ habet propriũ ac certis
finibus cõcluſum. ſed tñ, quoniam certa ratione delabitur ad omnia, in infinitũ ferè eius va-
Ad XV. gatur induſtria. Neque verò dũ Ariſtoteles τὸ πιθανόν attribuit Oratori, iubétue vt ex-
ploret quæ apta ſunt ad ſuadendũ, tollitur genus demonſtratiuũ. Nã licet ſuaſio quæ eſt
altera deliberationis pars & diſſuaſioni opponitur, quaéque ad deliberandũ inducit, ſic
cõueniat deliberatiuo generi vt non cõueniat demonſtratiuo, tamẽ ſuaſio quæ ſignifi-
cat fidẽ & probationẽ (id enim valet πιθανόν) peragrat omne genus: probatio. n. & fides
vnicuique generi eſt neceſſaria. Ita quidẽ demõſtratiuum genus excluditur à ſuaſione
quæ probationẽ ſignificat ac fidem. Et hinc etiã fit vt iudiciale genus, etſi ſuaſionẽ non
Ad XVI. habeat propoſitã, pertineat ad Oratorẽ; cũ πιθανόν, quod in iudiciali quoque eſt cõqui-
rendum,

Digitized by Google

rendũ, ſignificet fidẽ & probationẽ. Iã verò ea ratio qua pugnatur propoſitã definitio- *Ad XVII.*
nẽ Dialecticæ perindeac Rhetoricæ conuenire atque adeò vtrique cõmunẽ eſſe, cum
Dialectica etiã exploret id quod fidẽ & opinionẽ gignit, inde refellitur, quia huiuſmo-
210 di definitio eſt inchoata ſolùm: & ideo nil mirũ ſi fortè cadat etiã in Dialecticã. quod ſi
abſoluatur, & Diſpoſitionis, Elocutioniſque ratio habeatur, quin ipſius Inuentionis
etiã quà mores & affectus cõtinet, nullo modo conueniat Dialecticæ. Eodémque iure
licebit ſtatuere non eſſe propriã Dialecticæ, cũ, ſi expleatur ea definitio, affectus & mo- *Ad XVIII*
res & id genus alia prohibeant ne ea definitio non modò propria ſit Dialecticæ, ſed ne
vllo modo illi cõueniat quidẽ. Ita ſane Amphora cœpit Inſtitui. atque Amphora inde
exitit ad extremum. Et eâdem de cauſa pædia illa, quantumuis veriſimile ſpectaret in
vnaquaque re, qm̃ nõ circa mores & affectus verſaretur vt inde fidẽ faceret, nec Diſpo- *Ad XIX.*
ſitionis & Elocutionis præcepta proſequeretur, propoſitam definitionẽ ſibi vendicare
haud poſſet. Ad extremùm eſto ea definitio, Rhetorica eſt Ars benedicẽdi, ſit optima
Rhetori tamen cui benedicẽdi præcepta ſunt proferẽda, oſtendendũ adhuc eſt quibus, *Ad XX.*
tandẽ aſſequi liceat vt benèdicamus. Ita quidẽ neceſſe eſt vt tũ ad tripartitã illam Inuẽ-
tionẽ, tũ ad Diſpoſitionẽ, & Elocutionẽ deſcẽdat quæ incluſæ ſunt ac deliteſcunt in ea
definitione. Satius igitur fuit hæc ſtatim aperire, vel certè ſuis quęque locis proponere,
ac proinde in primo libro primã Inuentionis partẽ, in ſecundo ſecundã & tertiã; in ter-
tio Diſpoſitionẽ & Elocutionẽ illi attribuere, vnde benedicẽdi Ars & ratio exiſtit. Hæc
ſunt quæ breuiter dixiſſe volui vt propoſitis dubitationibus ſatisfacerem. Nã de hac re
tota copioſiùs in Diſputatione quarta. Nũc redibo ad Ariſtotelẽ, ſi tñ illud obſeruaue- *Perſoratur breuiter*
ro & admonuero; nimirũ nos ſub primi capitis finem xx. dubitationes propoſuiſſe quæ *hæc Diſpu-*
etſi in primo capite ſeu prooemio ſe iã in conſpectũ dare cœpiſſent, eſſent tñ in Tracta- *tatio de*
tionis progreſſu enodandę. Has igitur maiore ex parte enodatas & explicatas inueneris *Rhetoricæ*
in his quæ de Rhetoricæ difinitione breuiter diſputauimus. Quare (vt tibi huiuſce rei *definitione:*
ſpecimen extet aliquod) dũ ibi primo loco quæritur nũ Rhetorica verè ſit inter Artes *ac de iiſque*
numeranda, tũ verò ad quale doctrinæ genus ſit reuocanda, hæc videri poſſunt in prę- *adextremũ*
211 ſenti diſputatione explicata: in qua docuimus Rhetoricã propriè nõ eſſe artem: ſed tm̃ *primi Capi-*
populariter & more maiorũ Artis cenſeri nomine. Ex quo fit vt ad nullũ habitũ ſit re- *tis propoſitæ*
uocanda: ſed potiùs ad infirmã cognitionem quæ ab Ariſtotele citra quinque habitus, *ſunt Dubi-*
menti tribuitur. Et quanquã propter methodũ dũ pręceptis vtitur quę per ſe effectio- *tationes, in-*
nẽ ſpectant nullã, Artis imaginẽ refert non exiguã, verũtamen ad ſcientiã accedit pro- *dicantur*
piùs q̃ ad Artẽ: quemadmodũ rurſus, cũ huiuſmodi pręcepta non tã cognitionis gratia *quædam.*
q̃ actionis alicuius cauſa explicentur, deflectit ad Prudentiã. Quãuis ex morali quoque
doctrina pp affectus & mores aliqua ex parte exiſtat. Hęc vt tibi ſpecimen extet de quo
dicebã. Quamquã, vt verè fatear, Artis cæteroquin formã refert ac ſimulacrũ. Orator
enim perſuadendi fine ſibi propoſito & conſtituto, mente agitat, mox etiã fabricat, ar-
gumenta quibus finẽ molitur attingere, ac probationẽ, motũ, affectuum argumentis
animo conceptis priùs, tũ veluti in aciẽ eductis & diſpoſitis, ad extremùm aptis verbis
ſententiiſque diligenter inſtructis & exornatis, Exordiũ, Narrationẽ, Confirmationẽ,
Epilogũ hinc conflat, vnde perfectũ, atque illud ſanè operoſum & multa induſtria ela-
boratũ, exiſtat opus. Quid enim magnoperè intereſt ſiue opus ex pronũciatione ſiue ex
ſtabili quodã monumento & lucubratione percipiatur? vel rurſus oculis potiùs appa-
reat q̃ auribus atque oculis inſinuetur? Vt omittam nihil prohibere quominus ſcriptis
& ſtabili monumento ſe ſe offerat, vnde & oculis & auribus obijciatur. Certè hoc mo-
do vix quicquã intereſt inter Orationẽ & Picturã, quæ tamen Artis nomen omnibus
ſuffragijs eſt conſecuta. Vt propterea ex ijs illud ſaltẽ conſtet, Orationẽ, ſeu Rhetoricã
ad Artis habitum accedere propiùs quàm ſcientiæ aut prudentiæ: quãuis cũ prudentia
& ſcientia non vulgaris Rhetoricæ cognitioni intercedat ſimilitudo. Ita quidem ſi eas
212 dubitationes quæ (vt monebã) in extremo illo capite habentur, cum ijs contuleris quę
ſunt in hoc ſecundo capite diſputata, pleraſque iã enodatas inuenies. Tametſi ex ijs quę
in progreſſu adhuc attingẽtur, ſed in primis ſeorſim in Diſputationibus copioſè diſce-
ptabuntur, vberiùs adhuc & copioſiùs pleraſque omnes omni obſcuritate vindicatas
inuenies.

PARTICVLA XXV.

Τῶν δὲ πίστεων, αἱ μὲν, ἄτεχνοί εἰσι, αἱ δὲ, ἔντεχνοι. ἄτεχνα δὲ λέγω, ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόρισται, ἀλλὰ προϋπῆρχεν. οἷον μάρτυρες βάσανοι, συγγραφαὶ, καὶ ὅσα τοιοῦτα. ἔντεχνα δὲ, ὅσα διὰ τῆς μεθόδου, καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δύνατον. ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν, χρήσασθαι, τὰ δὲ, εὑρεῖν.

Fides autem vna non artificioſa eſt: altera artificioſa. Res non artificioſas voco, quæcunque non a nobis excogitatæ ſunt, ſed antè erant, vt teſtes, quæſtiones, ſyngraphæ, & quæcumque ſunt huiuſmodi. Artificioſas verò, quæcunque vt methodo, & opera noſtra comparentur, fieri poteſt. Quare oporret illis quidem vti, has verò etiam inuenire. *Riccobonus.*

Probationem autem aliæ quidem expertes artis, aliæ verò artificioſæ ſunt. expertes artis eas voco, quæ noſtra opera non pariuntur ſed extrinſecus aſſumuntur: vt teſtimonia, quæſtiones, tabulæ, & eius generis cætera. Artificioſas autem eas, quæ artis præſidio & induſtria noſtra parari, atque excogitari poſſunt. Itaque harum probationum alijs quidem vti, alias autem inuenire opus eſt. *Maioragius.*

EXPLICATVR II. Pars. — Com. XXV.

Docuit ſupra Rhetoricam eſſe δύναμιν, ſeu vim & facultatem inueniendi quid in quaque re videatur idoneum ad fidem faciendā. Nunc ſecūdo loco docet huiuſmodi fidei ac perſuaſionis duo eſſe genera, quorum alterum artificioſum ſit, alterum careat arte: & idcirco fides autem aliæ expertes ſunt artis, aliæ artificioſæ. Sed quoniam ſtatim conſequebatur, vt his duobus generibus propoſitis, eorūdem vim ac naturam explicaret, tum ea iudicaret, quæ iiſdem generibus continentur, ideo ſubdit, ***Expertes verò artis eas voco, quas nos non peperimus: ſed antè erant; vt teſtes, quæſtiones, ſyngraphæ, & quæ ſunt generis eiuſmodi: artificioſas verò dico, quas per artem & per nos parere poſſumus.*** Vbi nullo rem il- 213
luſtrat exemplo quod pertinet ad fidem artificioſam vel quia ex exemplis fidei expertis arte rem coniectare licet, vel quia de artificioſa fide mox erat dicturus, itaut de illa iā iam conſtare poſſet, vnde altera niſi extremo hoc primo libro dicturus non eſſet: vel quia artificioſa fides non eſt vnigena quemadmodum altera ſed tripartita: ita vt tutius eſſet nobis rem planiùs ex proxima quam de artificioſa fide ſubijciet, diſputatione perdiſcere, quàm in exemplis colligendis quibus de re conſtaret vndique, immorari. Verùm, ſi placet, geminæ huius fidei diſcrimen exemplo aliquo ipſimet illuſtremus. Esto igitur Cicero Catilinam eo argumento perduellionis accuſet, quòd eius literæ deprehenſæ ſint, in quibus exules ſolicitabat ad Vrbem incendendam, & Conſules in primis enecandos. iam literæ iſtæ antea erant, itaut illis vtendum fuerit potiùs quàm ingenio excogitandæ atque conflandæ. at ſi eo vtatur argumento quòd fortunas bónaque omnia dilapidauerit, ære alieno premeretur, noctu cum ſicarijs clam miſceret cōſilia, hoc ſanè argumentum arte conſtaret, cum à M. Tullio pararetur ad perduellem illū euincēdum. & quamuis iſta quoque antegreſſa ſint accuſationem, quemadmodum literæ illæ, literæ tamen vbi de authore conſtaret, nulla indigebant Oratoris induſtria, vt inde efficeretur Catilinam eſſe perduellem: nam ſuapte ſponte, ac Cicerone etiam tacente, declarabant Catilinam, quippe qui arma in patriæ viſcera conuerteret, eſſe perduellem ac maieſtatis reum: quare parata erat hæc fides, & cū cauſa arctiſſimè copulata. ſecus dum dicitur Catilina dilapidaſſe bona, premi ære alieno, coire cum ſicarijs, adde etiam arma comportaſſe domū. hæc enim non cum cauſa coniuncta ſunt (quid enim prohibet innumeros fuiſſe in Vrbe qui dilapidaſſēt bona, & premerērur ære alieno, aut cum ſicarijs coirent, armáue domum deferrent, qui tamen non eſſent perduelles?) ſed ex-
trinſecùs ab Oratore aſſumuntur, atque ita aſſumuntur, vt nec per ſe declarent Catili- 214

nam

Digitized by Google

nam eſſe reum maieſtatis, ſed egeant Oratoris induſtria. Denique fateor artificioſæ
quoque fidei paſſim aliquid ſupponi ex quo ducitur, ita vt illi etiam præeſſe aliquid vi-
deatur, vt cum dicitur Catilinam comportare arma, aut cũ Sicarijs verſari conſueuiſſe;
ſed tamen in his non Mathematica acribologia eſt requirenda ſed popularis: alioquin
nec ſyngraphæ nobis fidem faciunt ſine alicuius induſtria qui illas patefaciat. Itaut cũ
artificioſæ fides, quantumuis quoquo modo antegreſſæ, deliteſcant & in obſcuro ver-
ſentur, quin admodũ remotæ videri poſſint, ac propterea diligenti Oratoris induſtria
egeant vnde fides ex illis, eruatur, artificioſæ dicendæ ſint & Oratoris ſtudio induſtriá-
que parari. hinc enim fit, vt tandem ea demonſtrent vel demoſtrare videantur. Quam-
quam exemplum duci quoque poteſt ex affectibus & moribus. Nam ſi M. Tullius in-
ter dicendum auditores perturbaſſet & in Catilinam quippe multis vitijs ac ſceleribus
coopertum incendiſſet, aut ſe virum probum & Patriæ ſtudioſiſſimũ declaraſſet, hinc
etiam fidem feciſſet, atque Catilinæ coniurationem probabilem reddidiſſet: quæ fides,
artificioſa dicenda eſſet, quia a Cicerone affectibus & moribus gigneretur, nõ præerat.
Et idcirco concludit ſtatim auctor. *Quo fit vt illis quidem vti, hæc verò inuenire debeamus.*
vbi ſanè declarat non eſſe laborandũ in reperiendis argumentis quæ iam extant & arte
carent, ſed potiùs, quoniam parata ſunt, illis vtendum eſſe. Contra verò de artificioſis
accidere, quæque non ſunt in rebus ipſis de quibus agitur collocata. Hæc enim indu-
ſtria noſtra inuenienda & paranda ſunt. Hæc eſt tota ſentẽtia Ariſtotelis. quam M. Tul-
parte 4. ab init. lius in II. libro de Oratore integram vſurpauit atque explicauit his verbis. *Ad proban-
dum autem duplex eſt Oratori ſubiecta materies, vna rerum earum quæ non excogitantur ab Orato-
re, ſed in re poſitæ, ratione tractantur: vt tabulæ, teſtamenta, pacta, conuenta, quæſtiones, leges, ſe-*
215 *natuſconſulta, res iudicatæ, decreta, reſponſa, & reliqua ſi quæ ſunt, quæ non ab Oratore pariuntur,
ſed ad Oratorem à cauſa & a reis deferuntur. Altera eſt quæ tota in diſputatione & argumentatio-
ne Oratoris collocata eſt: ita in ſuperiore genere de tractandis argumentis, in hoc etiam de inuenien-
dis cogitandum eſt.* Hæc M. Tullius. qui ſanè dũ artificioſæ fidei profert exempla, alterius
fidei exempla reticet ipſe quoque: in reliquis tamen optimus Ariſtotelis interpres vi-
deri poteſt. nam dum primo loco ſcribit Ariſtoteles duplicem eſſe fidem Oratoris, ar-
tificioſam vnam, alteram expertem artis; per fidem verè non intelligit fidem ſiue ar-
gumentationem ipſam, quia argumentum vel potiùs argumentatio non poteſt non
artificio induſtriáque conflari; ſed materiam intelligit, vnde ducitur ipſa fides & argu-
mentatio. & ideo M. Tullius, vt explicaret id quod ſubobſcurè tradiderat Ariſtoteles,
non dixit, duplex eſt Oratoris fides, ſed duplex eſt ſubiecta Oratori materies ad probã-
dum, ideſt materia vnde ducuntur argumenta: tametſi ex bipartita illa materia, bipar-
tita hæc gignitur fides, ita vt eodèm fermè recedat res. deinde cum Ariſtoteles diceret
ea carere arte, quæ nos non inuenimus, ſed antè ſunt, attulit exemplũ dicens, vt teſtes,
quæſtiones, ſyngraphæ, & quæ ſunt generis eiuſdem: ac preſsè quidem: ſed explicatiùs
Cicero cum dicat. Vna rerum earum quæ non excogitantur ab Oratore, ſed in re pro-
poſita ratione tractantur; vt tabulæ, teſtimonia, pacta, conuenta, quæſtiones, leges, ſe-
natusconſulta, res iudicatæ, decreta, reſponſa, & reliquæ ſi quæ ſunt. vbi, vt videris, quę
complexus fuerat Ariſtoteles generali ſyngraphæ nomine, lariſſimè expoſuit. Sed &
illud affirmat Ariſtoteles, quæ carent arte, extare antea: at qua ratione extent, non oſtẽ-
dit; oſtendit itaque hoc M. Tullius. nam cum dicat ad Oratorem a cauſa & reis deferri,
in his extent neceſſe eſt. Denique concludit Ariſtoteles. *Quo fit vt illis quidem vti: hæc*
216 *verò inuenire debeamus:* paulò clariùs Cicero, qui dum ait, ita in ſuperiore genere de tra-
ctandis argumentis, in hac autem etiam de inueniendis cogitandum eſt, ſecũdum hoc
argumenti genus non modò inueniendum, ſed etiam tractandum affirmat. Atque eã-
dem partitionem recenſuit, & explicauit ex hoc ipſo Ariſtotelis loco Quintilianus li-
bro primo, vbi teſtatus quoque eſt, ab omnibus penè fuiſſe receptam his verbis. *Ac
prima quidem illa partitio ab Ariſtotele tradita, conſenſum ferè omnium meruit, alias eſſe proba-
tiones, quas extra dicendi rationem acciperet Orator, alias quas ex cauſa traheret ipſe, & quodam-
modo gigneret, ideóque illas ἀτέχνους ideſt inartificiales, has ἐντέχνους artificiales, vocauerunt.*
Hæc iſti pro Ariſtotelis ſententia. Vbi ne te illud perturbet quòd fidem artis exper-
tem quam Ariſtoteles ait præexiſtere, Cicero in II. de Oratore ſic dicit præexiſtere vt
a reis & a cauſa duci affirmet; Quintilianus contra artificioſam trahi dicat ac duci à
cauſa. nam re vera útraque pertinet ad cauſam ſeu cum cauſa coniuncta eſt, & ex ea
ducitur;

Digitized by Google

ducitur; ſed artificioſa ſic ducitur a cauſa vt arte & ingenio veluti gignatur ex ipſa cauſa: quæ verò expers eſt artis, inde non paritur ſed arripitur, quia in ea iam præerat. Ex quo fit vt dum Quintilianus hanc rurſus ait extrinſecùs aſſumi, id dicat propter artem ſeu artificium Oratoris, quia non hoc paritur ſiue formatur & fingitur, ſed cum præeſſet, arripitur. alioquin artificioſa quoque ex cauſa ducitur vt ait Cicero, idque quia præerat vt loquitur Ariſtoteles. ſic ſanè vario nomine & extrinſecùs aſſumi dicere liceat, & ineſſe rei, quæ artificio parantur probationes: rei enim inſunt quà non ſunt ab arte alienæ ſed arte parantur: extrinſecùs aſſumuntur quia non præexiſtunt. Sed dubitatur; quia ſi Ariſtoteles in Rhetoricæ definitione, vnde (vt tu quidem affirmabas) ducit filum diſputationis reliquæ ac tractationis, dixiſſet Rhetoricam eſſe facultatem videndi τὴν πίστιν, commodè ſanè & cohærenter ſubijceret è veſtigio, fides autem alia 217
eſt artis expers alia artificioſa: ſed cum dixerit eſſe facultatem videndi τὸ πιθανὸν, hoc eſt perſuadibile, vt cum Quintiliano loquar, ſeu quod eſt aptum ad perſuadendum, res minùs commodè agitur aut etiam perperàm exponitur. nam dicere debuiſſet non πίστιν ſed τὸ πιθανὸν aliud eſſe expers artis aliud artificioſum.

Reſpondetur. Rectè, ſed tamen verba illa πίστεων δὲ, quę ſubijciuntur propoſitæ tum definitioni tum explicationi, ac ſigillatim verbis illis Rhetorica circa rem datam contemplatur τὸ πιθανὸν, ſatis indicant fidem & πιθανὸν promiſcuè vſurpari: idque ſiue quia, ἐν τῷ πιθανῷ incluſa ſit fides atque adeò πιθανὸν fidei faciendæ cauſa quæratur ac fidei faciendæ adhibeatur, ſiue quia ſūmatim πιθανὸν & perſuadibile valeat accomodatum ad fidem faciendam.

Dubitatur II. Atqui ſit iſtud, ſed tamen illud dubitatur adhuc; nam teſtes atque huiuſmodi alia, quæ hîc ab Ariſtotele cenſentur artis expertia; extremo deinde libro ſummo cum artifitio tractantur: docet enim ibi Ariſtoteles quo pacto in iudicijs de teſtimonijs, de legibus, déque huius generis alijs ſit agendum; atque rationem diligenter præſcribit, qua vtiliter poſſint vſurpari ac tractari: idque ipſum fecit M. Tullius in Partitionibus, & in Topicis, & in II. de Oratore. Idem Quintilianus libro V. capite I I. & ſequentibus.

Reſpondetur. Sed ſi attentè recolantur quæ hac in re ſtatuimus ſuprà, non difficile eſt huic dubitationi ſatisfacere. nam aliud eſt has fides ſeu probationes ſtudio atque arte inueniri ac parari: aliud ſtudio & arte tractari ex explicari: hæ fides non egent induſtria & ſtudio vt inueniantur ac parentur (ſunt enim in promptu & quaſi vltrò ſe ſe offerunt Oratori) ſed egent induſtria & arte vt appoſitè ac pro dignitate tractentur. Quamobrem quod pertinet ad vſum, ſunt quidem artifitioſæ, ſed quod inuentionis intereſt, ſunt artis expertes: contra accidit in cæteris argumentis quæ arte non explicantur ſolùm, ſed etiam excogitantur & inueniuntur, & hoc nomine hæc quidem argumenta ἔντεχνα, illa verò 218
ἄτεχνα vocat Ariſtoteles. & ideo egregiè Cicero in Partitionibus. Cicero F. Quomodo igitur duo genera iſta diuidis? C.P. quæ ſine arte putantur, ea remota appello, vt teſtimonia C. F. quid inſita? quæ inhærent in ipſa re.

Dubitatur III. Quod ſi dubites rurſus quáſnam alias fides artis expertes ſignificet Ariſtoteles, dum teſtibus, quęſtionibus & ſyngraphis commemoratis, ſubdit, & quæ ſunt generis eiuſmodi, ſanè, dum hac in re diſſentire videntur Rhetores cæteri ab Ariſtotele,

Reſpondetur. dicendum eſt verbis illis ſignificare pacta & iuſiurandum, & ideo eſſe quinque, quas deinde recenſet & tractat omnes paulò ante finem huius libri. Quare licet à Quintiliano ſex enumerentur probatio- *Lib. 2.*
nes artis expertes, nimirum, præiudicia, rumores, tormenta, tabulæ, iuſiurandum & teſtes; a Cicerone verò multò plures (vt iam antea ex eo retulimus) conciliari poſſunt. nam leges, Senatuſconſulta & huiuſmodi alia quæ enumerat M. Tullius omnia vt monebam, ab Ariſtotele ſyngraphæ nomine deſignantur. Sed hæc ſuo loco fuſiùs, *par. … & al.*
vbi etiam videbimus cur Cicero in Partitionibus ſæpè hæc omnia vnico teſtimoniorum nomine complexus ſit. & idcirco etiã ſi quis in quibuſdam codicibus tam Græcis, quàm Latinis, vt in codice Victorij, non inueniat illud ſyngraphæ, non miretur: nam in idem tandem recidit útraque lectio, ſatíſque eſt verbis illis *ſi quid huiuſmodi* cõtineri. Quanquam de re hac tota copioſiùs in capite X V. vbi ſigillatim de pactis ex Ariſtotele diſputabimus.

CONTROVERSIA XXI. NVM Oratoris ſit fidẽ facere. Nunc illud potiùs ad extremùm dubitabo, quod & primo loco fuerat dubitandum, & ob multa & magna, quibus ex Platone atque alijs, oppugnari dicitis poteſt & argumentis, nobili obijcit Controuerſiæ locum. NVM ſcilicet verè ſit Oratoris fidem facere, quod hîc tanquam certum arripit Ariſtoteles. Ac pro- 219
fectò dum illud pronunciat, Fides autem aliæ expertes ſunt artis, aliæ artificioſæ, accipit

pit

Digitized by Google

pit tanquam certum Oratoris munus, eſſe fidem facere, vel certè appoſitè dicere ad perſuadendum, ac proinde Rhetoricam eſſe vim ac facultatem, per quam inueniamus, quid ſit in quaque re ad fidem faciendam accommodatum; quo initio ac fundamento maxima pars eorum nititur, quæ tum hîc, tum in reliqua diſputatione conſtruit atque molitur: & tamen Philoſophorum princeps atque eloquentiæ parens Plato (iam enim lubet ſpecimen præbere aliquod Rhetoricorum Platonis decretorũ atque opportunis quæque locis veluti diſſeminare, quæ deinde in noſtris Dialogis proſequar & cum Ariſtoteleis conferam diligenter) hanc opinionem acerrimè inſectatur. fuerat enim opinio Gorgiæ magni illius ſophiſtæ, vt videre eſt apud eundem

par.7. & 8. Platonem cum alibi tum maximè in Dialogo de Rhetorica, qui & Gorgias inſcribitur. quare in libro de Pulcro cum Phedrus hanc ipſam, quam modò tuetur Ariſtoteles, ſententiam propoſuiſſet, contendens non eſſe neceſſarium Oratori reuera diſcere & perueſtigare quæ ſunt iuſta, ſed quæ multitudini talia videantur, nec quæ bona, & quæ honeſta, ſed quæ apparent, atque his potiùs quàm veris perfectiſque eſſe agendũ, ſic eludit eum Socrates atque irridet, vt oſtendat talem Oratorem perinde ſe gerere atque eum, qui ſuadere conatur aſinum (refero eius dicta) quoniam equo in quibuſdam ſimilis eſt, præſtantiſſimum animal eſſe, domi foriſque vtiliſſimum, in primis verò ad curſum & rem militarem expeditum & accõmodatum. vbi, vt ſeriò quoque ageret, pulcherrima Proſopopeia vſus, Rhetoricam ipſam loquentem facit, quæ in Oratores ipſos inuehitur his verbis. τί ποτ' ὦ θαυμάσιοι ληρεῖτε; ἐγὼ γὰρ οὐδένα ἀγνοοῦντα τ'ἀληθὲς, ἀναγκάζω λέγειν. ἀλλ' εἴ τις ἐμὴ ξυμβουλὴ κτησάμενος ἐκεῖνο οὕτως ἐμὲ λαμβάνειν. τὸ δ' οὖν

220 μέγα λέγω. ὡς ἄνευ ἐμοῦ τῷ τὰ ὄντα εἰδότι, οὐδέν τι μᾶλλον ἔσται πείθειν τέχνῃ. hoc eſt. *Quid o viri admirabiles deliratis? ego enim neminem veritatis ignarum vt dicendi artem diſcat impello: ſed ſi quis conſilio meo paruerit, is veritatem percipiens, me quoque capiet. nam illud affirmare audeo, quod maximum videri poſſit. fore vt qui rerum cognitionem aſſecutus ſit, is ſine me etiam perſuadeat.* His inquam aliiſque permultis, quæ breuitati ſtudens prætereo, oſtendit ſine ſapientia, ac veritatis cognitione neminem poſſe Oratorem fieri, neque Rhetoris artem circa cõtraria verſari poſſe, planéque ridiculum eſſe illum, qui veriſimile potiùs quàm veritatem ſequatur. Similia tradit in Gorgia. nam cum Gorgias vendicaret

par.1.& 2. Rhetoricam eſſe eius perſuaſionis effectricem, quæ credulitate potiùs quàm doctrina continetur, ac probabilia potiùs quàm explorata aut neceſſaria eſſe illi reperienda, idque ea potiſſimùm de cauſa, quòd in foro & conditionibus atque apud vulgus illi dicendum ſit, vbi breui tempore non poſſit turbam res graues ſubtilior éſque docere (quæ ipſiſſima fuit Ariſtotelis ratio) mirificè exagitauit illum Socrates, tandémque, multis vltrò citróque in hanc ſententiam diſputatis, eò deduxit illum, vt quoniã apud vulgus & ignaros, ſcientiáque ſpreta verba facit talis Orator, ignorans ipſe inter ignorantes ſit & turbæ tantùm ſcire videatur, cum apud peritos neſciat.

In Sophiſta quoque inſectatus eſt illos, qui Gorgiæ aliorúmque huiuſmodi artem profiterentur. nam ibi Sophiſtarum nomine non modò illos intelligit, qui fallacibus argumentationibus deciperent, verùm etiam qui ad populum ſermonem haberent, vnam veritatis vmbram ſimilitudinémue ſectantes. Quocirca multis illum criminibus notat, & ſub finem concludit. *Alterum enim publicè & longis ſermonibus ad multitu-*

221 *dinem ſimulatione vti poſſe video* (his autem Gorgianum Oratorem deſignat) *Alterum autem priuatim, & breuibus ſermonibus cogere vt is quócum diſputat ipſe ſibi contradicat*: & hæc de captioſo Dialectico pronunciat; ſtatímque quem longos ſermones ad populum habere dixerat, δημολογικὸν, hoc eſt popularem; captioſum verò Dialecticum σοφιστικὸν, ſophiſticum inquam, iubet nominari. Ac conſimili fermè nomine notat illum in Timæo: vbi ſtatuit nec poëtas, nec ſophiſtas illos, qui pertexunt longos ſermones, idoneos eſſe, qui pro dignitate ornent ſuam illam Ciuitatem. Hinc fit vt Socrates in Alcibiade II. ſtatuat Oratoris officium eſſe vera noſſe, in Apologia verò con-

par.1.ad ult. tendat ῥήτορος ἀρετὴν τ'ἀληθῆ λέγειν εἶναι, veram Rhetoris virtutem, ſeu potiùs proprias germanáſque partes, eſſe vera dicere.

Hanc igitur, vt ad inſtitutum me referam; amplectitur hoc in loco Ariſtoteles opinionem, quam multis magniſque rationibus in Leontino illo Sophiſta coarguerat Plato. ita vt non tam facilè arripienda quàm argumentis confirmanda fuiſſe videatur. eſt enim ſine dubio difficilis, quæque non facilem habeat explicatum. Quare M. Tullius

Digitized by Google

lius vtranque ſententiam contemplatus, fusè pro vtraque diſſerit in libris de Oratore, tandémque licet Platoni magis fauere videatur, verè nihil certi ſtatuit, ſed vt de illo ex S. Auguſtino dicere cœperam, ad eloquentiam oſtentandam potiùs, quàm ad veritatem inueniendam ac ſtatuendam, copiosè diſſerit in vtranque partem. Itaque Franciſcus Patricius in ſuis Dialogis de Rhetorica, qui verè pulcherrimi ſunt, Platonis veſtigijs inſiſtens Ariſtotelem Socratico more eludit atque refellit. quin & M. Tullium tanquam biliquem; atque eodem ore & calidam & frigidam euomentem redarguit, eiuſdem illi ratione poriſſimùm ac ſententia, quæ è regione pugnant opponens, tandémque (quod ad quæſtionem noſtram attinet) in Dialogo, quem Auogarum inſcribit (eſt autem hic decimus) cum Platone decernit eloquentiæ fundamentum non opinionem eſſe, ſed ſapientiam; ac proinde Rhetoris eſſe non veriſimile, ſed veritatem ſectari. Hæc volui curſim attingere in propoſita controuerſia, non quidem vt Ariſtotelem refellerem, ſed vt ſignificarem Academicorum Principem longè aliter docere, atque illius decreta interim breuiter ſaltem referrem: etenim Ariſtotelis interpretes Quintiliani & M. Tullij præcepta recolunt illi quidem, de antiquioribus autem ac præſertim de Academicis, quorum Principem idem Ariſtoteles habuit preceptorem, ac quócum præcipuè pugnat, merum apud hos ſilentium. Vt propterea 122
hac etiam de cauſa ſtatuerim Ariſtotelem in Rhetoricis quoque præceptis (id quod in Dialogis noſtris faciam) cum Platone conferre. Tametſi enim rem hanc breuiter ſaltem attigerim vbi Rhetoricæ definitionem & Ariſtotelis ſententiam explicarem, quemadmodum animaduertere licet vbi decimo reſponderem argumento, attamen vt res vberiùs ac Platone in primis & M. Tullio audito diſceptetur, in Diſputationibus ero prolixior.

PARTICVLA XXVI.

Τῶν δὲ τοῦ λόγου ποριζομένων πίστεων, τρία εἴδη ἐστίν. αἱ μὲν γάρ εἰσιν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος. αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως. αἱ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι.

AC quæ ratione excogitatur, fides triplex eſt. Nam partim conſiſtit in moribus eius, qui dicit; partim in eo, vt auditor afficiatur aliquo modo: partim in ipſa ratione, quid demonſtret, vel videatur demonſtrare. *Riccobonus.*

EArum verò probationum, quas dicendo acquirimus, tria genera ſunt: nam aliæ in vita ac moribus oratoris poſita ſunt: aliæ in permouendo atque afficiendo, prout opus fuerit, auditore; alia denique in ipſa oratione cum aut probatur aliquid, aut probari videtur. *Maioragius.*

EXPLICATVR PARS Tertia atque artificioſa fides in tres partes diſtribuitur.

DIxerat probationes alias eſſe artificioſas, alias artis expertes; iam itaque ijs in alium locum reiectis quæ ſunt artis expertes, de artificioſis diſſerit priore loco. Ac primùm quidem artificioſas diuidit in tres partes: nam aliæ, inquit, poſitæ ſunt in moribus Oratoris; aliæ in auditore, prout opus fuerit, afficiendo: aliæ denique in re ipſa, cum aliquid aut demonſtratur, aut demonſtrari videtur. Vbi ſanè quoniam omnis oratio & dicentem ſpectat, & eum apud quem dicitur, & rem de qua dicitur, docet hu- 123
iuſmodi artificioſas rationes vel ab Oratore duci, vel ab auditore, vel a re ipſa de qua agitur; ab Oratore propter vitam & mores oratione expreſſos. nam ſi bonum ſe dicendo effingat Orator ac bonus iudicetur, faciliùs illi habebitur fides. ab Auditore propter affectiones commotionéſque animi, quæ nos ſæpè ad credendum impellunt: a re ipſa, cum id quod ſuadere inſtituimus, ratiocinationibus aut demonſtramus, aut demonſtrare videmur. hæc eſt ſententia huius loci, quam non ſecus ac priorem vſurpauit M. Tullius. tametſi enim in Partitionibus duo tantùm munera videtur Oratori tribuere, docendi nimirum atque mouendi, tamen in Oratore ad Brutum tribus eloquentiam

quentiam concludit muneribus: qua propter ſic diſſerit. *Erit igitur eloquens is qui in fo-
ro cauſiſque ciuilibus ita dicet, vt probet, vt delectet, vt flectat: probare, neceſſitatis eſt: delecta-
re, ſuauitatis: flectere, victoriæ*. Sed & eandem in ſecundo de Oratore expreſſit ac delu-
cidauit his verbis. *Ita ratio omnis dicendi tribus ad perſuadendum rebus eſt miſta; vt probemus
vera eſſe ea quæ defendimus, vt conciliemus nobis eſſe qui audiunt, vt animus eorum ad quemcun-
que cauſa poſtulabit motum vocemus. & in Bruto, Tria ſunt enim (vt ego quidem ſentio) quæ*
p.181.p *ſunt efficienda dicendo: vt doceatur is apud quem dicitur: vt delectetur, vt moueatur vehementiùs.*
Vide in par. 31. fuſè. Sed de re hac vniuerſa ex M. Tullio vberiùs non multò poſt. Nunc tantùm addam,
idem planè ſibi voluiſſe Quintilianum libro V. capite VIII. cum docuit argumenta
artificioſa aut ex rebus aut ex perſonis duci: hinc enim ipſe quoque tripartitum iſtud
Oratoris munus deriuabat.

Verùm, vt ad Ariſtotelem redeamus, eſſet hoc in loco diſceptandum quod ſe ſe vl- *Dubitatur*
trò obijcit primùm: quî ſcilicet tripartitam hanc fidem aſtruat quam deſtruere om-
nino viſus eſt cum affectus reiecerit ab Oratore, ac ſummatim fidem quæ ex rebus
ducitur exciperet vnam. Idquod eò maiorem habet dubitationem atque adeò ſupi-
224 num oſtendit Ariſtotelem, quòd tripartitam hanc fidei varietatem ex propoſita Rhe-
toricæ definitione interim videtur elicere, a qua tamen abhorere dixeris, cum Rhe-
toricam definierit vim ſeu facultatem videndi quid in qualibet re ſit accommodatū
ad fidem faciendam, ac quod caput eſt, res hoc ipſo in loco perſonis apponat. Sed de
hac re & egimus ſupra dum explanaremus definitionem propoſitam (id quod in ſe-
ptimo argumento obſeruare licet) & in diſputationibus Rhetoricis agemus adhuc *Reſpondetur.*
vberiùs. Nunc igitur Tripartita iſta artificioſæ fidei diuiſione prætermiſſa, vnum præ-
cipuè eſt adhuc quod dubitationem habet, quódque in Controuerſiam vocare co-
gor. Num ſcilicet falſum atque adeò abſurdum ſit quod, art, fidem, quam dicendo *CONTROVERSIA XXII.*
parit Orator, oriri *διὰ τὸ ἀποδεικνύναι ἢ φαίνεσθαι ἀποδεικνύναι*, propterea quod demonſtrat vel
demonſtrare videtur. Vbi ſanè (vt Victorius atque alij explicant) tametſi prauas res *NVM rectè ſtatuat Ariſtoteles licere Oratori non ea ſolùm vſurpare quæ fidē faciunt, verū etiam ea quæ fidē facere videntur.*
perſuaderi prohibuerat, concedit Oratorem fallacibus etiam & captioſis rationibus
poſſe vti; dummodo veriſimiles ſint, neque idcircò Oratoris nomen amittere: quod
docuit etiam ſupra, dum diceret, hoc differre Dialecticam ab Oratore, quòd in arte
differendi qui ſtudio fallendi ducitur, Dialectici nomen amittit, ac Sophiſta dicitur,
& in arte dicendi tam is qui fallacium argumentationum cognitionem habet, quàm
qui eorum vſu delectatur, Oratoris nomen retinet ac promeretur non modò falſiſ-
ſima eſt, & Chriſtianis auribus planè indigna, verùm etiam ab Ethnicis ipſis repudia-
ta: nam Plato cum alibi ſæpè, tum locis citatis id refellit, ac veritati animo ſeruiendum
eſſe demonſtrat, atque idcircò in Sophiſta, vt aliquem locum attingam, contendit
δοξομιμητὴν, hoc eſt opinionis imitatorem (hoc enim communi nomine appellat Ora-
tores ac Dialecticos illos, qui opinionem ſectantur & veriſimile) non minùs eſſe ap-
pellandum eum, qui ingenti verborum copia & quaſi flumine, publicè ad populum
verba facit, id eſt mendacem Oratorem, quàm eum qui minutis captioſiſque argu-
mentis priuatim diſſerit, hoc eſt Sophiſtam. quare vt iam antea monui, mendacem
Oratorem non ampliùs Oratorem, vt Ariſtoteles facit, ſed *δημηγορικὸν*, iubet nuncu-
pari. Idem videtur feciſſe M. Tullius hunc ipſum Platonis locum ſecutus. nam in Par-
225 titionibus monet hæc eſſe duo cognata vitia, quæ a bono viro fugienda ſint, nimirum
concertationes ac diſputationes, quæ captionibus conſtant (his autem oneroſum Dia
lecticum atque adeò Sophiſtam ſignificat) & inanem quandam profluentiam dicen-
di, quæ Oratoriam vim imitatur. Quamquam Cicero, vt ſui moris erat, hac quoque
in re Protheum moliri viſus eſt. nam in ſecundo de Oratore ſub Antonij perſona non
veretur contrariam ſententiam amplecti, dum ſic loquitur, *Nam, & apud eos dicimus,*
p.111.m *qui neſciunt: & ea dicimus, quæ neſcimus ipſi: itaque & ipſi aliâs aliud iiſdem de rebus & ſentiūt
& iudicant, & nos contrarias ſæpè cauſas dicimus, non modò vt Craſſus contra me dicat aliquando,
aut ego contra Craſſum, cum alterutri neceſſe ſit falſum dicere, ſed etiam vt vterque noſtrum eā-
dem de re aliâs aliud defendat, cum plus vno verum eſſe non poſſit*. Hæc ille. Quibus addere.
non dubitauit Oratoris dictionem non modò à ſcientia ſæpè abeſſe, verùm etiam opi
niones hominum, ſed quid dico opiniones? Errores aucupari, ac mendacio niti. Sed
redeo ad Ariſtotelem quem ſanè refellerem quoque ijs, quæ ipſemet ſcribit in lib. IV.
de moribus, vbi fatetur, neminem niſi ſceleratum hominem mendacijs delectari, ſed

ibidem

ibidem iugulum mucroni ſubtrahit ſuo; nam de eo ſe loqui ſignificat, qui ſine cauſa mentiatur, quaſi verò cuipiam iuſta mentiendi cauſa eſſe poſſit. Nos itaque, quorum eſt etnicorum mendacia non tueri, ſed refellere, præſertim verò vbi a Chriſtiana veritate diſcedant; hac in re Ariſtotelem non ſequimur, ſed repudiamus: cum præſertim Platonem habeamus, quem ſequamur. Denique concedemus quidem Oratori cum Ariſtotele falſi argumenti ſtudium ad refellendos eos, qui dicendi arte ac fallacibus rationibus vtuntur: aut etiam ſi ex conceſſis, &, vt loquuntur Peripatetici, ad hominem argumentetur: laudabimus quoque Ariſtotelem, quòd dum hoc Oratori ſtudium concedit, prohibet ne illud ad res prauas ſuadendas conuertat: ſed vt Orator falſas vnquam rationes vſurpare poſſit, licet (vt ipſe docet) veritatis ſpeciem habeant, nunquam patiemur. ac proinde etiam negabimus mendacem Oratorem, Oratoris nomen retinere, vt falsò venditat Ariſtoteles: omninóque pugnabimus, illud amittere, vt egregiè a Platone proditum eſt. Nam ſi quis hac etiam in re tueri conetur Ariſtotelem, quod φαινόμενον πιθανὸν, id, inquam, quod habet probabilitatis ſpeciem, tunc ſolùm concedat Oratori, cum de eius falſitate non conſtet; equidem id, me repugnãte, faciet. Nam ſi de ijs argumentis loqueretur Ariſtoteles, quorum falſitas non eſt Oratori perſpecta, profectò temerè contuliſſet huiuſmodi Oratorem cum Sophiſta, qui ex prælectione hoc eſt data opera captioſis vtitur ſyllogiſmis: falsò etiam addidiſſet Oratorem, qui huiuſmodi rationes vſurpat vno nomine differre a fallaci Dialectico: ídque quia talis Dialecticus amittit Dialectici nomen & Sophiſta dicitur: Orator proprium adhuc retinet nomen. Quare dum hoc quoque in loco licere vult Oratori fidẽ facere nõ ſolùm διὰ τοῦ δεικνύναι, ſed διὰ τοῦ φαίνεσθαι δεικνύναι, ſic probare videtur rationes quæ videntur quidem ſed non ſunt probabiles, vt eas vſurpari iubeat nõ modò vbi de earum veritate dubitetur, ſed etiam vbi conſtet de falſitate. Denique dummodo probabilitatis ſpeciem referãt, nihil refert (ſi illi credas) quòd Orator animaduertat reuera eſſe falſas. Quamquam de hac re tota, quoniam eſt grauiſſima, in noſtris Dialogis copioſè.

Reſpondetur; itatamẽ vt Ariſtotelis decretum non probetur.

226

PARTICVLA XXVII.

Διὰ μὲν οὖν τοῦ ἤθους, ὅταν οὕτω λεχθῇ ὁ λόγος, ὥστε ἀξιόπιστον ποιῇ τὸν λέγοντα. τοῖς γὰρ ἐπιεικέσι πιστεύομεν μᾶλλον καὶ θᾶττον, περὶ πάντα μὲν ἁπλῶς. ἐν οἷς δὲ τὸ ἀκριβὲς μὴ ἔστι, ἀλλὰ τὸ ἀμφιδοξεῖν, καὶ παντελῶς.

AC propter mores quidem, quoties ita prolata ſit oratio, vt fide dignum reddat eum, qui dicit. Probis enim magis, & celeriùs credimus in omnibus quidem ſimpliciter, ſed in ijs, in quibus certi nihil ſit, verum opinio dubia, etiam præcipuè.

Riccobonus.

QVæ a vita & moribus probatio naſcitur, ea tunc fit; cum ita habetur Oratio, vt eum, qui dicit, dignum, cui fides habeatur; videri faciat. Probis enim viris & magis & celeriùs credimus generatim quidem in omnibus rebus: ſed in ijs præcipuè quæ certo ſciri non poſſunt, ſed variè traduntur.

Maioragius. 227

AGit iam de primo artificioſæ fidei genere, quod a moribus ducitur, docétque tum demum huiuſmodi fidem gigni, cum a probo viro proficiſci videtur Oratio; ita enim fit, vt cum vir bonus iudicetur, iudicetur etiam ἀξιόπιστος, dignus inquam, cui fides habeatur, idque tum vehementiùs, tum celeriùs, tum in rebus omnibus, tum præſertim in his, quibus plus ineſt obſcuritatis & ambiguitatis. Huius autem ſententiæ vim accuratè expreſſit atque adeò illuſtrauit M. Tullius in ſecundo de Oratore his verbis; *Valet igitur multùm ad vincendum probari mores, inſtituta & facta, & vitam eorum qui agent cauſas, & eorum pro quibus; & item improbari aduerſariorum: animóſque eorum apud* quos

De primo artificioſæ fidei genere quod ex moribus ducitur.

P. 175. P

quos agitur, conciliari: & paulò poſt. *Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus geſtis, exiſtimatione vitæ:* & rurſus. *Adiuuant in Oratore lenitas vocis, vultus, pudoris ſignificatio, verborum comitas.* Hæc ibi M. Tullius. Vbi ſic demum concludit. *Tantum autem efficitur ſenſu quodam ac ratione dicendi, vt quaſi mores Oratoris effingat Oratio: genere enim quodam ſententiarum, & genere verborum, adhibita etiam actione leni facilitatéque ſignificandi, efficitur, vt probi, vt benè morati, vt boni viri eſſe videantur.* idem ferme docet in Partitionibus, vbi moratam orationem eſſe dicit, quæ ſignificet Oratoris amabiles mores: idem in Oratore ad Brutum, quo in loco ſcribit hoc argumenti genus, ſi pro dignitate tractetur, admirabilem facere eloquentiam. qua etiam in re videndus eſt Dionyſius Alicarnaſſeus in Lyſia: qui ſanè magnum hunc Oratorem ideo maximè celebrauit, quòd eſſet ἀξιόπιστος ἦθος, *dignus fide propter mores.* Legendus eſt etiam Quintilianus lib. VI. capite II. vbi egregiè id tractat, atque inter cætera ἦθος, inquit, *quod a dicentibus deſideramus, id erit quod ante omnia bonitate commendabitur non ſolùm mite ac placidum, ſed plerunque blandum & humanum, & audientibus amabile atque iucundum, in quo exprimendo ſumma virtus ea eſt, vt fluere omnia ex natura rerum hominúmque videantur, quo mores dicentis ex oratione pelluceant & quodammodo agnoſcantur.* Atque huius rei varia extant exempla apud Cice-
228 ronem vt in oratione pro lege Manilia, in I. Verrina, contra Rullum, pro Roſcio Amerino, & alibi ſæpè; In primis verò in exordio orationis pro Archia poëta. quod exordium totum ſumptum eſt a vita & moribus ipſius poëtæ, & admirabili artificio confectum, ita vt exprimat mores plenos ſuauitate, moderatione, induſtria, beneuolentia, multíſque demum ac magnis virtutibus, quæ illum fide dignũ reddunt. Idem videre eſt apud Platonem in Apologia, vbi Socrates præſefert miram ſimplicitatem, integritatem atque conſtantiam. Celebris quoque eſt in hoc genere Simonis Oratio apud Virgilium ſecundo Aeneidos dum ſic canitur.

Cuncta equidem tibi, Rex, fuerint quæcunque fatebor,
Vera, inquit, neque me Argolica de gente negabo:
Hoc primum: nec ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacémque improba finget.

Et paulò poſt.

Illi me comitem, & conſanguinitate propinquum,
Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis,
Dum ſtabat regno incolumis, regnúmque vigebat
Conſilijs & nos aliquod noménque decúſque
Geſſimus. inuidia poſtquam pellacis Vliſſi
(Haud ignota loquor) ſuperis conceſſit ab oris:
Afflictus vitam in tenebris luctúque trahebam,
Et caſum inſontis mecum indignabar amici.

Hæc & alia callidiſſimus Sinon, qui ſe fingit iuſtum, ſimplicem, ſincerum apertum, Vliſsíque in primis, qui Troianis vehementer ſuſpectus erat, infenſum, quæ omnia, cum appoſitè fiunt, mirificè valent ad perſuadendum. cuius rei ea eſt cauſa. etenim natura comparatum eſt, vt quemadmodum petulantibus, ſuperbis, atque alijs huiuſmodi, qui incompoſitos mores præſeferunt, niſi ægrè beneuolas aures, nedum ani-
229 mos, præſtare non poſſumus; ita è contrariò ijs, quos manſuetos probíſque ac compoſitis motibus cernimus, libentiſſimè fauemus, ab illis nos decipi, ab his veritatem doceri, quodammodo arbitrantes.

Dubitatur autem, quia morata oratio, vt ipſemet Ariſtoteles ſcribit ſub ipſum ſecundi libri initium, non ſolùm eò ſpectare debet, vt oſtendat Oratorem probum virũ, verùm etiam egregiè animatum erga illos, apud quos dicit, ſimúlque non ignarum atque imprudentem, ſed earum, quæ tractat rerum peritum ac gnarum. & tamẽ duo hæc poſtrema prætermittuntur ab Ariſtotele. nam dum affert rationem cur Orator fide dignus appareat, probis enim (inquit) aſſentimur vehementiùs, citiùsq́; in omnibus, præſertim verò in obſcuris, vbi de his qui ſe per moratam Orationem præclarè affectos oſtendunt erga auditores, aut rerum tractandarum non ignaros, ne verbum quidem. Sed reſpondeo Ariſtoteles ait Oratorem propter mores fidem ſibi acquirere, quoties ita dicta fuerit oratio, vt eum reddat fide dignum. quibus verbis nullam excipit viam ac rationem. poteſt enim interim beneuolentiæ ac prudentiæ ſignificatione,

Dubitatur

Reſpondetur.

H non

non minùs quàm probitatis,ſe fide dignum oſtendere. & idcirco etiam libro ſecundo, *prudentia, inquit, virtus & beneuolentia ſunt ea propter quæ fidem Oratori habemus*. Quod ſi ſubdit, probis enim faciliùs aſſentimur, hoc potuit exempli gratia afferre: ne in ſingulis immoretur: cum id quod de probitate monet, id & prudentiæ & beneuolentiæ aptari poſſit. Huc accedit quòd Ariſtoteles in ſecundo libro accuratè differit de inuentione illarum rerum, quibus animi conciliantur: ſic enim in tertio de earundem tractatione & vſu: præſertim verò vbi procemij vim ac munus explicat, rationem tradit, qua Orator a propria perſona beneuolum ſibi reddat auditorem. haud itaque mirum videri debet in præſentia aut leuiter indicaſſe aut etiam tacitum prætermiſſe, quod opportuniore loco proſequi inſtituerat: cum præſertim in hoc fidei genere probitas ſit rei caput: & ideo in dicentis non ſapientia aut beneuolentia, ſed moribus ſita dicitur hæc probandi ratio. quamquam non eſt negandum probitatem, ſi prudentia deſideretur; parùm admodum valere ad gignendam fidem. 230

PARTICVLA XXVIII.

Δεῖ δὲ καὶ τοῦτο συμβαίνειν διὰ τὸν λόγον, ἀλλὰ μὴ διὰ τὸ προδεδοξάσθαι ποιόν τινα εἶναι τὸν λέγοντα. οὐ γὰρ ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων, τιθέασι ἐν τῇ τέχνῃ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος, ὡς οὐδὲν συμβαλλομένην πρὸς τὸ πιθανόν. ἀλλὰ σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἦθος.

Oportet verò etiam id accidere propter orationem, ſed non quia anticipatũ opinione ſit cuiuſdam modi eſſe eum, qui dicit. Non enim rectè ſe habet, quod nonnulli faciunt ex dicendi magiſtris. Ponunt in arte probitatem eius, qui dicit, quaſi nihil conferat ad id, quod eſt appoſitum ad fidem: ſed propemodum, vt ita dicam, potentiſſimam continent fidem mores. *Riccobonus.*

Hoc autem etiam ipſo genere Orationis conſequi oportet: neque ſatis eſt Oratorem, ante conceptam de ſe bonam opinionem ad dicendum adferre. Neque enim audiendi ſunt quidam artis ſcriptores, qui Oratoris probitatem in arte collocant; tanquam ſi boni mores Oratione expreſſi, nullam ad perſuadendum vim haberent. Quin auſim dicere, maximam ferè omnium cum fidei facienda in moribus exprimendis eſſe poſitam. *Maioragius.*

Clamauerat vbique Plato Oratorem oportere & rerum ſcientia & bonis moribus, præditum eſſe, atque his demũ præſidijs munitum, poſſe ad dicendum venire. Contra Ariſtoteles. nam cum minùs glorioſè agi ſecum exiſtimaret ſi aſſentiret præceptori, cum alia paſſim multa, tum hæc duo', ſi quomodo poſſet, ſibi propoſuit refellenda. Docuit itaque ſupra aduerſus magiſtrum, ſcientiam non eſſe Oratori neceſſariam, ſed ſatis eſſe adumbratum quoddam veritatis ſtudium, atque adeò veriſimilis cognitionem: nunc ergo ad ſecundum oppugnandum, arrepta occaſione, deſcẽdit: cum enim de fide differens, quæ ab Oratoris perſona ducitur, docuiſſet hanc poſitam eſſe in morata oratione, quæ pròbos dicentis mores exprimat, pugnat iam anticipatam dicentis probitatem, quam nonnulli præſcripſerant Oratori, haud eſſe neceſſariam. quamquã ne ita facilè illius conſilia conatúſque paterent, haud apertè ſuam ſtatim ſententiam prodit, ſed priùs quaſi oua fouens, docet fidem non ſolùm ex probitate Oratoris anticipata, ſed etiam ex moribus oratione expreſſis, oriri. & hoc dum ait *δεῖ δὲ καὶ τοῦτο συμβαίνειν διὰ τὸν λόγον: oportet hoc etiam effici ope ſermonis*, vbi illa particula, *etiam* (ſi Victorio atque alijs multis credimus) declarat probum virum ſuadere ope vtriuſque, nimirũ & probitatis anticipatæ, quæ ſcilicet perſpecta ſit antequam veniat ad dicendum, & probitatis expreſſæ, quam ſcilicet oratio ipſa præſeferat, atque auditoribus teſtatam faciat: tum verò, quoniam non id ſibi ſatis erat ad præceptorem refellendum, fœtum veluti excludens, *quin potiùs, inquit ipſa fides διὰ τὸ προδεδόξασθαι, anticipatæ probitatis ope, gigni non poteſt*. atque hic tryumphans concludit *οὐ γὰρ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων, τιθέασι ἐν τῇ τέχνῃ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος, ὡς οὐδὲν συμβαλλομένην πρὸς τὸ πιθανόν. ἀλλὰ σχεδὸν,* 231

θόν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἦθος. neque.n. eſt perinde ac nonnulli dicẽdi artifices dicẽtis probitatem in arte poſuerunt, quaſi mores (oratione nimirum expreſſi) *ad fidem nihil proficiant, ſed potentiſſimam propemodum, vt ita dicam, fidem obtinent.* Vbi demum, quoniam conceptam illam atque anticipatam probitatis opinionem veluti omnino inutilem ad fi-
232 dem faciendam, omnino repudiaſſe extremæ clementiæ videri poterat, quaſi moderari vellet quod dixerat, ſignificat probitatem dicendo expreſſam ſaltem longè magis opportunam, imò κυριωτάτην, hoc eſt potentiſſimam, eſſe.

Iam verò, quoniam noſter author tantùm tribuit Oratoris probitati quæ oratione exprimitur, vt eam κυριωτάτην faciat, ac propterea quæ de illo ante orationem ipſam concepta eſt in animis auditorum, vel reijcit vel certè minimi momenti eſſe ducit; contra verò Plato atque alij multi, ſi ex Oratoris perſona argumentum duci debeat, hanc vel vnam vel potiſſimùm ſpectandam eſſe volunt: optarit fortaſſe quiſpiam, vt exponam vtram amplecti ſententiam debeamus: & ſanè id ſcire veſtrûm omnino intereſt, ad quos ferè Athenarum Vrbiſque non modò roſtra & ſubſellia ſed etiam conciones iuditiáque ipſa commigraſſe videntur. Denique, cum apud vos & cauſæ Romano more tractentur, & Oratoris probitati ad fidem faciendam ampliſſimus locus eſſe ſoleat, vobis maximè cognita eſſe deberet & explorata pulcherrima hæc controuerſia. Verùm de re hac tota, quoniam longioris temporis eſt in noſtris Dialogis copioſè. Atque ibidem requiremus cur tandem Ariſtoteles modò enthymemata, modò probationem, quæ ducitur ex moribus, κυριωτάτην appellet & an iure appellet. hæc enim, præter quam quod inter ſe pugnare videntur, profectò non facilè ab ijs concendantur qui in oratione affectibus tribuunt principiatum.

PARTICVLA XXIX.

Διὰ δὲ τῶν ἀκροατῶν, ὅταν εἰς πάθος ὑπὸ τοῦ λόγου προαχθῶσιν. οὐ γὰρ ὁμοίως ἀποδίδομεν τὰς κρίσεις λυπούμενοι καὶ χαίροντες, ἢ φιλοῦντες καὶ μισοῦντες.
233 *πρὸς ὅ καὶ μόνον πειρᾶσθαι φαμὲν πραγματεύεσθαι τοὺς νῦν τεχνολογοῦντας. περὶ μὲν οὖν τούτων, δηλωθήσεται καθ' ἕκαστον, ὅταν περὶ τῶν παθῶν λέγωμεν.*

Riccobonus. PRopter auditores autem, quoties in affectum ab oratione perducti ſint. Non enim ſimiliter iudicamus, dum mœremus, & gaudemus, aut amamus, & odio habemus. Qua de re etiam ſola conari dicimus præcepta tradere eos, qui nunc artem conſcribunt. Atque hæc quidem declarabuntur ſigillatim, cum de affectibus dicemus.

Maioragius. *ALterum genus probationis, quod ab auditoribus proficiſcitur, fit, cum motum aliquem animi miſcet Oratio, neque enim eodem modo de aliqua re iudicamus, cum mœremus, & gaudemus, aut cum diligimus & odio proſequimur: qua in vna re tantùm eos laboraſſe dicimus, qui hactenus de arte dicendi conſcripſerunt. Sed de his omnibus ſigillatim tractabitur, cum motiones animorum explicabimus.*

TRipartitum (id quod iam antea ſignificare cœpimus) eſt artificioſæ probationis ſeu fidei genus. nam aliud eſt ἠθικὸν, ſiue in Oratoris moribus ſitum & conſtitutum: aliud παθητικὸν, ſiue ad animos auditorum permiſcendos accommodatum: tertium denique ἐνθυμηματικὸν, quódque rem ita vel aliter ſe habere oſtendit. Egit hactenus de primo genere, nunc ſecundum aggreditur, ſed paucis: namque ipſum proſequitur deinde copioſè ad initium ſecundi libri. Docet itaque hoc genus fidei quod ducitur ab auditoribus, tunc gigni, cum oratione miſcentur animi Auditorum; ſic vt vel ad iram, vel ad miſericordiam, vel ad odium, vel ad amorem cæteráſque huiuſmodi animi perturbationes impellantur. Et quoniam potuiſſet aliquis ſciſcitari quomodo tandem fides gignatur, dum permiſcentur animi; explicat hoc in præſens, Non enim *De ſecũdo fidei genere quod in affectionibus poſitũ eſt.*

eodem modo, inquit, de aliqua re iudicamus; cum mœremus & gaudemus, aut eum 234
diligimus &, odio proſequimur. Sed quoniam dum de primo artificioſæ fidei genere loqueretur, cæteros dicendi magiſtros reprehenderat; nunc in ſecundo etiam (ne ſui diſſimilis videatur) eoſdem eo nomine carpit, quòd hoc ſecundum probationis genus tractantes reliqua duo prętermiſerint, atque ita aculeo relicto, monet ſe de hoc ſecundo genere alibi diſputaturum, & ad tertium deſcendit. Hæc eſt tota propoſiti loci ſententia. Quam egregiè, vt ſolet, perſequutus eſt M. Tullius cum alibi ſæpè, tum præſertim in primo de Oratore, & in Oratore ad Brutum, vbi inter cætera, *Faciendum eſt,* inquit, *vt iraſcatur iudex, & inuideat, mitigetur, faueat, contemnat, admiretur, oderit, diligat.* De qua re tota illum ſuo loco in conſilium vocabimus atque illius ſententiam explicabimus copioſè. Nunc ad Ariſtotelem redeo, qui ſanè ſtatuit duci fidem ab auditorum perſona, cum ipſorum miſcentur animi, ídque quoniam mutatis animi affectionibus, mutentur iuditia. quod clariùs etiam libro ſecundo ad initium explicat. nam inquit. *Neque enim eadem ſentiunt qui amant, & qui oderunt, qui ſunt irato animo & qui placato, ſed vel omnino diuerſa ſentiunt, vel ſaltem magnitudine diuerſa: qui enim amat eum, de quo iudicium facturus eſt, vel nihil iniquè feciſſe, vel parum peccaſſe ſenſet, qui autem odit, contrariũ ſe.* Sed quid ſi quis quærat, cur perturbationes mutent iuditia? explicat hoc egregiè Quintilianus libro VI. capite II. *Nam cum iraſci* (inquit ipſe) *fauere, odiſſe, miſereri cœperint, agi iam rem ſuam exiſtimant, ita omnem inquirendæ veritatis rationem iudex amittit, occupatur affectibus, æſtu fertur, ac velut rapido flumini obſequitur.* quam rationem (ni valde quidem fallor) ab eodem Ariſtotele vſurpauit, qui id ipſum (ſi meminiſtis) docuit ſupra verbis illis; *Concio & iudex de præſentibus & certis iudicant, quibus & amor demum & odium & proprium commodum coniunctum eſt ſæpenumero, vt veritatem perſpicere amplius nequeant,* 235
ſed iudicio propria voluptas aut dolor officiat. Hæc Ariſtoteles. quibus illud addi poteſt, naturaliter homines ad clementiam excitari in eum quem diligunt, tametſi peccarit. Contra verò ad ſeueritatem in eos, quibus irati ſunt, idémque iudicium eſſe faciendum de cæteris affectionibus animi, quibus in contrarias partes diſtrahimur.

PARTICVLA XXX.

Διὰ δ' ἐ τῶν λόγον πιςεύουσιν, ὅταν ἀληθὲς ἢ φαινόμενον δείξωμεν, ἐκ τῶν περὶ ἕκαςα πιθανῶν.

PRopter rationes verò fidem habent, cum verum aut id, quod apparet demonſtrauerimus ex ijs, quæ in quaque re ſunt appoſita ad perſuadendum. *Riccobonus.*

TErtium probationis genus Oratione fit, cum aut verum, aut, quod veri ſpeciem habet, concludimus ex eis, quæ in quaque re ſunt ad perſuadendum accommodata. *Maioragius.*

De tertio fidei genere quod argumẽtatione cõtinetur.

ARgumenta partim ex perſonis duci, partim ex rebus conſtanti Rhetorum ſententia compertum eſt. Quamobrem Quintilianus libro V. capite VIII. (vt alia multa loca præteream) *Nulla,* inquit, *quæſtio eſt, quæ non ſit aut in re aut in perſona: nec eſſe argumentorum loci poſſunt niſi in ijs, quæ rebus aut perſonis accidunt.* Sic etiam Cicero libro I. de Inuentione, *Omnes res,* inquit, *argumentando confirmantur aut ex eo quod perſonis, aut ex eo quod negotijs eſt attributum.* atque hinc factum eſt, vt quoniam perſonæ deinde in Auditores & Oratorem diuiduntur, triplex illud manarit artificioſæ fidei genus, de quo interim diſputat Ariſtoteles. Ergo egit noſter author de eo fidei genere, quod oritur ex perſona Oratoris propter moratam orationem: egit etiam de altero, quod ducitur ab Auditoribus propter motus & perturbationes animi; nunc aggreditur tertium, quod totum poſitũ eſt in rebus ipſis. quo in genere cò nobis verſandum

ſandum erit diligentiùs, quòd ſine cæteris optimè conſtare oratio poteſt (ſunt enim illa duo vt tradit Ariſtoteles *προσθήκη*, id eſt additamenta) ſine hoc tertio, minimè: cū ſit *σῶμα τῆς πίστεως*, corpus, inquam, fidei faciendæ. Docet itaque huiuſmodi finē tunc
236 gigni, cum iis, quæ ſunt ad perſuadendum accommodata, argumentantes, colligimus aut verum aut quod veri ſpeciem habet. vbi ſanè ſi Maioragio credimus, dicit, *περὶ ἕκαστα circa ſingula* vel *in quaque re*, vt ſignificet Oratorem in rebus ſingulis & indiuiduis occupari, non quemadmodum philoſophus, res tantùm proſequi in vniuerſum. Sed vtinam tam verè quàm ſubtiliter hæc dicerentur. quamuis enim non ego inficior Oratorem verſari circa res ſingulas, id tamen ſignificari ab Ariſtotele, dum Oratorē contendit ſpectare ſingula quæ ſunt ad perſuadendum accōmodata, credi vix poteſt. Nam ſi quis dixerit, philoſophum contemplari ſingula rerum genera, veriſſimè propriéque loquatur, & tamen a rebus ſingulis atque indiuiduis contemplandis abhorret: cur itaque Orator qui *περὶ ἕκαστα circa ſingula* probabile inueſtigare dicitur, hoc vno nomine ſingulis atque indiuiduis rebus dicetur adſtrictus? Duplici itaque de cauſa exiſtimauerim id factū eſſe: ac prima quidem eſt quia Orator (vt idem Ariſtoteles alibi docuit) nullam certam materiam habet in qua verſetur, ſicut aliæ ferè artes omnes & diſciplinæ; ſed quancunque arripere poteſt atque tractare, ac proinde *περὶ ἕκαστον in quacunque re* inueſtigare poteſt quid ſit ad perſuadendum accommodatum. altera verò quoniam non debet in rebus verſari pro arbitratu, atque in vna verum, exempli gratia, in altera probabile, requirere, ſed diligenter videre, vt quæcunque tandem ſibi propoſuerit, eodem conſilio tractet omnia, nimirum probabile requirens in ſingulis.

Iam verò multa ſunt de quibus meritò dubitari poſſet: ac primùm quidem, nam non veriſimile ſolùm concludi iubet ab Oratore, ſed etiam verū: & tamen id fieri vult *ἐκ τῶν πιθανῶν*, hoc eſt ex iis quæ ſunt ad perſuadēdum accōmodata: at ex iis veriſimile colligi optimè poteſt, & opinio gigni, verum autem & ſcientia nullo modo poteſt, hæc *Dubitatur* I.
237 enim ex rebus neceſſariis colligitur, vt fusè diſſerit libro I. poſteriorum, non *ἐκ τῶν πιθανῶν*. Deinde dum ex iis etiam ducendæ ſunt rationes Oratori, quæ veri ſpeciem habent; quæri poſſet an hoc nomine complectatur ea quoque, quæ in ſpecie ſunt veriſimilia, re autem ipſa ſunt falſa. multa enim apparent veriſimilia, quæ tamen falſa ſunt, vt ipſemet tum alibi tum libro primo Topicorum ſcriptum reliquit. Denique dum docet tertium hoc fidei genus comparari ab Oratore ex iis quæ in quaque re ſunt ad fidem accōmodata, quid ſi verum occurrat Oratori quo vti poſſit? num eſt hoc prætereundum & negligendum? Hæc inquam ſe ſe hoc in loco obiiciunt. Tametſi quoniam eadem a nobis iam antea & dubitata ſunt, & partim explicata, partim in alium locum reiecta, præſtat tum ea conſulere quæ dicta ſunt, tum cætera loco illi, in quem reiecta ſunt, reſeruare. II. III. *Reiicitur explicatio in aliū locum.*

PARTICVLA XXXI.

Ἐπεὶ δ' αἱ πίστεις διὰ τούτων εἰσὶ, φανερὸν ὅτι τρία ταῦτά ἐστι λαβεῖν. τοῦ συλλογίσασθαι δυναμένου, καὶ τοῦ θεωρῆσαι περὶ τὰ ἤθη καὶ τὰς ἀρετὰς, καὶ τρίτον τοῦ περὶ τὰ πάθη. τί τε ἕκαστόν ἐστι τῶν παθῶν, καὶ ποῖόν τι, καὶ ἐκ τίνων ἐγγίνεται, καὶ πῶς.

Riccobonus. QVoniam verò fides ex his eſt, apparet tria hæc conſequi eſſe eius, qui concludere ſyllogiſmo poſſit, & qui ſpeculari de moribus & virtutibus & tertio loco, qui de affectibus nempe quid vnuſquiſque ſit ex affectibus, & qualis, & ex quibus excitetur & quomodo.

Maioragius. *CVm igitur omnes artificioſæ probationes per hæc fiant: perſpicuum eſt, cum ſolùm hæc tria conſequi poſſe, qui diſſerendi rationem & morum atque virtutum cognitionem & perturbationum animi naturam perceperit, vt ſciat quid vnaquæque perturbatio ſit, & qualis, & ex quibus excitetur, & quomodo.*

Colligit ar tificioſè ſe det ſummā

EX his quæ hactenus diſſeruit noſter author pulcherrimè nobis ſub aſpe-
ctum ponit vniuerſæ Rhetoricæ facultatis ſummā. Etenim tota Ora-
toris vis in eo eſt poſita, vt & morata oratione ſe ipſum virum probū
ac proinde fide dignum oſtendat, & auditorum animos dicendo impel-
lat quocunque poſtulat cauſa, & eoſdem denique auditores de re pro-
poſita rationibus doceat. Quocirca ſi quis viam atque artem aſſequa-
tur, qua hæc tria præſtare cum laude poſſimus, optimè impleuerit Oratoris partes.
Aſſequetur verò hanc artem (ſi Ariſtoteli credimus) primùm ſi morum atque vir-
tutū habuerit cognitionem: ita enim fiet vt appoſitè poſſit bonos mores ſibi ipſi di-
cendo affingere. Deinde ſi humanarum perturbationum naturam explorauerit, &
qua ratione poſſint ad illas auditores impelli. Sic enim facilè flectet Auditores, & tra-
ducet quocunque velit. Denique ſi diſſerendi rationem teneat & ſedes argumento-
rum. nam hoc pacto verum docebit auditores, vel id quod veritatis ſpeciem habet.
Quamobrem (vt dicam breui) diſſerendi ratione, moribus & perturbationibus to-
tum Oratoris munus continetur. Hæc eſt germana huius loci (ſi quam ad extremùm
cautionem ſubijciam ei adhibueris) vis atque ſententia, quam eleganter expreſſit &
illuſtrauit M. Tullius in Oratore ad Brutum, cum ſic ſcriberet. *Erit igitur eloquens qui* p.203.m
*ita dicet vt probet, vt delectet, vt flectat: probare neceſſitatis eſt, delectare ſuauitatis, flectere vi-
ctoriæ*. Atque hinc ſtatim, ex his inquam tribus Oratoris officijs, tria colligit dicendi
genera, ſubtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo. Quare
concludebat, *ſummæ itaque facultatis eſſe debebit moderator ille & quaſi temperator huius tri-* 239
*partitæ varietatis: nam & indicabit quid cuique opus ſit: & poterit quocunque modo poſtulabit
cauſa, dicere*. Atque hoc ipſum non diſſimili quidem ratione confirmauit in eo libro
quem de optimo genere Oratorum conſcripſit: vbi ferè ad initiū, *Optimus eſt*, inquit,
*Orator, qui dicendo animos audientium & docet, & delectat, & permouet. Docere debitum eſt: de-
lectare, honorarium; permouere neceſſarium*. Sed egregiè rurſus in II. de Oratore, vbi *Tres
ſunt* (inquit Craſſus) *rationes: vna conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia con-* p.128.m
*citandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, ſecunda acumen, tertia vim deſide-
rat. nam hoc neceſſe eſt, vt is qui nobis cauſam adiudicaturus ſit; aut inclinatione voluntatis pro-
pendeat in nos: aut defenſionis argumentis adducatur: aut animi permotione cogatur*. Hinc in p.190.m
Bruto eo maximè nomine celebrauit Marcum Callidium, quòd rem totam mirificè
illuſtraret diſſerendo; audientium quoque animos demulceret voluptate: in eo im-
probauit, quòd tertia laus abeſſet, qua eoſdem permoueret & incitaret. Sed quoniam
longum eſſet Auditores, ac penè infinitum loca perſequi omnia, quibus propoſitam
Ariſtotelis ſententiam explicauit M. Tullius, lubet ingentem vobis locorum quaſi ſyl-
uam oſtendere, quos per vos ipſos agnoſcatis. Ergo legite diligenter quæ hac de re
ſcripſit M. Tullius tum in libro primo de Oratore, vbi multa tradit de perturbationi-
bus & moribus, ac rurſus de fide agit, quæ gignitur docendo: tum in II. de Oratore,
vbi diſputat omnem dicendi rationem tribus eſſe nixam ac propterea omnino conci- pag. 92,
lientur animi, doceantur & moueantur: quam rem copioſè proſequitur paulo poſt & 93.
etiam tum in Oratore ad Brutum, vbi ad Ariſtotelem ipſum hac in re prouocat, tum
in libro de claris Orationibus, vbi ait tria eſſe quæ ſint efficienda dicendo: vt doceatur
is apud quem dicitur vt delectetur, vt moueatur vehementer: quam rem in eodem
libro & alibi proſequitur ſæpè. Legite etiam Alicarnaſſeum in Lyſia: Quintilianum 240
libro III. capite V. & alibi. Hinc Ariſtoteles tres conſcripſit huius artis libros, vt vni-
cuique parti ſuam penè dicarit. Quamobrem in hoc libro docendi rationem tradit,
in ſecundo permouendi, in tertio (etſi ſecundus etiam, quà mores complectitur, huc
pertinet) delectandi. Denique hæc duo poſteriora munera permouendi inquam &
delectandi; propter affectus & mores, ita ſunt inter ſe coniuncta, vt neceſſe fuerit ea
interdum confundere ac permiſcere, præſertim propter elocutionem quæ cum ſin-
gulis partibus coniuncta eſt. Quamquam illud obſeruandum eſt diligenter debere
Oratori non iſta ſolùm eſſe perſpecta & cognita, verum etiam & quæ pertinent ad di-
ſpoſitionem & elocutionem. Tria enim, iſta cognitio inquam tum rectæ argumenta-
tionis tum morum ac virtutum tum affectuum pertinent ad vnam inuentionem; ita
vt ſi Orator diſpoſitionis quoque & elocutionis præcepta teneat atque adeò quod in-
uenerit aptè collocare nouerit ac pronunciare, perfectus Orator ſed nec Orator qui-

dem appellari poſſit. Quare Ariſtoteles interim re vera non ait tria iſta perfectũ reddere Oratorem, ſed Oratori tenendam tripartitam iſtam fidei veritatem. Quod non prohibet quominus alia quoque e illi percipienda ſint vt Oratoris mereatur nomen. Imò verò cum artificioſam fidem tantùm intelligit hoc in loco (hanc enim antea im tripartitò diſtribuerat non alteram quam expertam artis appellarunt fit vt Ariſtoteles ne iis quidem adhuc omnino inſtruxerit Datorem quæ ad inuentionem pertinent tantùm abeſt vt inde perfectum atque omnibus numeris abſolutum eſſe volunt. Et hac etiam de cauſa M. Tullius dum ait Erit eloquens qui ita dicet vt probet, vt delectet, vt flectat per ea verba indicet, ſatis ſe non Innentionem ſolùm ſed pronunciationẽ quoque ſeu Actionem & Elocutionem intelligere cui etiam recta diſpoſitio eſt neceſſa-
241 ria. Simúlque per ea verba vt probet probationem tam expertem artis quàm artificioſam comprehendit: ita vt nihil prætermittat quod in Oratore exigatur. Ita ſanè quicquid in huius particulæ explicatu diximus perfecti Oratoris virtutem tripartita illa fidei varietate contineri iudicantes, ea lege dixiſſe velim vtraque mentionis pars ea tenenda ſit, tum quæ inuenerit rectè diſponat ac pronunciet, cum inueniſſe non ſit ſatis. Illud tamen adhuc dubitari poteſt, num fortè diſſerendi rationem requirát in Oratore non modò propter locos & argumenta vnde aliquid probet, verùm etiam quia ex Dialecticis formas hauriat diſſerendi. De qua tamen re conſtare poterit in progreſſu dum item Dialecticæ cognitionem requirit in Oratore. Nunc tantùm dicam hîc videri quidem rationes ipſas ſpectare vel maximè vnde probet: nam Dialecticam hîc requirit vt demonſtret vel ſaltem demonſtrare videatur; quod eſt fidem facere ratiocinationibus: Sed tamen formulas argumentorum, quoniam ad ratiocinandum ſunt neceſſariæ, fortaſsè non excludit, præſertim cum requirat συλλογίζεσθαι δυνάμενον. itaque paulò poſt iubebit vt in Dialecticis verſetur Orator propter formulas argumentorum, maximè verò propter enthymemata. Tametſi in progreſſu conſtabit ratiocinandi quoque cauſa non locos modò qui ex Dialecticis repetantur, verũ etiam proprias generum propoſitiones fore cognoſcendas quæ petuntur aliunde.

PARTICVLA XXXII.

Ὥστε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν, οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, ἣν δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικήν. διὸ καὶ ὑποδύεται ὑπὸ τὸ σχῆμα τὸ τῆς πολιτικῆς, ἡ ῥητορική.

Riccobonus. QVo fit, vt Rhetorica tanquam agnatum quiddam Dialecticæ ſit, & eius, quæ de moribus eſt, traditionis, quam iuſtum eſt appellare Politicam.
242 Quare etiam ſubit perſonam Politicæ Rhetorica.

Maioragius. *ITaque fit vt Rhetorica ſit propago quædam, & quaſi pullulatio Dialecticæ; & facultatis eius, quæ de moribus tractat, quam rectè ciuilem ſcientiam appellabimus. Atque ideo Rhetorica ſibi habitum, ac formam ſcientiæ ciuilis inducit.*

EX his quæ dixit occaſione arrepta, Rhetoricæ naturam facit clariorem ac planiorem, concludítque Rhetoricam eſſe quandam veluti propaginem tum Dialecticæ, tum Ciuilis facultatis. Quod (vt notauerunt Victorius & Maioragius) explicat metaphora ſanè pereleganti. Eſt enim, inquit, Rhetorica οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας: hoc eſt, *veluti pullulatio quædam Dialecticæ, & eius quæ ad mores pertinet facultatis.* quæ metaphora ſumpta eſt ab arboribus. Quare quemadmodum II. Georgicorum cecinit Virgilius de ſtolonibus ſeu virgultis quæ a radicibus arborum pullulant, *Ex dictis occaſione arrepta Rhetorica vim ac naturam paulò clarius deſcribit adhuc.*

Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſylua;

Ita ſenſit Ariſtoteles Rhetoricam veluti ſtolonem & virgultum ex Dialectica atque

ciuili

ciuili ſcientiâ pullulare. cuius rei in promptu quoque eſt ratio. Etenim quatenus
Rhetorica ex topicis ſedibus ducit rationes, vnde tum ſuam ipſe confirmare ſenten-
tiam poſſit, tum contrariã refellere; Dialecticę quaſi germen aut propago eſt: quà verò
mores peruestigat atq; in animis perturbãdis verſatur, Ciuilis ſciẽtiæ ſpeciẽ refert, Hęc,
vt ſummatim dicã, eſt ſentẽtia propoſitę particulę, ſi interpretes audias, qui locũ ſic ex-
243 ponũt fermè omnes. De qua tamẽ grauis éaque multiplex oritur dubitatio. Ac primũ
quidem, quid obſecro intelligit Ariſtoteles Dialecticæ nomine dum Rhetoricam fa-
cit illius propaginem & germen? vel enim intelligit Artem diſſerendi probabiliter de
vnaquaque re, quam Topica vocant Peripatetici, vel Stoicorum more totam diſſerẽ-
di rationem, quam ijdem appellant Logicam. Si primum, ergo Rhetorica nõ erit Dia-
lecticæ germen, cum enim Dialectica vnis hiſce locis ſeu argumentorum ſedibus con-
tineatur, Rhetorica tum locis iſtis, tum ſingulorũ generum locis, ex pertibus quoque
artis probationibus, tum inſuper ijs quæ ad Diſpoſitionem elocutionémque pertinẽt,
præceptis conflatur, quis audeat Rhetoricam Dialecticæ germen appellare? ſanè Diale-
cticam è contrario Rhetoricæ germen non ineptè, Rhetoricam Dialecticæ, ineptè om-
nino ac temerè dixeris. Adde quod in Dialectica ſiue in Topicis nihil planè de formis
argumentorum: cum tamen propter has etiam Rhetorica videretur in præſens appel-
landa Dialecticæ germen. In Topicis enim ſeu Dialectica diſponuntur quidem ſedes
argumentorum & communes loci, qui ſuppeditant materiam probabiliter diſputan-
di: at de forma argumentorum & varietate, quam ſtatuit Ariſtoteles oratori ex Diale-
ctica hauriendam, altum ſilentium. Si alterum (id quod faciunt plerique interpretes) iã
hæc conſequentur pleniſſima dubitationis & obſcuritatis. etenim primò Ariſtoteles
vſurparet hoc in loco Dialecticæ nomen pro tota diſſerendi ratione & varietate; cum
tamen conſueuerit ille quidem pro Topicis locis ſeu pro facultate probabiliter diſpu-
randi illam ſumere (cuius etiam rei innumera fermè extant exempla) at pro Logica
vniuerſa fortaſſe alibi nuſquam. Deinde eodem in loco mira nos inuolueret amphy-
bologica. nam de hac ipſa Rhetorica, quam dicit eſſe propaginẽ Dialecticæ, è veſtigio
ſubdit, ſe docuiſſe ab initio eſſe ὁμοίωμα ſeu ſimilitudinẽ quandã Dialecticæ: vt ab initio
docuit Rhetoricam eſſe ſimillimam Dialecticæ pro Topicis ſumptæ, quemadmodum
244 fatentur interpretes, & ipſemet Ariſtoteles iam iam declarabit, ſubdens, *Neutra enim
earum alicuius definitæ rei ſcientia eſt: vt quærat quomodo res ea ſeſe habeat: ſed facultates quædã
ſunt rationes & argumenta comparandi.* quibus probat eſſe ſimillimas, quia Neutra habet
definitam materiam. Quin etiam explicatiùs adhuc declarandum eſſet ijs (quamquã
hoc argumentum eos quoque premere videretur, qui Dialecticam pro Topicis vſur-
pant, quemadmodũ dicam paulò poſt) cur iam antea dixerit Dialecticæ aut totius aut
partis eſſe de omni ſyllogiſmo diſputare. Si enim Dialecticam pro Logica vſurpat, falſò
addit *aut partis*: quandoquidem de ſyllogiſmo omni eiúſque varietate, Logica partitis
muneribus diſſerit quidem vniuerſa, itaut hac etiam de cauſa ſyllogiſmum Peripateti-
ci multi totam Logicæ tractationis materiam effecerint: at Logicæ pars de ſyllogiſmo
omni diſſerit nulla. Denique difficillimum eſt cognitu cuius Dialecticæ Rhetorica di-
catur eſt particula, & propago, & antiſtrophos, & ſimilitudo. Duo enim priora videtur
dici de Dialectica, quæ ſignificet Logicam totam: Duo poſteriora de Dialectica quæ
ſignificet Topica tantùm. Difficillimum etiam cur rurſus ſcribat (id quod faciet non
multò poſt) Rhetoricam eſſe conflatam tum ex analytica, tum ex ciuili, quæ de mori-
bus agit, facultate. Cum enim analytica tantopere a Topicis differat, nõ videntur poſſe
vſurpari promiſcuè. Neque verò non ſpinoſus eſt locus ac dumetis cõſitus, dum Rhe-
torica dicitur germẽ Politicæ propter mores, virtutes & affectus. nam in Politicis nihil
de moribus, nihil de affectibus: quî igitur ſtatuis Ariſtoteles Rhetoricam propter mo-
res, affectus, virtutes, quia inquam inde hæc haurire ſoleat, eſſe etiam germen Politicę?
Nam quod ait par eſſe diſputationem de moribus appellare Politicam, id verò non mi-
nùs abſurdum videri debet quàm Rhetoricam propter mores dici germen Politicæ.
245 Hæc aduerſus Ariſtotelem, dum Rhetoricam cenſeri iubet tum Dialecticæ tum Poli-
cæ παραφυὴς ſeu germen atque propaginem.

Ego verò, etſi non diffiteor locum videri poſſe difficilem & obſcurum, tamẽ quod
pertinet ad Dialecticam, aliquorum pace omnino exiſtimarim Ariſtotelem propriè
locutum eſſe: nec Dialecticę nomen aliter vſurpaſſe quàm pro arte probabiliter diſpu-
tandi,

CONTROVERSIA XXIII. Quid Dialecticæ nomine intelligat: et qua ratione Rhetorica dici poſſit Dialecticæ et particula & propago, & antiſtrophos & ſimilitudo: aut conflata ex Analytica & Polytica.

Digitized by Google

tandi,quã ipſe Topicis fermè comprehẽdit. Dum verò obijcitur Ariſtotelem in To-
picis,quod eſt in Dialectica,nihil de forma,ſed tantùm de materia egiſſe probabilis ar-
gumentationis, cum tamẽ hîc propter formam maximè ſtatuat Rhetoricam eſſe ger-
men Dialecticæ, quia nimirum ab Dialectico perdiſcat & arripiat formam argumen-
tationis,reſpõdeo; ſanè Dialectici, eius inquam qui probabiliter diſputandi artem tra-
dat,niſi ſuo muneri deeſſe velit, eſt non ſolùm materiam, ſed etiam formam commõ-
ſtrare,vnde probabiliter argumentata conflentur. Quod ſi id non fecit Ariſtoteles in
Topicis ſeu in ſua Dialectica, id contigit quia iam antea, in prioribus ſcilicet analyticis,
diſputauerat de forma ſyllogiſmi & de tota illius varietate: & idcirco, cum ſyllogiſmi
probabiles & Dialectici,quod intereſt formæ,non differant à certis & analyticis,ſed tã-
tùm in materia, maluit Ariſtoteles in ſua Dialectica nos, quod pertinet ad Dialectici
ſyllogiſmi formam, reuocare ad priores libros analyticos, vt inde hauriremus formu-
las,quàm eãdem tractationem repetere & iterare. ac propterea in libro I. Topicorum
capite I. & X. nos hac in re (id quod rem totam declarat) reiecit ad analyticos libros.
Imò verò libri illi priores analytici ea de cauſa fuerunt ab Ariſtotele conſcripti, vt for-
mas ratiocinandi ſeu ſyllogiſmorum, ſuppeditaret ac pararet non ſolùm demõſtratio-
346 ni,ſed argumentationi probabili,quin & Eriſticæ(eriſticæ tamen vt diſſoluerentur fal-
laces rationes)ac ſummatim, vt diſputatio illa de forma ſyllogiſmorum ſeruiret ratio-
cinationi tam veræ & certæ quàm probabili & captioſæ.& hac de cauſa tota illa tracta-
rio (id quod ipſemet Ariſtoteles ſcriptum reliquit in II. libro priorum capite XXIX)
pręmiſſa eſt poſterioribus analyticis,topicis & eriſticis,quod eſt æquè argumentationi
cuicunque; vt ſcilicet ſyllogiſmi formã & varietatem inde ſinguli haurirent. quapro-
pter non ea de cauſa priores analytici appellantur libri illi, quia poſterioribus analyti-
cis tantùm ſeruiant (ſeruiunt enim Topicis etiam ſeu Dialecticis Ariſtotele authore)
ſed quia è veſtigio antegrediuntur poſteriores analyticos, & veri ac perfecti ſyllogiſmi
gratia primo loco requiruntur. Iurè igitur ſtatuit Ariſtoteles Rhetoricam dici Diale-
cticæ germen, quia inde hauriat formulas ratiocinationis. Quamuis enim Ariſtoteles
in ſua Dialectica ſyllogiſmi formam & varietatẽ non tam ſit proſecutus, quàm a Dia-
lectico iuſſerit ex prioribus analyticis hauriri, Dialecticæ tamẽ, ſi eius munus omni ex
parte reputetur, eſt ſyllogiſmi formam ac varietatem non minùs quàm materiam ar-
gumentorúmque ſedes complecti atque docere: ac proinde ſyllogiſmi tum materia,
tũ forma haurienda eſt Rhetori a Dialectica, quæ ex ſe(quicquid ſit de Ariſtotelia quę
tamen poteſtate ſaltem eam continet) & quantum eius eſt muneris ac naturæ, formã
non minùs continet quàm materiam. Verùm enim verò obijcias, cur igitur Rhetori-
ca dicitur germen Dialecticæ potiùs quàm Analyticæ, cũ vtrinque poſſit haurire for-
mulas argumentationum,imò verò, vt veriùs dicam, cur non vnius Analyticæ ſit ger-
men,cum re ipſa ab vnius Analyticis argumentorum formulas haurire poſſit? Acute,
& hac fortaſſe de cauſa non dubitat Ariſtoteles Rhetoricam interdum Analyticæ &
347 Politicæ germen efficere. Quamquam(vt verè fatear) magnopere vereor,ne Ariſtote-
les hic deſignet materiam potiùs, & locos quàm formam; & propter materiã efficiat
Rhetoricam & Politicæ & Dialecticæ germen, quia nimirum ſit Politicæ germẽ pro-
pter mores & affectus, Dialecticæ verò propter veriſimile. Sanè & modò rationũ ma-
teriam fecerat veriſimile; & in præſens veriſimile ratiocinatione concludendum ſta-
tuit. Denique dum ait, *fides igitur per hæc fiunt*, tripartitam illam varietatem rerum,mo-
part.ſeq. rum,affectionum ſignificat. Et hac de cauſa fortaſſe accedit vt, Rhetoricam frequen-
tiùs appellet germen Dialecticæ quàm Politicæ; ex Dialectica enim locos & veriſimile
haurit,quod multò magis ad naturam Rhetoricę pertinet,quàm affectio & mos.quid
plura? cur paulò poſt repetit Rhetoricam eſſe germen Dialecticæ, quia neutra alicuius
rei definitæ ſit ſcientia? aut quia útraque ſit facultas parandarum rationum? profectò
hæc propter materiam videntur proferri.tametſi Particula XXXV.ad formam videtur
deſcendere. Interim quod obijciebatur videri potiùs ſtatuẽdum Dialecticam eſſe ger-
men Rhetoricæ, quàm è contrario,cum Rhetorica pateat latiùs,minùs obeſſet,quòd
iam Dialecticam quoque formulas argumẽtorum poteſtate ſaltem, quin Dialecticam
ſi per ſe ſpectetur, non qualis Ariſtotelea eſt (re ipſa)complectatur. tametſi videndum
eſſet num verè propter formulas quoque argumẽtorum an propter vnam materiam
Rhetorica dicatur Dialecticæ germen: in primis verò explorandum num fortè vſquã
Dialecticæ

Digitized by Google

Dialecticæ nomen pro tota diſſerendi ratione vſurpauerit. Itaque cum res vſque adèo
lubrica ſit & anceps, nō ab re ſanè erit, ſi proprio loco (poſtea quam ſcilicet loca omnia
agnouerimus, quæ rem continent, aliqua enim ſuperſunt adhuc, quæ occurrēt breui)
imò verò peculiari controuerſia aut diſputatione proſequamur. Id quod eò etiam li-
bentiùs faciam, quia ſi propter formam (id quod plerique tuētur) eſſet Dialecticæ ger- 248
men, Philoſophia etiam quæ inter ratiocinandum formulas ex analyticis arripit, dicē-
da eſſet logicæ aut analyticæ germē. atque idcirco ſatiùs erit, vt Ariſtotelem ipſum, qui
aliquando Rhetoricam Analyticæ germen facere nō dubitauit, conſulamus. Denique
tot ſunt ac tanta, quæ de re hac ſparſim pronunciauit Ariſtoteles, vt animum ſubierit,
propriam hac de re ex tota locorum qui ſe ſe obijciunt, varietate Concertationem in-
ſtituere, in qua dicta varia examinentur, ac ſi fieri poſſit, concilientur. Id quod faciam
in Rhetoricis Diſputationibus. Interea ne cætera quæ dubitauimus, prætermittā, hinc
declarare licet, cur Rhetorica dicatur Dialecticæ non modò παραφυὴς, verùm etiam
ἀντίστροφος & ὁμοίωμα & μόριον. dicitur enim ἀντίστροφος quia mira ſeſe attingunt ſimilitu-
dine ac ſibi mutua proportione reſpondent, quemadmodum docuimus ab initio, &
hac ipſa de cauſa dicitur etiam ὁμοίωμα, ſeu ſimilitudo: ita vt Ariſtoteles ὁμοίωμα & ἀντί-
στροφον in præſens promiſcuè vſurpet: nam hac de cauſa cum ab initio docuerit Rheto-
ricam eſſe Dialecticæ ἀντίστροφον, hîc ait ſe ab initio docuiſſe eſſe ὁμοίωμα: quia nimirum
propter ſimilitudinem etiam ἀντίστροφον appellata eſt. Nam cur Rhetorica potiùs dica-
tur Dialecticæ ὁμοίωμα, quàm è contrario, id verò declarabimus alibi: nunc ſat ſit mo-
nuiſſe reuera proprium eſſe Rhetoricæ tum Dialecticam imitari quod attinet ad argu-
mentorum formas, tum ex eâdem haurire quod attinet ad materiam; cum enim Dia-
lecticus integra & perfecta vtatur ratiocinatione, Rhetor decurtata, fit ſanè vt hunc illā
imitari & æmulari dicenda ſit. quemadmodum ex Dialectica, quoniam hęc altiùs figit
pedē, & topicis locis ob perfectiores ratiocinationes pleniùs ac perfectiùs vtitur, (hæc
enim ſyllogiſmo & inductione Rhetorica enthymemate atque exemplo certat) Rhe-
toricæ ex Dialectica hauriendum ſit, non è contrario. Atque hinc eſt vt Dialectica exē-
plum, Rhetorica ſimulacrum, iurè ac meritò appelletur. Denique conſimili de cauſa 249
dicitur μόριον ſeu particula: licet enim Rhetorica præter ratiocinationes aut, ſi vis, ar-
gumentorum formulas quibus vnis cōtinetur Dialectica, affectibus etiam & moribus
atque alijs inſtructa ſit, itaut latiùs patére videatur, veruntamen fortaſſe vel quoniam
mores & affectus ſunt τὰ προσθῆκα & additamenta quædam, itaut ſolæ ratiocinationes
ſint Rhetoricæ σῶμα & fundamentum; vel quia nil prohibet quominus Rhetorica di-
catur Dialecticæ germen ſaltem propter præcipuas partes quæ ſunt communis loci &
argumentorum formulæ, fit ſanè, vt quoniam verè è Dialectica haurire ſolet Rheto-
rica, eius quemadmodum germen & fœtus, ita quaſi particula (talis enim eſt fœtus)
cēſenda ſit. Itaut iſthæc omnia explicare de Rhetorica liceat Ariſtotelis Dialecticæ no-
tione retenta. Iam verò cur dicat eſſe etiam τὸ παραφυὲς Politicæ, commodè ſanè appo-
ſitéque id explicat Maioragius: qui ex Ariſtotele docet libros de moribus (horū enim
germen dici poſſe propter mores & effectus ſatis conſtat) interdum ab Ariſtotele Poli-
ticam ſeu Ciuilem ſcientiam appellari. Id quod ex varijs locis libri primi moralium cla-
riùs animaduertere licet, quàm vt neceſſe ſit in re hac immorari. Tametſi interim il-
lud monuiſſe velim, decantatam illam Peripateticorum interpretum ſententiam, eam
ſcilicet Philoſophiæ partem, quæ in actione verſatur, in Ethicam, Oeconomicam, Poli-
ticam diſtribui, atque Ethicam priuatum hominem inſtituere, Oeconomicam fami-
liarem adminiſtrationem nos edocere, Politicam denique ad ciuilem ſcientiam infor-
mare, elegantem quidem, addo etiam percōmodam, videri poſſe, ſed tamen cum Ari-
ſtotelis doctrina ac methodo non conſentire. Etenim Ariſtoteles priuatum hominem 250
ac ſolitarium aut Deum aut belluam cenſuit: ac propterea hominem, quoniam ſit ani-
mal ſociabile & politicum, in ciuili conſuetudine ac vita inſtituendum ſibi propoſuit
in Libris de moribus, quos propterea ciuilem ſcientiam appellauit ſæpè: & ideo & de
amicitia, & (vt cætera taceam) de iuſtitia diſſeruit copioſè, quæ eſt ad alterum & ciuilis
vitæ continet officia. Itaque Ariſtoteles cum inſtruxiſſet hominem virtutibus omni-
bus vnde ad beatam vitam contenderet, eum inſtituiſſe voluit in ciuili vita vt omnia
ciuilis vitæ officia obiret pro dignitate: itaut libri morales ciuilem contineant ſcientiā.
At enim cur Politicos deinde ſcripſit libros? ea de cauſa quam ipſe ad finem expoſuit

librorum

librorum de motibus. Cum enim homo non facile obtemperet rationi & amplecta-
tur virtutem, faciendum eſt (inquit) vt ciuili huic animanti leges etiam præſcribamus
quibus in officio magis ac magis contineatur, & ad benè beatèque viuendum diriga-
tur, ob id igitur de legibus quoque, ſeorſum tamen, agendum decreuit. Tametſi quo-
niam aliæ leges Monarchiæ, aliç Ariſtocraticæ, aliæ Politicæ ſunt accommodatæ, de va-
rio publicæ adminiſtrationis genere agendum putauit, ac propterea varias gentiū Po-
litias examinauit, vt cuique ciuilis gubernationis generi cōgruas aptaret leges. Ita qui-
dem Politica eſt poſterior Ciuilis ſcientiæ pars, nec tripartitò diſtribuenda eſt Actiua
quam vocant, Philoſophia ſi Ariſtotelem audias. nam Oeconomica quę à latinis inter
Ariſtotelis teritur monumenta, nec græcè extat tota, nec ſatis Oeconomicæ rationem
tradit, ſed fermè rei familiaris augēdę Artem exemplis illuſtrat. Denique vix in primo
Politicæ pauca quædam de domo vt vicos ex domibus ex vicis vrbem conſtituat, pro-
ſequitur. Atque huic fortaſſe Oeconomica deriuata eſt à quibuſdam. Sed redeamus ad
251 Rhetoricen: de qua illud inſuper moneo, nil prohibere quominus aliquæ illius partes
eæ ſint quæ nec Dialecticæ ſint germen nec Politicæ: cuiuſmodi eſt diſpoſitio & Elo-
cutio: hæc enim ſic deligit atque aptat tum verba & ſententias tum verborum ſenten-
tiarúmque figuras, quibus orationem copioſam ornatámque reddat, vt nec à Politica
hauriat nec à Dialectica. Idem diſcrimē de memoria & actione, idem fermè de fide ar-
tis experte. Vt propterea ſtatuat quidem Ariſtoteles propter tripartitam iſtam fidem
artificioſam eſſe Dialecticæ germē & Politicæ (quamquam hæc etiam habent ſuas du-
bitationes de quibus poſtea) non tamen neget alia multa ineſſe Rhetoricæ quæ nec ad
Dialecticam nec ad Politicam ſint reuocanda.

PARTICVLA XXXIII.

ΚΑὶ οἱ ἀντιποιύμενοι ταύτης, τὰ μὲν, δὶ ἀπαιδευσίαν, τὰ δὲ, δὶ ἀλαζονείαν, τὰ δὲ καὶ ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπικάς. ἔςι γὰρ μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ ὁμοίωμα, καθάπερ καὶ ἀρχόμενοι εἴπομεν.

Riccobonus. ET qui ſibi hanc vendicant, partim propter ignorantiam, partim propter arrogantiam, partim etiam propter alias cauſas humanas. Eſt enim particula quædam Dialecticæ, & ſimilitudo, quemadmodum etiam exordientes dicebamus.

Maioragius. *ET qui huic arti incumbunt, partim ignoratione rerum, partim inani gloria ducti, partim alijs etiam humanis cauſis, ciuilem ſe tenere ſcientiam profitentur, cum particula tantum quædam, & imago Dialecticæ ſit, quemadmodum initio diximus.*

DIgreditur aduerſus Rhetores ſui temporis, eos perſtringēs qui dum ad *Comēt.*
Rhetoricam incumberent, ciuilem ſe tenere ſcientiam dictitarēt; cum *XXXIII.*
tamen Rhetorica vix ſibi ſpeciem quādam atque habitum inducat ci-
uilis ſcientiæ, potiúsque particula quædam & imago ſit Dialectices, vt
iam antea dictum eſt. Ac ne nos omnino laterent cauſæ, quæ tranſuer-
252 ſos vſque adeò egiſſent Rhetores illos, vt artis ſuæ nomen mutarent,
Rhetoricámque facultatem ciuilem appellantes, adminiſtrandę Reipublicę rationem
profiterentur, id illis contigiſſe affirmat partim propter rerum ignorationem, partim
propter arrogantiam inanémque gloriam, partim denique ob humanas alias cauſas.
Gorgiam verò, Hyppiam, Polum Agrigentinum ac cæteros illos Sophiſtas intelligit
horum nomine. nam præterquam quod id non obſcurè indicat in poſtremo decimi
Ethicorum capite, & in Elenchis non vno in loco, res ex eius præceptore ſatis ſupérque
conſtat, qui cum alibi ſæpè, tum pręſertim in Hyppia maiore & in Gorgia hoc ipſo no-
mine illos exagitat, multíſque rationibus oſtendit toto cœlo aberrare ipſos, dū ſe ven-

ditarent

ditarent ciuilem ſcientiam docere poſſe. Quin etiam, vt intelligatur quàm facilè cum
magiſtro cōſenſerit hac in parte Ariſtoteles, carpit illos Plato tum locis citatis, tum in
Theage, Sophiſta, Menone, & Sexto de Republica, quòd nullam ſolidam ſciētiam per-
cepiſſent, ſed vani eſſent, oſtētationéque ac faſtu pleni. Et hæc duo ſunt, quæ comme-
morat Ariſtoteles hoc in loco. Addit Plato ſordidos & auaros fuiſſe, ideóque non ſine
mercede docuiſſe. & hoc ipſum eſt quod decimo Ethicorum Ariſtoteles obiecit illis.
Perpugnaces præterea artificioſóſque litigatores appellat eos Plato: at Ariſtoteles hac
potiſſimùm de cauſa Elencorum libros conſcripſit. Atque huc etiam ſpectat quod a
Platone dicitur Sophiſta iuuentutem falſo ſapientiæ nomine allicere ac deprauare, ap-
pellatúrque mercenarius diuitum venator, doctrinatū mercator & caupo, Philoſophi
ſimius, prę̨ſtigiator, λογοδαίδαλος, ac conſimilibus ignominiæ notis damnatur. Neque
verò abſuit M. Tullius a propoſita Ariſtotelis ſententia, qui eam ferè totam vſurpauit
illuſtrauítque mirificè in priore libro de Inuentione his verbis, *Ciuilis quædam ratio eſt,* 253
quæ multis & magnis ex rebus conſtat eius quadam magna & ampla pars eſt artificioſa eloquen-
tia, quam Rhetoricam vocant; nam neque cum his ſentimus, qui ciuilem ſcientiam eloquentia non pu-
tant indigere, & ab ijsque eam putant omnem Rhetoris vi & artificio contineri magnopere diſſenti-
mus. Vt propterea mirum videri poſſit Quintilianum, reclamantibus Platone, Ariſto-
tele, M. Tullio denique ipſo, Gorgiæ ac reliquorum ſententiam amplecti, omninóque
velle ciuilem virum perfectúmque Reipublicæ adminiſtratorem nō alium eſſe, quàm
Oratorem. Quanquam non poſſum interim non magnopere hærere. Dum enim Pla-
to & Ariſtoteles veteres illos Rhetores tot inceſſunt probris ac maledictis; ipſe quidē
ſi de ijs loquamur qui benè dicendi artem colant, atque adeò eloquentia floreant, ma-
gnopere dubitarim num iurè Politici nomine ac laude ſpolientur, vel certè tantopere
ab hac laude abeſſe dicantur. Videor enim mihi multis ac magnis argumētis Ciuilem
ijs virtutem tribuere poſſe. Itaque ad controuerſiam de more confugiam, in qua rem

CONTROVERSIA XXIV. NVM Politici laude iurè ſpolietur Orator. Immeritò ſpoliari probatur.

proſequar latius. Ergo Num iurè hanc Ariſtoteles laudem Oratori adimat requira-
mus. Ac primùm ſi finem ſpectemus Oratori propoſitum ac germanū eiuſdem Offi-
cium ac munus, hinc ſanè efficitur ciuilem ei deberi laudem: nam Curiæ ac Senatui
veluti præeſt & publicis deliberationibus quibus dignitas Reipublicæ continetur ac
ſalus. Et idcirco Ariſtoteles quemadmodum deliberatiuum Oratori genus attribuit
vel maxime, ita affirmauit deliberatiuum eſſe πολιτικώτατον quod eſt coniunctiſſimum
cum ciuili gubernatione, vel potius ciuilem gubernationem vel maxime continere:
ita ut orator quippe qui deliberationibus præeſſe ſolet, ciuilis ſeu Politicus videri poſ-
I. ſit. Quòd ſi interdum in forum deſcendit in iudiciíſque verſatur, iam id quoque perti- 254
II. net ad ciuilem adminiſtrationem: plurimum enim conducit Reipublicæ vt iudicia
III. exerceantur ac rectè exerceantur. Atque huc etiam pertinet quod ab Ariſtotele in lib.
I. Moralium Orator ei quaſi affecla & adminiſter adiungitur qui Reipublicæ præeſt ac
Ciuitati: vt nimirum iudiciorū & curiæ atque adeò Reipublicæ totius curæ ipſe quo-
que inuigilet vt deliberationes & iudicia pro dignitate ac Reipublicæ ſalute peragan-
IV. tur. Huc accedit quod Eloquentia, teſte M. Tullio, nihil eſt aliud quàm copioſè lo-
quens ſapientia: id quod multò antea in Gorgia ſignificauerat Plato dum diceret Ora-
torem qui ſapientia careret non tam Oratorem quàm δημολογικὸν (tu vulgi concinato-
rem dixeris) eſſe appellandum. Quòd ſi ſapientia imbutus ſit Orator, is maxime om-
nium arte inſtructus ſit qua Rempublicam temperet adminiſtrétque Ciuitatem: cum
præſertim ob dicendi virtutem ſapientiam exerere atque Auditoribus probare facilè
V. poſſit. Et hoc eſt quod Virgilius etiam hoc eſt optimus non modò Poëſis ſed Orato-
riæ Ciuiliſque virtutis æſtimator, expreſſit dum caneret

Ac veluti magno in populo cum ſæpè coorta eſt
Seditio, ſæuitque animis ignobile vulgus
Iámque faces, et ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate grauem, ac meritis, ſi fortè virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus aſtant.
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Quam rem totam in Neptuno expreſſit eleganter, quaſi verò & dicendi virtute & pru-
VI. dentia ac ſapientia populares veluti tumultus compeſceret. Sed & illud eidem fauet
ſententiæ quòd Orator quantus eſt, totus ferè ex Ciuilis ſcientiæ ſpatijs eſt. Ciuilem
ſcientiām

ſcientiam appello Ariſtoteleo more quicquid ad mores, ad virtutes, ad leges, adde etiã
ad affectus pertinet, ex quibus Ariſtotele ipſo docẽte pendet Orationis facultas: & qui-
dem Oratoris eſt morum atque virtutũ explorare vim & naturam quod ſanè ad ciuilẽ
255 ſapientiam pertinet: ita vt iure eloquentia dicatur ſine ſapientia eſſe non poſſe: eiuſdem
eſt hominũ affectus dignoſcere ac rationẽ perdiſcere vnde ſiue concitentur ſiue reſtin-
guãtur: quæ res multarũ ac magnarum rerum requirit ſcientiã ac Ciuilis vel maxime.
Nam ſine legũ cognitione frigere Oratorem, nec poſſe in iudicijs aut in Curia pro di-
gnitate verſari niſi priuatas ſaltẽ ſuæ Ciuitatis leges perfectè nouerit, compertum eſt.
Quæ cum ita ſint, iam ſatis conſtat eloquentiã non germen vel particulã quãdam eſſe VII.
Ciuilis ſcientiæ, ſed eam cõplecti totam: præſertim verò quia Oratori de pace, de bello,
de ferendis antiquandisue legibus, déque eiuſmodi alijs dicẽdum eſt, quibus Reipubli-
cæ dignitas ac ſalus ipſa cõtinetur. Quod ſi Ariſtoteles ea de cauſa Politicæ germẽ facit
Rhetoricam quod morũ virtutúmque cognitionẽ amplectatur, multò magis Orator
erit Politicus dicendus cum cõſtet legum quoque oportere eſſe peritum atque ea de-
nique callere omnia quæ cum Reip. bono cõiũcta ſunt. Neque verò illud obſtat quod
Rhetorica Dialecticæ quoque germen cenſetur ab Ariſtotele ídque vel quia argumẽ- VIII.
rationis formulas deriuet ex Dialectica, vel quia ex Topicis locis depromat argumẽta. *In quo præcipuum aduerſariæ ſẽtentiæ fundamentum videtur euerti.*
Nam verendum eſt ne id perperã ſtatuerit Ariſtoteles. Si quis enim vel Græcorum vel
Latinorum Oratorum perlegat monumenta intelliget Oratores more maiorũ verba
facere ac populariter, ita vt nihil minus quàm enthymemata explicẽt & Dialecticorũ
more forment fingántque argumẽtationes. Denique quemadmodũ Hiſtorici aut Ci-
uiles Philoſophi quin populares paſſim ac ruſtici ipſi ſic loquuntur vt non tã explicata
argumentatione vtantur quàm ſuæ ſententiæ fundamentũ ac rationem attingãt (hanc
256 mediũ terminũ appellãt loqui) vnde auditor ſatis percipiat illius vim rationis, ſic paſſim
Oratores: ita ut non ex Dialecticis ſed ex cõmuni vſu hauriant dicendi ſeu ratiocinandi
formulas. Ex quo fit vt populariter loqui videãtur ac propterea merũ Cõmentũ videri
poſſit id quod ait Ariſtoteles Oratorẽ ex Dialecticorũ ſpatijs ſuas argumentationũ for-
mulas deriuare. Argumentorũ quoque materiã cur Orator ex Dialectici cãpo deriuet
potiùs quàm Dialecticus ex cãpo Oratoris, non ſatis video cũ topici peræquè ſint vtri-
que cõmunes. Adde quod plerũque Orator natura duce ea arripit argumẽta quę dein-
de ad Topicos locos reuocata ſunt: ita ut res ipſa veriùs ea Oratori miniſtret Argumẽta
atque ea veriùs vſu quodã frequẽter quàm in Topicos locos intuens aut Dialectici in-
ſtar ad argumẽtorũ ſedes cõfugiẽs. Itaut ĩ argumẽtorũ quoque ſeu forma ſeu materia
ciuilis videri debeat ac popularis nõ Dialecticus. Alioquin medicus ẽt, Phyſicus, Aſtro-
logus, Hiſtoricus quiſquis denique aliquid ſcribit perę què Dialectici germẽ dici poſſit
qđ quædã enthymematũ initia aut exẽpla afferat quæ ad Dialecticã argumẽtationem
poſſint reuocari. Haud igitur cunctandum eſſet fateri Oratorẽ Politici nomine ornari
poſſe, id qđ Plato ob ſapientiã quã in Oratore exigit, cõcederet: Quintilianus ẽt tuetur
copioſè. Vt omittã id quoque voluiſſe Gorgiã ipſum, Hippiam atque huiuſmodi alios
multos ex priſcis Sophiſtis quibus hãc ſententiã tribuit Ariſtoteles in poſtremo libro
Moraliũ & in Elenchis. Quid plura? an nõ experiẽtia cõpertũ eſt eos in Athenienſiũ Re
publica dominatos eſſe qui excellerẽt eloquẽtia? ſanè Alcibiades, Pericles aliíq; multi IX.
ob eloquẽtiã Athenis obtinuerũt principatũ, atque ita obtinuerũt vt ſuã illi induſtriã
populo vehemẽter probarẽt. Nã de M. Tullio & de vtroque Catone qui maximè om-
257 niũ policotati fuerunt, hos eloquentiæ laude floruiſſe atque hanc in primis ad patriam
tuendam retuliſſe, itaut eius parentes haberi meruerit, haud eſt quod dubitemus.

Et tamen Ariſtoteles totam hanc ſententiam proſcindit, eos qui ob eloquentiam ſe Politicos dicerent, ignorantiæ atque arrogantiæ nomine carpens.

Sed vt rem explicemus, vel certè perdifficilis huiuſce controuerſiæ explicatum pro virili parte noſtra tentemus ac moliamur, ſic ſtatuo.

Si Rabulam in Oratoris loco habeas, ſeu Circulatorem fingas, &, vt cum Platone loquar, δημογορικὸν, quique ad plebeculã verba faciat, is ſanè ab Politici laude aberit quàm longiſſimè: talis enim orator ſuã ille orationẽ ad quæſtũ refert, aut riſum dicendo captat: cum tamen Politicus in publicis muneribus occupetur totus, ac de pace, & bello, de vectigalibus, de Vrbis ac regionis cuſtodia, de Legibus déque huiuſmodi alijs deliberet. Quòd ſi oratorẽ perfectũ fingas qualẽ Craſſus apud M. Tulliũ, qui ſcilicet de qualibet re prudẽter, ornatè & copioſè dicere poſſit, hic ſanè Politici quoque nomẽ mere-

rebitur. cũ enim vniuerſa diſcipulorũ varietate imbuerit pectus & excoluerit animũ,
quis obſecro magis idoneus reperiatur qui res Ciuiles adminiſtret ac tẽperet Rẽpubli-
cã? ſanè hic tum Orator ſummus tũ Politicus optimus cenſendus erit & appellandus.
Quanquã quoniam talis Orator facilius animo fingi poteſt atque optari quàm re ipſa
parari, hinc inficias ieris Oratorẽ Politici ĩduſtriã exprimere poſſe ac mereri nomẽ. Cũ
enim talis Orator optãdus magis ſit q̃ ſperandus, ac votis potiùs & optatis q̃ ſactis cõ-
ſtituatur, parabilẽ Oratorẽ intelligamus oportet qualem Antonius deſcribit apud M. 258
Tulliũ, atque huic nũ ciuilis laus ac Politici nomẽ cõueniat, inueſtigandũ. Ita quidem
in hoc poſita eſt dubitatio. Tametſi de parabili quoque oratore ſuboriri adhuc poteſt
controuerſia, quid & quatenus illi ſit cõcedendum, ſeu quibus diſciplinis & quatenus
ſit inſtruẽdus: neque enim iiſdem plane doctrinarũ finibus vel a Platone vel ab Ariſto-
tele vel à M. Tullio (præſertim quia M. Tullius in varias id partes torquet vt vela pan-
dat eloquentiæ) vel denique à Quintiliano concluditur. Sed vt me omni inuidia liberẽ,
Ariſtoteleũ producã in mediũ, & de Ariſtoteleo requirã nec nũ à Politica laude abſit
(quod ipſe interim negat) Politicus dicendus ſit. Et ſanè tali ac tãta rerũ cognitione
quaſi ſuppellectili Oratorẽ inſtruit Ariſtoteles, vt mirũ ſit huic ciuilis interim nomen
denegaſſe. Sanè iubet vt nõ modò diſſerẽdi rationẽ calleat & cũ diſſerẽdi arte ornamẽ-
ta orationis cõiungat ita vt eius dictio acuta ſit ornata & copioſa, atque oĩbus lumini-
bus & pigmẽtis vbi opus ſit ſplẽdeat, verùm etiã iubet vt quæ pertinent ſiue ad mores
ſiue ad virtutes ſiue ad affectus, dicã planiùs; ad vitã & mores pertinẽt perſpexerit atque
animo peragrarit iubet inſuper vt de bello ac proinde de re militari prudẽter & copio-
sè diſputare poſſit: de pace itẽ quæ liberaliũ artiũ & exercitationũ, quibus pax continetẽ 259
requirit cognitionẽ: de legibus ita vt ingẽtem illi molẽ imponat qua neſcio an grauior
fingi poſſit: præſertim verò quia religionis quoque leges atque adeò ſuæ illius religio-
nis notitiã in eo requirat. Denique, quoniã longũ eſſet ad omnia, iubet vt de fœdere, de
amicitia, de annona, de vectigalibus, de iis quę exportari aut cõportari ſolent, de finium
cuſtodia atque adeò regionis cuſtodia déque ſexcẽtis huiuſmodi aliis verba faciat pru-
dẽter & copioſè & hac etiã de cauſa decernat vt rerũ antiquitatẽ & hiſtoriã vniuerſam
perluſtret animo: vt gentium mores & inſtituta exploret, regiones perſpectas habeat,
ac propterea Coſmographiã quã vocant, ſuis ſtudiis adiungat; ita ut in eandẽ ferè cum
Craſſo ſententiã incidere videatur atque eũ Oratorẽ fingere qui optari veriùs poſſit, q̃
ſperari. Quid eſt igitur quod huic Politici nomen eripiat ac laudẽ quẽ in Politicũ cãpũ
calcaribus admotis conjecit atque impulit? ſanè verendũ eſt, ne inuidentia eum tranſ-
uerſum egerit quod ægrè pateretur Iſocratẽ qui cũ illi diſſidiũ atque contẽtio interce-
debat Politicũ ſe profiteri. Sed vtvt ſit, enitendũ eſt vt quo modo, ſi fieri poſſit Ariſtote-
lẽ inuidia liberemus. Vel igitur dicendũ eſt Ariſtotelẽ qui Rhetori hîc adimit nomen
Politici vbi nondũ ſuũ ille Oratorẽ in Theatrũ adduxit & propter genus deliberatiuum
multarũ ac magnarũ rerũ cognitione inſtruxit, in ante actos Rhetores ſpectaſſe, qualis
fuerat Gorgia, Polus, Hippias, Traſimacus & ſi quis alius: hi enim dum Rhetoricẽ tra-
ctarent re vera ſe Politicos iactabãt cũ tamen ciuilẽ ſcientiã ignorarent: & ideo fortaſſe 260
ait διὰ τὴν ἀπαιδευσίαν, καὶ ἀλαζονείαν καὶ ἄλλας αἰτίας propter imperitiam inquã & arrogã-
tiã atque alias ob cauſas hoc ſibi vindicaſſe nomen. Qua in re cũ Platone conſentit qui
in Hippia, in Gorgia & alibi ſæpè iſtos ignorãtiæ & arrogãtiæ nomine inſimulat. Quin
addit ad queſtũ & gloriolam ſuum reuocaſſe ſtudium: quam rem Ariſtoteles etiã re-
prehendit in Elenchis, ita ut hic per alias cauſas inanẽ gloriã & queſtus cupiditatem in-
telligat. Quòd ſi vrgeas Ariſtotelẽ cũ Politici nomen adimeret Oratori, iam illi morũ,
virtutum, affectuum, ciuilis denique ſcientiæ ſtudium iniũxiſſe, ex quo efficere debuit
ad Politicũ accedere nõ verò abeſſe, quod colligit, quid ſi quis Dialecticorũ more Rhe-
toricã bipartitò diſtribuat; in eã. ſ. quæ præcepta docet & alterã quæ in vſu eſt poſita &
in forũ curiámque deſcẽdit? profectò is qui præcepta tradit, videri poſſit à ciuili laude
nõ parũ abeſſe, cũ nõ neceſſe habeat iuuenes in grauiſſimis illis curiæ diſceptationibus
occupare ſed leuiore opera illos inſtituere vt copioſè & ornatè dicant. Cũ. n. ex vmbra
in ſolẽ iis progrediẽdũ fuerit tũ grauiores illę doctrinæ attingẽdæ atq; ex Philoſophorũ
ſpatiis ad Politicas diſceptationes vires colligẽdę. Sed vtinã id ẽt nõ minùs verè q̃ ſortaſ-
ſe acutè. Quẽ. n. hic inſtituit oratorẽ Ariſtoteles is eſt quẽ deinde ꝑgrediẽs ciuili ſciẽtia
imbuit vniuerſa. Sed vt vt ſit, malim pręſẽtẽ dubitationẽ exaggeraſſe atq; illius explicatũ
tẽtaſſe, q̃ eã (qđ cæteri faciãt etſi ĩ prõptu eſt) diſſimulaſſe. Quãquã ex iis quę ĩ oratoriis
diſputationibꝰ ſeorſim a nobis afferẽtur, planiùs fortaſſe hæc dilucidabit Cõtrouerſia.

Digitized by Google

PARTICVLA XXXIIII.

Περὶ οὐδ᾽ ἑνὸς γὰρ ὡρισμένου οὐδ᾽ ἑτέρα αὐτῶν ἐστιν ἐπιστήμη, πῶς ἔχει. ἀλλὰ δυνάμεις τινὲς τοῦ πορίσαι λόγους. περὶ μὲν οὖν τῆς δυνάμεως αὐτῶν, καὶ πῶς ἔχουσι πρὸς ἀλλήλας, εἴρηται σχεδὸν ἱκανῶς.

Riccobonus.

DE aliqua enim re definita neutra ipſarum eſt ſcientia, quomodo ſe habeat, ſed facultates quædam ſunt parandi rationes. Ac de facultate quidem ipſarum,& quomodo ſe habeant inter ſe, dictum eſt propemodum ſatis.

Maioragius.

NEutra enim earum alicuius definita rei ſcientia eſt, vt quærat, quomodo res ea ſeſe habeat; ſed facultates quadam ſunt inueniendi quid in quaque re probabiliter dici poſſit. Iam igitur de vtriuſque vi ac poteſtate quóque modo inter ſe coniuncta ſint, ſatis, vt opinor, dictum eſt.

Com. XXXV.

Pergit in Rhetorica vi, ac natura, adumbranda.

DIxerat Rhetoricam eſſe tum particulam, tum imaginem Dialectices:
nūc explicat cur dicatur imago: vel potiùs huius rei cauſam repetit ex
his quæ hac de re expoſuerat ab initio: eſt autem in hoc poſita. Nam
cum neutra illarum facultatum habeat certam ac definitam materiā,
quam contempletur & tractet, quemadmodū habet Aſtrologia verbi
gratia & Medicina: ſed ambę verſentur in argumētis parandis, nemini
262 dubium eſſe poteſt, quin ſint quamſimillimæ. Sed cū útraque in parandis argumentis
verſetur, cur Rhetorica potiùs Dialecticę imago cenſetur quàm è cōtrario? ea de cauſa
ſine dubio, quoniā Rhetorices ſuis exemplis & enthymematibus Dialectici inductionem & ſyllogiſmum imitatur, quonam illa ſunt ſimulacra quædam, non autē contra:
ac propterea meritò Dialecticæ dicitur ſimilitudo. Atque eádem de cauſa dicitur Dialecticæ particula non contra. Licet enim Rhetorica, quippe quæ ex ciuili, & Dialectica
conſtat, ac proinde & ratiocinatione vtitur & moribus, & affectibus, Dialecticæ particula non videretur habenda & dicenda, ſed Dialecticæ id videretur tribuendum, quæ
alteram tantùm Rhetoricæ partē continet, ratiocinantē ſcilicet; quia tamen Rhetorica
quà ratiocinantibus vtitur, imitatur Dialecticā (decurtata enim inductione vtitur ac
ſyllogiſmo non integro) non malè hoc obtētu Dialecticæ dicitur particula. Quamquā
propter materiam etiam, quia ſcilicet Topicis locis vtitur, & ex Topicis haurit argumēta, dicitur Dialecticæ particula & ſimilitudo. Alioquin, niſi Rhetor & breuiſſimas
illas argumentorum formulas, quas haurit a Dialectico & ad quas a Dialectico item,
ſiue huius nomine ab Analytico, inſtruitur, obūbraret & ſectaretur, iuſtiùs Dialectica
Rhetoricę particula & ſimilitudo appellaretur: ſiquidem ratiocinationis arte detracta
Dialectica corruit tota, cum Rhetorica adhuc alteram partem retineat, quam haurit à
Ciuili. Sed cum Rhetorices, vt dictum eſt, non Dialecticæ ſolùm, verùm etiā ciuilis, facultatis ſpeciem atque habitum referat, cur hîc Dialecticæ potiùs ſimilitudo imò &
agnata dicitur quàm ciuilis? cum præſertim vtriuſque etiā particula? Crediderim id tā
263 libenter cōmemorare hîc Ariſtotelē, vt vrgeat magis Rhetores, qui ſe ciuilē ſcientiam
docere profiteretur, eóſque in Dialecticorū prope ordinē redigat. Quāquā iurè etiam
maiorē Dialecticæ quàm ciuilis facultatis rationē habet quādoquidē oratorio dictio
cum exemplorum & enthymematum vſu eſt coniunctiſſima: concitandi verò & cōciliandi artificium non neceſſario amplectitur: ita ut maiorē cū Dialectica, quàm cum
ciuili facultate affinitatē habeat. Huc accedit, quòd ſi à Dialectica ſubtrahas præcepta
& vias argumentandi, corruat neceſſe eſt vniuerſa. at ſi ciuili ſcientiæ detrahas ea quæ
virtutū & morum cognitionem comprehendunt, adhuc multa & magna relinques ei.
Cum itaque Rhetorica imitetur, vt dicebā, atque exprimat Dialecticā penè vniuerſam,
ciuilis verè ſcientiæ quamdā tantùm partē attingat (nā quàm latiſſimè pateat ciuilis ex
Politicis Platonis & Ariſtotelis intelligi poteſt) idcirco potiore iure dicitur Dialecticæ
affinis & quā ſimillima quā ciuilis. Cur autem Rhetorices nullam præfinitam materiā
habeat, quam tueatur; id verò vel ab initio huius libri explicatum eſt. Atque ex his etiā
conſtare poteſt quàm meritò concludat Ariſtoteles ſatis diſputatum eſſe de vtriuſque
(Rhetoricæ nimirum & Dialecticæ) vi & facultate, & quo pacto inter ſe affectæ ſint. Iā
verò ad illud artificioſæ fidei genus quod ratiocinatione cōtinetur, explanādū deſcēdit.

Cur Rhetorica Dialectica germen dicatur, non cōtra.

Cur Rhetorica magis quàm Ciuilis dicatur germen.

PARTICVLA XXXV.

Τῶν δὲ διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι καθάπερ καὶ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς, τὸ μὲν, ἐπαγωγή ἐστι, τὸ δὲ συλλογισμός, τὸ δὲ φαινόμενος συλλογισμός, καὶ ἐνθάδε ὁμοίως ἔχει. ἔστι γὰρ παράδειγμα μὲν ἐπαγωγή, ἐνθύμημα δὲ συλλογισμός. καλῶ δ' ἐνθύμημα μέν, ῥητορικὸν συλλογισμόν, παράδειγμα δέ, ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. πάντες δὲ τὰς πίστεις ποιοῦνται, διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ παραδείγματα λέγοντες, ἢ ἐνθυμήματα. καὶ παρὰ ταῦτα, οὐδὲν πως.

Riccobonus.

QVæ verò cernuntur in eò, quòd demonſtrent, vel appareant demonſtrare, quemadmodum etiam in Dialecticis, eorum quidem vnum inductio eſt, alterum autem ſyllogiſmus apparet ſyllogiſmus, ita hic quoque ſimiliter ſe res habet. Nam exemplum eſt inductio, enthymema ſyllogiſmus eſt. Ac enthymema quidem voco oratorium ſyllogiſmum: exemplum verò inductionem oratoriam. Omnes autem fidem faciunt demonſtrando, aut exempla proferentes aut enthymemata, & præter hæc nihil quodam modo.

Maioragius.

IN probationibus autem, quæ aut verè demonſtrant, aut tantùm videntur demonſtrare, quemadmodum in Dialecticis inductio eſt & verus ſyllogiſmus, & præterea tantùm apparens ſyllogiſmus, ita etiam in hac arte: exemplum enim inductio eſt, enthymema verò ſyllogiſmus. voco autem ego enthymema quidē, oratoriū ſyllogiſmū, exemplum autem inductionē oratoriam: omnes enim oratores cū aliquid dicendo probare volunt, aut exemplis, aut enthymematibus vtuntur: & præter hæc nihil habēt.

Coment. XXXV. EXPLICATVR PARS II. *in qua illud artificioſæ fidei genus declaratur, quod ratiocinatione cōtinetur. Et ideo de enthymemate agitur & exemplo.*

EX propterea & ſimilitudine quæ eſt inter Rhetoricam & Dialecticam, oſtendit ipſam Rhetoricam, ſeu mauis Oratorem, cōficere ſuas probationes exemplo & enthymemate: atque hoc quidem vel vero, vel quod ſpeciem habeat veritatis. Nam quemadmodum, inquit, duo vel potiùs tria ſunt, quibus Dialecticus ſiue demonſtrat ſiue demōſtrare videtur, 264
nimirum inductio, ſyllogiſmus verus, & ſyllogiſmus qui apparens dicitur (hunc nos paralogiſmum appellabimus in præſentia) ita Orator tribus cōſimilibus inſtrumentis vtitur, dum aliquid docet: exemplo videlicet, quod inductioni reſpōdet, vero enthymemate, quod cum ſyllogiſmo ferè conuenit, falſo denique enthymemate quod paralogiſmo eſt quam ſimillimum. Hæc Ariſtoteles, quibus, vt videtis, quatuor ſeu potiùs ſex ad probandum proponit inſtrumēta; inductionem ſcilicet, ſyllogiſmum verum, & paralogiſmum, quæ ſint Dialectici; exemplum, verum enthymema, & enthymema falſum, quæ ſint Oratoris. Atque hæc ſibi perbellè reſpōdere vult, quemadmodum & dicebam paulò ante, & non multò poſt cum Ariſtotele ipſo exponam fuſiùs.

CONTROVERSIA XXV. *In qua de Dialectica, deq; Dialecticis ac Rhetoricis inſtrumentis aduerſus Ariſtotelem dubitantur multa. Dubitatur. Reſpondetur.*

Interim verò multa dubitare cogor aduerſus Ariſtotelē de Dialecticæ vi déque Dialecticis & Rhetoricis inſtrumentis, quorū cauſa Controuerſiam excitabo dubitationibus inſtructam varijs: quas etiam ex ordine & proponā, &, ſi quomodo potero, diluam: aut certè in varias partes agitatas, Rhetoricis Diſputationibus reſeruabo. Principio igitur obijciat quiſpiā Ariſtoteli, verendum ne ſui videatur immemor. nā ſupra extremo cap. I. docet (idque nemine ex interpretibus de eius opinione dubitāte) Dialecticum, ſi captioſis rationibus ac falſis vtatur, tametſi ſpeciem aliquam habeant veritatis, prodere ſuum munus, & Dialectici nomen amittere, eſſéque appellandū Sophiſtā: licet. n. Dialecticus, inquit, debet habere cognitionē captioſi ſyllogiſmi ad Sophiſtas refellendos, ſi tñ illo vtatur, Sophiſta erit; & tamē hîc perſpicuis verbis contendit Dialecticum in ſuis 265
probationibus non inductione ſolùm & ſyllogiſmo vero vti (de vſu enim loquitur, non de cognitione) ſed illo etiam, qui ſpeciem præſefert ſyllogiſmi, hoc eſt (vt omnes exponunt) eo, qui non eſt verus ſyllogiſmus, ſed apparens (vt ita dicam) ac falſus.

Ad hanc dubitationem ego ſanè in præſentia quid reſpondeā non habeo: niſi tñ pugnemus, hoc in loco, non de vſu paralogiſmi loqui, ſed de cognitione tantùm, quemadmodum etiam extremo capite III. requirit quidem in Dialectico cognitionem paralogiſmi: vſu verò omnino interdicit illi. Sed hęc reſponſio (vt ingenuè fatear) longè mihi aliena vr̄ ab expoſita literę ſnīa, in qua *περὶ τῆς πίστεως καὶ τοῦ δεικνύναι*, de fide inquā, déque ipſo demōſtrationis actu loquit̄, nō de cognitione. Quāobrē ſi quis hūc explicet nodū,

is mea

is mea quidem ſententia non mediocri repugnantia hũc Ariſtotelis locum vindicaſſe
cenſendus erit. Nam ſi quis pugnet Ariſtotelem in loco paulò ante citato accepiſſe
Dialectici nomen preſſiùs, quatenus videlicet ſi non captioſi ſyllogiſmi cognitionem,
ac certè vſum a ſuo munere excludit, hîc latiùs, prout quodcunque differendi artificiũ
conſectatur, & ſyllogiſmum ſiue verum, ſiue captioſum & fallacem, re ipſa vſurpar, is
profectò frigido hoc Commento ſummam inconſtantiæ notam inureret Ariſtoteli,
ac ſummo dicendi architetto & Philoſopho Prothei perſonam affingeret, qui ſe in
varias exinde ac varias formas transformans ac mutans, cogeret me exclamare cum
Horatio.

Quo teneam vultus mutantem Prothea nodo?

Neque enim video cur Dialectica quà Topicis reſpõdet, verum quoque ſectari poſſit
ex Ariſtotele: multò verò minus, qui illud modò amplecti, modò contemnere & vni
166 veriſimili ſtudere, ſolear. Denique ſi quis ad extremum contendat, Ariſtotelem Dialecticæ
nomine hoc in loco Logicam, eam inquam facultatem, quę vniuerſam differendi
rationem tradit, deſignare & intelligere, quemadmodũ & iam antea feciſſe creditur,
par. 12. dum ſcriberet eſſe totius Dialecticæ agere de omni ſyllogiſmo, profectò ne id quidem
eſſet ſatis. nam preterquaquod adhuc Protheum fingeret Ariſtoteles, ſanè & nos æqui-
uocatione, quam vocant, ambiguitatéque deluderet, qui iam iam nec ſemel, Dialecticã
pro Topicis omnino vſurpauerat, & perperam paralogiſmi vſum quẽ Dialectico prohi-
buerat, Logico concederet in præſentia. Quanquam an fatẽdum ſit, Ariſtotelem hinc
paralogiſmum conceſſiſſe Logico ſeu Dialectico, & rurſus de tam ingenti Dialecticæ
illiúsque notionis varietate, proprijs diſputationibus differetur cõmodiùs. Sed & illud
obijcias Ariſtoteli, quod propoſitæ doctrinæ ac ſimilitudinis fundamentum videtur *Dubitatur*
euertere. nam dum ait, probationes, quibus vtitur Dialecticus, eſſe Inductionẽ, ac ſyllo- *rurſus.*
giſmum, id ſanè falſum eſſe affirmabis. Dialecticus enim ſiue etiam Logicus docet qui-
dem rationẽ conficiendi ſyllogiſmum & inductionem, atque hæc inſtrumẽta & quaſi
arma miniſtrat Philoſopho, vt rerum veritatem & cognitionẽ percipere poſſit atque
ad ſapientiæ arcem aſcendere, ſed ſyllogiſmo & inductione non vtitur ipſe: vel ſi quo
modo vtitur, dum ſua præcepta explicat, ideſt ei commune cum cæteris omnibus libe-
ralibus diſciplinis, quæ non poſſunt ſua interdum argumẽta ſubiectámque materiam
ſine argumentatione tractare. & idcirco Ariſtoteles paulò ante monebat tum Rheto-
ricem tũ Dialecticẽ eſſe *δυνάμεις τοῦ πορίσαι λόγους*: parandorũ argumentorum facultates.
Et ſanè illud, inter Dialecticam (quancumque tãdem eius vim ac notionem eſſe velis,
& in primis pro Logica illam vſurpes) ac Philoſophiam intereſt, quod inter Poëticam
& Poëſim, vt enim Poëtica accuratiùs loquẽti artem tantùm ſignificat & viã, qua poſ-
167 ſimus poëma rectè condere, verbi gratia Tragœdiam aut Epopeiam; Poëſis verò deſi-
gnat poëma ipſum; ita Dialecticę nomine non ipſę probationes ſignificantur ac demõ-
ſtrationes rerum, ſed præcepta quibus eiuſmodi probationes ac demõſtrationes appo-
ſi è confici poſſunt in re propoſita. Ex quo fit, vt quemadmodum ars poëtica non effi-
cit fabulam, vel imitationem, aut carmen & eiuſmodi alia, ſed præcepta tradit, quibus
illa ſiue in Tragœdia ſiue in alio poëmate poſſint pro dignitate elaborari & tractari; ita
etiam Dialectica non demonſtrat aliquid inductione aut ſyllogiſmo, ſed modum tradit
Philoſopho, quo poſſit res ſibi propoſitas ſyllogiſmo & inductione concludere. Quam
obrem dum docet Ariſtoteles in dialecticis per inductionẽ & ſyllogiſmum fidem fieri
ac demonſtrari, ſiue etiam demonſtrationis ſpeciem afferri, non magnopere conſtat
num id cum veritate conſentiat.

Quod ſi Dialectici nomine non merum Dialecticum intelligi velis, ſed illũ qui Dia-
lecticis præceptis imbutus, res deinde Philoſophicas tractat, iam dum dicit, *vt in Dialecticis fit*,
exponendum eſſet, vt in diſputationibus fit, quæ Philoſophus Dialecticis præſi-
dijs ac quaſi armis munitus peragit, quæ ſentẽtia veriſſima quidem eſſet: nam ijs quo-
que inſtrumentis verè vtitur Philoſophus: ſed propoſitæ litteræ non niſi durè atque in-
uita Minerua accommodari poteſt. ſiquidem hoc pacto Ariſtoteles Dialecticæ notio-
nem ac nomen ſumeret modò pro Dialectica quam Topicem appellat (hoc eſt enim
illi familiariſſimum) modò pro vniuerſa differendi arte, quam Logicam vocant Peri-
patetici. nam ita feciſſe viſus eſt paulò ante, dum diceret, Dialecticæ vel totius, vel par-
tis eſſe agere de omni ſyllogiſmo: modò pro Dialecticis ac Sophiſticis argumentationi-

bus ſimul, quod nos ex hoc ipſo loco demonſtrauimus, dum vſum quoque paralogiſmi ſuo Dialectico cōcedat, modò pro philoſophica tractatione, quæ Dialecticis inſtrumentis ac præſidijs peragatur. ita demum noui ſemper Prothei atque adeò noua portenta ac monſtra prodirent ex tanti Philoſophi officina, meritóque proinde de Ariſtoleo Dialectico illud Horatij decantari poſſet, 268

——— Cuius velut ægri ſomnia vanæ.
Finguntur ſpecies, vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ.

Sed iam mihi audire videor Peripateticos reſpondentes, ſuum Dialecticum non habere certam ac definitam materiam in qua verſetur, ſed infinitam at vagam, ac proprerea non eſſe remotum à cęterarum artium ac diſciplinarum tractatione; ſed vagari ac cerni vbicunque probabilibus rationibus & ad fidem faciendam idoneis, & (vt loquuntur ipſi) topicè diſputatur.

Ergo quot ego Phyſicos, Hiſtoricos, Medicos, Aſtrologos, & huiuſmodi alios artifices & ſapientes inuenero probabilibus rationibus tractantes aliquid (quod ſanè faciūt frequentiſſimè) hos ego omnes Dialecticos appellabo. Quo fieret etiā vt Moralis, quē probabilibus contentum eſſe iubet Ariſtoteles, eſſet germanus Dialecticus. Vt omittam non poſſe non ſubdurum videri quin abſurdum, vt cum is qui probabiliter diſputandi inſtrumenta parat, Dialecticus eſſet ab Ariſtotele appellatus, nunc is etiā qui propoſitis inſtrumentis vtitur & in tanta doctrinarum varietate vtitur, Dialecticus itē cēſeatur. Profectò nec qui freno vtitur eques frenefactor (ſic enim) χαλινοποιητικὸν appellabo in præſens, nec qui ſecurim tractat æris faber, nec denique (vt conſimillimo ſimili vtamur) quo ſyllogiſmo vtitur Philoſophus aut Medicus, Logicus cenſeri ſolet. Sed quoniam res hæc vniuerſa propriam ſibi vindicabit diſputationem, tantiſper eam prętermittamus hoc loco, & eádem planè de cauſa non ero hîc lōgior in eo decreto repetendo & examinando, quod tum ſæpè alibi, tum hîc rurſus inculcatū cernimus ab Ariſtotele, Rhetorē nimirum ſiue mauis Oratorem falſo enthymemate vti poſſe, quēadmodum Dialectico (quamquam de Dialectico id negauit alibi) falſum ſyllogiſmum 269
vſurpare licet. hæc enim doctrina eſt eiuſdē generis cum ijs, quibus ſupra non ſemel in vniuerſùm falſas argumentationes conceſſit Oratori, dummodo ſpeciem habeant veritatis, de qua re tota opportuniùs item in Diſputationibus. Nunc potiùs vt hîc tandem finem dubitandi faciam, arduam quamdam atque inauditā, vt opinor, quæ hîc rurſus oritur, dubitationem proponam, cuius expediendi via erit poſtea diligenter requirēda. Nam dum Ariſtoteles in vniuerſum duo tantum inſtrumenta tribuit Oratori, exemplum nimirum, & enthymema, totidémque Dialectico, Inductionem ſcilicet & ſyllogiſmum, facilè dubitari poſſit, quæ tandem lex aut ratio prohibeat, quò minùs Orator poſſit integro ſyllogiſmo, aut inductione aliquid concludere, aut Dialecticus contra ſiue Philoſophus enthymema & exemplum vſurpare, cum præſertim facile accidere poſſit, vt aliquid explicatiùs interdum docere poſſit Orator: quā exemplo: contra vero Dialecticus commodius rem aliquam exemplo & enthymemate trāſigere poſſit, quā inductione & ſyllogiſmo: nā ſi id tandem negent Peripatetici, hos ego monebo, vt Ariſtotelis libros diligēter euoluant. cōperient enim eos cū propoſitis omnibus argumētationis generibus eſſe variatos, tum præſertim enthymematibus plenos eſſe, cū tamē enthymema hoc in loco Oratori tantùm concedat. Imò verò ſi quis attentiùs æſtimet, intelliget vix vnquam rationem à philoſopho tripartita perrarò etiā ab Oratore bipartita, varietate illa explicari; ſed modò vix argumenti initium & fundamētum indicari, in quo lateat ratiocinatio, modò aliqua ex parte explicari ac dilatari,) prout populariter etiam & quotidiano ſermone facimus. quin etiam, vt Philoſophi agūt preſſiùs, iuſtiùs dixeris, Philoſophum decurtata ratione vti (ſi quod tamen inter hos notari diſcrimen poſſit) quàm Oratorē. Ita vt mirum ſit Philoſopho ſyllogiſmū, Oratori enthymema, præſcribi. Hæc poſtrema dubitatio; quæ quoniam longiori eget diſputatione, explicabitur à nobis alibi; quamuis enim huius maximè loci ſit propria, attamē ne hic locus. 270
quàm par eſt diutiùs nos retardet, ad alia feſtinādum eſt. vos interim rem per vos ipſos tantiſper expendite. Quòd ſi quis poſtulet vt hîc ſaltem doceam num planè ſit concedendum, Dialecticæ nomine Logicam nonnunquam ab Ariſtotele deſignari (id enim iandiu & agitare cœpimus, & in hunc locum quaſi omnium opportuniſſimum reiecimus)

Reijcitur dubitatio ī alium locū.
In quē reijcitur etiam quod attinet ad Oratorem.
Dubitatur adhuc.

cimus) ſanè peruelim vt mihi hanc quoque rem vniuerſam, quoniam longioris eſt diſputationis, liceat propria diſputatione ſeorſim expendere. etſi enim iam loca ferè omnia, quæ hanc nobis dubitationem afferunt, percurrimus, & inter hos pręſens accommodatus vel maximè videri poteſt ad efficiendum Dialecticam pro Logica fuiſſe aliquando vſurpatam (Dialecticam enim appellat, quæ & verum & apparentem quem vocant & captioſum continet ſyllogiſmum, quod totius logicæ videtur eſſe,) ne tamē inſtitutam Ariſtotelis præceptionē retardemus prolixa quàm ea de re inſtituere opus eſt Diſputatione, lubet ad proprium hanc locum reijcere.

PARTICVLA XXXVI.

Ὥστ' εἴπερ καὶ ὅλως ἀνάγκη συλλογιζόμενον, ἢ ἐπάγοντα δεικνύναι ὁτιοῦν, ἢ ὁντινοῦν (δῆλον δ' ἡμῖν τοῦτο ἐκ τῶν ἀναλυτικῶν) ἀναγκαῖον ἑκάτερον αὐτῶν ἑκατέρῳ τούτων τὸ αὐτὸ εἶναι.

Riccobonus. QVare ſi etiam omnino neceſſe eſt, ſyllogiſmo aut inductione vtentem demonſtrare quodcunque, aut quemcunque (manifeſtum autem eſt nobis id ex Analyticis) neceſſario vtrunque ipſorum cum vtroque horum idem eſt.

Maioragius. *QVare ſi omnino neceſſe eſt eum, qui probare aliquid velit, aut ſyllogiſmo aut inductione vti, quod ex ijs, quæ ſunt a nobis, in libris Analyticis explicata, perſpicuum eſt, neceſſitas cogit, vt vtriuſque illorum natura vtrique eorum par atque eadem ſit.*

Comm. xxxvi. 271 DOcuerat ſupra noſter author exemplum reſpondere inductioni, enthymema ſyllogiſmo: imò verò appellauerat exemplum oratoriam inductionem, enthymema verò Oratorium ſyllogiſmum. Iam itaque id ipſum confirmat hac ratione. nam cum in Analyticis, inquit, demonſtratum ſit eum qui aliquid probare argumentis velit ac docere, niſi ſyllogiſmo aut inductione vti non poſſe, neceſſe eſt profectò vt exemplum & enthymema, quibus docet Orator, idem ſint cum inductione & ſyllogiſmo. Hæc eſt huius loci vis; In quo tria ſunt obſeruanda, quorum primum pertinet ad exemplū & enthymema: nam haud ita exiſtimandum eſt exemplum & enthymema idem eſſe cum inductione & ſyllogiſmo, quin his perfectione non concedat plurimùm. hoc enim declarabit Ariſtoteles paulò poſt: & idcirco non omnino dixit Enthymema eſſe ſyllogiſmum, ſed rhetoricum ſyllogiſmum, quia apud Rhetorem certa quadam ratione illam vim habet enthymema, quam ſyllogiſmus apud Dialecticum. Idem colligere licet de exemplo & inductione, cum hæc perfectior ſit quàm illud. Alterū pertinet ad ea verba, Neceſſe eſt ſyllogiſmo aut inductione ὁτιοῦν ἢ ὁντινοῦν δεικνύναι, id eſt *quodcunque vel quemcunque demonſtrari*. nam cum omnis quæſtio, vt monet Victorius hoc in loco, ſemper ſit aut de re aut de perſona, ac proinde quicquid argumētis oſtendit Orator, id vel de re, vel de perſona demonſtret, propter rem dicit Ariſtoteles ὁτιοῦν, *quodcunque*, propter perſonam ὁντινοῦν, *quemcunque*: quaſi diceret, ſiue aliquid de re ſiue de perſona demonſtretur, id ſyllogiſmo vel inductione concludendum eſt. Quanquā Victorio illud obijciat quiſpiam: nam dum ipſe ex altera parte affirmat quæſtionem eſſe vel de perſona, vel de facto ſiue re, id verò ad Oratorem potiùs pertinet, quàm ad Phyloſophum vel Dialecticum. At Ariſtoteles ex altera parte dum dicit Syllogiſmo aut inductione demonſtrari quodcunque, vel quemcunque, hoc propter Dialecticos ſiue Philoſophos videtur affirmare. nam ait ἀνάγκη συλλογιζόμενον ἢ ἐπάγοντα δεικνύναι
272 ὁτιοῦν ἢ ὁντινοῦν, hoc eſt, *neceſſe eſt ſyllogizantem* (vtendum eſt enim vt loci vim ſignificantiùs explicemus) *vel inducentem demonſtrare quodcunque uel quemcunque*. Conſtat namque ſyllogiſmo vel inductione ex Ariſtotele vti Dialecticum, ſiue Phyloſophum, nō Oratorem; vt propterea illud *quodcunque* vel *quemcunque* non propter rem & perſonam proferatur.

Sed

Sed tamen Victorium defendere non incommodè poterimus, ſi dicamus illud *συλλογιζόμενον ἢ ἐπάγοντα, ſyllogizantem uel inducentem*, paulò latiùs accipi, quatenus nimirum comprehendit omne genus inductionis & ſyllogiſmi ſiue perfecti (id quod in inductione & ſyllogiſmo Dialectico cernitur) ſiue imperfecti, vt in oratorio contingit. & idcirco etiam dum dicit Ariſtoteles. *Quare ſi omnino neceſſe eſt ut ſyllogiſmo aut inductione quodcunque uel quemcunque demonſtremus*; illud *omnino*, quod græcè eſt *ὅλως*, ſi non multò rectiùs, explicatiùs certè ac lucidiùs verteretur *in uniuerſùm*, vt ſit ſententia, *Quare ſi in uniuerſùm neceſſe eſt, ut is qui aliquid de re, aut de perſona docet, inductione utatur & ſyllogiſmo* (ſiue perfecta ſiue imperfecta hæc ſint) *utrunque eorum cum vtroque horum idem eſſe neceſſe eſt*.

Quod ſi vrgeas Ariſtotelem per ea verba *ἑκάτερον αὐτῶν, utrunque eorum*, intelligere ſyllogiſmum & inductionem, quæ ſunt Dialectici propria (nam confert ac comparat hæc cum exemplo & enthymemate, atque ait eſſe idem cum vtroque eorum) & idcirco cum illud *eorum*, referatur ad ſyllogiſmum & inductionem, hæc omnino eſſe ſumenda preſsè & in propria ſignificatione; ac proinde non rectè defendi Victorij explicationem; reſpondeo, vbi Sigonius vertit, *neceſſe eſt ut ſyllogiſmo aut inductione demonſtretur*, & Maioragius, ac Riccobonus, ſyllogiſmo aut inductione vti, Græcè vt dicebã habetur *συλλογιζόμενον ἢ ἐπάγοντα, ſyllogizantem uel inducentem*. Quare, niſi ridiculum facere velis Ariſtotelem, qui dicat ſyllogizantem & inducentem eſſe idem cum enthy- 273
memate & exemplo, illud *ἑκάτερον αὐτῶν, utrunque eorum* nullo modo refertur ad ea verba ſyllogizantem & inducentem, ſed vel ad ſyllogiſmum & inductionem, quorum iam antea in propria ſignificatione mentionem fecerat, vel certè ad vtrunque horum ſine diſcrimine vllo. Atque ita germana loci vis erit, *utrunque eorum*, idem erit cũ vtroque; tam ſcilicet ſyllogiſmus & inductio cum enthymemate & exemplo quàm enthymema & exemplum cum ſyllogiſmo & inductione. Alioquin vel illud *αὐτῶν* erit expungendum, quod Muretus facit (& hac de cauſa fortaſſe ea vox a Maioragio quoque negligitur ſiue omittitur) vel Dialectico etiam ſiue Philoſopho erit concedendum, vt de perſona etiam aliquid doceat. Tametſi, vt verè fatear, quantum *δείκνυσθαι ὁτιοῦν, demonſtrari quodcunque*, appoſitè dicitur, tantum *δείκνυσθαι ὁντινοῦν demonſtrari quemcunque* durè dictum videri poteſt. Tertium ac poſtremum quod eſt hoc in loco animaduertendum, pertinet ad hæc ipſa verba *neceſſe eſt ut quidquid demonſtratur, ſyllogiſmo aut inductione demonſtretur*: nam ſtatim quæri poſſet, cur tandem nullo alio argumentationis genere poſſit aliquid concludi. Sed hæc res, vt difficillimum habet explicatũ, ita ſubtilioris eſt contemplationis, quàm inſtitutæ. quamobrem ſiue id cõtingat, quia probationes aliæ ſumuntur ex ijs quæ ſub ſenſum cadunt, aliæ ex ijs quæ intelligentia percipiuntur, ſiue quod modò experientia, modò artis præſidijs vtamur in probando; ſiue quòd per res effectas interdum, modò per cauſas demonſtremus, ſiue quòd aliquando ex rebus indiuiduis & ſingularibus, aliquando ex generalibus ducantur argumenta, ſiue denique aliqua ſolidior ratio ſit conquirenda, ſatis conſtare videtur inter diſſerendi magiſtros ex his duobus quaſi fontibus omnes argumentationis formas 274
proficiſci, imo ad vnum ſyllogiſmum reuocari omnes, vt propterea ſyllogiſmus non immerito ratiocinationis nomen inuenerit apud latinos, cum ab ipſo omnes rationis viæ & argumentationes deriuentur.

III. (margin, beside "cunque durè dictum")

PARTICVLA XXXVII.

Τίς δ᾽ ἐστὶ διαφορὰ παραδείγματος καὶ ἐνθυμήματος, φανερὸν ἐκ τῶν τοπικῶν. ἐκεῖ γὰρ περὶ συλλογισμοῦ καὶ ἐπαγωγῆς εἴρηται πρότερον. ὅτι τὸ μὲν τὸ ἐπὶ τῶν πολλῶν καὶ ὁμοίων ἐπιδείκνυσθαι, ὅτι οὕτως ἔχει, ἐκεῖ μὲν ἐπαγωγή ἐστιν, ἐνταῦθα δὲ παράδειγμα.

Qvæ verò ſit differentia exempli, & enthymematis apparet ex Topicis. Ibi enim de ſyllogiſmo, & inductione dictum eſt prius. Nempe cum in multis & ſimilibus demonſtratur, rem ita ſe habere, ibi quidem inductionem eſſe, hic verò exemplum. *Riccobonus.*

Maioragius.

QVa autem differentia ſit exempli & enthymematis facilè ex Topicis intelligi poteſt. ibi enim de ſyllogiſmo & inductione iam antea dictum eſt. nam cum ex pluribus & ſimilibus, ita vt volumus, rem ſe habere oſtendimus. ibi quidem inductio eſt, vt in hac arte exemplum.

Commen. XXXVII. Enthymematis diſcrimina indicat & exẽpli.

CVm Oratores & Dialectici inſtrumenta protulerit noſter author atque eádem inter ſe comparauerit nunc viciſſim confert ipſa Oratoris inſtrumenta, enthymemata nimirum cum exemplo; idque ex ijs quæ in hanc fermè ſentẽtiam præceperat in Topicis inquit, explicauerim quænam inter inductionem & ſyllogiſmum intercedat differentia, qui nouerit quà differat exemplum ab enthymemate: cũ exemplum reſpondeat inductioni, enthymema ſyllogiſmo. Et quoniam ij qui Dialecticis præceptis minimè exculti ſunt, vrgere potuiſſent, vt ipſe rem totam ex Topicis libris breuiter ſaltẽ
275 repeteret, id circo vt ijs ſatisfaciat, docet ſtatim cum in multis & ſimilibus ita ſe habere oſtenditur, ibi quidem (id eſt in Dialecticis) inductionem eſſe hîc (in Rhetoricis nimirum) eſſe exemplum. quibus verbis ſtatuit duo requiri ad conficiendam inductionem. alterum eſt, vt non ex vna aut altera tantum re, ſed ex multis colligatur id quod demonſtratur: alterum eſt, vt hæc non ſint inter ſe diſparia ac diſſimilia ſed ſimilia. Hæc de inductione & exemplo: nam de ſyllogiſmo & enthymemate in particula ſequenti. Quanquam obijcies videri Ariſtotelem ſtatim ad huius particulæ initium velle nobis in memoriam reuocare exempli & enthymematis differentiam; & tamen ſubijcere ſtatim conuenientiam hinc inductionis & exempli, illinc (id quod faciet in ſequenti particula) ſyllogiſmi & enthymematis: ita vt de propoſita differentia altum ſilentium. Veruntamen quemadmodum ipſe ex inductionis natura, naturam enthymematis; ita nobis ex ijſdem exempli & enthymematis differentiã, quam poteſtate complexus eſt, re ipſa agnoſcendam relinquit: qui enim hinc exempli, illinc enthymematis vim & naturam perceperit, quæ ſingulæ ſingulis diſtinctis differentijs conſtituuntur, is eorum quoque differentiam colligere poterit & obſeruare. Vt propterea qui primo aſpectu præpoſterè omnino diſputare ac rem peragere viſus eſt Ariſtoteles, is acutiùs æſtimanti (id quod clariùs adhuc demonſtrabitur in hac particula extrema) acutè & appoſitè diſputet.

Dubitatur

Reſpondetur.

CONTROVERSIA XXVI. Rectè ne Inductionis et exẽpli vim explicarit.

Verùm enim verò multa ſunt dicat quiſpiã quæ ab Ariſtotele interim prætermit-
276 tuntur dum inductionis exemplíque vim nobis declarare molitur. Agedum igitur, rectè ne Inductionis, & Exẽpli vim explicarit diſſeramus, dubitationes ex ordine proponentes, ac ſi fieri poſſit diluentes. Ac primum illud ſine dubio fuerat explicandum, Num neceſſe ſit, vt ſimilia iſta ex quibus aliquid colligitur ſint notiora quàm id quod colligitur nec ne: neque enim id omittendum videbatur, huius rationis vim perfectè explanare cupienti. Sed reſpondet Ariſtoteles huic quæſtioni libro octauo Topicorũ, vbi perſpicuè docet, eum qui inductione aliquid concludit proficiſci debere in hac argumentatione a notioribus: qui cum mirificè conſenſit hac in parte M. Tullius in primo de Inuentione, vbi ait inductione ex rebus non dubijs captari aſſenſionem auditorum. cuius rei cauſa ex libro primo de naturali auditione peti poteſt, quia natura ipſa inſtitutum eſt, vt in rebus cognoſcendis ſcientiáque paranda a notioribus progrediamur: de qua re infra rurſus in hoc capite mentionem faciet Ariſtoteles. Vt minimè mirum videri debeat hîc reticeri: præſertim verò quia de inductione in exempli gratiam differit hoc in loco, non data opera. Alterum eſt an velit in inductione ex multis iiſque ſimilibus & notioribus colligi aliquid in vniuersùm, vel rem aliquam ſingularem, vel etiam vtroque modo fieri poſſe. exempla illuſtrabunt quod quærimus. nam ſi quis dicat Ciceroni ad Vrbem ex exilio redeunti proceſſiſſe obuiam tum Senatores, tum Equites, tum plebem: & colligat, Omnis itaque populus proceſſit obuiam M. Tullio: is ex rebus ſingulis colliget aliquid in vniuersùm. nam populus tum plebem, tum equites, tum Senatores continet. Si verò quis dicat, prudentia perficit animum, temperantia item & fortitudo; & concludat; itaque iuſtitia etiã perficit animum; is ex ſingularibus multis colliget aliquid ſingulare tantùm. quærimus
277 itaque an inductio priore an poſteriore an etiã vtroque modo confici debeat. M. Tullius

Dubitatur I.

Reſpondetur.

Dubitatur II.

Declaratur in quo poſita ſit dubitatio.

Variæ proferũtur ſententiæ.

lius in Topicis ſecundam formulam vel vnam vel maximè videtur agnoſcere. nam
ſic ſcribit, *Sunt enim ſimulitudines, quæ ex pluribus collationibus perueniunt quò volunt: hoc
modo: ſi tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiã
procurator*. vbi ex ſingularibus multis colligit ſingulare. nam ſi quis dicat hac argu-
mentationis ratione potiùs argumentum a ſimili, quàm inductionem exprimere vo-
luiſſe Ciceronem, ab ipſomet coarguetur, qui ſtatim de hac argumentationis formu-
la ſubdit *Hæc ex pluribus perueniens quò vult, appellatur inductio, qua plurimùm vſus eſt So-
crates*. Et quoniam in eo libro M. Tullius profitetur ſe Ariſtotelis Topicem proſequi
potiùs, & explicare, quàm aliquid ex propria officina proferre; idcirco facilè affirmes,
inductionem ex Ariſtotelis ſententia niſi poſteriore modo confici non debere; ex re-
bus ſingulis, inquam, colligendo rem ſingulam & indiuiduam. Verùm ex altera parte
in illis ipſis libris reclamat Alexander Aphrodiſeus Peripateticus ſanè grauiſſimus
(quanquam ſi me audias, commentarij illi non ſunt Aphrodiſei: nam libro quinto ad
initium non ſolùm immortalis animi & Angelorum mentionem facit, verùm etiam
quinque Porphyrij vocum, cum tamen Porphyrium anteceſſerit Aphrodiſeus multis
annis) qui in octauo ſcribit, falsò ſentire illos qui exiſtimant Inductionem a ſimili ad
ſimile in ſingularibus progredi: *neque enim*, inquit, *quòd dicitur in vniuerſum ſimile eſt re-
bus indiuiduis, quæ ipſi generi ſubiacent; & in parte ſunt præcipuè autem inductio, cum aliquid
in vniuerſùm verum eſſe oſtenditur*. Sic Alexander: cuius ſententiam videntur amplecti
*Res expli-
catur.* Daniel Barbarus & Victorius hoc in loco & plerique alij ſequuntur in Topicis. Et ſa- 278
nè non eſt quod dubitemus de Ariſtotelis ſententia. tametſi enim hunc nodum non
ſatis explicat hoc in loco, verè tamen in Topicis ſtatuit in inductione ex rebus ſingulis
ad vniuerſas progreſſiones fieri. quam rem exemplo etiam illuſtrat, in quo a rebus
ſingulis ad genus progreditur vniuerſum. quin ſecũdo Rhetoricorum poſterius hoc
inductionis genus non ἐπαγωγὴν ſed παραγωγὴν appellari iubet, & ad exemplum refert;
vt propterea nõnulli Socraticam inductionem appellent poſteriorem iſtam, priorem
verò Ariſtotelicam. Qua propter non ſatis video quàm rectè animaduerterit aut ex-
plicarit Socraticæ & Ariſtotelicæ inductionis diſcrimen Maioragius, qui verbis ex Ci-
cerone a nobis iam antea recitatis propoſitum Ariſtotelis locum optimè expreſſum
fuiſſe contendit (propoſitus namque ſoluendus erat nodus, qui eſt in promptu) mul-
táque etiam eiuſdem Ciceronis affert exempla ad Ariſtotelis ſententiam illuſtrandã,
cum tamen exempla illa res ſingulas concludant, in vniuerſum nihil. nam dum hoc
ipſo in loco ſcribit nõ eſſe cur in inductione niſi ſimilia quædam recenſeantur, ac tria
præterea affert inductionis genera, id verò repugnat ijs, quæ Ariſtoteles de inductio-
ne præcipit tum in Topicis, loco paulò ante citato; tum ſecundo Topicorum, vbi So-
craticam argumentationem, in qua multa ſingulariter recenſentur, reuocat ad exem-
Dubitatur plum. At enim ſi ita eſt, cur Ariſtoteles hoc in loco non docet in Inductione ex mul-
tis iiſque ſimilibus concludi ac demonſtrari ὅτι οὕτως ἔχει, *rem ita habere*. Nam quod
continenter ſubdit, ex ijs *ibi*, in Dialecticorum ſcilicet Schola, exiſtere inductionem:
hic, in Rhetorum ſcilicet ſpatijs, exiſtere exemplum; nihil habet vnde ſigillatim intel-
*Reſponde-
tur.* ligamus inductionẽ colligere aliquid in vniuerſùm. Sed fortaſſe rem ita peregit Ari-
ſtoteles, quòd non erat hic locus pluribus diſputandi de inductione, cuius mentionẽ 279
in gratiam exempli tantum modò vſurpauerat. Neque enim Oratoris eſt inductione
vti, ſi Ariſtotelem audias. fortè etiam inductionis vi & natura nobis aliqua ex parte in-
dicata, reliqua reticuit vt ad proprium locum veluti ad fontem ipſi confugeremus.
Et ſanè tum in priore libro Priorum Analyticorum capite XXIX. tum libro I. Topi-
corum capite X. quoniam Logicum inſtituebat ac Dialecticum, quorum eſt collige-
re aliquid vniuerſim, ac propterea inductione vti, iubebat, vt ex multis & ſimilibus ad
*Dubitatur
rurſus.* generalia aſcenderet. Quod ſi vrgeas: Debuit igitur id longiùs ac ſigillatim oſtendere
quod intereſt Rhetoris: ac de Rhetorica inductione hoc eſt de exemplo, cuius eſt col-
*Reſponde-
tur.* ligere aliquid ſingulare. Rectè. Sed tamen idcirco id reticet in præſentia, quoniã non
multò poſt id reſumet de exemplo; docebitque cum alia, de quibus ſuo loco, tum ſin-
gulare aliquid colligere. Ex quibus omnibus (vt ne id prætermittam hoc in loco) ani-
maduertere licet; de Inductione M. Tullium & Platonem verbis diſſidere quidem ab
Ariſtotele, re propemodum conuenire. Si quidem eam argumentationem Platonici
& M. Tullius inductionem appellant, in qua ex multis & ſimilibus colligitur aliquid
ſingulare:

ſingulare: & hoc argumenti genus tribuunt Oratori. Ariſtoteles verò idem argumenti genus, in quo ex multis & ſimilibus colligitur aliquid ſingulare, ipſe etiã Oratori tribuit: tametſi non inductionem ſed exemplum appellari iubet: ita vt diſcrimen in verbis ſit primum. Tametſi reuera Ariſtotelica inductio, quoniam in hac vniuerſim concludi iubet, cum Socratica & Tulliana conſentire nullo modo poteſt.

280 Tertium & poſtremũ quod hoc in loco prætermiſſum videri poſſet, illud ſit. nam eſto in inductione ex multis, ex ſimilibus, ex notioribus denique ſit ratiocinandum: ídque colligendo aliquid vel ſingulariter vt in Rhetorum ſpatijs, vel in vniuerſùm, vt apud Dialecticos. At multa iſta quæ recenſenda ſunt, debent ne eſſe omnia quęcũque ſub eo genere ſimilia continentur, vel ſatis erit quam plurima recenſere? nam ſi priorem partem ſequaris, profectò vel infinitum opus molieris, quod abſolues vnquam, vel in argumẽtum incidas, quod ab enumeratione partium dici ſolet: ſi poſteriorem, iam indiuidua re aliqua & ſingulari prætermiſſa nihil in vniuersùm colligere poteris. Ego tamen ſic reſponderem: omnia numeranda eſſe in Dialectica inductione, ſed cõprehenſim vbi diſtinctè percenſueris aliqua: nam vbi eiuſdem formæ ac rationis res enumerandæ ſint, ſatis eſt pauca quædam explicatiùs proferre. Neque verò inductio recidet in argumentum, quod a partium enumeratione appellatur: nam in hoc non requiritur partium ſimilitudo, quæ tamen requiritur in inductione, præſertim formę, vt in propoſitis argumentis animaduertere licet. Quare in argumento a partiũ enumeratione ſatis erit ſi partes enumeraueris alioquin diſſimiles. Sed & illud, vt hoc quoque addam, meritò quæri poſſet; cuiuſmodi tandem eſſe debeant ea, quæ ſunt recenſenda, num partes eius, quod colligitur; vt ſunt plebs, equites, & Senatus: vel animus & corpus hominis: an verò certæ alicuius rei formæ, vt homo, leo, ac reliqua huiuſmodi animantium genera; formæ ſunt ac ſpecies animalis: an denique nihil referat ſiue partes ſiue formæ, ſiue etiam attributiones & additamenta ſint eius, quod in vniuerſum concludi debet. *Dubitatur III.* *Reſpondetur.* *Dubitatur poſtremo loco.*

281 Nam ſi priorem viam ineas, iam reſpondendum erit nonnullis qui pugnant Ariſtotelicam inductionem idem planè eſſe cum argumento ab enumeratione partium: atque hoc pacto Ariſtotelica inductio modò eſſet genus quoddam argumentationis, ſicut eſt ſyllogiſmus, modò eſſet locus Topicus. Si alterum dicas, verendum eſt ne tam ingenti exemplorum collectione, ac tãa formarum, partiúmque enumeratione & longior & modeſtior, adde etiam difficilior, quæ abſolui poſſit, euadat Oratio. Sed ex dictis ſatis conſtare poteſt quid poſtremo huic ſit argumento reſpondendum. Requiritur enim tanta ſimilitudo inter partes, quanta efficit, vt tanquam conſimiles formæ haberi poſſint. Denique quò maior erit ſimilitudo (maior verò erit ſi ſolo numero potiùs quam ſpecie differant) eò erit illuſtrior ac ſolidior argumentatio ſiue Inductio. *Reſpondetur.*

Iam verò his explicatis & conſtitutis, illud inueſtigandum eſſet atque adeò noua Controuerſia diſceptandum, quod huic loco longè accommodatum videri poteſt. Num ſcilicet quoniam non ſolis verbis ſed re ipſa diſſentit Ariſtoteles a Platone in Inductionis vi & natura, Ariſtotelicum Inductionis genus probare magis atque amplecti debeamus, an Socraticum. etſi enim interim non inficior Socraticam Inductionẽ ab Ariſtoteleo exemplo (id quod iam antea demonſtratũ eſt) verbis diſcrepare quidem, re non differre, veruntamen quid de Ariſtotelea Inductione, quæ quoniam vniuerſim colligit, cum Socratica nequit coaleſcere? Quæ res eò iuſtiùs requiritur, quòd præſtet Oratorem Ciceronis quoque præcepta colere, qui tamen hac in re Platonicus eſt vel maximè. Et quidem Cicero (vt ab illo exordiar) in priore libro de Inuentione, vbi non tanquam Ariſtoteles (quemadmodum fermè in Topicis) ſed veluti diſputator atque magiſter explicatè ſatis & copioſè diſſerit de vi & ratione argumentandi, *CONTROVERSIA XXVII. Nũ Socratica inductio an Ariſtotelea magis probanda ſit.*

282 accuratiſſimè tractauit hunc inductionis locum: nam cũ docuiſſet Ariſtoteles quicquid demonſtratur aut inductione aut ſyllogiſmo demonſtrari (id autem fecit libro ſecundo Priorum capite XXIX.) ecce tibi M. Tullius, qui Ariſtotelis ſententiam omnino amplexus, *Omnis*, inquit, *tractatio aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem*. Cúmque deinde Ariſtoteles docuiſſet, tum in multis, tum in ſimilibus oſtendendum eſſe id quod quærimus; En Cicero, qui *Videndum eſt*, inquit, *vt illud cuius confirmandi cauſa fiat inductio, ſimile ſit iis rebus, quas res quaſi non dubias ante induxerimus: nam ante aliquid nobis conceſſum eſſe nihil proderit, ſi ei diſſimile erit id, cuius cauſa illud concedi primũ volue-*

voluerimus. Et quoniam alibi (id quod oſtendimus ſupra) declarauerat Ariſtoteles ea
quibus aliquid concludimus, notiora eſſe debere; Ecce rurſus M. Tullius, qui in Ari-
ſtotelis veſtigijs inſiſtens, *hoc in genere*, inquit, *præcipiendum eſſe videtur, vt illud quod indu-*
cemus per ſimilitudinem eiuſmodi ſit, vt ſit neceſſe concedi. & ideo etiam ibidem monebat
inductionem fieri ex rebus non dubijs idque vt dubia res aliqua probaretur. Sed dum
tam mira conſenſione explicarent vim inductionis, vt eâdem inchoato operi ac propè
abſoluto faſtigium iam iam impoſituri viderentur; ecce tibi repente diſſenſione ve-
luti tempeſtate exorta, in varias partes diſceſſerunt: nam cum ad eam partem veniſ-
ſent, in qua ſtatuendum erat, generaliſne eſſe deberet complexio, an rem aliquam in-
diuiduam continere, Socraticam vnam agnouit M. Tullius, eandémque mirificè illu-
ſtrauit. nam cum eiuſdem inductionis attuliſſet definitionem dicens, *Inductio eſt ora-*
tio quæ rebus non dubijs captat aſſenſionem eius, qui cum inſtituta eſt: quibus aſſenſionibus facit,
vt illi dubia quædam res propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſentit, probetur, ſtatim in-
tulit, *veluti apud Socraticum Æſchinem demonſtrat* Socrates *cum Xenophontis uxore, & cum* 283
ipſo Xenophonte Aſpaſiam locutam. Dic mihi quæſo Xenophontis vxor, ſi vicina tua melius ha-
beat aurum, quàm tu habes, vtrum illius an tuum malis? Illius inquit. Quod ſi veſtem & cæte-
rum ornatum muliebrem pretij maioris habeat quàm tu habes, tuum ne an illius malis? illius ve-
rò, reſpondit. Age, inquit, ſi virum illa meliorem habeat, quàm tu habes, vtrum ne tuum an illius
mali? Hic mulier erubuit. Aſpaſia autem cum ipſo Xenophonte ſermonem inſtituit. Quæſo inquit
Xenophon, ſi vicinus tuus meliorem equum habeat quàm tuus eſt, tuum ne equum mauis, an illius?
illius inquit. Quod ſi fundum meliorem habeat quàm tu habes, vtrum tandem fundum habere
malis? illum inquit, meliorem ſcilicet. Quod ſi vxorem meliorem habeat, quàm tu habes, vtrum
illius malis? Atque hîc Xenophon quoque ipſe tacuit. Poſt Aſpaſia: quoniam vterque veſtrum,
inquit, id mihi ſolùm non reſpondit, quod ego ſolum audire uolueram, egomet dicam, quid vterque
cogitet. Nam & tu mulier optimum virum malis habere, & tu Xenophon vxorem habere lectiſ-
ſimam maximè vis. Quare niſi hoc perfeceritis, ut neque uir melior, neque fœmina lectior in terris
ſit, profectò id ſemper, quod optimum putabitis eſſe, multò maximè requiretis, ut & tu maritus ſis
quam optimæ mulieris, & hæc quam optimo uiro nupta ſit. Hîc cum rebus non dubijs eſſet aſſen-
ſum, factum eſt propter ſimilitudinem, ut etiam illud, quod dubium uidebatur, ſi quis ſeparatum
quæreret, id pro certo propter rationem rogandi, concederetur. Hoc modo ſermonis plurimùm So-
crates uſus eſt, propterea quod nihil ipſe afferre ad perſuadendum uolebat, Sed ex eo, quod ſibi ille
dederat qui cum diſputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod iam conceſſiſſet, neceſſa-
riò approbare deberet. Hæc Cicero. Quæ cum ita ſint, ego ſanè Socraticum hoc indu- 284
ctionis genus, quod Platoni, M. Tullio ac ſummis Oratoribus & Phyloſophis tan-
topere probatum video, nunquam improbare auderem, ſed veluti germanum atque
optimum ſemper amplecterer. Nam, vt omittam ab Ariſtotele, etſi exempli nomine,
tribui Oratori (id nos ſatis ſupérque docuimus multò antea) an rurſus in ſecundo li-
bro Rhetoricorum ſcriptum reliquiſſe Socraticam inductionem ad exemplum per-
tinere; profectò idem Ariſtoteles, vt veritas inuitis ſæpè excidit, tandem in ſua diuina
Philoſophia Socraticam inductionem inductionis nomine agnouit, eámque Soerati
acceptam retulit. Tametſi ego quidem Ariſtotelicam quoque libenter interdum
probarim: ac ſi non in Rhetorum ſpatijs (quamquam de hoc aliàs) in Philo-
ſophorum certè curriculis vſurparim: ita vt pro opportunitate vtrique locns ſit con-
cedendus. Illud tamen non eſt reticendum, Ariſtotelem in libro ſecundo exem-
plum in verum ac fictum, fictumque in parabolam & logon, partiri, & exemplis illu-
ſtrare: ex quibus intelligitur logon vnico exemplo contineri, parabolam non vno cõ-
tentam eſſe, verum exemplum ex pluribus, ac minimum ex duobus rem propoſitam
colligere; ita vt hinc appareat imperfectam eſſe Inductionem: præſertim verò qnia
nihil fortaſſe repugnat ex vno quoque vnum inferri: & ſi in minus imperfecta orato-
ria Inductione ex pluribus fit paſſim. Nam quæ ab vno ad vnum fit, videtur imperfe-
ctiſſima. Itaque de perfectiore, ac vera & non ficta illa acceperim quæ de exemplo do-
Reditur ad inductionis exẽplique cõparationem ex Ariſtotele. cet hoc tempore. Tu ea conſulas quæ ſcribimus in caput vigeſimum libri ſecundi, vbi
rurſus Ariſtoteles de Exemplo. Interim ex ijs omnibus (vt quò potiſſimùm ſpectat
locus hîc vniuerſus, noſtra reuertatur oratio) quæ hîc docet Ariſtoteles, animaduer-
tere licet, quæ ſit inter inductionem & exemplum ſiue ſimilitudo ſiue diſcrimen:
nam in inductione multa éaque ſimilia & notiora afferuntur, quibus aliquid in vni-
uerſum

uerſùm colligitur,in exemplo ex paucioribus indiuidua res aliqua concluditur & ſingularis. Atque ex his etiam conſtare poteſt, nihil minùs effici hoc in loco, quàm quod Franciſcus Patritius exiſtimauit, dum huiuſmodi locum perpenderet: hic etenim in ſuis Peripateticis diſcuſſionibus cum oſtendere inſtituiſſet vulgatos Topicorũ libros non eſſe Ariſtotelis, hoc præcipuo argumento vtebatur, quòd cum hoc ipſo in loco dicat noſter author ſe in Topicis explicaſſe quę ſit differentia exempli & enthymematis, id nuſquam factum reperitur in Topicis quos habemus. Sed errat Patritius: nam non contendit Ariſtoteles ſe in Topicis explicaſſe quæ ſit differentia enthymematis & exempli, ſed docet ſe de differentia ſyllogiſmi & inductionis egiſſe, ac proinde quoniam enthymema eſt ſyllogiſmo perſimile, exemplum verò conuenit cum inductione, monet ex ijs quæ in Topicis tradidit comparando ſyllogiſmum & inductionem, poſſe etiam intelligi ſimilitudinem & diſcrimen, quæ cernuntur inter exemplum & enthymema, cum ſint eorum veluti ſimulacra quædam. Quamobrem ſiue Topici illi libri ſiue Ariſtotelis ſiue falsò illi attribuantur quod probare molitur Patritius (id enim non eſt huius loci) certum eſt hunc locum, in quo tantopere tryumphat Patritius, ei mirificè refragari. Idque omnino affirmandum eſt: dum idem Author alterũ Ariſtotelis locum paulò ante explicatum tam acriter vrget, vt oſtendat Analyticos libros Ariſtoteli falsò adſcribi: nam quoniam contendit Ariſtoteles conſtare ex Analyticis nihil niſi aut ſyllogiſmo aut inductione poſſe demonſtrari, clamat Patricius id nuſquam in Analyticis fuiſſe explicatum, ac proinde ſi Rhetorici libri ſint Ariſtotelis, illos immeritò eidem tribui. Sed num illi libri ſint Ariſtotelis nec ne, ipſe in præſentia non magnopere pugno. tantùm contendo verè in prioribus Analyticis capite XXIX. ad initium profiteri Authorem ſe id docere. nam ſic ſcribit. *Quod autem non ſolùm Dialectici, & Demonſtratiui ſyllogiſmi per prædictas efficiuntur figuras, ſed & Rhetorici, & ſimpliciter quæcunque fides & ſecundum quancunque methodum, nunc vtique ſit dicendum. omnia enim credimus aut per ſyllogiſmum, aut ex inductione.* Vt propterea hic quoque Rhetoricorum locus nihil minùs efficiat, quàm quod ipſe Patritius exiſtimat. Atque hæc in præſens de Rhetorica inductione ſiue de exemplo Nam alia non pauca, maximè verò de illius varietate, dicemus in viceſimo ſecundi libri capite, vbi rurſus Ariſtoteles de exemplo verba facit.

Io. 1. l. 3. par. 2.

285

Topicos libros eſſe Ariſtotelis cõtra Patritium.

Io. 1. l. 4.

Analyticos libros eſſe Ariſtotelis contra Patritium.

286

PARTICVLA XXXVIII.

ΤΟ δὲ τινῶν ὄντων, ἕτερόν τι διὰ ταῦτα συμβαίνειν παρὰ ταῦτα, τῷ ταῦτα εἶναι, ἢ καθόλου, ἢ ὡς ἐπιτοπολὺ, ἐκεῖ μὲν συλλογισμὸς, ἐνταῦτα δὲ ἐνθύμημα καλεῖται.

Riccobonus.

AT cum quibuſdam poſitis aliud quid ex his euenit præter hæc, eo quòd hæc ſint, vel in vniuerſum, vel plerunque, ibi quidem ſyllogiſmum, hic verò enthymema vocari.

Maioragius.

CVm vero quibuſdam propoſitis aliud quiddam ab ijs eorum cauſa contingit eo quod illa vel generatim vera ſint vel plerunque fiant: in Dialectica quidem ſyllogiſmus, in Rhetorica verò enthymema vocatur.

Enthymematis ac ſyllogiſmi diſcrimen.

HAec omnia verba deſiderantur, vel certè ſunt præpoſterè collocata in Codice Victorij: quod equidem demiror non fuiſſe ab ipſo animaduerſum, cum alioquin in varijs lectionibus colligendis, comparandíſque diligens eſſe ſoleat & curioſus. eſſe autem retinenda, atque hoc ipſo in loco retinenda, cum ex alijs codicibus ſiue latinis ſiue græcis facilè intelligi poteſt, tum præſertim quòd cum explicauerit noſter Author ſimilitudinem inductionis & exempli, iam omnino erat explicanda ſimilitudo ſyllogiſmi & enthymematis, quod protinus facit his verbis. Ait itaque cum nonnulla ſtatuuntur quorum vi aliud quidam efficitur præter ea quæ poſita ſunt, ibidem (hoc eſt

Digitized by Google

in Dialecticis ſiue Philoſophia)eſſe ſyllogiſmum,hîc verò (in oratoria nimirum facultate)eſſe enthymema. exemplum aperiet rem vniuerſam. nam ſi quis dixerit, quicquid perficit animum eſſe expetendum, & addat, Virtus perficit animum, quis non videat,his poſitis & conſtitutis poſſe ſtatim effici & concludi aliud, nimirum, Virtus
itaque eſt expetenda? atque hoc pacto conficitur ſyllogiſmus ſiue ratiocinatio. nam 287
ſi quis omittat vnam aut alteram partem ex iis,quæ antea apponebantur,ſiue propoſitionem, ſiue aſſumptionem (maiorem & minorem appellant Peripatetici) ſtatim non ſyllogiſmus erit,ſed enthymema: & idcirco enthymema modò appellatur imperfectus ſyllogiſmus, modò pars ſyllogiſmi, modò rhetoricus ſiue oratorius ſyllogiſmus: vt propterea eleganter etiam Iuuenalis Satyra ſexta curtum dixerit ipſum, cum caneret.

Aut curtum ſermone rotato
Torqueat enthymima.

Nec verò temerè addit Ariſtoteles obſcuriſſima illa verba *ἢ καθόλυ, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ: aut in totum aut plerunque*. nam non vnius eiuſdémque rationis ſunt ea quæ antea ſtatuuntur: quædam enim ſtatuere conſueuimus, quæ perpetuò & omni ex parte cum veritate coniuncta ſunt,ſempérque eundem ſtatum retinent: vt ſi dicamus cęlum & aſtra in perpetuo curſu verſari, aut ignem è terra naturaliter in cœlum ferri: alia maiori ex parte fiunt & niſi raò non eueniunt aliter, vt filios a parentibus diligi, ſenes moroſos eſſe propter priora igitur ait, quia ea ſint *καθόλυ*, hoc eſt generatim & vbique, ſemper vera: propter poſteriora ſubdit *ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ*, hoc eſt plerunque, quia nimirum plerunque id contingat, quod de ipſis affirmatur. Vt propterea ſi inductionis primò & 288
exempli,tum verò ſyllogiſmi & enthymematis, diſcrimen ſimilitudinémque recolamus,facilè etiam per nos ipſos intelligere poſſimus, quà inter ſe conueniant aut differant exemplum & enthymema: nam huc ſpectat locus hic vniuerſus.

Nũ ſolũ enthymema aut exẽplũ in Rhetorica facultate rei alicui probãdæ accõmodatũ ſit.

In quo tamen multa ſunt ac varia, quæ aut quæri poſſent aut in dubitationem vocari: atque illa in primis quæ de gemino hoc argumenti genere ſtatuta ſunt. neque enim verè enunciatum dixeris ſolum enthymema vel exemplum rei alicui probandæ aptum eſſe; cum Achillem Pſeudomenam, Dialanthanonda Helectram, Enchechalimenon, Cerathenem,& Phalacrum proferre liceat. Hæc enim argumentationis genera cum ab alijs nonnullis recenſentur,tum præſertim a Diogene Laërtio in Zenone Eleate & in Euclide. Verùm quo tempore Tecmirion,Sorites,& Epichirema explicabitur, forſitan de iſtis dicemus aliquid: & eodem tempore de argumentationibus abſconditis, cornutis, auricularis, metentibus, & ſi quæ ſunt aliæ. nam harum quoque mentionem facit inter cæteros Laërtius in Zenone Cythieo. Quanquam quæ de ſyllogiſmo explicatè ſatis & copioſè præcipit M.Tullins in priore libro de Inuentione non eſſent hîc reticenda: præſertim verò quia videri poſſit non nihil ab Ariſtotele diſſentire. Sed de hac re opportuniùs vbi argumentationis partes erunt expendendæ. Interim tamen ſi quem iuuet ea recolere, quæ tum de inductione & exemplo, tum de ſyllogiſmo & enthymemate,præcepit,quem paulò ante recitare locum cępimus, cum conſulat & quæ ſequuntur fusè.

PARTICVLA XXXIX.

Φανερὸν δὲ, ὅτι καὶ ἑκάτερον ἔχει ἀγαθὸν τὸ εἶδος τῆς ῥητορικῆς. καθάπερ γὰρ ἐν τοῖς μεθοδικοῖς εἴριται, καὶ ἐν τύτοις ὁμοίως ἔχει.

Riccobonus.

APparet autem etiam vtrumque habere bonum ſpeciem Rhetoricæ. Nam, quemadmodum in Methodicis dictum eſt, etiam in his ſimiliter res ſe habet.

Maioragius.

NEque illud dubium eſt artem ipſam facultatémque dicendi hoc vtrumque in ſe bonum habere; vt enim in libris de diſſerendi ratione, quos Methodicos inſcripſimus, iam à nobis antea dictum eſt: ſic etiam in his de arte dicendi res ſe habet.

Non

NOn caret ſuis ſalebris hic locus; nam dum dicit Ariſtoteles; *Neque verò dubium eſt, quin vtrunque bonum habeat Rhetoricæ ſpecies*, illud, *Rhetoricæ ſpecies*, quod græce eſt τὸ εἶδος τῆς Ῥητορικῆς, in varias ſententias diſiecit interpretes, ſic vt Brocardus in ſua paraphraſi & Sueſſanus in ſuis Commentarijs non dubitarint illud τὸ εἶδος referre ad ἑκάτερον, vt ſit ſententia, útraque ſpecies Rhetoricæ optimum habet. Atque hinc duas ſibi fingunt Rhetoricas: duas item commentantur Dialecticas; multáque alia proferunt, in quibus vereor ne ſomniare potius quam Philoſophari videantur. Et quanquam inter has ſententias (quas omnes longum eſſet recenſere) ſatis plauſibilis videri poſſit ea, quam ſequuntur Victorius & Maioragius, qui τὸ εἶδος artem ipſam facultatémque dicendi interpretantur, atque idcirco Rhetoricam duplici bono, enthymematis ſcilicet & exempli inſtructam eſſe contendunt; attamen (ni valdè quidem fallor) longè alia eſt tum vocis illius, tum loci vniuerſi vis atque ſententia; nam illud τὸ εἶδος Ῥητορικῆς, non ſignificat artē ipſam facultatémque dicendi, ſeu Rhetoricam vniuerſim, ſed partem Rhetoricæ, hoc eſt artificioſam fidei partem, quæ in docendo verſatur: nā

Artificioſæ fidei genus quod ratiocinatione continetur geminū, enthymematis ſcilicet & exēpli, habere bonum.

290 de hac vna diſputat in præſentia, atque huius tantùm profert arma, exemplum nimirum & enthymema: ac proinde cum ſint tres Rhetoricæ partes ac formæ quibus fidem facimus ac ſuademus, ex quibus prima argumentis, altera moribus, tertia affectibus, continetur, prima de qua nunc diſſerit, vtrunque illud, enthymematis ſcilicet exemplíque bonum habere commemorat ac ſtatuit. ac iurè quidem: cum enim docuerit hactenus rationem, qua in arte Rhetorica gignitur tum exemplum, tum enthymema, atque hæc veluti arma propoſuerit, quibus dimicandū eſt Oratori; nunc quoniam, in tanta dicendi varietate, quanta cernitur in orationibus ipſis, potuiſſet aliquis non facilè animaduertere, quo pacto exemplis, & enthymematibus conſtaret Oratoris dictio, quin immemor hîc tractari vnam illam artificioſæ fidei partem quæ argumentationibus conſtat & in docendo verſatur, diuiſiones, definitiones, narrationes, amplificationes, ſententias, ac ſexcenta alia proferre potuiſſet, in quibus interdū nullum aut exemplorum aut enthymematum veſtigium cernitur, idcirco vt tacitæ huic dubitationi occurrat, haud dubium eſt inquit, quin τὸ εἶδος Ῥητορικῆς hæc inquā, pars Rhetoricæ (εἶδος enim pro parte vſurpari vel apud M. Tullium reperias) quæ in docēdo verſatur, quámque vnam explicamus hoc tempore, vtrunque bonum & commodum habeat, ac tum exemplis, tum enthymematibus ſuas argumētationes conficiat. nam quemadmodum in ijs libris, quos Methodicos inſcripſimus, iam antea diximus, ita in his de arte dicendi, ſe res habet. Verùm ſtatim oritur dubitatio, quoſnam libros

Dubitatur

291 intelligat Methodicorū nomine: qua in re nō defuerunt, qui voluerint Topicos libros intelligi, ídque ea ratione, quòd cum in ijs libris ſedes ac loci argumentorum explicētur, methodus quoque ac via tradatur inueniendi & diſſerendi. Sed hæc ſententia facilè refellitur: nam præterquam quod non eſt veriſimile eos ipſos libros, quos paulò ante Topicos appellauerat, mox methodicos nuncupaſſe, ac quos ſexcentis in locis Topicorum titulo citat, vix ſemel methodicorum nomine percenſere, Laërtius libro quinto in Ariſtotelis vita alios facit Methodicos, alios Topicos libros. Hinc factū eſt, vt Victorius exiſtimarit alios libros nullos intelligi præter octo Methodicos quos ipſe Laërtius recenſet inter Ariſtotelicos. Et ſanè non eſt quòd a Victorio diſcedamus, cū præter Laërtium Simplicius, quoque in Categorijs horum librorum meminerit, quos etiam tribuit Ariſtoteli. Nam quod obijcit Victorio Maioragius, ſe apud Laërtium nunquam reperire potuiſſe hos methodicos libros recenſeri, ſed vnum methodicum librum, cum tamen hîc dicat Ariſtoteles ἐν τοῖς μεθοδικοῖς, quòd nimirum ſi libri ſunt, multi ſint; profectò latini codicis lectione deceptus eſt Maioragius: verè enim Laërtius, & octo methodicorum librorum & vnius præterea methodici mentionem facit: illorum poſt Analyticos & Problemata: huius poſt Rhetoricos. quamobrem vbi in latino codice ſtatim poſt ea verba *poſteriorum Analyticorum Maiorum duo*; mendoſè legimus *de quæſtionibus ad diſciplinam pertinentibus octo*, Græcè eſt περὶ προβλημάτων α. μεθοδικὰ α. β. γ. δ. ε. ϛ. ζ. η. Problematum vnus, methodici octo.

Reſpondetur.

Quæ cum ita ſint, non ab re erit monuiſſe hunc locum nonnihil ponderis habere aduerſus Patritium: nam dum Ariſtotelicorum librorū catalogum, quem facit Laër-
292 tius, ſuſpectum habet, & ex quadringentis circiter libris, quos hic author enumerat,

vix nouem veluti germanos excipit, reliquos reijcit tanquam ſpurios & adulterinos; Methodicos ſanè velit nolit, recipiat neceſſe eſt. tametſi enim Laërtiana illa librorum enumeratio mihi etiam magnopere ſuſpecta eſt: attamen cum Methodici nõ a Laërtio ſolùm, ſed a Simplicio etiam, vt monebam, & (quod rem maximè continet) ab eodem Ariſtotele recenſeantur, adque hoc ipſo in libro, vnde ſuas coniecturas ducit Patritius, ſuis ipſe armis iugulum dedit. atque hoc pacto viginti Ariſtotelis libri, quos omnes ſpurios ac nothos varijs nominibus viſus eſt aliquando feciſſe Patritius, bona cum ipſius venia, veri ac germani ſunto. Topicorum nimirum octo, Methodici totidem (tametſi hi temporis iniuria perierunt) Analytici quatuor, qui in priores & poſteriores diſtributi ſunt. Quod verò Rhetorica ſiue illa Rhetoricæ pars, quæ in ratiocinatione verſatur, habeat vtrunque propoſitum bonum, enthymema ſcilicet & exemplum, quæ ſint inductio quædam & ſyllogiſmus, cum aliunde, tum verò ex priore libro de Inuentione (locum indicauimus paulò ante) licet diſcere ex M. Tullio. Nam hîc planè ſententiam hanc totam, & locum eſſe retinendum non ſuperiori particulæ 293 cum Victorio, aut Mureto anteponendum, nihil attinet commemorare; cum id hîc tantum opportunè nobis potuerit exponi, vbi iam non vnum ſolùm, ſed vtrunque illud bonum fuerat commonſtratum.

Colligitur germana propoſiti loci ſententia.

PARTICVLA XL.

Εἰσὶ γὰρ αἱ μὲν παραδειγματώδεις ῥητορεῖαι. αἱ δὲ, ἐνθυμηματικαί. καὶ ῥήτορες ὁμοίως, οἱ μὲν παραδειγματώδεις, οἱ δὲ ἐνθυμηματικοί.

SVnt enim aliæ quidem exemplorum plenæ orationes: aliæ verò enthymematum. & oratores ſimiliter, alij quidem exemplis delectantur, alij verò enthymematibus. *Riccobonus.*

SVnt enim dictiones quædam oratoriæ, quæ potiſſimùm exemplis conſtant: ſunt etiam quæ tota argumentis & enthymematibus conficiantur, ſicut oratores quidam exemplis magis, quidam argumentis delectantur. *Maioragius.*

Co. XL.

DIxerat noſter Author Rhetoricam habere ἑκάτερον ἀγαθὸν, hoc eſt vtrũque bonum, exempli & enthymematis vſum commodúmque ſignificans (nam ἀγαθὸν, commodum interdum atque vtilitatem ſignificare, multis iiſque perſpicuis optimorum authorum, atque ipſiuſmet Ariſtotelis, exemplis oſtendi poſſet) Nunc itaque ne hac de re dubitare liceat, monet ex oratorijs dictionibus alias eſſe παραδειγματώδεις, exemplis inquam maximè inſtructas, alias verò ἐνθυμηματικάς, enthymematicis argumentationibus inflatas atque refertas, quemadmodum etiam ex Oratoribus alios exempla magis, enthymemata alios delectarunt: vt propterea enthymematici ij, Paradigmatici illi, ſint nuncupati. Qui verò fuerint ij qui vel exemplis vel enthymematibus pollerent, ac vel enthymematici, vel Paradigmatici, dicerentur, non intelligere ſolùm licebit, ſed oculis penè ipſis cernere, ſtatim ac ſummi Græcæ eloquentiæ Principes atque magiſtri, quos in noſtris Oratorijs Diſputationibus de eloquentiæ palma decertantes breui audietis, veluti ab inferis excitentur: excitabuntur verò breui, vt ſpero, atque inſtructa fortaſſe Oratorem acie aduentabunt, non iniucundum vobis ſpectaculum daturi: niſi tamen totius penè Græciæ plauſibus aſſueti, importunos clamores veſtros, ingentéſque Patauini Gymnaſij tumultus horruerint, 294

—— *Nam qui*

It cœlo clamor, cur non penetrabit ad Orcum?

Confirmat Rhetoricã habere vtrunque illud bonum oratoriarũ Dictionũ cõmemoratione.

PARTI-

PARTICVLA XLI.

KΑὶ πιθανοὶ μὲν ὐχ ἧττον οἱ λόγοι οἱ διὰ τῶν παραδειγμάτων, θορυβοῦνται δὲ μᾶλλον οἱ ἐνθυμηματικοί. τὴν δ᾽ αἰτίαν αὐτῶν, καὶ πῶς ἑκατέρῳ χρηστέον, ἐροῦμεν ὕστερον. νῦν δὲ περὶ τύτων αὐτῶν μᾶλλον διορίσομεν καθαρῶς.

Riccobonus. ET ad perſuadendum quidem non minus valent orationes, quæ exemplis conſtant: perturbat verò magis, quæ enthymematibus. Cauſam autem ipſorum & quomodo vtroque vtendum, dicemus poſteriùs. Nunc verò de his ipſis apertiùs, & diſtinctiùs diſſeremus.

Maioragius. *ORationes autem, quæ conſtant exemplis, ſunt quidem ad dicendum accommodatæ non minùs quàm aliæ: Sed illæ quæ ſunt enthymematibus refertæ, maiore quodam impetu animos commouent. Verùm quæ ſit vtriuſque cauſa, quoque modo ſit vtraque vtendum, alio in loco poſtea dicemus. Nunc autem de his quæ tractare cœpimus, magis enucleatè diſtinctèque diſſeramus.*

Comm. XLI. DIgreditur quam breuiſſimè Ariſtoteles, nec inopportunè: nam cū paulò ante ad enthymematis & exempli ſimilitudinem diſcriménque ſignificandum de quatuor argumentationum generibus diſputarit, cóque tandem deuenerit, vt ex Oratoribus Paradigmaticos quoſdam, quoſdam verò enthymematicos fuiſſe dixerit, nunc è re nata aliud quoque diſcrimen ex re oritur ac manat quæ illis ineſt ad perſuadendum. Ait itaque oratorias dictiones, quæ conſtant exemplis, eſſe ad perſuadendum accommodatas, nō minùs quàm quæ enthymematibus refertæ ſunt: ſed has tamen maiori quodam impetu, commouere animos ac perturbare vehementiùs. Quæ tamen verba grauem eámque multiplicem habent dubitationem: quámque longiore Controuerſia

Conferuntur inter ſe enthymematica, q̄que exemplis cōſtāt, orationes.

295 tranſigere cogor. Itaque illud diſceptandum propono. An ſibi conſtet Ariſtoteles in ijs quæ hoc in loco ſcribit de exemplo & enthymemate: ac ſummatim Num cum ratione conſentiant. Principiò igitur cum ſtatuerit Ariſtoteles *ἐνθυμήματα* eſſe *σῶμα τῆς πίστεως, corpus fidei faciendæ*, quod eſt in enthymematis ſitam eſſe fidei faciendæ vim & quaſi neruos; quid eſt obſecro cur inpræſens ſtatuat exemplum non minùs quàm enthymema valere ad fidem faciendam? Deinde enthymema docendi gratia comparatum eſt, non ad perturbandum: & ideo pertinet ad illud artificioſæ fidei genus, quod ducitur ex re ipſa. denique ijs generibus opponitur, quibus affectus continentur & mores. cur igitur hoc in loco ait, enthymema perturbare magis quàm exemplum? id enim temerè videtur profiteri Ariſtoteles, cum nec enthymema nec exemplum perturbandis auditoribus, ſed docendis comparatum ſit. Atque hinc etiam fit, vt cum interim ſumat exemplum etiam perturbare (ſi enim plus perturbat enthymema quàm exemplum, igitur exemplum, etſi minùs perturbet, perturbat tamen) id quoque velit ad animos concitandos pertinere; cum tamen perinde atque enthymema docendi cauſa comparatum ſit. Ad extremùm, inde etiam ſecum ipſe pugnare videtur Ariſtoteles, quòd commouendi vim enthymemati tribuit maiorem quàm exemplo: cū tamen in problematis ſcribat, homines exemplis magis delectari & gaudere, quàm enthymematis ſeu argumentationibus. delectari enim aut gaudere ſine dubio eſt cōmoueri, ac delectatio eſt quædam affectio & perturbatio. Hæc contra priorem iſtam ac perbreuem huius loci ſententiam. Nam poſterior oppugnabitur poſtea. Interim vt priori huic parti ſi quomodo poſſim, occurram & ſatisfaciam; ſic ſtatuo Ariſtotelem dum ab initio diceret enthymema eſſe corpus fidei faciendæ, fortaſſe enthymematis nomine intellexiſſe vtrunque ratiocinationis genus, ac proinde comprehen-

CONTROVERSIA XXVIII. An ſibi cōſtet Ariſtoteles vel cū ratione cōſentiat in ijs quæ hic ſcribit de exēplo & enthymemate. obijcitur verò.

I.

II.

III.

IV.

Reſpondetur propoſitis Dubitationibus. Ad I.

296 diſſe quoque exemplum (nam reuera exemplum poteſt ad enthymema reuocari, cū inductio reuocetur ad ſyllogiſmum, non è contrario) vel certè ſi ſolum enthymema

faceret fidei corpus,id commemoraſſe exempli gratia,reſpondebat enim priſcos Rhe
tores, qui relictis argumentis, quæ ex re ipſa ducuntur, quaéque ſunt artis maximè
propria, ſe ſe ad affectus conuertiſſent totos: itaque ſatis erat enthymematis, hoc eſt
præcipui argumenti,mentionem facere,cum eodem iure exemplum quoque ſecun-
do loco intelligi poſſet. Quanquam hîc affirmare quoque potuit, exemplum nō mi-
nùs quàm enthymema valere ad fidem faciendam non tam per ſe (per ſe enim enthy-
mema plus habet virium,& ideo dicitur Rhetorica demonſtratio)quàm comparatè,
hoc eſt propter auditores, qui plerique rudes ſunt, præſertim in concionibus, ac pro-
pterea exemplis docentur ſæpè non minùs aptè quàm enthymematis. Certè Macro-
bius in ſeptimo Saturnalium, *Plebeij*,inquit, *magis exemplis quàm oratione capiuntur. Sed
enthymemata tantam vim habent plerunque, vt etiam inuitos homines ad credendum impellant.*
& M.Tullius in Oratore ad Brutum ſcribit exempla cum delectatione authoritatem
afferre orationi & fidem. Nam ſi obijcias hoc nomine dicendum fuiſſe potiùs plus
valere exemplum ad fidem faciendam quàm enthymema (rudes enim exemplis ſua-
dentur magis quàm enthymematis,& ideo ſuaderi etiam ſcribit Ariſtoteles,non mo-
dò delectari) iam id etiam videtur tacitè indicare dum ait, exempla non minùs fidem
facere quàm enthymemata: nam ſic ſtatuit non minùs valere,vt non inficietur,quin
tacitè fortaſſe indicet, ſæpè etiam plus authoritatis habere. Sed de ui exempli & en-
Ad II. thymematis copioſiùs alibi. Iam verò illud θορυβοῦνται vix crediderim omnino perti-
nere ad promotionem affectuum ac ſignificare enthymemate affectiones excitari,ita
vt perturbet animos: verè enim enthymema docendis auditoribus inſtituitur, non 297
perturbandis: ac fortaſſe ſignificat enthymema mentem exercere,& occupare,ita ut
intelligentiam & ratiocinationem dum conuincit, perturbare, hoc eſt commouere
dicatur, & in ſententiam adducere: verè enim valde exercent ac iactant intelligentiā.
Quanquam ne cui forſitan audaciùs explicare locum videar, fieri quoque poteſt, vt
interim ſentiat quidem Ariſtoteles enthymema docendis auditoribus comparatum
eſſe, ſed tamen exiſtimet id habere vt cohærenter perturbet etiam & afficiat. Nam ſi
obijcias, videri adhuc id concedendum exemplo, quaſi non modò doceat, ſed cohæ-
renter etiam afficiat (id enim Ariſtoteles in recitato Problematum loco indicat non
obſcurè) iam diſtinctione adhibita, res fortaſſe conciliabitur; ſi nimirum dicamus,
exempla cohærenter delectare magis, enthymemata perturbare: hoc eſt afficere
hæc quidem ſed non delectando vt exempla, ſed alios excitando affectus, quamuis
Ad III. nihil prohibeat quò minùs interdum non tam delectent, quàm alias affectiones exci-
tent perturbéntque. Et hinc ſatis conſtare poteſt cur interim dum ait enthymema
perturbare magis quàm exemplum, ſumat exemplum quoque perturbare. nam li-
cet docendo auditori inſtitutum ſit, perturbat quoque: etſi minùs quàm enthyme-
ma. quantum enim exemplum delectando ſuperat enthymema, tantum perturban-
di vi exemplum ſuperatur ab enthymemate. Atque hinc dilui poſſunt quæ obijcie-
bantur ad extremum: nam monuit quidem Ariſtoteles in Problematis, exempla de- 298
Ad IV. lectare magis quàm enthymema dum ſcriberet παραδείγμασι χαίρειν τοὺς ἀνθρώπους ἐν
ταῖς ῥητορείαις μᾶλλον τῶν ἐνθυμημάτων, cauſas quoque expoſuit, cum ſubijceret id acci-
dere tum quia homines per exempla diſcerent, ac celeriùs & faciliùs diſcerent: tum
quia exempla ſunt teſtimonijs conſimilia, quibus, cum multa ſunt, facilè adiungi-
mus fidem: tum quia id quod ſimile eſt demonſtrant; quod verò ſimile eſt, non ſine
voluptate percipitur: ſed tamen non idcirco ſecum pugnat dum enthymemati per-
turbandi laudem tribuit. non enim θορυβοῦνται, hoc in loco generaliter ad affectiones
omnes pertinet quaſi affectibus ciendis plurimum valeat enthymema, multò verò
minùs lætitiam & delectationem deſignat; ſed potiùs vim adigendæ & impellendæ
mentis ad aliquid credendum, nobis indicat vox iſta. quam rem egregiè ſanè ex-
preſſit Macrobius in eo quem paulò ante recitauimus loco, dum diceret, enthyme-
Iam dubitatur aduerſus poſteriorem propoſiti loci partem. mata vel inuitos ad credendum impellere. Sed ſint iſta, at cum addit è veſtigio (at-
que hinc ad poſteriorem propoſiti loci partem labefactandam deuenio) *Cauſam ve-
rò ipſorum, & quomodo vtroque utendum ſit, dicemus poſtea: nunc de ijs ipſis apertè magis
dicamus?* Videtur enim vno eodémque loco vnam eandémque rem & reijcere aliò
pertractandam, & hîc explicandam arripere, atque adeò ſecum ipſe mirifi-
Reſpondetur. cè pugnare. Videtur ſanè. Sed tamen quoniam alia ſunt quæ in alium reij-
cit

cit locum, alia quæ hîc proſequitur, reuera omni caret repugnantia locus hîc
vniuerſus. Etenim (ſi quis attentiùs æſtimet) per cauſam, quam reiicit in alium locum,
299 intelligit tum materiam, ex qua deinde in ſecundo libro oſtendit exempla conflari ac
duci, tum enthymematum propoſitiones ac locos. quare docebit exemplũ ex duobus
rerum generibus cõflari, videlicet ex rebus tum geſtis, tum fictis: & has rurſus in parabolam partietur & λόγον, ſiue in collationem mauis & apologum: quibus expoſitis diſſeret de eorundem vſu. & ideo concludet tandem, *quot genera exemplorum ſint, & quomodo ipſis vtendum, dictum ſit.* quæ verba, quod pertinet ad exemplum, mirificè reſpondent
huic quem explicamus loco, in quo ſcribit Author, *Cauſam verò ipſorum* (exẽpli ſcilicet,
& enthymematis) *& quomodo vtroque vtendum ſit, dicemus poſtea.* Atque id ipſum ſtatuẽdum eſt de enthymemate. Si quidem Ariſtoteles, quæ commemorabam, de exemplo
expoſitis, ſtatim diſputat de ſententia (hac enim maxime eget enthymema) déque ſedibus & locis enthymematis, eiuſdémque vſu. vt propterea quæ in propoſito ſecundi
libri loco de exempli & enthymematis cauſa & vſu explanat; & verbis & ſentẽtia cum
hoc loco conſentiant, in quo eadem alio reiiciuntur, ac proinde dubitare haud liceat
quin verè iſthæc planè illuc reiecerit. Quanquam illud habet adhuc dubitationẽ, quid
eodem tempore aggrediatur; nã quod reiecerat, videtur item ſtatim tractãdum proponere. Minime verò. nam non vnius eiuſdémque generis, ſed varia eſt materia enthymematis & exempli. Eſt enim aliud materiæ genus, quod doctrinæ gratia proximum
300 appellabimus in præſentia, & hoc eſt ipſum veriſimile ſeu probabile, aut totũ, aut maximè. Alterum remotum, quódque ſedibus, & locis argumẽtorum ſiue propoſitionibus ipſis continetur, ac duobus præterea generibus illis, ex quibus ducuntur exempla.
Ariſtoteles itaque reiicit in alium locũ hoc poſterius materiæ genus, ſcilicet ſedes, locos, propoſitiones, partes, elemẽta denique (his enim nominibus vtitur ipſe) enthymematis & exempli, quæ omnia ſuo loco, vt oſtenſum eſt ſupra, explicat ac proſequitur
fusè. Aggreditur verò hoc in loco alterum genus, quod propriè eſt veriſimile, & hoc
eſt quod ſibi voluit Ariſtoteles dum diceret, *Cauſam verò ipſorum*, exempli ſcilicet & enthymematis, *& quomodo vtroque eorum vtendum ſit, dicemus poſtea. Nunc de iis ipſis apertius explicemus.* Cauſam enim appellat ea, quæ locum habent remota materiæ, cuiuſmodi
ſunt loci illi ac ſedes argumentorum, ac cæteræ quæ paulò ante recenſebam: & hanc
reiicit cauſam, ſicut etiam eiuſdem enthymematis & exempli vſum reiicit in aliud tẽpus. proximam verò enthymematis & exempli materiam ſtatim aggreditur explicare,
& idcirco ait. *Nunc de ipſis apertiùs explicemus.* Vt propterea eandem, licet diuerſis nominibus, & reiiciat & aggrediatur Ariſtoteles. Nã cur priùs requirat materiam proximã,
301 remotam poſteriùs, & quo pacto fiat materia, dicemus planiùs ſuo loco.

par.7. ac dein.

Dubitatur adhuc.

Reſpondetur.

Ex quibus omnibus colligere quædam licet, quæ tum huic loco intelligendo, tum reliquæ huius capitis diſputationi, non parum conferre poſſint. Primum eſt, errare illos qui ea verba, *Cauſam ipſorum,* referunt ad illa duo, quæ de exemplo & enthymemate dicta fuerant, illud ſcilicet non minùs quàm enthymema probare: hoc magis quàm exẽplum perturbare. putant enim iſtorum euentuum cauſam reiici ab Ariſtotele in alium locum: ſic enim Sueſſanus & alij quidem interpretantur. qui ſanè cum aliis de cauſis erraſſe perſpiciuntur, tum maximè quia nuſquam deinde explicat Ariſtoteles, cur exẽplũ nõ minus perſuadeat quàm enthymema, aut enthymema magis perturbet quàm exemplum. Vt omittam explicari non poſſe quo pacto in duo iſthæc intuens ſubiicere potuerit *& quomodo vtroque vtendum ſit, dicemus poſtea*: nã quo modo exemplo & enthymemate vtendum ſit aptè & dicitur & in alium locum reiicitur: (quã etiam in re fidẽ liberaſſet ſuam quemadmodum oſtendimus) at quo modo vtroque vtendum ſit, hoc eſt tum exemplo quod non minùs ſuadeat quàm enthymema, tũ enthymemate, quod magis perturbet quàm exemplum, ineptè ſanè dicitur ac dnrè. Alterum eſt non malè declarari à Victorio & Maioragio, quæ ſint illa in vniuerſum, quæ in alium locum ab Ariſtotele reiiciuntur in præſentia: cum ſaltem de enthymemate & exemplo hæc proferri ſentiant: ſed tamen cætera ab iis vel obſcurè attingi, vel diſſimulari et prætiriri. præſertim verò ſi quæras quæ rurſus cenſenda illa ſint, quæ hoc in loco perſequi de illis ſtatuit Ariſtoteles. Quare dum Maioragius ſcribit, velle Ariſtotelem ea perſequi, quæ commemorare cœperat, hoc eſt quæ ſunt communia in arte dicendi, ſanè in tam difficili loco, quique ad Oeconomiam & inſtitutum maximè pertinet, preſſior eſt & obſcurior

Propoſita Controuerſia explicata, colliguntur quædã non inutilia.

I.

II.

ſcurior(quanquam ſtudioſè obſcurus, vt ſuſpicor)quàm vt ferri poſſit. Victorius verò cauſæ illius nomine, quam Ariſtoteles alibi ſe explicaturum pollicetur, exempli & enthymematis ortum(eius verbis vtor)ſignificari ait. quod tamē minùs aptè & inprimis obſcurè ſtatuitur, cum paulò ante perſpicuis verbis docuiſſet Ariſtoteles, quo pacto & vndénam gignatur exemplum & enthymema. & hac de cauſa de inductione & ſyllogiſmo à quibus hæc oriuntur & manant, verba fecerit. itaut non tam facilè per cauſam intelligendus fuerit ortus. Ita ſanè de Victorio, niſi ad bonas fruges eius opinionem traducere ſtudeamus, meritò exclamare poſſimus cum Horatio 302

Delphinum appingit ſyluis & fluctibus aprum.

De Maioragio verò dum ad alia omnia conuertit ſe ſe quàm ad ea, in quibus nutātem cernit Victorium & æſtuantem, cum eodem Poëta, fermè canere liceat,

Quò fugis ehu tutus nimium timidúsque procellæ?

III. Tertium ac poſtremum eſt Ariſtotelem iam de enthymematis & exempli materia tātùm, non verò de forma, diſputandum ſuſcipere: nam præterquam quod forma dilucidè ſatisfacit hactenus explicata, quæcunque hîc traduntur, ad veriſimile ſeu probabile, quod eſt oratoriæ argumentationis materiā, referuntur omnia. itaut ſi quomodo rurſus in reliquo hoc capite formam attingere videatur, hanc propter materiam attingat quæ cum forma ſocietatem habet maximam. De qua tamen re explicatiùs in capite reliquo. Nunc ad Ariſtotelem redeamus, qui ad inſtitutum ſeſe referēs, materiam enthymematis & exempli requirendam iam ſibi proponit, idque Mathematicorum more quibuſdam ſiue ſumptionibus, ſiue poſtulatis præmiſſis, quibus rem ſuam conficiat commodiùs. 303

PARTICVLA XLII.

Ἐπεὶ γὰρ τὸ πιθανὸν τινὶ πιθανόν ἐςι, καὶ τὸ μὲν, εὐθὺς ὑπάρχει πιθανὸν δι᾽ αὐτὸ καὶ πιςόν. τὸ δὲ τῷ ἐνδείκνυσθαι δοκεῖν διὰ τοιούτων. οὐδεμία δὲ τέχνη σκοπεῖ τὸ καθέκαςον. οἷον ἰατρικὴ τί σωκράτει τὸ ὑγιεινόν ἐςιν ἢ καλλία. ἀλλὰ τί τῷ τοιῷδε, ἢ τοῖς τοιοῖσδε. τοῦτο μὲν γὰρ ἔντεχνον. τὸ δὲ καθέκαςον, ἄπειρον καὶ οὐκ ἐπιςητόν. οὐδὲ ἡ ῥητορικὴ τὸ καθ᾽ ἕκαςον ἔνδοξον θεωρήσει. οἷον σωκράτει ἢ ἱππίᾳ. ἀλλὰ τὸ τοιοῖσδε, καθάπερ καὶ ἡ διαλεκτική.

QVoniam enim quod appoſitum eſt ad perſuadendum, alicui appoſitum eſt, & vnum quidem ſtatim eſt appoſitum ad perſuadēdum per ſe, & credibile, alterum verò, quod demonſtrari videatur ex talibus, & nulla ars conſiderat ſingulare, vt Medicina, quid Socrati ſalubre ſit, vel Calliæ, ſed quid tali, vel talibus (hoc enim artificioſum eſt: ſingulare autem infinitum, & ſub ſcientiam non cadens) ne Rhetorica quidem ſingulare probabile intuebitur, vt Socrates, vel Hippiæ, ſed quod talibus, quemadmodum etiam Dialectica. Riccobo nus.

NAm quod probabile eſt, id eſt eius naturæ, vt per ſe eſſe nō poſſit: ſed alicui ſemper probabile ſit. id autem duplex eſt: aliud enim ſimul atque auditum eſt ex vi ſua probatur & creditur. Aliud autem arte indiget, vt propoſitis rationibus demonſtretur nulla verò ars eſt, quæ quid in ſingulis rebus fieri debeat, conſideret: vt medicina non docet quod Socrati aut Calliæ ſalubre ſit; ſed quid homini ſic affecto aut cunctis, qui eodem morbo laborant: hoc enim ad artem ſpectat. quod autem ſingulare eſt atque indiuiduum, id infinitum habetur, & nulla ſcientia comprehēdi poteſt neque igitur Rhetorica probabile quæret huiuſmodi, quod vnius alicuius opinioni conueniat vt Socrati aut Hippiæ, ſed quod omnibus, qui ita animo ſunt affecti quemadmodum etiam Dialectica. Maioragius.

Sum-

EXPLICATVR prima ſeu poſterior pars in qua agitur de materia enthymematis et exempli.

SVmptiones quaſdam, vt dicebam, affert in mediũ,ex quibus prima hæc
304 eſt. Quicquid perſuadetur, alicui perſuadetur : ſiue quicquid eſt perſua-
dibile(vtendum eſt enim,vt quod volumus, ſignificantiùs explicemus)
alicui eſt perſuadibile. Nam quædam ſunt,quæ ad alia non referuntur,
ſed optimè per ſe tum eſſe,tum intelligi poſſunt; vt ſunt lapis,homo,cę-
lum, & huius generis alia : quædam intelligi per ſe nullo modo poſſunt,
ſed ſemper cum alio conferuntur, atque idcirco πρός τι dicuntur à Græcis. qualia ſunt
ea,quæ ſub eandem rationem cadunt; vt ſunt dominus & ſeruus , pater & filius , & ſex-
centa huiuſmodi alia. πιθανὸν igitur , quod nos perſuadibile cum Quintiliano appella-
uimus ; eſt ex eorum genere,quæ ad aliud referuntur, ac propterea perſuadibile eſt ali-
cui perſuadibile;nimirũ auditori. nam quemadmodum ſcribit Ariſtoteles in III.libro,
tota hæc ars auditorum gratia inſtituitur. hæc itaque ſit prima ſumptio.

Sumptiones præmittit aliquas. I.

Altera hæc eſt. ex his quæ ſunt perſuadibilia, alia ſtatim ac proferuntur, ſua vi atque II.
natura probantur auditoribus, ac digna ſunt quæ credãtur:alia tum demum fidem ac-
cipiunt & aſſenſionem,cum ad ea differendi artificium & argumentorum pondus ac-
ceſſerit. Quamobrem ſi quis dixerit,pietatem eſſe colendam,diligendos parentes,ani-
mum virtutibus excolendum,is ſanè, niſi in delirum hominem inciderit, fidem ſtatim
inueniet. Contra verò ſi quis dixerit beatius cenſendum eſſe dare quàm accipere, me-
liùs iniurias ferre quàm inferre,is non tam facilè ſuadebit,niſi rem argumentatione cõ-
firmauerit. Quocirca huic addendum erit, eum qui alium donis ac beneficijs ornat,
Dei munificentiam referre:qui accipit,mortalium inopiam & egeſtatem.ſic etiam eũ,
qui iniuriam æquo tolerat animo,probum virum eſſe poſſe:qui infert minimè. Ita de-
mum hæc creduntur,ſiue fiunt probabilia,quia διὰ τούτων,per ea,inquam,quæ probabi-
305 lia ſunt,fuerint comprobata,vel(vt planiùs Ariſtotelis verba exprimamus) viſa fuerint
comprobari. dũ modo enim res probabilis fiat, parui refert apud Ariſtotelem ſiue ſo-
lida,ſiue adumbrata , probatione id fiat. & ideo non ait Ariſtoteles, id fieri credibile τῷ
ἀποδεδεῖχθαι, quia demonſtrata ſit, ſed τῷ ἐνδείκνυσθαι δοκεῖν,quia videntur demonſtrari.
Quamuis enim ſupra dixit probationes,quæ ducũtur ex rebus,in eo eſſe poſitas,vt quis
vel demonſtret vel demonſtrare videatur,hîc tamen poſterius tantùm commemorat,
quòd in Concionibus videri demonſtraſſe perinde ſit ac demonſtraſſe , hoc eſt fidem
feciſſe. vel certè illud δοκεῖν, quoniam non alteri membro opponitur vt in ſuperiore ſen-
tentia , vtrique probationis generi ſeruit & vero & adumbrato. Hæc ſecunda ſum-
ptio.

Tertia & poſtrema hæc ſit. Nullo modo præcipit Ars & ſpectat quid fieri debeat in III.
rebus ſingulis;ſed quicquid conſiderat, in vniuerſùm cõſiderat & præcipit. Et quoniã
hæc tertia ſumptio ſiue ſententia non ita perſpicua eſt,quemadmodum ſunt duæ ſupe-
riores,imò ſtatim oppugnari potuiſſet, cũ paſſim videamus Medicum atque alios arti-
fices multos res indiuiduas tractare,eam tum exemplo,tum ratione,confirmat. eſt au-
tem exemplum ex Medicinæ arte deſumptum. Neque enim,inquit Ariſtoteles,Medi-
cina ſuis præceptis docet , quid ſalubre ſit Calliæ, quóue pacto curari poſſit Socrates,
ſed quã ratione curetur is, qui vel febri, vel laterum dolore , vel comitiali morbo labo-
rat,vel alio morbi genere affligatur. Quamobrem ſi deinde curat Socratem & ad cer-
tos homines deſcendit ſanandos, id fit quoniam medendi officium atque opera non
poſſit niſi in indiuiduis exerceri. quod tamen non prohibet quo minùs hæc præcepta
ſemper ſint generalia,& ars omnes homines ſpectet. Cuius ſanè rei ea eſt ratio,quoniã
res ſingulæ ſunt propemodum infinitæ, nec poſſunt ſcientia aut arte comprehẽdi;niſi
306 tamen velimus Medicum poſſe diſcere tot medendi artes, quot homines ſunt , idque
cæteros artifices facere in rebus, quæ illorum artibus ac tractationi ſubijciuntur, quod
fieri poſſe omnino negat Plato, qui in rerum contemplatione atque artium tractatio-
ne iubebat,vt ab ſummis generibus incipiẽtes ad infima genera (ſpecies ſpecialiſſimas
appellant Peripatetici) progrederemur , atque ibi demum quieſceremus,cum res ſin-
gulares nequeant ſcientia comprehendi. Vt propterea ſatis conſtet , artium præcepta
eſſe communia , & ad omnes res eiuſdem generis pertinere. Hæc eſt huius loci ſen-
tentia.

Vbi ſanè, quoniam affirmat Ariſtoteles res non indiuiduas ad ſcientiam artémque *Dubitatur.*
pertinere , ſed per genera atque in vniuerſùm , facilè quærat aliquis, vt explicem, quo
tandem

tandem pacto fieri poſſit,vt ab his,quæ ſub ſenſum cadunt atque ab indiuiduis,ortum habeat ſcientia, quemadmodum docuit aliàs noſter author. Sed ab hac diſputatione omnino abſtinendum cenſui,ne in philoſophorum campos inuaſiſſe potiùs,quàm incurriſſe videar. tantùm dicam ex rebus indiuiduis,quæque ſenſibus percipiuntur,non ita ſcientiam gigni,quin priùs quibuſdam veluti gradibus ad ſcientiæ arcem aſcendendum ſit. Nam ex ſenſibus memoria, ex memoria experientia, ex experientia ſcientia comparatur:ſic enim docet idem Ariſtoteles libro primo diuinæ philoſophiæ ad initiũ, & ſecundo poſteriorum extremo,& ante ipſum Plato in Phædone & Gorgia: quos ſecutus eſt M.Tullius in Quæſtionibus Academicis libro ſecundo,vbi ait non ex vna,aut duabus, ſed ex pluribus animi perceptibus effici artes, idque ante hos omnes in libro præceptorum docuerat Hipocrates,à quo(ni valde quidem fallor)rem totam trãſtulit, vt alia non pauca noſter Ariſtoteles. Verum enimuero(dicat aliquis)quî non ſecũ ipſe pugnat Ariſtoteles,qui hic ait Medicum non conſiderare quid Socrati aut Calliæ ſalubre ſit,ſed quid tali aut talibus,hoc eſt homini in vniuerſùm;& tamen in I.diuinæ philoſophiæ libro ſcribit. Medicinam circa ſingularia verſari, ac propterea nõ hominem, ſed Socratem,cui accidat vt homo ſit,curare ac ſanare? profectò quid pugnãtius afferri poſſit,non ſatis video. Quanquam reſpondere poſſumus,duo habere Medicum,nimirum Artem,quæ præceptis conſtat;& opus,quod non homini, ſed Socrati(opus enim eſt ſingularium) aut Calliæ medetur. Ergo Ars quippe quæ à rebus ſingulis abherret, non Calliam aut Socratem verùm hominem ſibi curandum proponit, cũ ars & ſcientia in generibus tãtùm verſatur: & hoc eſt quod in præſens ſtatuit Ariſtoteles, dum docet Medicinam deſpicere indiuidua. Contra verò opus: hoc enim morbi curationem ſuſcipit,& ad indiuiduum deſcendens(id quod in diuina Philoſophia docet)ad Socratis Calliæue ſanitatẽ incumbit: cui quidem Socrati ideo accidit vt homo ſit,vel quia opus ipſum non rum hominem ſpectat quàm Socratem aut Calliam,vel quoniam morbus ſit affectio Socratis vt animalis,non vt hominis:quemadmodum etiam alendi vis non humana eſt (ſi eidem Ariſtoteli credimus) cum homini non vt homini ſed tanquam animali, aut certè vt plantæ, conueniat. & hoc nomine Medicus dicitur per ſe curare indiuiduum vt Socratem, ex accidenti verò hominem. Ita fit vt opus, ſit indiuidui:ars verò generis.

Reſpondetur. *Dubitatur rurſus.* 307 *Reſpondetur.* *lib. 1. eth cap. 13.*

PARTICVLA XLIII.

Κ Αὶ γὰρ ἐκείνη συλλογίζεται, οὐκ ἐξ ὧν ἔτυχε. φαίνεται γὰρ ἄττα καὶ τοῖς παραληροῦσιν. ἀλλ' ἐκείνη μὲν, ἐκ τῶν λόγου δεομένων, ἡ δὲ ῥητορικὴ, ἐκ τῶν ἤδη βουλεύεσθαι εἰωθότων. 308

ETenim illa ſyllogiſmo concludit non ex quibuslibet (apparent enim quædã etiam ijs,qui deliberant) ſed illa quidem ex ijs, quæ ratione indigent: Rhetorica verò ex ijs quæ in conſultationem venire conſueuerunt. *Riccobonus.*

NAm neque illa ita ratiocinantur, vt vndique arripiat ſine vllo diſcrimine, quæ alicui videantur, ſiquidem etiam deliris hominibus probabilia quædam videntur; ſed ex ijs argumentantur, quæ ratione allata probari poſſunt: Rhetorica verò ex ijs quæ in conſultationem venire conſueuerunt. *Maioragius.*

Comment. XLIII. Tertiam ſumptionẽ paulò ante allatã confirmat.

DIxerat Rhetoricen non verſari circa res indiuiduas ac ſingulas, ſed amplecti res in vniuerſùm ſicut cæteræ artes faciunt, vt verbi gratia Dialectica. Iam itaque vt de hoc conſtet clariùs, id ipſum oſtendit perſiſtens in propoſito Dialecticæ exemplo. Nam quemadmodum, inquit, Dialectica non vndique arripit argumẽta,aut ſine vllo diſcrimine,nec omnium hominum ſectatur opiniones,ſiquidem etiam deliris hominibus quædam videntur probabilia; ſed ex ijs argumentatur, quæ rationem deſiderant; hoc

eſt quæ

eſt quæ rationibus probari poſſunt & explicari; Ita etiam Rhetorica non temerè, & vndique, ſed cum delectu, conficit ſuas argumentationes: amplectens nimirum ea, quæ in conſultationem cadere ſolent, ac proinde probabilibus rationibus tractari poſſunt.

Sed dubitatur: Nam dum ait Ariſtoteles Dialectica colligit ſyllogiſmum *ἐκ τῶν λόγου δεομένων, ex his quæ rationem deſiderant*, vel falsò, vel certè præpoſterè ac temerè, locutus videtur. Nam quemadmodum Rhetorica, ſiue potiùs Orator, ex ijs interdũ argumentatur, quæ apud æquum rerum æſtimatorem digna ſunt quæ credantur, nec vllam rationem deſiderant; ita etiam interdum facit Dialecticus. Quare primo Topicorum paſ- *Dubitatur*

309 ſim decantatam inuenies illam ſententiam, Dialecticam ex his ducere argumenta, quę omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus probatur, & hoc nomine à Sophiſta diſtingui. Longè itaque aberrauit Ariſtoteles, qui ita generaliter affirmauit, Dialecticam colligere ſyllogiſmum ex his quæ rationem deſiderant. Quod ſi dicas, non id generaliter ſtatui ab Ariſtotele, nec negari Dialecticum aliquando ex his argumentari, quæ ſine probatione digna ſunt, quibus fidem habeamus; ſed tãtùm affirmari Dialecticum, cum ex probabilibus argumentatur, debere non ex his argumentari, quæ probabilia videntur ſtultis tantùm & deliris; (ideo enim dicebat, *Colligit Dialectica ſyllogiſmum non ex quibuslibet, videntur enim quædam etiam delirantibus*) ſed potiùs arripere illa, quæ deinde probabili ratione confirmari poſſunt; hoc profectò coargui facilè poteſt. Nam vt concedam in præſentia Ariſtotelem non prohibere quominus ijs vtatur Dialecticus, quæ per ſe ipſa digna ſunt quæ credantur; dum iubet ne ex quibuslibet ſed ex ijs argumentatur, quæ probabili ratione confirmari poſſunt, non debuit dicere, *Dialectica colligit ſyllogiſmum ex his, quæ rationem deſiderant*, ſed ex his, quæ probari poſſunt. Nam longè aliud eſt egere ratione, ſeu rationem deſiderare, aliud ratione probari poſſe.

Vidit ſanè Victorius loci huius ſententiam inuolutam eſſe, idque propter ea ipſa verba, *quæ rationem deſiderant.* atque idcirco vt eam expediret, *Appellat* (inquit) *Ariſtoteles λόγου δεόμενα, cuncta quæ videntur generi cuidam hominum vniuerſo.* Sed hoc & obſcurè dicitur, ita ut nodus non dum ſatis explicatus videatur, & ad arbitrium potiùs, atque adeò temerè profertur. Nam quis quęſo vel iuranti credat vnquam, Ariſtotelem dum dicit, Dialecticus argumentatur ex his, quæ rationem deſiderant, ſignificare argumentatur ex his videntur generi cuidam hominum vniuerſo?

Maioragius itaque vertit hunc locum, *Dialecticus ex his argumentatur, quæ ratione allata*

310 *probari poſſunt*, contenditque nil aliud ſignificare Ariſtotelem niſi Dialecticum ea quærere, quorum ratio probabilis reddi poteſt: atque in eâdem fere naui ſunt Brocardus & Sueſſanus: quorum alter ſcribit Dialecticum, *argumenta ducere ex ijs, quæ idonea ſunt, de quibus quæratur, & digna quæ rationibus confirmentur*: Alter verò veterem interpretationẽ ſecutus legit, *Dialecticus argumentatur ex his, quæ ſunt opportuna in diſputatione.* Sed tamen nihil perſpicui elicitur adhuc, ſi verba ſpectes, cum illud *ἐκ τῶ λόγου δεομένων*, nullo modo ſignificet ex idoneis, quæ probatur, vel ex probabilibus, aut etiam ex opportunis in diſputatione, ſed ex his, quæ egent ratione, ſeu rationem deſiderant.

Reſpondeo itaque obſcurè quidem locutus eſt hoc in loco noſter author (fateor) ſed ingenioſè tamen ac peracutè; non falsò ac temerè. quod vt intelligatur, recolenda ſunt ea, quę in hanc ipſam ſententiam docuit primo libro Topicorum capite IX. Nam cum verba faceret de quæſtionibus quas excipere, ac tractare debet Dialecticus, *Non oportet* (aiebat) *omne problema nec omnem poſitionem conſiderare, ſed quam dubitabit aliquis eorum, qui ratione egent, & non pœna vel ſenſu.* vbi ſtatuebat debere Dialecticum diſputare de his, quæ dubitat, nõ is, qui eget pœna & ſenſu, vt verbi gratia erant ij qui negabant ignẽ eſſe calidum (hi enim ſenſu & experimento conuincendi ſunt) aut colẽdum eſſe Deũ, honorandos eſſe parentes (hi enim pœna non verbis corrigendi eſſent) ſed is qui egeat ratione, id eſt qui rem proponit, quæ non eſt ita explorata, quin apud cordatos homines etiam quoquo modo trahi poſſit in contrarias partes, ac ſummatim quæ deſideret *Reſpondetur.*

311 probationem. Quare dum hoc in loco ait; *Etenim illa* (Dialecticam intelligit) *ſyllogiſmum colligit non ex quibuslibet: videntur enim quædam etiam delirantibus; ſed illa quidem ex ijs, quæ rationem indigent*: totus eſt in ſententia ex Topicis paulò ante recitata, ſignificátque Dialecticum debere non ex quibuslibet probabilibus argumẽtari (ſic enim neceſſe eſſet vt arriperet illa etiam quæ probantur ſtultis) ſed ex illis quæ non pena aut ſenſu, ſed ratione egent; nam qui diſputat cum his, qui non pœna aut ſenſu, ſed ratione egent, is

diſputat

diſputat ex probabilibus,vt propterea apud Ariſtotelem reciprocentur iſta,qui ex probabilibus diſputat,ex ijs diſputat, quæ ratione egent ; & qui ex his diſputat quæ ratione egent,probabilibus diſputat. Quamobrem vera quoquomodo docebant hoc in loco Interpretes:tametſi quo pacto ex his verbis elicerentur,quæ docebant,diuinare potiùs videbantur & coniectare, quam ratione ipſa, atque inuoluta enodatione ſententiã explanare. Dum verò ait Ariſtoteles delirantes quoque homines ſuas opiniones habere, egregia huius rei exempla legi poſſunt apud Maioragium; quæ huc ex Galeno atque alijs nonnullis congeſſit. Nos enim ad alia properamus. Licet autem ex his quæ paulò ante docebamus de Dialectica,intelligere cur dicat Ariſtoteles, Rhetoricam colligere ſyllogiſmum, ſiue potiùs argumentari ex his, quæ in conſultationem cadere ſolent: ſignificat enim non ea tractare in ſenatu, aut foro, de quibus inter omnes conſtat,quæue non egent conſultatione,ſed quæ videntur potiùs in vtrãque partem flecti poſſe,ac propterea conſultatione indigent ac deliberatione, & idcirco etiam ſtatim ſubdit.

PARTICVLA XLIV.

Ἔστι δὲ τὸ ἔργον αὐτῆς, περί τε τοιούτων περὶ ὧν βουλευόμεθα, καὶ τέχνας μὴ
ἔχομεν. καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις ἀκροαταῖς οἳ οὐ δύνανται διὰ πολλῶν συνορᾶν, οὐδὲ 312
λογίζεσθαι πόρρωθεν.

Eſt autem munus ipſius & de eiuſmodi rebus, de quibus conſultamus,& artes non habemus, & apud eiuſmodi auditores, qui non poſſunt ex multis contueri, neque ratiocinari longiùs. *Riccobonus.*

Eſt enim artis oratoriæ proprium munus ea tractare, de quibus conſultamus,& quorum adhuc artes traditas non habemus, & apud Auditores eiuſmodi, qui per multas rationes, acutè rem intelligere non poſſunt. *Maioragius.*

Vbi primùm confirmat Oratorem in his verſari, quæ in conſultationem venire ſolent. & quoniam potuiſſet quiſpiam obijcere, ſæpè conſultari de curando ægroto, ſæpè de ratione ædificandæ vrbis, déque huius generis alijs,atque ad horum cõſultationem vocari Medicos, Architectos, ac proprios artifices, non Oratorem; idcirco ſtatim monet, Oratorem non de omnibus conſilium dare, aut ad omnes conſultationes accerſiri, ſed ad illas tantùm de quibus non extant artes; vt verbi gratia cum deliberandũ eſt, vtrum conſtituenda ſit pax cum hoſtibus:arcendi ne ſint externi aut aduenæ belli tempore ex vrbe,aut de cæteris huiuſmodi conſilium capitur. Quibus tertio loco addit cõſultare Oratorem apud eos auditores, qui non per multas argumentationes intelligere poſſint, ſed per paucas,nec acutè contuentur,ac longè poſita,ſed quæ ſunt ad intuẽdum facilia ac viciniora. Hæc Ariſtoteles.

Qui ſanè (ni magnopere quidẽ fallor) ex Platonis Gorgia vſurpauit hæc ferè omnia. Nam dum primo loco ad conſultationem reuocat Oratorem, id verò, Platone haud diſſentiente, viſus eſt feciſſe. *part. 1. ante f.* Etenim cum affirmaret Gorgias in ijs perſuaſionem verſari,quæ in iudicijs & alijs cętibus de iuſtis & iniuſtis rebus conſultantur,ac non multò 313 poſt etiam adderet, dum aliquid deliberandum eſt, Rhetorum eſſe conſilium dare, & de ijs quæ in conſultationem veniunt deliberare; Socrates,quippe qui ſciẽtiam requirebat in Oratore, perſuaſionem illam improbauit quidem, reliqua,quæ ad cõſultationem pertinent,tacitus prætermiſit. Quòd verò ſecundo loco affirmat Ariſtoteles non ad omnium rerum conſultationem vocandum eſſe Oratorem, ſed in ijs tantùm, quorum non extant artes,profectò id quoque cum Platone mirificè conſentit. Nam cum Gorgias,vt inconſtantiſſimus fingitur, omnium rerum cõſultationem tribueret Oratori,ſtatim Socrates,*Quum*,inquit,*de Medicorum electione conuentus habeatur, aut de nauium fabbricatoribus, aliisque huiuſmodi opificibus eligendis, num Oratoris fortaſſe erit id conſultare?*

Digitized by Google

Perſpicuum eſt enim in huiuſmodi electionibus peritiſſimum quemque cuiuſque artis diligi oportere: neque rurſus cum de murorum extructione, aut portuum ſtructura, naualibúsque parandis, Oratoris officium erit conſilium dare, ſed architecti: quin etiã neque cum de deligendo Imperatore, aut de exercitu aduerſus hoſtes inſtruendo, de regionibus occupandis, ſed rei militaris periti. Hæc & alia quã plurima in hanc ſententiã Plato, vt ea quæ arte continentur, ab Oratoris conſultatione præcluderet. Quã ſententiã M. Tullius etiã proſecutus eſt fusè in primo de Oratore. Ex quibus oĩbus intelligitur, quid ſibi voluerit Ariſtoteles, dũ negaret Oratorẽ de his conſultare, quorũ traditas artes habemus nã de his quorũ nõ extãt artes, dicemus poſtea. Denique qđ ait, Oratorẽ apud eos dicere, q nõ ita acutè perſpiciũt, nec ſubtilioribus rationibus docẽdi ſint, cũ ſint rudes; ad hoc etiã Socratẽ minimè abhorruiſſet ſuſpiceris, qui Gorgiæ cõcedere viſus eſt, Oratori apud ignauũ vulgus eſſe dicendũ, quod res ſubtiliter
314 inueſtigare nõ poteſt, aut breui tpe de magnis arduiſque rebus doceri. Quanquã hoc poſtremũ vel ironicè, vt alia ſæpè multa, pronũciabat Socrates, & Gorgiã eludẽs, qui tã præclara ratione rerũ ſcientiã negaret Oratori, opinionẽ verò tm̃ atque adumbratam quãdam rerum cognitionem concederet ei, vel aduerſarij dũtaxat rationẽ afferẽs non ſuam.

Sed graues ſtatim oriũtur dubitationes. Etenim Ariſtot. ſupra nõ vno in loco docuit, *Dubitatur I.*
Oratorẽ nõ habere certã atque definitã materiã, in qua verſet, ſed in qualibet re perueſtigare atque tractare illa quę ſunt ad fidẽ faciendã idonea: hîc verò verſari ſignificat in his tm̃, quæ cõſultatione indigẽt & deliberatione. At hæc, ſi accuratè perpẽdamus, ciuilium actionũ pars quædã ſunt, & ea quidẽ exigua. Qua in re Gorgiæ incõſtantiã, tametſi præpoſtero ordine, ſecutus eſſet noſter author. Ille enim, vt eſt apud Platonẽ, cũ rerũ iuſtarũ atque iniuſtarũ cõſultatione viſus eſſet aliqñ coërcere Oratoris munus; eundẽ tandẽ ad omnẽ veluti ſcenã, proſilire iuſſit, decreuítque illi de omni re eſſe dicẽdum: Ariſtoteles cõtra ab immẽſo illo oĩum rerũ cãpo ad vnã conſultationẽ in pręſentia Oratorẽ contruderet ſuũ. Quanquã ne hanc quidẽ ſolam diu retinere viſus eſſet, cũ non multò poſt ſtatuat, tribus peruulgatis illis generibus cauſarũ totũ Oratoris officiũ cõtineri. II. Sed & docuit ſupra Dialecticã, ac Rhetoricã in iiſdẽ rebus, quãuis alia atq; alia ratione, occupari, ac propterea agnatas eſſe, ſibique mutuò reſpondere. Hîc verò dum ciuiles cõtrouerſias Oratoris proprias facit, ab iiſdẽ arcet Dialecticũ, ac diuerſis planè officijs indicat detineri. Denique quid eſt q̃ præcipit Oratoris munus eſſe tractare illa de quibus cõſultatur, & quorũ nõ extãt artes? An ſi de finitimo agro vaſtãdo, diripiẽdáque vrbe aliqua cõſultet,
315 aut de matrimonio cõtrahẽdo, fœdere cũ amicis frãgẽdo, Tyberis nauigatione reſtituẽda, III.
Padi impetu reprimẽdo, publicis ludis, ſplẽdidiſſimis nuptijs, celebrãdis, cõſiliũ capiatur, Orator erit cõſulendus, cũ harũ rerũ gerẽdarum nullas artes cõſcriptas, aut traditas habeamus? Hæc inquam atque huiuſmodi alia quæri poſſent hoc in loco. Quanquam non eſt quòd vos his quæſtionibus detineam hoc tempore; nam de his omnibus tunc vberior & opportunior ſeſe offeret diſputandi locus, cum ad tria illa cauſarum genera explicanda deueniemus, in quibus tandem velut in proprio regno collocatur Orator. Niſi tamen hunc veluti campum peragrare antea cogamur vniuerſum. *Propoſitæ Dubitationes in aliũ locum reijciuntur.*

Nunc itaque illud potiùs explicabo, qđ in pręſentia ſine crimine prętermitti minimè poteſt: nã cũ ſtatuiſſet Ariſt. ea ſpectare Oratorẽ, quę veniũt ĩ cõſultationẽ, nec cõtinentur proprijs artibus, addidit id fieri ab Oratore apud auditores, q nõ vſque adeò acutè cernãt. *Dubitatur rurſus.* Qđ ſanè cur addiderit obſcurũ & verò controuerſum videri poſſet. Etenim Maioragius hoc ipſũ præcepiſſe monet M. Tulliũ lib. II. de Finibus, vbi docet Rhetoricã forẽſẽ, q̃m populariter loquatur neceſſariò hebetiorẽ eſſe; ſed quò ſpectẽt hæc apud Ariſt. hoc tpe nõ explicat. Victorius aũt exiſtimat iſthæc tradi ab Ariſt. vt quẽadmodũ Oratoris materiã cõmoſtrauerat, ita ẽt de pſonis cõſtare vellet, apud quas ageret ipſe Orator. Sed non video cur in præſẽtia huc cõuertat ſuã orationẽ noſter Author, & de pſonis ſibi dicẽdũ
316 putet, apud quas dicit Orator, cũ inchoatã de enthymematis ſiue Oratoris materia diſputationẽ nondũ abſoluerit, præſertim quia illius explicationẽ in medio quaſi curſu interpellaret. Ego itaque aliud ſentio fuiſſe Ariſt. cõſiliũ, ac paulò longiùs ſpectaſſe: nõ talem monet eſſe auditorẽ, nec poſſe lõgiùs & acutè intueri, vt deinde vnũ addat, qđ potiſſimũ *Reſpondetur.* ad enthymematis materiã explicandã expeti poſſe videbatur: dixerat.n. Rhetorẽ debere ex his argumẽtari, quę ſũt probabilia ſicut & Dialecticus facit, q excipit eas quæſtiones, quæ deinde probabili ratione oſtẽdi poſſunt; ſtatim itaque potuiſſet aliquis quęrere, nũ ea quoque probabilia cẽſenda ſint, quæ quãuis niſi multis iteratiſq; argumẽtationibus nõ oſtẽduntur, oſtẽdũtur tñ. Ariſtoteles itaque demonſtrare inſtituerat hæc probabiliũ

argumẽtationũ genera omnino eſſe repudiãda, aut ſaltẽ quo ad iis fieri poſſit declinãda: nã apud rudes auditores, quiue ſubtilioribus diſciplinis nõ ſũt exculti. (tales.n.ſumit eſſe illos, apud quos verba facit Orator) perinde eſt propemodũ rationes probabiles arripere, quę niſi multis rationibus, & lõgioris argumẽtationis ductu, cõfirmari ac ſuaderi haud poſsũt, ac ſi ſubtiliſſimis difficillimisque argumẽtationibus vteremur. Ergo acutè monet hoc in loco Oratorẽ apud rudes auditores dicere, vt hac veluti ſumptione poſſit deinde omni ex parte oſtẽdere, q́d probabilis argumẽtationis genus enthymemati cõueniat, & quatenus argumẽtando ſit progrediendũ Oratori. & idcirco quæ colligit ac ſtatuit in Particula LXVI. oĩa (id quod ſuo loco docebimus) hoc fundamẽto nitũtur, quo hîc veluti exploratũ ac certũ poſuerat Oratorẽ verſari inter eos, qui difficulter cõplecti poſſint atque percipere, quæ lõgiùs atque altiùs repetita ſumũtur. Imò verò quẽadmodũ id tanquã ſumptionẽ arripit hoc in loco, qua paulò poſt vtatur perinde ac cæteris; ita ẽt ĩ verbis illis, *Verſatur autẽ eius munus in ijs rebus, de quibus cõſultamus & artes nõ habemus*, altera ſũptio poſita eſt, qua itẽ vtat poſtea; itaut ĩ ſũptionib⁹ poſtulatisue adhuc occupet. 317

PARTICVLA XLV.

Βουλευόμεθα δὲ περὶ τῶν φαινομένων ἐνδέχεσθαι ἀμφοτέρως ἔχειν. περὶ γὰρ τῶν ἀδυνάτων ἄλλως ἢ γενέσθαι ἢ ἔσεσθαι, ἢ ἔχειν, οὐδεὶς βουλεύεται οὕτως ὑπολαμβάνων, οὐδὲν γὰρ πλέον; ἢ οὕτως ἐνδέχεται συμβουλεύειν.

AT cõſultamus de ijs, quæ videntur poſſe ſe vtroque modo habere. De ijs verò, quæ fieri nõ poteſt vt aliter vel facta ſint vel ſe habeant, nemo conſultat ſic exiſtimans. Nullo enim alio modo niſi ſic contingit conſulere. *Riccobonus.*

DEliberamus autem de rebus illis quæ videntur in vtrãque partem cadere poſſe: de ijs verò, quæ nullo modo fieri poteſt, vt aliter aut fuerint aut futura ſint, aut ſint, nemo eſt qui deliberet, ſi modò ea ita ſe habere intelligat: neque enim in rebus eiuſmodi quiſquam aliter, quàm eo modo tantùm conſilium dare poteſt. *Maioragius.*

DIxerat Rhetorem ex ijs argumentari, quæ in cõſultationem venire ſolent. Ob id itaque ſtatim potuiſſet aliquis quærere, quænam ſint illa, quæ dicuntur in conſultationem venire. Ipſe itaque qui interim vt ſuperiora paulò explicaret vberiùs, dicẽda etiam docere poſſet aptiùs, in ſumptionis loco ſubiecerat ea quoque verba, *& quorum artes adhuc non habemus, & apud auditores qui per multas rationes intelligere nequeunt*; nunc quaſi ad inſtitutũ ſe refert, atque aperit quaęnã ea ſint, quæ in conſultationem venire ſolent. Quare ait conſultari à nobis ac deliberari de ijs, quæ videntur cadere poſſe in vtranque partem: nã de his rebus quæ aliter fieri nõ potuerũt, aut vno tñ modo vel fieri, vel ſe habere poſſunt, nemo eſt qui deliberet: niſi ñ deceptus, iudicet ea nõ eſſe neceſſaria, ſed aliter atque aliter ſe habere poſſe. nã ſi neceſſitatẽ earũ rerũ nouerit, oĩs tollitur deliberãdi ac ſuadendi occaſio. Hæc vr̃ huius loci vis. Quẽ ſanè fœliciter (vt ſolet) expreſſit ac mirificè illuſtrauit M. Tullius in Partitionibus, vbi, *In cõſilio dãdo* (inquit) *ſentẽtiáque dicẽda, illa prima ſunt ſuaſori aut diſſuaſori videnda, quid aut fieri poſſit, aut non poſſit: & quid aut neceſſe ſit, aut nõ neceſſe. nã & ſi quid effici nõ poteſt, deliberatio tollitur, quãuis vtile ſit: et ſi quid neceſſe eſt (neceſſe autẽ id eſt, ſine quo ſalui liberi ve eſſe nõ poſſumus) id eſt reliquis & honeſtatibus in ciuili ratione & cõmodis anteponendũ. Cũ autẽ quæritur quid fieri poſſit, videndũ etiã eſt, quã facilè poſſit. nã quæ perdifficilia ſunt, perinde habẽda ſæpè ſunt, ac ſi effici nõ poſſint. Et cũ de neceſſitate attendemus, & ſi aliquid non neceſſariũ videbitur, vidẽdum tamen erit quàm ſit magnum. Quod enim permagni intereſt, pro neceſſario ſæpè habetur.* Atque hãc ipsã rẽ fusè ꝓſequutus eſt. Quintil. lib. III. cap. VIII. ſed copioſiſſimè omniũ ipſemet Ariſt. nõ multò poſt hoc eodẽ in libro. 318 pag. 237

Verùm dũ ait Ariſtoteles, nos de his conſultare, quæ videtur *ἐνδέχεσθαι ἀμφοτέρως*, hoc eſt vtroque modo cõtingere, nõ eſt exiſtimandũ id præcipi, ꝙ ea de quibus deliberamus niſi vno atque altero modo decerni haud poſſint & expediri. nã, vt rectè monet Victorius hoc in loco, multa ſũt, quæ multis variiſque rationibus perduci ad exitũ poſsũt, vt ſi qs de rõne deliberẽt patrimonij amplificãdi, huic mercatura, militia, agricultura, parſimonia, ſex cẽtę deniq; artes atq; rõnes occurrere poteriit, de qbus cõſultandũ ſit. ſic igit locutus eſt, ꝙ ſi nõ oĩa, ac certè plurima ſint, q̃ vna atq; altera tñ rõne cõfici poſſint; pręſertim cũ de re aliqua cõplectẽda vel repudiãda cõſiliũ capit. Quãquã ſi Grãmaticos in cõſiliũ adhibere velimus, dicere quoq; poſſimus, illud *ἀμφοτέρως ἐνδέχεσθαι*, id eſt *vtroque modo cadere*, pinde valere ac ſi dixiſſet, in ancipiti verſari; nec vno modo (ſiue duobus tãdem, 319

dem,ſiue pluribus id cõtingat(ſe ſe habere: nã ſic etiã illũ Tucydidis locum exponunt
quidã *ἐπ' ἀμφότερα γιγνόμενοι ταῖς γνώμαις*, quẽ vertũt, *in varias ſententias diſcedentes.* quod ſi
etiã cũ Budæo *ἀμφοτέρως* pro pluribus modis,ſiue aliter atque aliter,interdũ vſurpari di-
cas,ſimpliciùs fortaſſe ſenties,ac mea quidem ſententia veriùs. Nã paulò poſt ipſemet
Ariſtoteles dum ait *ὡς τὰ πολλὰ ἔχειν καὶ ἄλλως* , *quę ſæpè aliter ſeſe habent*, id ſatis declarat,
cum ad eum locum *ἀμφοτέρως ἐνδέχεσθαι* reſpiciat, vt conſtabit quoque poſtea.

Sed his omiſſis,grauiora aggrediamur, quaéque propriam deſiderant Cõtrouerſiã.
nam quid eſt,quòd Ariſtoteles deliberationẽ ſiue conſultationẽ a rebus neceſſarijs ex- *CONTROVERSIA XXIX.*
cludens,non futuri ſolùm tẽporis rationẽ habet, ſed præſentis etiã,ac,quod perridicu-
lũ videri poſſet,præteriti? ait enim neminẽ conſultare de ijs, quæ nequeunt aliter facta *Quid cauſa ſit cur Ariſtoteles præſentis quoque tẽporis quam futuri etiã in Conſultatione ac Deliberatione rationẽ habeat.*
eſſe,aut aliter ſe habere; quaſi verò ſi nõ neceſſariò facta eſſent, aut ſi aliter fieri potuiſ-
ſent,poſſent etiã in cõſultationẽ venire. Denique cũ facta infecta reddi nõ poſſint;pro-
fectò ſtatim atque aliquid factũ eſſe intelligimus,tolletur omnis cõſultãdi locus.Nihil
igitur intereſt ſiue illud neceſſariò,ſiue pro arbitratu,factum ſit.ac propterea ea verba,
320 *nam de ijs, quæ nequeunt aliter facta eſſe aut ſe habere conſultat nemo*; temerè, atque adeò falsò
proferuntur.Nemo,quod legerim,tractat hanc dubitationem præter Maioragium: ta-
metſi enim alij multi nos admoneant, videri iam Ariſtotelẽ peranguſtis quaſi cancellis
ſuum concludere Oratorẽ,ſignificántque ab immenſo illo rerũ campo ad vnã conſul-
tationẽ reuocari;attamen quod rei caput eſt tacitè prætermittunt:Maioragius itaque,
vt huic dubitationi ſatisfaciat,*Cõprehendit*,inquit, *Ariſtoteles omnia tẽpora,non quòd quiſquã*
de prȩterito deliberet: omnis enim deliberatio eſt de futuro, ſed vt remoueat, quæ non cadunt in deli- *Maioragij ſententia.*
berationẽ;ſic iſte.Quamobrẽ qui velit hoc nomine tueri Ariſtotelẽ, reſpondebit falſum
aut obſcurũ proferre nihil:imò verò hęc eſſe explorata omnia ac certa. Sed mihi quidẽ
hæc reſponſio non probatur: nã vt omittã in prȩſentia,tum cũ qui perſpectã omnibus *Quàm lubrica ſit & infirma.*
doceat veritatẽ, perinde facere ac ſi rem vanã,ne dicã ſtultam enunciet, tũ hoc docẽdi
genus Philoſophi accurati ac grauis videri minimè poſſe,ſed iudicio abutentis & ocio;
lib. 1. cap. 4. Ariſtoteles in illud planè vitiũ incidiſſet, de quo in Elenchis reprehẽdit Sophiſtas: quo
nimirũ pro cauſa non cauſa affertur.nã cum dicit, *de ijs enim quæ nequeunt aliter facta eſſe,*
conſultat nemo,tametſi verũ dicit,veruntamen in cauſæ loco nõ verã cauſam affert : nam
quæ facta ſunt,ne ſi aliter quidẽ fieri & contingere potuerunt , conſultationẽ vnquam
321 ſubibunt cũ facta ſint: quare verũ eſt quidẽ de rebus factis cõſultare neminẽ, ſed cauſa
cur de illis cõſultat nemo,eſt quia cũ facta ſint,infecta reddi non poſſunt;non quia fieri
aliter nõ potuerũt. Eſto enim,Ariſtoteles, aliquid factũ ſit quod aliter atque aliter fieri
aut contingere potuerit, nũ idcircò eſt cur de hoc cõſultes?minimè verò. nã quemad-
lib. 6. eth cap. 2. modũ alibi ſcribis *τὸ γεγονὸς οὐκ ἐνδέχεται μὴ γενέσθαι*, quod factũ eſt, infectũ reddi nequit.
Ergo vera ac potiſſima cauſa, cur aliqua res,quæ facta eſt, non poſſit in cõſultationem
venire,eſt quia facta eſt,nõ quòd aliter nõ potuerit fieri:licet enim aliter potuiſſet fieri,
haud tamẽ vllus ſupereſſet conſultandi locus. igitur vel temerè (vt à principio dicebã)
triũ illorum temporum rationẽ habuit Ariſtoteles, vel,ſi Maioragium ſequaris,illum
non modò ocioſa, ſed vitioſa etiã ac falſa, argumẽtatione vſum eſſe fatearis neceſſe eſt.
Nã neque præſentia in conſultationẽ venire poſſe (niſi tamẽ ea , quæ imminẽt propter
propinquitatẽ præſẽtia appelles,vnde genus deliberatiuũ cũ demõſtratiuo cõfunderes
tpe)ac propterea tripartitã illã tẽporis varietatem perturbari vndique , iam cõſtat ſatis.

Ego verò magnopere ſuſpicor(ſuſpicor inquã: nã pro cõperto id affirmare non ſatis
auſim)aliam eſſe huius loci ſententiã, atque Ariſtotelẽ, dum Oratoris munus conſul-
tationis terminis circumſcribit,cõſultationis nomine nullo modo intelligere tertium
illud cauſarũ genus quod conſultatione ac deliberatione continetur, quódque futurũ
tantùm ſpectat tempus, atque (vt dicam paucis) demonſtratiuo ac iudiciali generi op-
ponitur,ſed ſignificare ea omnia, quæ in iudicijs, aut cõcionibus ſuadere conatur Ora-
tor,ac de quibus ſententiã exponit ſuã. ita ſanè per ea, quæ in conſultationẽ cadere ſo-
322 lẽt,nihil aliud intelligeret,ꝗ iuſta & iniuſta,honeſta & turpia,vtilia & inutilia: quę ſanè
ad tria illa cauſarũ genera reuocantur:nã ad deliberatiuũ vtile & inutile,ad demõſtratiuũ
honeſtũ & turpe,ad iudiciale iuſtũ & iniuſtũ pertinet. quare illorũ verborũ,*Sed ille qui-*
dem ex ijs eſt , quæ rationem deſiderant : Rhetorica verò ex ijs , quæ in conſultationem cadere ſolent,
hæc erit vis atque ſententia : Dialectica argumentatur ex ijs quæ rationem deſiderant,
id eſt ex ijs,quæ non pęna,aut ſenſu,ſed probabili ratione oſtendi poſſunt (id enim ſatis
ſupérque demonſtratum eſt ſupra) Rhetorica verò ex ijs, quæ in conſultationẽ cadere

 ſolent,

ſolēt, id eſt ex ijs, quæ de iuſtis & iniuſtis, turpibus & honeſtis. vtilibus & inutilibus, cō-
ſultamus, atque adeò verba facimus. cū enim hæc omnia perinde ac illa de quibus cō-
ſultamus, in vtrāque partē accipi & flecti poſſe videantur, cōſultatione (quæ tamē alio-
quin in deliberatiuum genus, & in res vtiles & inutiles, propriè cadit) deſignātur. & id-
circo cum explicaret deinde quaénam ea ſint, quæ in Conſultationem cadere ſolēt, ſub-
debat, *conſultamus autem de ijs, quæ in vtrunque modum ſe videntur habere*: quæ ſine dubio sūt
iuſta & iniuſta, & cætera quæ recenſebam, quaéque tribus illis generibus cauſarū cōti-
nentur. Ex quibus (vt ſæpè monui) Iudiciale ſpectat præteritū tempus, Demonſtratiuū
præſens, Deliberatiuum denique futurum. atque hoc genere loquendi Plato etiam eſt
vſus in Gorgia, vbi conſultationem non modò ad res vtiles & inutiles, verùm etiam ad
iuſtas & iniuſtas refert. Quo nomine genus quoque demonſtratiuum, quoniā in con-
trarias partes cadere poteſt, ac laudatione & vituperatione variatur, proindéque ſuaſio-
nem & diſſuaſionem quoquo modo amplectitur, cōſultationis varietate implicatur: 323 *cap. 3.*
præſertim verò quia in hoc genere (id quod monet Ariſtoteles) ſaltem de Oratoris fa-
cultate iudicandum ac deliberandum ſit.

Quæ ſi vera ſunt (eſſe autem veriſſima magnopere & ſuſpicor & poſt paulò oſtendā,
vt ſpero, clariùs) iā animaduertere licet non temerè ac falsò, ſed acutè veriſſiméque di-
xiſſe Ariſtotelē, neminē cōſultare de ijs, quæ nequeunt aliter facta eſſe, aut aliter ſe ha-
bere. nā ſi conſultationis nomine intelligeret deliberatiuū genus, vt contendunt aduer-
ſarij, meritò ſanè vrgeretur Ariſtoteles, quod nō modò importunè ac temerè, ſed falsò
etiā locutus eſſet, non cauſam pro cauſa vſurpans & aſſerens: ſed quoniā conſultationis
nomine omnē de iuſtis, iniuſtiſque rebus, deque honeſtis & turpibus, vtilibus & inuti-
libus, ſuaſionē & diſſuaſionē ſignificat, ſapienter omnino & verè loquutus eſt: nā dum
dicit, *de ijs, quæ nequeunt aliter facta eſſe conſultat nemo*, id profert propter genus Iudiciale,
quod ſpectat pręteritū tempus: quare ſi inciderit quęſtio, an aliquid iuſtè vel iniuſtè fa-
ctū ſit (quæ enim iā facta ſunt, iuſti atque iniuſti nomine tantū in controuerſiā veniūt,
atque ad vnū iudiciale genus pertinēt) ac deinde cōpertum fuerit factū illud neceſſariò
contigiſſe, omnis tollitur cōſultandi ac ſuadendi locus: nā nemo reus eſſe poteſt eorū,
quæ aliter nō potuit gerere. Pari ratione dum docet, neminē conſultare de ijs, quæ ne-
queunt aliter eſſe, eádemque ijs opponit quæ nequeunt aliter aut facta aut futura eſſe,
id totū pronunciat propter genus demonſtratiuū, quod ſpectat præſens tēpus & in lau-
de aut vituperatione occupatur: ac propterea ſignificat cum aliquid ita ſe habet, vt nō
poſſit aliter ſe habere, omnē ſuadēdi quod eſt omnē laudādi aut vituperādi locū & oc-
caſionē euaneſcere; nam de ijs quæ aliter ſe habere nō poſſunt, nec laudem meremur,
nec vituperationem: ſic denique (id quod ex ſe perſpicuum eſſe poteſt) dum dicit de ijs, 324
quæ futura ſunt, ſi non poſſint aliter fieri, conſultare neminem, id tradit propter genus
deliberatiuum, quod ſpectat futurum tempus, & circa vtile & inutile verſatur: nam ſi
id neceſſariò eueniet, non eſt quòd deliberemus, aut conſultemus.

Quæ ab initio obijciebantur, diluuntur omnia.

Atque hoc pacto corruunt ea omnia, quæ aduerſus Ariſtotelē afferebā: nam cū cō-
ſultatur, non de vtili & inutili, ſed de iuſto & iniuſto, nō ea de cauſa præterit omnis cō-
ſultandi ac ſuadendi occaſio, quod illud iam factum ſit, ſed quòd aliter fieri nō potuerit: nā
tum demum omnis aut accuſationi præciditur locus, aut defenſioni, cū rem, quę alio-
quin iniuſta aut iuſta cenſeatur, etſi iādiu cōtigerit, neceſſariò cecidiſſe deprehēditur;
atque idcirco verā & germanā cauſam attulit Ariſtoteles, nō fictā, aut Sophiſta dignā.
Id ipſum veriſſimè dici poteſt de ijs, quæ veluti præſentia veniūt in conſultationē: cum
etenim non de vtilibus & inutilibus cōſultatur, ſed de honeſtis ac turpibus, quæ demō-
ſtratiuo genere cōtinentur, ac vel laude vel vituperatione digna ſunt, tunc etiā tollitur
omnis conſultandi, hoc eſt ſuadendi, quod eſt laudandi aut vituperādi, locus, ſi conſtet
id aliter fieri, aut ſe habere non poſſe quo tēpore præſens tēpus nō Phyſicorū more ſumi-
tur, ſed populariter; optiméque etiā à futuro diſtinguitur, quod ſpectatur in delibera-
tione: nam ea, de quibus eſt deliberandum, ne momentū quidem tēporis habēt adhuc,
tantùm abeſt, vt certum quoddam interuallum in illis notari poſſit, vt in ijs quæ demō-
ſtrantur. Ita demum ſi noſtram ſententiam ſequaris, planiſſimus redditur hic locus 325
vniuerſus, nullúſque (vt declaratum eſt) ſupereſt dubitationis locus: cum è contrario
aduerſariorum ſententia tot tantíſque ſcopulis ac ſalebris plena ſit, quot quantá-
que demonſtraui. Et hac de cauſa tutò docere continenter poterit Oratoris officium
his tribus generibus contineri, totóque deinde primo libro huiuſmodi generum locos
acpræ-

Digitized by Google

ac præcepta tum in vniuerſùm,tum ſigillatim proſequi,&(vt ſemel dicam)prçter hoc vnum, toto reliquo opere ſpectare nihil. Et ſanè Ariſtoteles quærebat interim cuiuſmodi eſſe deberet veriſimile ac perſuaſibile ex quo ducere argumenta debet Orator. Cur igitur ex deliberatiuo genere tantũ petet huiuſmodi perſuaſibile cũ nulla ſit ratio, propter quã eius perſuaſibilis potiùs rationem habeat quod ſitum eſt in vtili,& inutili; quàm illius, quod cernitur in iuſto & iniuſto, honeſto & turpi? Adde quòd controuerſiarũ,quæ in dies incidunt, varietas, Rhetorum præcepta, Oratorum vſus ac diſceptationes,neceſſitas denique ipſa docent, Oratori de veriſimili in tripartito illo genere eſſe agendũ. Denique ſi quid eſt,quod aduerſarijs faueat,illud certè eſt, quod in hoc capite Ariſtoteles, modò βουλευόμεϛα, inquit, modò βουλεύεται,& (vt rem complectar breui) hanc vocem tota hac diſputatione,veluti ſolemnem vſurpat,retinétque perpetuò. Hęc autē vox eam conſultationem vel maximè videtur ſignificare, quæ deliberationis ſiue deliberatiui generis eſt propria. Sed hoc nihil planè efficit: nã licet hæc vox deliberatiui generi congruere optimè poſſit,vbi de vtili & inutili ſic conſultandũ, verũtamen germana eius notio,quodcunque cõſultationis genus habet ſubiectum: quemadmodũ enim & in tribus illis generibus aliqua incidere poteſt quæſtio, & in omnibus aliquando ſeſe offerre ſolet conſultandi occaſio,ita iure optimo nõ deliberatiuo generi ſolum, ſed iudiciali etiam, & demonſtratiuo reſpondet; quod ſi alibi vnquam hoc certè in loco cernitur,in quo,vt dicebam,ſi hanc ſententiam ſequaris; opportunè & egregiè traduntur
326 omnia: eandem ſi reſpuas,nihil aut inſulſius, aut pugnantius doceri potuit.

Quæ adrē explicādā allata eſt ſententia cō firmatur altius.

PARTICVLA XLVI.

ἘΝδέχεται δὲ συλλογίζεσθαι καὶ συνάγειν, τὰ μὲν, ἐκ συλλογισμένων πρότερον, τὰ δ' ἐξ ἀσυλλογίστων μὲν, δεομένων δὲ συλλογισμοῦ, διὰ τὸ μὴ εἶναι ἔνδοξα. ἀνάγκη δὲ τούτων τὸ μὲν μὴ εἶναι εὐπαρακολούθητον διὰ τὸ μῆκος. ὁ γὰρ κριτὴς, ὑπόκειται εἶναι ἁπλοῦς, τὰ δὲ μὴ πιθανὰ, διὰ τὸ μὴ ἐξ ὁμολογουμένων εἶναι μηδ' ἐνδόξων.

Riccobonus.

CONtingit autem cõcludere ſyllogiſmo, & colligere alia quidem ex ſyllogiſmo concluſis prius, alia verò ex non concluſis quidem ſyllogiſmo, ſed indigentibus ſyllogiſmo, propterea quod non ſint probabilia: Ac neceſſe eſt illud quidem non eſſe facile ad conſequendum propter longitudinem. Nam diſceptator ſupponitur eſſe ſimplex: hæc verò minus appoſita ad perſuadendum, quia nec ex confeſſis ſint, nec probabilibus.

Maioragius.

ACcidit autem ijs, quid aliquid ratione concludunt, vt quędam aliquando colligant ex rebus antea concluſis, quædam autem ex rebus, quæ nondum quidem concluſæ ſint, ſed probatione indigent: eo quòd minimè probabiles eſſe videantur: quorum alterum neceſſe eſt difficile eſſe ad intelligendum ob longitudinem: diſceptatorem enim eundem eſſe ponimus, atque in diſciplinis minimè verſatum: alterum autem ad perſuadendum haudquaquam accommodatum: eo quòd neque ex rebus manifeſtis, neque ex probabilibus proficiſcatur.

Comment. XLVI. Loci ſumma.

EXponit quæ ſint ea, de quibus deliberamus, docuítque eſſe illa, quæ poſſunt in vtranque partem ſeu alio atque alio modo contingere, aut certè talia iudicantur, nunc quoniam quærere iam antea potuiſſet quiſpiam, qua tãdem ratione id quod varijs modis poteſt cõtingere, & in varias partes flecti in alteram tãtùm debeat ab Oratore deflecti, vt hæc vna Iudici, auditoribusque ſuadeatur, indicat rem interdum vnica tantùm ratiocinatione ſeu probatione poſſe confici, interdum duabus aut etiam pluribus opus eſſe. exempla illuſtrabunt rem totam.

327 Incidit in Senatu quæſtio, quid ſtatuendum ſit de P. Lentulo ſedicioſo quidem ciue, & Reipublicæ tyrannidem affectare, ſed tamē à gente Cornelia atque ex Parentibus & Maioribus optimis orto quíque eandem Rempublicam cõſeruaſſent ac ſuo ſanguine ex tyrannide liberaſſet. Quæſtio ſine dubio videtur in varias partes atque ſententias flecti poſſe: nam ſi reputes immortalium familiæ meritorum habendam eſſe rationem,

nunquam ſerendum putabis, vt honoribus, ſacultatibus, vita denique ipſa ſpolietur lē-
tulus. Contra verò ſi Reipublicæ incolumitates ſpectes, pugnabis hunc nō modò ho-
noribus atque fortunis, ſed lucis ipſius vſura eſſe priuandum. Denique illud quoque
ſentiat quiſpiam cum Maiorum, tum Reipublicæ habendam eſſe rationē: ac propterea
omnino faciēdum vt ſimul & Reipublicæ incolumitati, & Corneliorum meritis pro-
ſpiciatur. Ergo dum talis incidit controuerſia, quæ ſine dubio videtur aliter atque ali-
ter definiri poſſe, accedat Orator, qui ſuam ſententiam dicat, quídque tandem proba-
bilius eſſe cenſeat, explicare & ſuadere conetur. Hic igitur ſi ſuadere velit, Lentulum
non quidem necandum, ſed perpetuo carceri eſſe tradendum, triplici ratione ac via
poterit ſuam ſententiam explicare, ac primùm fermè hoc pacto.

Si Lentulus qui perduellionis eſt reus, atque omni ſupplicio dignus, perpetuę cuſto-
diæ tradatur, cum Reſpublica tuta erit, tum Corneliæ gentis meritis conceditur pluri-
mum. Perpetuæ itaque cuſtodiæ tradendus eſt. Hæc prima ratiocinatio, qua res confi-
citur vniuerſa, inſtitutúmque probabili ratione oſtenditur. Poteſt etiam res peragi hūc
in modum. Maiores noſtri qui Rempublicam ſanctiſſimè adminiſtrarunt, ſemper exi-
ſtimarūt in iudicijs iuſtitiæ ſimul & æquitatis habendā eſſe rationem: atque hæc quàm
fieri maximè poſſit, eſſe coniungenda. Nos itaque in hoc iudicio Maiores noſtros imi- 328
tari debemus, diligentérque cauere, ne cū iuſtitiæ aut æquitatis offenſione feratur ſen-
tentia, ſed útranque coniunganrur. Hæc priùs iſte. Quibus ſtatutis, pergat è veſtigio. Iā
igitur ſi Lentulus qui perduellionis eſt reus, perpetuæ cuſtodiæ tradatur, optimè con-
ſultum erit tum iuſtitiæ, tum æquitati; æquitati nā Maiorum cauſa morti ſubtrahetur,
qua dignus erat. Iuſtitiæ, nā nō idcircò abibit impunè, ſed graui adhuc pœna afficietur.
In perpetuam itaque cuſtodiā tradendus eſt. Hæc ſecūda argumentatio: quæ licet ex ſe
probabilis ſit nō minùs quàm prior, imò fortaſſe validior, apud vulgus tamen propter
longitudinē (poſterior enim pars ex ijs, quæ in prioribus cōcluſa ſunt, pendet) vim pro-
babilitatémque amittat ſuam. Et hac argumentatione priorem, quā hîc indicat ratio-
cinationem Ariſtoteles, quàm quæ ex rebus antea concluſis conſtare docet, expreſſam
velim. Quod ſi in hunc modū diſſerat (atque hæc erit tertia probandi ratio & via) ſi car-
cere perpetuò detineatur Lentulus, optimè tum iuſtitiæ, tū æquitatis habebitur ratio,
perpetuò itaque carceri tradendus eſt. Erit quidē breuis ratiocinatio, ſed obſcura, cum
non conſtet ex rebus perſpicuis: neque enim interim declaratur, quî fiat vt iuſtitiæ &
æquitatis ratio habeatur. Idē dixerim, ſi ſententiā exponeret hoc pacto. Familiæ de Re-
publica optimè meritæ, eiuſdémque Reipublicæ incolumitatis habenda eſt ratio quā-
tum fieri poteſt citra iuſtitię & æquitatis iniuriam. Lentulus igitur in carcerē conijciē-
dus eſt. Hæc enim ratio cū per ſe obſcura eſt & inuoluta, tū præſertim apud vulgus au-
thoritatem haberet nullam: imperitis enim hominibus non ſatis exploratum eſt, quo
modo æquitatis & iuſtitiæ, ac familiæ optimæ habeatur ratio, ſi Lētulus perpetuò car-
ceri damnetur. Id igitur, quoniam neque ex conceſſis, neque ex probabilibus ducitur
hæc ratio, eſſet adhuc explicandum; quòd ſi vna eadémque argumētatione explicetur, 329
vt in prima factum eſt, omnino tollitur tum obſcuritas, tum longitudo. & hinc poſte-
rior confirmata ſit Ariſtotelis ratio, quam ait probatione indigere, ac propterea proba-
bilitate adhuc carere.

Quoniam igitur videri alicui potuiſſet Orator omnes huiuſmodi argumentationes
poſſe probabiliter vſurpare, docet iam Ariſtoteles, cuiuſmodi tandem eſſe debeat pro-
babile, quod arripere debet, dum apud vulgus, rudéſque iudices verba facit, oſtēditque
reuera ſecundum hoc ac tertium argumentationis genus, & formam (eſt tamē in Ari-
ſtotele prior & poſterior: tres enim ipſi formulas attulimus doctrinæ cauſa, vt ex ido-
nea minùs idoneæ, quas afferr Ariſtoteles, dignoſcerentur) minimè eſſe accommoda-
tam: tertiā quidem, quia neque cōſiſtat ex confeſſis, neque ex probabilibus, ac proinde
neque ex ſe, neque apud vulgus eſt probabilis, ſecundam verò, quoniam licet per ſe ſit
probabilis, apud vulgus tādem quod longiùs ac multas per ratiocinationes res intueri
nequit, perinde ſe res habet, ac ſi nullam probabilitatem haberet. ex quo intelligitur,
debere Oratorem arripere probabile illud, quod breui argumentatione probari (nos
hoc expreſſimus in prima ratiocinationis formula) atque concludi poſſit.

Ex dictis tria colliguntur.

Atque ex his perutilis habetur multarum rerū explicatio: nam primùm intelligitur
totam Ariſtotelis rationem, qua longa illa multiplexque argumentatio interdicitur

Oratori

Oratori (ſi tamen interdicitur: nam de hoc poſtea) ea ipſa inniti ſumptione, quam
protulerat ſupra cum diceret, *Conſultamus autem inter eiuſmodi auditores qu. non per multa
contueri, neque altiùs perſpicere poſſunt*: & idcirco Ariſtoteles, dum docet multiplicem
huiuſmodi argumentationem eſſe minùs idoneam, reuocat nobis in memoriā ſum-
340 ptionem illam, *nam indicator* (inquit) *ponitur eſſe rudis*: quaſi dicat, id enim iam antea mo-
nuimus & arripuimus.

Quod ſi ita eſt, intelligere quoque licet ſecundo loco veriſſimum eſſe id, quod ſu-
pra aduerſus Victorium docebamus, nimirum verba illa, *Conſultamus autem inter hu-
iuſmodi auditores, qui non poſſunt ex multis contueri, neque ratiocinari longiùs*, non fuiſſe ab
Ariſtotele prolata eo conſilio, quòd cum Oratoris materiam nobis propoſuiſſet, iam III.
commonſtrare vellet perſonas apud quas agit: nam præterquam quod materiæ en-
thymematis, quam adhuc explicabat, interturbaſſet diſputationem, hæc verba eò ſpe-
ctant (id quod Ariſtoteles indicabit apertè ſatis) vt conſtet longiorem ratiocinationē
párere obſcuritatem. Sed & tertio loco colligi poteſt ex dictis formam ſyllogiſmi, ſiue
enthymematis hoc tempore non propter ſe, vt exiſtimare videtur Sigonius, ſed in
gratiam materiæ attingi, nimirum vt conſtet; quæ tandem ſit materia quam aut re-
pudiare aut arripere debet Orator: nam probabile, longa argumentatione explica-
tum, apud rudes probabilitatis ſpeciem amittit: breuiter expoſitum, ſuam vim & au-
thoritatem habet, niſi tamen in obſcuritatem incidat. Atque hinc eſt, vt in proxima
inſequenti particula, in qua epilogum facit eorum, de quibus toto hoc capite diſpu-
tauit, vel certè ex dictis colligit ea, quæ ad materiam pertinent enthymematis, in eiuſ-
dem formæ mentionem, niſi probabilis cauſa ac materiæ ipſius commemoratione,
haud incidat.

PARTICVLA XLVII.

341 Ὥστε ἀναγκαῖον τό τε ἐνθύμημα εἶναι καὶ τὸ παράδειγμα περὶ τῶν ἐνδεχομέ-
νων ὡς τὰ πολλὰ ἔχειν καὶ ἄλλως· τὸ μὲν παράδειγμα ἐπαγωγὴν ἔχειν τὸ
δ' ἐνθύμημα, συλλογισμόν. καὶ ἐξ ὀλίγων τε, καὶ πολλάκις ἐλαττόνων, ἢ ἐξ ὧν ὁ
πρῶτος συλλογισμός. ἕως γὰρ πάντες. ἐὰν γὰρ ᾖ τι τούτων γνώριμον, οὐδὲ δεῖ λέ-
γειν. αὐτὸς γὰρ τοῦτο προστίθησιν ὁ ἀκροατής. οἷον ὅτι, Δωριεὺς στεφανίτην ἀγῶνα
νενίκηκεν ἱκανὸν εἰπεῖν, ὅτι ὀλύμπια νενίκηκε. τὸ δὲ ὅτι στεφανίτης ἐστὶ τὰ ὀλύμπια,
οὐδὲ δεῖ προσθεῖναι. γινώσκουσι γὰρ πάντες.

Riccobonus. QVare neceſſarium eſt enthymema eſſe & exemplum de ijs, quæ contin-
gunt ita, vt ſæpe ſe habeant etiam aliter, exemplum quidem inductionem,
enthymema vero ſyllogiſmum. Et ex paucis, & ſæpè paucioribus quàm ex qui-
bus eſt primus ſyllogiſmus. Si enim ſit aliquid horum notum, non oportet dice-
re. Ipſe enim id ſupplet auditor. Quemadmodum, quòd Doricus coronarium
certamen vicit, ſatis eſt dicere, cum Olympia viciſſe, coronarium autem certa-
men eſſe Olympia non opportet adiungere. Cognoſcunt enim omnes.

Maioragius. *ITaque neceſſe eſt enthymema atque exemplum ex rebus eiuſmodi eſſe, quæ nihil
in ſe firmitatis habent; ſed aliter atque aliter ſe habere poſſunt, vt exemplum
quidem inductionis: enthymema verò ſyllogiſmi ſpeciem ac imaginem habeat. Ex
paucis autem, & ſæpe ex paucioribus enthymema fit, quàm primus ille atque inte-
ger ſyllogiſmus: ſi quid enim notum atque exploratum fuerit, id ſanè nihil attinet
dicere; quoniam ipſe auditor illud adiungit. vt ſi quis probare velit, Doricum cer-
tamen viciſſe, in quo victor corona donatur, ſatis erit dicere, vicit enim Olympia.
quod autem in Olympijs victor corona donetur, non opus eſt addere; omnes enim
hoc ſciunt.*

Locum

Locũ hunc eſſe mendoſum, & qua maxime de cauſa.

LOcum hunc mendoſum aut certè longè ſpinoſum eſſe atque ad intelli- *Comm. XLVII* 342
gendum perdifficillimum, equidem, quod ad me attinet, certo ſcio: nã
quod intereſt aliorum, id verò ex ingenti ſententiarũ atque adeò con-
tentionum varietate intelligitur. Videtur autem mendoſus; nam ea
verba τὸ μὲν παράδειγμα ἐπαγωγὴν ἔχειν. τὸ δὲ ἐνθύμημα συλλογισμόν. hoc eſt
exemplum quidem inductionem habere, enthymema verò ſyllogiſmum; nec re-
periuntur in codice Sigonij, nec fortaſſe cerni facilè poteſt quò ſpectent, ſi reponan-
tur. Et quamquam cæteri codices quótquot ſiue Græcos, ſiue Latinos, vidi, propoſi-
ta verba habent omnes; veruntamen Græci in eo differunt inter ſe, quòd in aliquibus
illud ἔχειν, non reperitur, Latini quòd non vno eodémque modo, ſed varijs atque in-
ter ſe magna ex parte contrarijs, loci ſententiam expreſſam referunt. Quamobrem
quancunque lectionem ſequaris, ita videntur hæc verba ab antecedentibus & conſe-
quentibus ſententijs diſſociata, vt nihil ſupra.

Eiuſdẽ loci ſententia adumbratur potius.

At verò ſpinoſum eſſe & quam difficillimum vel ex eo intelligi poteſt, quòd dum
ait enthymema conſtare ex paucis, & ſæpenumero ex paucioribus; quàm ex quibus
primus ſyllogiſmus exiſtit, decem circiter, eædémque inter ſe maximè diſſidentes, au-
thorum ſententiæ numerentur. Sed de his paulò poſt. Nunc vt vniuerſam propoſitæ
literæ ſententiam more noſtro declaremus, ab authoris inſtituto ordiamur.

Ergo noſter Author ab enthymematis materia excluſit ea, quæ tum propter lon-
gitudinem difficilia ſunt ad intelligendum, tum propter obſcuritatem probabilitatis
ſpeciem habere non poſſunt: vel certè docuit quis ſyllogiſmus propter longitudinem
intellectu non ſit facilis; quis dictioni oratoriæ atque ad perſuadendũ haudquaquam
ſit accommodatus, cum adhuc egeat probatione, ac proinde perſpicuitate & proba-
bilitate careat. Nunc vt par eſt, colligit atque exponit cuiuſmodi tandem ſint illa quæ
maximè debeant ab Oratore recipi & vſurpari. & quoniam duo ſunt, quæ ſiue do- 343
cuerat ſiue iudicauerat de materia Oratoris, vnum Oratorem conſultare de ijs quæ
vtroque modo ſiue aliter atque aliter cadere poſſunt; alterum id non debere longio-
ribus aut etiam obſcuris ratiocinationibus, ſeu probationibus exponi, idcirco duo etiã
concludit, quæ ſingula ſingulis reſpondent egregiè. ac primum ſanè eſt enthymema
& exemplum ex his eſſe ducenda, vel certè in ijs veluti in ſubiecta materia verſari, quæ
aliter atque aliter ſe habere poſſunt: (nam idcircò ait, *Quare neceſſe eſt & enthymema &
exemplum de ijs eſſe, quæ euenire poſſunt, ita vt ſæpè etiam ſe habeant aliter*) alterum verò de-
bere enthymema ſiue ſyllogiſmum mauis (de hoc enim dicemus poſtea) ex paucis
& ſæpè ex paucioribus fieri, quàm primus conſtet ſyllogiſmus; namque idcirco etiam
ſubdit, *& ex paucis & ſæpenumero paucioribus, quàm ex quibus primus ſyllogiſmus exiſtit*.
Quare ex ijs duabus concluſionibus, ſiue ſententijs priori prior reſpondet, poſteriori
poſterior. Sed & hanc ſecundam ſiue concluſionem ſiue ſententiam protinus tum
ratione tum exemplo confirmat, ratione quidem, nam ſubdit ſtatim, *ſi quid enim ho-
rum fuerit notum, non eſt opus exponere, ipſe enim id adiungit auditor*, exemplo dum iterum
addit *exempli gratia, quòd Dorieus Ludis Coronarijs vicerit, ſatis eſt dicere, quia vicit Olympia,
Coronarios autem ludos eſſe Olympia, adiungere nihil attinet, quia notum eſt omnibus*. Hæc ſint
prima obſcuriſſimi huius loci lineamenta. nam ſententiam ipſam, licet adumbratam
& rudem, his planè contineri nondum audeo affirmare. Eſt autem hic locus (vt iam
antea dicere cœperam) obſcuriſſimus cum alijs de cauſis, quæ opportuniùs exponen-
tur non multò poſt, tum quatuor maximè, quæ ſubicientur hoc loco. prima eſt, quòd

Alia quædã obſcuritatis ſubijciũtur cauſa.

I. poſteaquam ex dictis concluſit Ariſtoteles primum illud, de quo dicebam, videlicet
enthymema & exemplum in ijs verſari, quæ aliter atque aliter euenire poſſunt, ſtatim 344
antequam concluderet ſecundum, interiecit ea verba τὸ μὲν παράδειγμα ἐπαγωγὴν ἔχειν,
τὸ δὲ ἐνθύμημα συλλογισμόν: *Exemplum quidem Inductionem habere, enthymema verò ſyllogiſ-
mum*. quæ ſanè verba quò ſpectent hoc tempore intelligi non ſatis poteſt: vt propte-
II. rea Sigonius omnino cenſuerit expungenda. Altera verò, quæ ſanè maior eſt atque
apertior, quæque ingentes inter doctiſſimos viros excitauit tragœdias, hæc eſt. nam
ſyllogiſmum conſtare ex duplici propoſitione & concluſione, enthymema verò ex
altera propoſitione tantùm & concluſione, id ſanè cum Ariſtoteles paſſim docuit, tũ
Dialectici norunt ac fatentur omnes. & tamen Ariſtoteles hoc in loco perſpicuis ver-
bis contendit, enthymema non ſemper ex paucioribus conſtare quàm ſyllogiſmus,

ſed

ſed ſæpènumero tantúm: quaſi verò interdum aut ex pluribus,aut ſaltem ex totidem, III.
coagmentari poſſit. His tertio quoque loco addi illud poteſt, quod & ſuas ſalebras habet, & negotium faceſſit multis; quid nimirum intelligat Ariſtoteles per ſyllogiſmum primum, dum ait enthymema ſæpenumero ex paucioribus conſtare, quàm conſtet ſyllogiſmus primus. num fortè nobilem illum ſyllogiſmum, quem & demonſtrationem appellat alibi, quíque ex primis, veris, immediatis (vt appellant) notioribus, & cauſæ concluſionis conſtare dicitur: an ſyllogiſmum Dialecticum qui cum videtur aliquando Ariſtoteles conferre enthymema: an potiùs primum illum ſyllogiſmum, de quo paulò ante locutus eſt, quémque dixit propter longitudinem eſſe difficilem ad intelligendum: an verò aliter. Denique ne illud quidem magna caret IV.
dubitatione, quò ſpecter, & qua tandem ratione explicandum ſit, & cum rebus propoſitis coniungendum exemplum, quod ad extremùm de ludis Olympicis deſumpſit
345 ac deriuauit. Hæc ſunt quæ potiſſimùm huic loco obſcuritatem ac tenebras afferunt maximas: tametſi ſecundum, παράδοξον aut etiam merum ænygma, videri ac dici poſſit: ac propterea etiam de hoc ipſo mihi ſit primo loco diſputandum. Vbi grauiſſimæ huius quæſtionis vel potiùs controuerſiæ argumentum illud proponitur.

An verum ſit ex paucioribus ſæpenumero, imò verò ex pluribus etiam, ex totidem, ex pauciſſimis denique, poſſe enthymema conſtare, quàm conſtet ſyllogiſmus, cum tamen exploratum eſſe videatur, ſyllogiſmum ex propoſitione, aſſumptione, & complexione conflari, enthymema verò ex altera tantùm propoſitione & complexione, idque perpetuò. Ergo Brocardus, vt ab ipſo incipiamus; totum illud ἐξ ὀλίγων καὶ πολλάκις ἐλαττόνων, hoc eſt *ex paucis ac ſæpenumero ex paucioribus*, vnico verbo *paucioribus* exprimit, úultque non ſæpenumero, ſed ſemper atque in vniuersùm id eſſe verum ex Ariſtotele: vt propterea ne ex totidem quidem conflari poſſit vnquam, tantum abeſt vt ex pluribus etiam interdum conſtet. Sed profectò hoc non eſt Ariſtotelem explicare, ſed vel corrigere vel peruertere. Quamobrem dum Ariſtoteles tam apertè tradit, id ſæpenumero accidere, aliùs quàm Brocardus eſt conſulendus. Iam verò ex iis qui locum relinquunt integrum, Auerroës etſi ſtrictim attingit locum; de præmiſſis (ſic enim vertit interpres) eum exponit. idem Egidius: qui primi ſyllogiſmi nomine ſyllogiſmum ſyllogizatum (ſic enim loquuntur) intelligit in præſentia: quia ſcilicet enthymema totidem conſtet poteſtate, cum reticeatur etſi ab auditore tacitè ſuppleatur, nota aliqua propoſitio; ac proinde re ſolùm conſtet paucioribus: poteſtate ac tacitè ſyllogiſmum, ſyllogizatum tamen, quíque ad formam reuocatus ſit, æquet: ita vt totidem conſtet. Vbi quàm turpiter peccet, dum ſiue de propoſitionibus loquentem facit Ariſtotelem cum Auerroë, ſiue primi ſyllogiſmi nomine ſyllogiſmũ ſyllogizatum accipit, conſtabit in progreſſu. Vbi etiam perſpicuum erit quàm iniquè Dorici exemplum reuocet ad ſyllogiſmum. Nunc tantùm moneo Egidium id quod caput eſt prætermittere: nimirum quo pacto ex paucioribus ſæpenumero conſtet non ſemper: nam re ipſa paucioribus ſemper poteſtate totidem perpetuò, non ſæpe-
346 numero continetur. Vt omittam explicare haud poſſe Egidium qui pluribus interdũ conſtet enthymema quàm ſyllogiſmus; & tamen id quoque ſentit Ariſtoteles quemadmodum docebimus paulò poſt. Nunc de Victorio. Victorius igitur cum in hunc ſcopum incidiſſet, monuiſſétque inueſtigãdum eſſe diligenter, cur Ariſtoteles id ſæpenumero dixiſſet accidere, cum videatur perpetuum eſſe debere, ſic tandem explicat, ſi tamen explicat, dubitationem. *Ergo*, inquit ipſe, *cum dicat Ariſtoteles Oratorem, ſi quid notum ſit, non debere illud efferre, ſignificare etiam videtur cum aliquid minùs exploratum ſe obtulerit, non debere illud præterire.* Quamobrem concludit ipſe, cùm aliquid neutra ex parte planum erit, ac proinde rem propoſitione tum aſſumptione indigebit, vtatur eo ſanè Orator. Quod ſi vrgeas. non itaque enthymemate ratiocinabitur Orator, ſed ſyllogiſmo. fateor, inquit: ſed perfectæ argumentationis vſum hoc tempore concedet Oratori noſtro liberaliſſimus Ariſtoteles. nam quemadmodum Inductio eſt Dialectici propria, & tamen nonnunquam Oratori permittitur eius vſus, ita etiam dum rei obſcuritas id poſtulat, ſyllogiſmi conceditur vſurpatio. Sed quæſo te, Victori, vide quid ſtatuas; nam ſiue Ariſtoteles concedat & Dialectico enthymematis, &, quod noſtra magis intereſt, Oratori ſyllogiſmi, vſum, ſiue neget, adhuc tibi erit explicandum quo pacto enthymema ſæpenumero potiùs quàm perpetuò ex paucioribus

CONTROVERSIA Qui tandẽ enthymema ex paucioribus ſæpè, imò verò ex pluribus quoque, aut ex totidem, vel ẽt ex pauciſſimis, cõſtet quàm primus ſyllogiſmus.

Brocardi opinio. Refellitur.

Auerroes & Egidius Refelluntur.

Victorij ſententia.

Exagitatur tandẽque reijcitur.

cioribus

ciotibus conſtet quàm ſyllogiſmus: quandoquidem aliud eſt poſſe interdum ab Oratore vſurpari ſyllogiſmum aliud eſt enthymema ex toidem interdum conſtare poſſe. nam ſi fortè huiuſmodi ſyllogiſmum, quem neceſſitatis cauſa vſurpat, Oratot, non ſyllogiſmum, ſed enthymema iubeas appellari; profectò hoc te dilemmate primùm ex meis auditoribus laceſſet aliquis. Vel tuus iſte ſyllogiſmus eſt ſyllogiſmus, vel non. ſi negas, neque ergo tu Victori es Victorius: ſi fateris, at ego de enthymemate rurſus quæro abſte, quo pacto non ſemper, ſed ſæpenumero tantùm ex paucioribus conſtet quàm ſyllogiſmus. Tum verò perget, atque vrgebit anguſtius. Quemadmodum cum rei obſcuritas ac neceſſitas propè ipſa id poſtulet, ſyllogiſmi vſum concedis Oratori, ita etiam Dialectico vbi res clarior eſt quàm vtranque propoſitionem arripere oportēat, enthymematis vſum concedas neceſſe eſt: alioquin verboſior ac moleſtior, quã 347
ferri poſſit, erit tuus iſte Dialecticus. Quod ſi id feceris, eâdem quoque lege iubebis huiuſmodi enthymema non enthymema ſyllogiſmum vocari iubens, præſtigiator euades egregius. Sed faceſſant ſpinoſæ iſtæ interrogationes veſtræ, atque argumentorum aculei. nam non ita præceps eſt noſter Victorius, qui ſyllogiſmum enthymema, enthymema ſyllogiſmum, appellet: quin potiùs ſyllogiſmum, quem permittit interdum ab Oratore vſurpari, verè ſyllogiſmum & eſſe & dici vult. nam ſic tandem de illo ſcribit, *Sed id argumentum, quod ab Oratore vſurpatur, non erit enthymema ſed ſyllogiſmus: cum enim ambæ propoſitiones ſumuntur, ſyllogiſmum ſemper eſſe his quoque verbis confirmat Ariſtoteles ἐὰν μὲν ἓν καὶ ἑτέρα πρότασις προσληφθῇ, γίνεται συλλογισμός. Si itaque altera quoque propoſitio acceſſerit, gignitur ſyllogiſmus.* Hæc Victorius. qui ſanè ſi in difficillima quæſtione non explicauerit nodum, ac certè longè abſuit, vt ad prçſtigias illas confugerit, de quibus arguebatur: vt propterea in re obſcuriſſima laudare potiùs eius conatus debeamus ac ſtudium, quàm moleſtiùs induſtriam ſolertiámque requirere. Sed ecce tibi dum Victorium quoquo modo ex argumentorum iſtorum laqueis eximo, in eoſdem

Sueſſanus. Sueſſanus ſuapte collum inſerit, vel potiùs multò antea inſeruerat, ſuum. Etenim cõtendit verè ex Ariſtotele enthymema frequenter, non autem ſemper ex paucioribus conſtari: & idcircò vt de eius opinione clatiùs conſtet, addit poſſe enthymema præter concluſionem habere duas propoſitiones. Quod ſi quæras, qua tandem ratione differat enthymema a ſyllogiſmo, hoc, inquit, differt, quòd enthymema ſit ex perſuadibilibus, ſyllogiſmus Dialecticus ex probabilibus. Sed hæc ſententia facilè refellitur.

Refellitur nam primùm nulla aut ratione aut authoritate nixus, ſed temerè omnino, contendit, 348
enthymema poſſe habere vtranque propoſitionem, atque tripartitum eſſe, cum tamẽ ſexcentis in locis contrarium doceat Ariſtoteles. Deinde qua obſecro alia de cauſa enthymema dicitur ſyllogiſmus imperfectus, curtus, pars ſyllogiſmi, truncata denique ratiocinatio, niſi quòd altera ſemper deſideratur propoſitio? Præterea quemadmodũ nihil minùs quàm materia, nihil magis quàm forma, diſcriminat rerum genera, ſic enthymema a ſyllogiſmo, non debet materiæ diſcrimine ſeparari, ſed formæ potiſſimùm; idque hoc ipſo in loco accidere ipſemet (ſi tamen hanc ſententiam ſequatur) velit nolit fateatur oportet. dum enim verè ex paucis (inquit) propoſitionibus, & ſæpenumero ex paucioribus, conſtat enthymema quàm ſyllogiſmus, qui non animaduertit ab vna forma diſcrimen ſumi, is orientem ſolem vix cernat neceſſe eſt. Denique quoniam ſumis veluti exploratum, Sueſſane, probabile & perſuadibile inter ſe differre, quod tamen minimè facere deberes, cum inter Rhetores ſit maximè controuerſum; iam lubet iiſdem armis tecum certare. Ergo conficiat aliquis ratiocinationem bipartitam, cuius materia interim non perſuadibilis ſit, ſed probabilis, iam quæro abſte, vtrum hæc ratiocinatio ſit enthymema an ſyllogiſmus. ſi enthymema, quid eſt igitur, quòd tale enthymema verum enthymema eſſe ſtatuas, cum conſtet ex materia non perſuadibili, hoc eſt Oratoris & enthymematis propria, ſed probabili, ac ſi te audiamus, propria Dialectici? ſi ſyllogiſmus, quid eſt quòd Ariſtoteles ac Peripatetici clament paſſim ſyllogiſmum tribus partibus contineri? Pari ratione dum concedis poſſe Oratorem conficere tripartitam argumentationem, & tamen ſi in materia verſetur perſuadibili non probabili, iubes appellari enthymema non ſyllogiſmum; ita concedere debes Dialecticũ poſſe bipartitã conficere argumentationẽ, quæ tamen ſit ſyllogiſmus nõ enthymema, quod probabilis ſit, nõ perſuadibilis materia. Ergo tu vir mirificè, enthymema in ſyllogiſmũ, ſyllogiſmũ in enthymema, ſine vlla formæ 349
mutatione

mutatione conuertes: nam ſi neque hæc te quidquam commouent, quòd pugnaciter tuearis enthymema, ſi materia probabili conſtet, enthymematis nomen amittere; ſyllogiſmum, ſi materia perſuadibili conſletur, ſyllogiſmum non eſſe appellandum; ridiculus erit Ariſtoteles, qui docet enthymema non materiæ ſed formæ permutatione in ſyllogiſmum conuerti; temerarij Philoſophi omnes & in primis Peripatetici, qui genera rerum non tam materiæ quàm formæ diſcrimine ſegregant; cæca denique natura ipſa, quæ apud omnes gentes id ratum eſſe voluit, atque perpetuum, vt res non tam a materia quàm a forma inueniret nomen. vel certè ipſemet omnino es abſurdus, qui opinionem portentis huiuſmodi plenam ſectaris. Atque hinc etiam licet Mirandulani ſententiam refellere qui etſi obſcuriſſimè loquitur, omnino ſentire videtur enthymema cùm duabus tùm tribus propoſitionibus conſtare poſſe: idque quia vſus etiam ſyllogiſmi Oratori concedatur. quamuis interim quoniam Oratoris reuera proprium eſt enthymema, ſyllogiſmus enthymema vocetur. Nam, vt cætera taceam, deluderet nos Ariſtoteles ſi enthymematis nomine, modò verum enthymema, modò ſyllogiſmũ intelligeret: imò verò eiuſdem enthymematis nomine partim enthymema (ſic enim fateri cogitur Mirandulanus) partim ſyllogiſmum vſurpari vellet, vt tum paucis, tum ſæpenumero paucioribus conſtare poſſet. *Mirandulanus. Refellitur*

Iam verò non deſunt aliqui, inter quos fuit Iulius Cararia vir in Peripatetico puluere non mediocriter exercitatus; qui exiſtiment ita locutum eſſe Ariſtotelem, quòd omnino ſentiat enthymema ſæpenumero conſtare ex paucioribus vel propoſitionibus, vel partibus: propoſitionibus, ſi ex vnica propoſitione conſtet & concluſione: partibus ſi vtráque propoſitione conſletur, ſed concluſio reticeatur. ita quidem enthymema, inquiunt iſti, exiſtit ſæpenumero ex paucioribus actu, quoniam re ipſa aut altera propoſitione aut concluſione caret: ex totidem, quia ſi ratio habeatur illius quæ reticetur propoſitionis, aut concluſionis poteſtate ac virtualiter (vt loquuntur Peri- *Carariæ & aliorũ quorundã opinio.*

350 patetici) ex duabus propoſitionibus & concluſione conficitur, non ſecus atque integer ſyllogiſmus. Sed errant profectò: ſi quidem Ariſtoteles in poſterioribus Analyticis libro ſecundo capite XXXIV. & alibi paſſim conſtanter docet, re ipſa enthymema præter concluſionem, alteram propoſitionem habere tantùm: conſtanter quoque docet rationibúſque confirmat, enthymema ſemper reuocari poſſe ad ſyllogiſmum, quòd poteſtate ſemper conſtet ex totidem. Ex quibus efficitur nullam planè Concluſionis rationem habuiſſe dum enthymema faceret ex paucioribus, ſed hoc propter alias ſyllogiſmi partes pronunciaſſe: ex quo etiam fit vt ſi de propoſitionibus loquatur hoc in loco, enthymema actu ſemper ex paucioribus conſtituatur, non ſæpenumero: poteſtate, non interdum, ſed ſemper ex totidem. *Reijcitur.*

Thomas Peregtinus qui ſupetioribus annis magna cum laude diuinam Ariſtotelis Philoſophiam docuit in Patauina Academia, hunc locum longè aliter, ac ſubtiliter quidem, explicabat aliquando: nam cum ante ea verba, ***Et ex paucis & ſæpenumero ex paucioribus quàm primus ſyllogiſmus***, græcè τὸ μὲν παράδειγμα ἐπαγωγὴν, τὸ δ' ἐνθύμημα συλλογισμόν. ***Exemplum quidem inductionem, enthymema ſyllogiſmum***, illud ex paucis & ſæpenumero ex paucioribus, nõ ad enthymema referebat, ſed ad ſyllogiſmũ, cuius proximè facta erat mentio; & quoniam ſyllogiſmus tum perfectus eſſe poteſt, tum imperfectus, idcirco affirmabat ſyllogiſmi nomen hoc in loco latiſſimè patere, ſic vt & enthymema & perfectum ſyllogiſmum comprehendat: atque idcirco contendebat ſyllogiſmum conſtare ex paucis, cum eſt perfectus; ex paucioribus autem, cum eſt imperfectus. Sed quoniam ſæpenumero aliquid eſt notum, & ab Auditore potiùs ſuppletur quàm proferatur ab Oratore, propterea ſyllogiſmus imperfectus (aiebat ipſe) *Thomæ Peregrini.*

351 ideſt enthymema dicitur ſæpenumero conſtare ex paucioribus quàm primus ſyllogiſmus, ideſt ſyllogiſmus perfectus: & huc etiam Ariſtoteleum illud exemplum ex Olympijs ludis deſumptum referebat, quaſi argumentatio ſi tripartita ſit, conſtet ex paucis, ſi altera careat propoſitione, cõſtet ex paucioribus. Sed vtinam tam verè iſthæc quam ſubtiliter dicerentur: etenim nemo eſt qui non facilè intelligere poſſit, ſyllogiſmum perfectum, qui ex omnibus, quotquot habere poteſt, ſiue partibus ſiue propoſitionibus conſtat, aut ineptè & temerè, aut valdè inconditè & frigidè dici conſtare ex paucis: nam ſi compararetur cum alia argumentatione, quæ plures propoſitiones habeat, congrua ſanè eſſet locutio. ſed cum non conferatur cum aliqua huiuſmodi argu- *Refellitur.*

354 rem expediri poſſe. Vt itaque quam maximam poſſim adhibeam moderationem di-
ſputationi meæ, vóſque haud diutius patiar pendêre animis, dum ænygmatis explica-
tionem expectatis, ex his accipite rem vniuerſam.

Obſcuriſſimus hic locus me (vt verè fatear) plurimum torſit aliquando, ſicque
tot ſit, vt exitum ſperarem nullum. Etenim cum viderem faciliùs, doctiſſimorum vi- *IAM affertur Authoris ſententia.*
rorum ſtudia commouiſſe, atque eoſdem in varias diſſidentéſque ſententias, ne dicã
ſyrtes, adduxiſſe, quàm inueniſſe aliquem, qui ex animo meo omnem planè eximeret
dubitationem, exiſtimabam profectò exitum mihi optandum eſſe potiùs, quàm ſpe-
randum. Sed ecce tibi eundem locum diligentiùs reperenti mihi, ac varia in eum me-
ditanti, ſic explicatè ac dilucidè germana eius ſententia tandem occurrit, vt omni ex
parte euanuerit vetus illa dubitatio. Ergo (vt agnoſcamus & fateamur id quod eſt)
dum enitendum monet Ariſtoteles vt Enthymema conſtet ex paucis & ſæpenumero
ex paucioribus, non loquitur de propoſitionibus, vt perperam exponunt alij; ſed de
rationibus, ſiue probationibus & approbationibus, concluſionis, quas cauſas illatio-
nis, interdum etiam medios terminos, appellant Peripatetici aliqui. Ac de his loqui
Ariſtotelem vel ex eo conſtare ſatis poteſt quòd cum enthymema ex vnica tantùm
conſtet propoſitione imperitè locutus eſſet cum diceret debere conſtare *ex paucis* ni-
mirum propoſitionibus: dicendum enim fuiſſet ex altera tantùm (ſi tamen id ani-
maduerſione indigebat) ſiue ex vnica. Sed turpiùs lapſus eſſet pergens & *ſæpenumero*
355 *ex paucioribus*. Nam cum vnica tantùm conſtet propoſitione, quî obſecro concipi po-
teſt vt non ſolùm paucis ſed paucioribus adhuc conſtet? nam deſtrui quidem poteſt
ſi vnica illa priuetur propoſitione: ad maiorem ſolitudinem aut paucitatem redigi
nullo modo poteſt. Quod ſi id de medijs (vt cum Peripateticis loquar) ſiue approba-
tionibus locutum eſſe fateamur quibus tandem colligitur concluſio, optimè diſpu-
tauerit. Si quidem nihil prohibet quo minùs concluſio enthymematis perinde ac ſyl-
logiſmi poſſit ex longa quadam ratiocinatione inferri, in qua probationes & appro-
bationes multæ ſeu multa media ad ipſam concluſionem inferendam ordinentur cõ-
tinenter & contexantur. Audite Ariſtotelem qua ratione diſputet in hoc ipſo capite
vt doceat Rhetoricam nõ ſpectare ſingulare probabile ſed quod multis ſit probabile.
*Quoniam enim quod appoſitum eſt ad perſuadendum, alicui appoſitum eſt: & vnum quidem ſta-
tum eſt appoſitum ad perſuadendum per ſe & credibile, alterum verò quod demonſtrari videatur
ex talibus: & nulla ars conſiderat ſingulare, vt medicina, quid Socrati ſalubre ſit vel Calliæ ſed
quid tali vel talibus (hoc enim artificioſum eſt: ſingulare autem infinitum & ſub ſcientiam non
cadens) neque Rhetorica ſingulare probabile intuebitur, vt Socrati vel Hippiæ, ſed quod talibus,
quemadmodum etiam Dialectica.* An non vides quàm multa media in vna eadémque ra-
tiocinatione ſubnectat, vt propoſitam concluſionem inde tandem eliciat? Sed ne non
exemplis abundare videamur, audi rurſus ratiocinationem alteram, atque hanc ne
vagemur longiùs, ex hoc ipſo capite II. *Quoniam autem* (inquit) *ſunt pauca neceſſaria ex
356 quibus Oratorij ſyllogiſmi conficiuntur (multa enim de quibus iudicia ac deliberationes ſunt, con-
tingit etiam aliter ſe habere. quæ enim agunt de ijs conſultant & deliberant; quæ verò agunt, om-
nia huiuſce generis ſunt, & nihil horum propè dixerim, ex neceſſitate eſt; quæ autem plerunque ac-
cidunt & contingunt ex talibus neceſſe eſt alijs ſyllogiſmo concludi, neceſſaria verò ex neceſſarijs;
id quod manifeſtum eſt nobis ex Analyticis) apparet, ex quibus enthymemata ducuntur, alia qui-
dem neceſſaria futura eſſe, plurima verò quæ plerumque ſe habent.* En longioris illius ratioci-
nationis quæque ex longa probationum & approbationum ſerie concluſionem in-
ferat, exemplum. Ariſtoteles igitur quoniam paulò antè duas ſyllogiſmorum ſeu ra-
tiocinationum formulas propoſuerat quas non tutò imitetur Orator, vnam longio-
rem & ex multis coagmentatam, aliam magis contractam ſed obſcuram, nunc ex his
colligit faciendum Oratori vt ipſe quoque ſuam ratiocinationem, enthymema in-
quam, ſic pertexat, vt nec propter longitudinem nec propter obſcuritatem negotium
faceſſat auditori, cùm hic rudior eſſe ſoleat. Ac de enthymemate, vt ne propter lon-
gitudinem afferat difficultatem, ait prouidendum vt conſtet ex paucis, ac ſæpè nume-
ro ex paucioribus quàm primus ille ſyllogiſmus; quem ſcilicet multis probationibus
& approbationibus conſtare, ac propter longitudinem negotium ijs faceſſere qui per
multa intueri haud poſſent, indicauerat. Quamobrem (pace tantorum virorum) non
loquitur de propoſitionibus, quaſi verò velit enthymema debere ſæpenumero con-

ſtare ex paucioribus propoſitionibus, quàm primus ſyllogiſmus, atque interdum ex 357
totidem (quid enim inſolentius dici potuiſſet & abſurdius, cum enthymema niſi vnicam propoſitionem habere haud poſſit?) ſed loquitur, vt dicebam, de cauſis & rationibus ſeu probationibus concluſionis: quia cum apud rudes auditores vitioſa, aut certè non facilis intellectu, ſit ratiocinatio quæ longa quadam cauſarum probationúmue ſerie interiecta ſuam demonſtrat concluſionem, præſtet ſanè Oratoris enthymema, quippe quod ſyllogiſmo reſpondet, & probationibus atque approbationibus non ſecus ac ſyllogiſmus onerari poteſt, conſtare non ex multis cauſis & rationibus ſeu probationibus & approbationibus ſed paucis. Neque verò quicquam obſtat quòd probationes iſtę minimè videantur enthymematis partes; ſatis enim eſt vt ſint enthymematis probationes & approbationes vnde enthymema efficitur longius, quemadmodum ijſdem longior primus ille efficiebatur ſyllogiſmus. Ita quidem cum huiuſmodi longitudinis, quoad eius fieri poſſit, vitandum ſit enthymema, iure ex paucis iſtiuſmodi probationibus & approbationibus ac ſæpenumero ex paucioribus quã primum illum ſyllogiſmum conflari iubet. Adde quod ratiocinationis vniuerſæ, quæ inquam ex probationibus & approbationibus pertexatur, vtique partes ſunt: ita ut enthymematicæ ratiocinationis partes etiam iurè ac meritò appellari poſſint.

Atque ex his facilè eſt animaduertere, cur addat ſtatim *& ſæpenumero ex paucioribus, quàm primus ſyllogiſmus*. Etenim cum vox illa *paucis* adhuc late pateat, potuiſſet quis ſtatim ab eo petere, vt paulò preſſiùs ac definitè magis de numero cauſarum ac rationum ſtatuerat, quibus conſtare debet enthymema; ipſe igitur ſubdit ſtatim *& ex paucioribus quàm primus ſyllogiſmus*, vbi ſanè quoniam in rebus humanis verſatur Orator, in quibus licet non raró vna aut altera ratione res concludatur, interdum tamen ne duabus quidẽ aut tribus colligi aliquid poteſt, vt a temeritate abſit Oratio, nõ audet id omnino definire: ſed tantùm monet nitendum, vt ſi non ſemper at certè ſæpenumero cõſtet ex paucioribus, quàm primus ille ſyllogiſmus, in quo longa quadam rationum ac cauſarum coagmentatione colligitur concluſio: vt nimirum perraró ac, ſi fieri poſſit, nunquam, auditoris fatigemus intelligentiam. Hinc iam intelligere facilius licebit cur interpoſuerit hoc in loco verba illa *τὸ μὲν παράδειγμα ἐπαγωγήν, τὸ δ' ἐνθύμημα συλλογισμόν. Exemplum quidem inductionem, enthymema verò ſyllogiſmum*: quæ verba 358
tantopere torquent interpretes: quid intelligat ſyllogiſmi nomine, cuius notio ab ijſdem interpretibus tantopere interim diſtrahitur, quem paulò poſt primum appellat ſyllogiſmum: quam cautè ac ſcitè vſus ſit hoc loquendi genere, *paucis ac ſæpenumero paucioribus*: quò ſpectet exemplum illud nobile ex ludis Olympicis ſumptum, quáue ratione ſit figurandum ſeu conformandum & ad Ariſtotelis cõſilium referendum. Denique nihil inſolens ac *παράδοξον* proferri, ſed omnia miro cum artifitio ac veriſſimè tradi; & vt ſemel dicam; vniuerſam huiuſmodi doctrinam, propoſita ſentẽtia retenta, ex denſiſſimis tenebris in clariſſimam lucem vindicari. Etenim (vt propoſita problemata ex ordine explicemus ſingula) propoſuerat Ariſtoteles duas ſyllogiſmi ſeu ratiocinationis formulas, quarũ altera *οὐκ εὐκατάληπτον, non facilis eſſet ad intelligendum*, altera careat probabilitate. id quod eo conſilio fecerat, vt colligeret duo hæc vitia, ſi tamen vitia ſunt (nam de hoc paulò poſt) in enthymemate eſſe vitanda. Iam itaque, quoniam alterum vitium ex illis erat longa quædam cauſarum ſeries, ex quibus colligebatur concluſio, concludere atque docere inſtituit, debere enthymema nõ ex tam multis rationibus ſiue approbationibus conſtare, ſed ex paucis, & ſæpenumero ex paucioribus, quàm primus ille ſyllogiſmus. Sed quoniã potuiſſet aliquis nõ ita ſtatim ani- 359
maduertere, cur id quod docuerat de ſyllogiſmo, tã facilè ad enthymema transferret, artificioſiſſimè anteuertit Ariſtoteles omnẽ locũ dubitationis, interpoſuitque eã ſententiã, qua nobis ex ijs, quæ in ſuperiore capite demonſtrauerat, reuocat in memoriã, exemplũ eſſe inductionem quandã, enthymema verò ſyllogiſmum, atque ita ſtatim colligit propoſitum: nimirum enthymema, quoniam ſyllogiſmus quidam eſſet, debere cõſtare nõ ex pluribus rationibus, cum rudis auditor nõ poſſit per multas rationes concluſionem intueri; ſed ex paucis, & ſæpenumero ex paucioribus, quàm primus ſyllogiſmus. Quare pace Brocardi & Sigonij, omnino ſunt retinẽda ea verba: pace ẽt Maioragij nõ ſunt cũ ſuperioribus tã licenter copulanda aut variãda. Dũ.n. hanc particulã ſic vertit Maioragius. *Itaque neceſſe eſt enthymema ac exẽplũ in reb. huiuſmodi eſſe quæ ple*

Iam prima dubitatione explicata, ſex aliæ huiuſmet loci Dubitationes ponuntur explicandæ.
I.
II.
III.
IV.
V.
VI.
Explicatur
I.

runque

runque aliter etiam ſe habere poſſunt, vt exemplum quidem inductionis, enthymema verò ſyllogiſmi ſpeciem & imaginem habeat, cum multa aliter legit ac vertit quàm ſplendida literæ facies poſtulet, tum ſententiam peruertit egregiè: quî enim fieri poteſt vt enthymema ſyllogiſmi ſpeciem ea de cauſa habeat, quòd ex ijs ſit quæ aliter ſe habere poſſunt, cum ſyllogiſmus non modò in materia neceſſaria, ſed etiam in contingenti (vt cum Peripateticis loquar) idque longè frequentiùs verſetur? Denique vt demonſtrauimus, forma hoc in loco non materia eſt illa per quam enthymema ſyllogiſmi, exemplum inductionis, imaginem refert? non igitur voluit Ariſtoteles hanc imaginem ac ſpeciem referri ab illis quòd occupentur in ijs quæ aliter ſe habere poſſunt. Non negarim tamen illud ἔχον quod reperitur in quibuſdam codicibus, faci-
360 lè abundare, potiúſque legendum cum Aldo, Victorio, atque alijs nonnullis ſine voce illa, ita vt ibidem intelligatur, ſicut apud Ariſtotelem paſſim accidere ſolet ἐσί. nam eſt ſententia exemplum eſſe inductionem, enthymema ſyllogiſmum, imperfectum nimirum; vel quod idem eſt, oratorium. nam ſic planè locutus fuerat paulò ante: atque ideo totam hanc ſententiam tranſtulit. Ex quo etiam conſtat Ariſtotelem ſyllogiſmi nomen nullo modo vſurpaſſe vt exiſtimauit Peregrinus pro ſyllogiſmo in vniuerſum, quatenus tum integrum ſyllogiſmum, tum enthymema comprehendit. *Explicatur II.* Nam cum cætera omnia refragantur, quæ ſupra in eius ſententiam attulimus, tum præſertim quòd alioquin inſulsè ſyllogiſmum cum enthymemate conferret & compararet. & ſanè quemadmodum affirmat exemplum eſſe inductionem, neque tamen id affirmat, quòd ſit perfecta inductio, aut inductionis nomine coërceatur, ſi propriè loquamur, & contineatur; ſed quia illi magna ſimilitudine reſpondet, atque adeò eſt imperfecta quædam inductio, ita etiam dum dicit *& enthymema ſyllogiſmum*, non id dicit, quia enthymema ſit, aut perfectus ſyllogiſmus (quid enim abſurdius dici potuiſſet?) aut etiam ſyllogiſmi nomen latè pateat, & enthymema æquè ac ſyllogiſmum ſignificet atque contineat; ſed quia ſyllogiſmum magna ſimilitudine attingit, & eſt veluti detruncatus aut etiam imperfectus quidam ſyllogiſmus; nam hoc ſatis erat illi ad eliciendam concluſionem, quam ſtatim ſubijcit. Et ſanè cum integram hanc ſententiam, *exemplum quidem inductionem, enthymema verò ſyllogiſmum* repe-
361 tat ex dictis paulò ante, in quibus docuit exemplum eſſe inductionem quandam, enthymema imperfectum ſyllogiſmum, non eſt quòd alia ratione ſyllogiſmi nomen vſurpet hoc tempore.

Quæ cum ita ſint, temerè affirmat Brocardus per primum ſyllogiſmum ſignificari ſyllogiſmum Dialecticum, qui conſtat ex duabus propoſitionibus & concluſione: *Explicatur III.* cum enim altera ex parte Ariſtoteles innumeris ferè in locis mentionem faciat ſyllogiſmi Dialectici, ex altera verò ne vnus quidem locus proferri poſſit, in quo ſyllogiſmi primi nomine ſyllogiſmus Dialecticus deſignetur, incredibile profectò eſt hunc ipſum ſignificare voluiſſe hoc in loco, atque aureis ſignificantibúſque verbis tam inſolenter rejectis, ferrea, vt ita dicam, ac præpoſtera adamaſſe. Et quamuis non negarim in hoc capite enthymema cum ſyllogiſmo Dialectico fuiſſe comparatum (id enim ab Ariſtotele ipſo libro ſecundo Rhetoricorum nobis in memoriam reuocatur) imò enthymema dum differt a primo ſyllogiſmo facilè differre a ſyllogiſmo
post. m. Dialectico, primi tamen ſyllogiſmi nomine Dialecticum deſignari, id verò planè inficior. Temerè etiam Sueſſanus præter duos ſyllogiſmos, de quibus iam antea mentionem fecit Ariſtoteles, tertium quendam profert ſyllogiſmum, quem dicit conſtare neque ex ſyllogizatis (eius verbis vtor) neque ex ſyllogizabilibus, ſed ex propoſitionibus primis, immediatis, quæque demum ita perſpicuè demonſtrent concluſionem, vt non ferant ſyllogiſmum eſſe demonſtrationem. Tametſi enim haud magnopere pugnem demonſtrationem hanc non iniuria appellari poſſe primi ſyllogiſmi nomine, ſicut interdum potiſſima quoque demonſtratio iure optimo appellatur, veruntamen nullam eius mentionem fecit hoc in loco Ariſtote-
362 les, quod tamen ipſe Sueſſanus accepit veluti exploratum. Ac profectò non dixiſſet Ariſtoteles (atque hinc quartum quoque problema explicabimus *ſæpenumero* ſed *perpetuò*. *Hinc etiã explicatur. IV.* Nam enthymema vnica propoſitione conſtat, duabus, ſyllogiſmus, idque perpetuò. Denique ea verba *paucis & ſæpenumero paucioribus*, ad cauſas ſeu probationes concluſionis pertinere, non ad propoſitiones clariùs demonſtratum eſt quàm vt du-

M 2 bitare

Digitized by Google

bitate ampliùs liceat. Quam ob rem cum in ſyllogiſmo, qui ex immediatis conſtat (vt ille loquitur) & primus, ex vnica tantùm ratione colligatur concluſio, nunquam ex paucioribus rationibus conſtare poſſet enthymema: & tamen ait Ariſtoteles ſæpenumero conſtare ex paucioribus. Et ijſdem fermè argumentis refelli poteſt Mirandulanus, qui per primum ſyllogiſmum probationem intelligit, ex qua longior ille ſyllogiſmus, de quo paulò ante locutus erat, fuerat concluſus: hic enim (inquit) ſyllogiſmus, ex ſyllogizatis eſt. nam ſyllogiſmus eſſet adhuc & ideo non ſæpenumero ſed ſemper ex pluribus propoſitionibus conſtaret quàm enthymema. ita vt de medijs ſeu probationibus non de propoſitionibus loquatur Ariſtoteles. Atque ijſdem refellere quoque licet hac in re Victorium & Maioragium. Victorius enim primum ſyllogiſmum appellat illum, ex quo parte abſciſſa, factum eſt enthymema. Nam qui profert enthymema, inquit ipſe, omnino conceperat ſyllogiſmum: ſed breuitati ſtudens, alteram, quæ omnibus perſpecta ſit, ſupprimit propoſitionem, condítque pectore. Sic ferè Maioragius, qui integrum ſyllogiſmum monet ſignificari; ſic ante hos omnes Egidius, qui ipſe etiam verba illa toties decantata refert ad propoſitiones: ſic 363
denique Peregrinus, qui integrum ſyllogiſmum exiſtimauit appellari primum, quod iam tum facta eſſet de eo mentio dum diceret Ariſtoteles *ex paucis*. Horum inquam, omnium ſententia (ſi paulò attentiùs ſuperiora recolantur) iamdiu fuit explorata. cū enim Ariſtoteles dum de vitioſo ſyllogiſmo (ſi tamen vitioſus eſt appellandus) diſſereret, obſeruaret contingere, vt aliqua interdum colligantur ex ijs, quæ antea argumentando concluſa ſunt: alia ex ijs, quæ non ſunt ex alijs concluſa, ſed ſyllogiſmum deſiderant, ſtatímque improbaſſet aut etiam in ſuſpicionem vocaſſet vtrūque argumentationis genus: illud quòd nimis longum eſſet, & a rudibus auditoribus non facilè poſſet percipi eius uis; hoc quod ſuadendi vim non haberet, cum neque ex confeſſis eſſet, neque ex probabilibus; iam ſine vlla dubitatione ſyllogiſmum primum appellat eum quem primo loco propoſuit; quémque ſtatim propter longitudinem dixit non facilem eſſe qui intelligeretur. ac propterea conſtanter docet oportere enthymema ſi non ſemper, ac certè ſæpenumero ex paucioribus conſtet probationibus, approbationibúſue, quàm primus ille ſyllogiſmus, qui ex multis iteratíſque rationibus & approbationibus conſtat.

Dubitatur. Sed vrgebis, ſyllogiſmum illum quē primo loco propoſuit Ariſtoteles, ſignificauit eſſe vitioſum, & propterea ab Oratore omnino fugiendum, & idcirco ſi hunc deſignaret hoc in loco per primum ſyllogiſmum, non dixiſſet enthymema debere ſæpenumero conſtare ex paucioribus, quàm primus ille ſyllogiſmus, ſed ſemper atque perpetuò. Nam ſi eſt vitioſus, ſemper illud vitium fugiendum eſt in enthymemate, non 364
ſæpenumero. Quamobrem quod in alios tam ſæpè contorſiſti telum, id reſilit hoc tempore in tuum caput.

Reſpondetur. Sed profectò huiuſmodi telo ac machina non attingitur ſententia mea, vel potiùs confirmatur, tantum abeſt vt euertatur ac proſternatur. Reſpondeo itaque Ariſtotelem non dixiſſe longum illud argumentationis genus per ſe illud aut etiam in vniuerſum eſſe vitioſum. Nam apud Mathematicos & Phyſicos, vt alios taceam, eſt optimum, & magna cū laude vſurpatur. Mathematici enim longa quadam rationū probationúmue ſerie, ſiue ad prima initia reuocare concluſiones ſolent, ſiue a primis initijs eandem concluſionem per intermedias probationes deſcendentes oſtendere. Phyſici etiam qui veritatem ſectantur, & omnibus illam machinis ſiſtere atque apprehēdere nituntur, tot demum ſuas illi ratiocinationes ſeu propoſitiones inſtruunt onerántque probationibus, confirmationibus, approbationibus, quot rei declarandæ ac demonſtrandæ neceſſarias eſſe intelligunt: malunt enim & longa & difficili ratiocinatione vti, quàm minimè idonea & efficaci. Quin Ariſtoteles in Politicis, Poëticis, Rhetoricis ipſis (id quod paulò ante vno atque altero exemplo demonſtrauimus) hoc genere argumentationis frequentiſſimè vtitur, tantum abeſt vt ex ſe vitioſum ſit, & vndique explodendum. Imò verò, quamuis in oratorio puluere propter longitudinem auditoribus negotium faceſſere poſſit, haud tamen affirmauit Ariſtoteles omnino vitioſum eſſe apud Oratores, ſed ſolùm, ſi cum rudibus auditoribus agatur, propter lōgitudinē μὴ εἶναι εὐπαρακολούθητον, hoc eſt nō cōmode ac facilè intelligi poſſe. qua ſermonis moderatione ſignificauit ſyllogiſmos lōgos, generatim loquendo, apud 365

vulgus

vulgus ac iudices quos rudes eſſe ponit, non vſque adeò perſpicuos eſſe, tametſi nihil
prohibet, quominus aliquis interdũ ſyllogiſmus quãuis lõgus vel apud vulgus ipſum
perſpicuitate non careat. Ergo quemadmodũ non dixit longum illud argumentatio-
nis genus eſſe aut abſurdum, aut vitioſum, aut nullo modo intelligi poſſe, aut etiam
πολλάκις δυσπαρακολούθητον, *ſæpenumero obſcurum*, ſed vt modeſtiam ſimul veritatémque
tueretur, dixit *μὴ εἶναι εὐπαρακολούθητον*, non eſſe facilem ad intelligendum, imò verò,
ſi placet, non vſque adeò perſpicuum videri (nam in ſecundo libro moralium in illis
verbis *σαφηνείας ἕνεκα καὶ τοῦ εὐπαρακολουθήτου*, hanc notionem oſtendit eiuſmodi voci eſſe
ſubiectam) ſic etiam hoc in loco, vt modeſtiæ & veritati adhuc ſeruiat explicatiùs,
nullo modo præcipere audet ſemper atque perpetuò fugiendum eſſe enthymema,
in quo ex multis rationibus concluditur res propoſita: ſed tantùm videndum eſſe, vt
ſi non ſemper, ac certè ſæpenumero, ideſt quantum locus, tempus, ac res ipſa tulerit,
id fugiamus. Et ſanè aut perpetuò id ſtatuere de enthymemate, aut ſine huiuſmodi
cautione loqui, nec debuit nec potuit noſter author: ídque triplici de cauſa. Nam pri-
mò multis optimorum oratorum exemplis ac ratione ipſa coargui potuiſſet, quibus
docemur, vbi res breui enthymemate concludi non poſſit, longiùs eſſe arripiendum
deinde ſyllogiſmus ille non ſolùm redditur longior multarum coagmentatione ra-
366 tionum, verùm etiam quòd nulla in eo reticetur propoſitio. At in enthymemate id
non contingit, vbi ſupprimitur altera: vt propterea hanc ob cauſam etiã tolerabilior
interdum ſit in enthymemate multiplicitas probationum. Denique Ariſtoteles ſu-
mit auditores eſſe rudes, quòd profectò ſæpenumero contingit, non ſemper. Quam-
obrem ſi auditores paulò ingenioſiores nactus ſit Orator, vt non rarò in iudicijs fieri
ſolet, longius quoque enthymema ferri optimè poterit. omnino itaque ad temeritatis
atque falſitatis vitandas notas, debuit hanc cautionem adhibere Ariſtoteles, ac non
ſemper, ſed ſæpenumero id de enthymemate ſtatuere: quam tamen ſermonis mode-
rationem oſtendere minimè poſſunt ij qui contendunt Ariſtotelem loqui de pro-
poſitionibus; cum enthymema perpetuò vnicam habeat propoſitionem, non ſæ-
penumero.

Venio ad exemplum, quod ſumptum eſt ex Olympicis ludis, cuius exempli uis at- *Explicatur V.*
que ſententia, vt latiùs explicetur, eò videri poſſet pertinere. Nam ſi Oratori eſſet
oſtendendum Dorieum viciſſe coronarium certamen, certamen inquam, in quo vi- *Dubitatio.*
ctor corona donatur, id ſanè explicandum eſſet ratiocinatione auditoribus accom-
modata. Ergo ſi fortè cum his ageretur, qui de ludis Olympicis aliquid audiſſent
quidem, ſed tamen haud noſſent, victorem in illis corona donari, non ſatis eſſet di-
cere; Dorieus vicit in Olympicis: Dorieus itaque vicit coronarium certamen. Nam
cum ij, vt dicebam, ignorent in Olympicis victorem donari corona, non intellige-
rent quo pacto ex propoſitione illa.

367 *Dorieus vicit in Oympicis*, Sequatur ea concluſio: *Coronarium itaque vicit cer-
tamen*. Itaque addendum eſſet Olympia eſſe coronarium tamen. Verùm quoniam
omnes norunt (inquit Ariſtoteles) in Olympicis victorem donari corona, nihil eſt
quod addatur in Olympicis victorem donari corona ſed ſatis eſt dicere,

Vicit Olympia.
Vicit itaque coronarium certamen.

At enim, ſi ita eſt (dicat quiſpiam) ſine dubiò Ariſtoteles hoc exemplo eò ſpectat, *Dubitatur*
vt nos doceat, non debere Oratorem in enthymemate omnes afferre non dico ratio-
nes, & cauſas concluſionis, ſed propoſitiones; quia ſcilicet velit eam propoſitionem
ſeu partem enthymematis reticeri, quæ vel tacente illo, auditoribus perſpecta ſit.
Quamobrem Egidius, Sueſſanus, Victorius atque alij multi contendunt, iubere Ari-
ſtotelem reticeri integram propoſitionem, atque ex ſyllogiſmo fieri enthymema.
Nam integer ſyllogiſmus (inquiunt iſti) eſt huiuſmodi.

Qui vicit Olympia, vicit coronarium certamen,
Dorieus vicit Olympia,
Dorieus itaque vicit coronarium certamen.

Enthymema verò (ſubdunt) ex hoc ſyllogiſmo fit ſuppreſſa priore propoſitione, ac
dicendo.

Dorieus vicit Olympia,

Reſpondetur. *Dorieus itaque vicit coronarium certamen.* Sic inquam obijciat aliquis. Veruntamen res habet longè aliter: nam hactenus nihil magis decantatum reperiat apud Ariſtotelem, quàm Dialectico ſyllogiſmum, Oratori enthymema vſurpandum eſſe. Quare hoc in loco non docet ſyllogiſmum in enthymema conuertendum eſſe, ſed enthymemate retento, probationibus non eſſe onerandum; & ideo id quod reticere iubet, tum demum iubet reticeri, cum ſit notum: quibus tacitè indicat, ſi non ſit notum, eſſe efferendum: quo ſatis intelligitur id quod iubet reticeri ad probationes pertinere, non ad propoſitiones: alioquin iuberet vt ſyllogiſmo vteretur, enthymemate abiecto. atque ita non tam de enthymematis quàm de ſyllogiſmi vſu nos doceret. 368
Cum igitur enthymematis vſum non doceat, ſequitur profectò, vt de probatione, quę vtique cum enthymemate cohærere optimè poteſt, verba faciat. & ideo, ſi quis attentiùs æſtimet, germana huius loci vis atque ſententia (vt latiùs explicetur) eſt huiuſmodi. Eſto probandum fuerit Dorieum eſſe coronandum, idque ea de cauſa, quia in Olympicis ludis in quibus victori corona eſt propoſita (hoc eſt enim Olympica eſſe coronatia) victor extitiſſet, iam Dialecticus ſic argumentaretur. Qui vicit Olympica, ſeu Olympicum certamen, coronandus eſt. Dorieus viuit Olympica. Ergo Dorieus coronandus eſt. Sic, inquam, Dialecticus. Qui rurſus, quoniam non conſtat cur in maiore propoſitione dicatur eum qui viuit Olympica, coronandum eſſe, propoſitionem ſequenti ſyllogiſmo comprobaret. In quo certamine proponitur corona, victor coronandus eſt. In Olympico certamine proponitur corona. Ergo victor in Olympicis coronandus. Sic inquam argumentatio omnibus partibus abſoluta & probatiſſima conflaretur. quæ tamen potuiſſet etiam ſic formari vt prius prætermitteretur iſte ſyllogiſmus. In quo certamine proponitur corona, victor coronandus eſt. Sed in Olympico cerramine proponitur corona. Ergo victor in Olympica coronandus eſt. Tum ſubiungeretur alter. Qui vicit Olympica ſeu Olympicum certamen coronandum eſt. Sed Dorieus vicit Olympica. Ergo Dorieus coronandus eſt. & hic planiùs conſtare poteſt quo pacto aliquis ſyllogiſmus concluderet ex antea ſyllogizatis ſeu in ijs niteretur quæ antea ratiocinatione concluſa eſſent: & cur tandem primus ſyllogiſmus (hoc eſt ille qui ex ſyllogizatis antea penderet) longior appellaretur. Quod ſi non Dialectico ſed Oratori ratiocinandum ſit, qui vtitur enthymemate, dicendum fuiſſet. Qui vicit Olympica coronandus eſt, quia Olympicum certamen corona donat victorem. Ergo Dorieus qui vicit in Olympicis, coronandus eſt. Vbi tum ſyllogiſmum vnum ad enthymema reuocaſſet, tum ſyllogiſmum alterum vnde pendebat propoſitio, tanquam probationem propoſitioni adiunxiſſet: atque ita Oratorio more diſputaſſet: Tametſi quoniam (inquit Ariſtoteles) ea quæ ab auditore ſuppleri poſſunt commodè, non neceſſe eſt ab Oratore proferri, ſed vtiliter reticentur, vt enthymema ſit breuius & facilius, ideo in hoc enthymemate prætermittenda eſt ea propoſitionis probatio, *quia Olympicum certamen eſt coronarium, ſeu corona donat victorem.* Nam id per ſe intelligit, & ſupplere poteſt, auditor. Itaque reticeri iubet Ariſtoteles non propoſitionem aliquam, quaſi verò enthymema eſſe poſſit tripartitum aut quadriparritum, ac ſummatim pluribus partibus conſtare, quàm propoſitione vnica & concluſione, ſed vt 370
prætermittatur propoſitionis probatio, ne enthymema fiat longior ſine neceſſitate: cum longitudo afferre ſoleat obſcuritatem, & ideo ait Ariſtoteles τὸ δὲ ὅτι στεφανίτης ἐςὶ τὰ Ὀλύμπια, ὀ δεῖ προσθεῖναι: *illud verò, quia coronarium certamen eſt Olympicum, non oportet abdere*: vbi ea verba τὸ δὲ ὅτι, ſatis indicant in probationis loco habendum illud quod reticetur, non propoſitionis.

Non ſunt igitur audiendi Victorius ac cæteri, quos paulò ante recenſebam: nam ſi voluiſſet Ariſtoteles reticeri, priorem illam propoſitionem, dixiſſet τὸν δ᾽ ὅτι Ὀλύμπια νενικηκὼς, τὸ νενίκηκε στεφανίτην ἀγῶνα, οὐδὲ δεῖ προσθεῖναι: *cum autem qui vicit Olympia, viciſſe coronarium certamen, non opus eſt addere*, non autem dixiſſet, non eſt quod addatur τὸ δὲ ὅτι στεφανίτης τὰ Ὀλύμπια, *illud autē quia Olympia eſt Coronariū certamen*, in quo latet alterū enthymema, quod a nobis expreſſum fuit in Dialectica ratiocinatione, & in enthymemate fuit propoſitioni additū in probationis loco. Quoniā queādmodū ſupra dixerat vulgus nō poſſe cōtueri ex multis, & longiùs ratiocinari, quod non pōt intelligi niſi de probationibus, & rurſus dixerat contingere interdum ſyllogiſmo concludi aliquid ope

eorum,

eorum, quæ iam antea ſyllogiſmo concluſa ſunt, quæ itẽ pertinent ad probationes ſeu-
comprobationes, vt ita dicam, ita hoc in loco probationem quoad eius fieri poſſit aut
ſaltem comprobationem reticeri iubet quæ propoſitioni adderetur. Atque ex his in- *Explicatur poſtrema Dubitatio.*
telligitur nihil inſolens aut παράδοξον docuiſſe hoc tempore Ariſtotelem, ſed hæc
veriſſimè proferri omnia, & miro cum artificio. Atque his expoſita ſit & declarata no- *Iam refutantur aliquãdã opiniones.*
371 ſtra ſententia. Quæ ſi vera eſt, non difficile erit dijudicare quid veri aut falſi contineant,
quæ adhuc ſuperant exponendæ quorundam opiniones. Sunt itaque alij nonnulli, qui
ſyllogiſmi primi nomine argumentationem illam deſignari volunt ab Ariſtotele, quę
careat approbationibus ac propterea ſit tripartita: ſecundi verò illam, quæ ſuis appro-
bationibus confirmata, quinquepartita ſit. quibus poſitis cõcludunt iſti enthymema
conſtare tam ſæpe numero ex paucioribus quàm primus ideſt tripartitus ſyllogiſmus
(nam enthymema caret non ſolùm altera propoſitione, verùm etiam ſępe numero ap-
probatione) tum interdum ex totidem, aut etiam ex pluribus, quia poteſt tot approba-
tionibus muniri, vt interdũ æquet, aliquãdo etiam ſuperet, tripartitũ illud ſyllogiſmũ.
Sed admirabiles viri iſti ſexcenta peccant. Nam primò hæc ratiocinationis diſtribu-
tio, nullo modo conſentit cum Ariſtotelis inſtituto: ſyllogiſmum enim præter cõclu-
ſionem duas habere propoſitiones, nec pluribus cõſtare poſſe docet paſſim: at propo-
ſitionum approbationes eſſe ſyllogiſmi partes, aut ſyllogiſmũ quinquepartitum re-
periri, ſcribit nuſquam. vt propterea fundamẽtum huius opinionis omnino ruat. Dein-
de ſi alicubi indicaſſet hanc ſyllogiſmi partitionem (quod tamen ne leuiſſimè quidem
facit vnquam) cur hoc tempore primi ſyllogiſmi nomine intelligemus potiùs nouum
iſtum ſyllogiſmum, atque, vt ita dixerim, terra natum, qui caret approbationibus, quã
eum, quem & ante oculos habemus, & priore loco poſitum, ac proinde primum iure
optimo appellatum videmus? Præterea ſatis ſupérque demonſtrauimus, verba illa tam
372 ſæpè decantata ac trita, ad rationes pertinere, non ad propoſitiones: vt in hoc etiam de-
cipiantur iſti non leuiter. Huc accedit, quod ex dictis colligit Ariſtoteles hæc de enthy-
memate. Namque idcirco vtitur hoc dicendi genere, *Quare neceſſe eſt*: At ſi in medium
proferas peregrinum iſtum, ne dicam, commentitium ſyllogiſmum, quo pacto hęc ex
ſuperioribus eliciãtur, vix ac ne vix quidem fingi poteſt. Adde etiam quòd eædem ver-
ba ſine vllo diſcrimine atque adeò temerè referuntur tum ad propoſitiones, tũ ad ap-
probationes, ſiue ad tam diuerſas ſyllogiſmi partes. Nam eodem planè iure cõtendam
ego, promiſcuè rationes, expoſitiones, ſententias, conglobatas definitiones, terminos
propoſitionum, quos vocant, & alia huiuſmodi contineri ac ſignificari illorum nomi-
ne. Hinc fit, vt dum oſtendunt iſti, enthymema conſtare ex paucioribus quàm tripar-
titus ſyllogiſmus, enumerẽt tantùm propoſitionem & complexionem: dum verò en-
thymema rurſus aut ex totidem, aut ex pluribus conſtare oſtendunt, in enthymemate
tum propoſitionem, tum complexionem, tum approbationes receſſeant. In ſyllogiſmo
autem propoſitiones tantùm & complexionem: cum tamen haud diſpar eſſe debeat
eorum, quæ inter ſe comparantur, conditio. Nam ſi dicas diſparilem hanc rerum con-
ditionem nõ temerè hoc tempore vſurpari, cum iam antea ſtatutum ſit, ſyllogiſmum
373 ptimum carere approbationibus, ac proinde cum hoc vno poſſe conferri enthymema,
et hoc eſt quod præcauere debuiſſet Ariſtoteles, ne nos eò adduceret, vt enthymema
approbationibus confirmatum, cum vno eodémque ſyllogiſmo cõferremus: cum hic
quoque ijſdem approbationibus & carere & cõfirmari poſſit. Quid plura? magna pars
illorum argumentorum poteſt vrgeri in hanc opinionem, quibus hactenus vel refuta-
uimus aliorum ſententias, vel noſtram cõfirmauimus. quòd cum per ſe quiſque com-
modè facere poſſit, ego ſanè ad alia properabo.
In eádem verò naui verſatur Maioragius, qui & de propoſitionibus loqui Ariſtote- *Maioragij Prior.*
lem exiſtimat, & enthymema tũ bipartitum, tum tripartitum exiſtere poſſe. Quanquã
nouam quandam, atque hactenus inauditam rationem commentatur, qua id explicet
confirmétque. Nam non idcirco (inquit ipſe) enthymema dicitur imperfectus ſyllogiſ-
mus, quòd ſemper altera propoſitio deſideretur in eo, ſed quia tametſi interdum adij-
ciuntur ambæ, nunquam tamen habet veram ſyllogiſmi formam, Sed quæſo te, Maio-
ragi, rem nobis aliquo illuſtres exemplo. Ego verò, inquit, faciam. Nam ſi quis dixerit

Voluptas eſt propter ſe expetenda, quia eſt bona,

Is enthymemate, licet perturbato ordine, argumentabitur. Si enim ad germanam for-
mam

mam reuocare illud velit, pleniore enthymemate rem exponet hoc pacto. 374

Voluptas eſt bona,

Eſt itaque propter ſe expetenda.

Quod ſi tu rurſus addens maiorem, quam vocant, propoſitionem, dixerit,

Voluptas eſt propter ſe expetenda, quia eſt bona,

Et omne bonum eſt propter ſe expetendum;

Is ſanè ex totidem propoſitionibus conficiet enthymema, ex quot ſyllogiſmus. Ita de-
mum quoniam frequenter vſurpamus bipartitum enthymema, rarò autem triparti-
tum, fit vt ſæpenumero ex paucioribus propoſitionibus conſtet, quàm primus, hoc eſt
integer ſyllogiſmus: interdum tamen ex totidem. Hæc ſummatim Maioragius.

Sed errat & vehementer errat. Nam præterquam quod cenſet de propoſitionibus
verba facere Ariſtotelē, ac propterea enthymema ex totidem propoſitionibus, & for-
taſſe etiam ex pluribus conſtare poſſe quàm integer ſyllogiſmus, (quæ duo nos apertè
refutauimus ſupra) affirmat enthymema dici imperfectum ſyllogiſmum, nō quòd al-
tera ſemper deſideratur propoſitio: ſed quia nunquam habet veram ſyllogiſmi formā.
id quod facilè poteſt explodi: nam vt ſupra etiam declaraui; eādem dē cauſa enthyme-
ma dicitur ſyllogiſmus curtus, pars ſyllogiſmi, & truncata ratiocinatio, qua dicitur ſyl-
logiſmus imperfectus: ſed neque curtus dicitur, atque alio huiuſmodi nomine nuncu-
patur, niſi quia in eo deſideretur altera propoſitio (id enim nomina ipſa ſatis indicant)
non itaque enthymema dicitur imperfectus ſyllogiſmus propter variatam argumen- 375
tationis formulam. cum præſertim non imperfectus ſyllogiſmus, aut truncata ratioci-
natio, aut alio quopiam eiuſmodi nomine fuiſſet appellandus, ſi propoſitionum inuer-
ſio ſpectanda erat, ſed inuerſus, vt ita dixerim, aut perturbatus. Huc accedit quod Ari-
ſtoteles in poſteriore libro priorum Analyticorum docet, idque fatentibus interpreti-
bus omnibus; enthymema dici imperfectum ſyllogiſmū, quia deſideratur altera pro-
poſitio. Quare cum dixiſſet *Enthymema igitur eſt ſyllogiſmus imperfectus*, interpoſitis qui-
buſdam ſubiecit, *ſi autem & altera aſſumpta fuerit propoſitio, fit ſyllogiſmus.* Ac propterea id
apud Peripateticos nullam vnquam habuit dubitationem. Quin etiam, ſi nōnullis cre-
dimus; hoc ipſum enthymematis nomen inde profectum eſt, quòd altera propoſitio
ἐν θυμῷ, in animo inquam, condatur. Quanquam non me latet, aliter ſtatuere Quinti-
lianum; qui licet enthymema, id quod rei noſtrę intereſt; ſententiam eſſe dicat cum ra-
tione; commentum tamen aut commentationem videtur huius vocis notione ſubij-
cere: ſicut etiam hac ipſa de cauſa Boëthius libro V. Topicorum animi conceptionem
appellat illud: qui tamen Boëthius ipſe quoque vnicam enthymemati propoſitionem
pręter complexionem concedit: dum libro II. de differētijs Topicis, *Enthymema*, inquit,
eſt ratio in qua non omnibus antea propoſitionibus conſtitutis, infertur feſtinata concluſio.

Sed vt ad id veniamus, quod caput eſt, Maioragi, in tua ſententia, in exemplis quoque
enthymematum peccas: nam dum ais, ſi quis argumentetur, 376

Voluptas eſt expetenda quia eſt bona,

Is enthymemate ſed inuerſo ac præpoſtero argumentabitur; ego ſanè tibi omnino aſ-
ſentior: poteſt enim hoc argumentum ad germanam enthymematis formam reuoca-
ri hoc pacto.

Voluptas eſt bona,

Eſt itaque per ſe expetenda,

Quamuis dum ais perturbatum illud enthymema fieri ex propoſitione cum ratione
adiuncta, abuteris nomine propoſitionis: nam dicere debuiſſes, cōſtare concluſione &
ratione, quemadmodum rectè docueras antea, vel, vt Quintilianus loquitur, conſtare
ſententia & ratione. Sed dum altera propoſitione eidem enthymemati addita, conficis
talem ratiocinationem,

Voluptas eſt propter ſe expetenda quia eſt bona;

Et omne bonum eſt propter ſe expetendum.

pugnáſque hanc ratiocinationem, quoniam perturbato ordine proponitur, eſſe enthy-
mema, vide quid dicas: nam verè hæc argumentatio non eſt enthymema ſed ſyllogiſ-
mus: id quod demonſtratur his rationibus. Ac primùm quia ſi retroactis ſenten-
tijs ad illuſtriorem formam traducatur argumentatio, talis conficietur ſyllogiſ-
mus.

Omne

Omne bonum eſt expetendum,
Voluptas eſt bona
Eſt igitur expetenda

377 Deinde illa propoſitio quæ addebatur enthymemati,
Et omne bonum eſt expetendum,
eſſet approbatio illius propoſitionis,
Voluptas eſt bona,
vel hæc illius; eſſet quidem enthymema: quia altera propoſitio quæ videtur abundare
in enthymemate, eſſet approbatio rationis: ſed hoc eſt falſum. nam neutra ex altera pẽ-
det: ſed ſunt duæ inter ſe diſtinctę propoſitiones, ex quibus colligitur concluſio per ſyl-
logiſmum in Darij. Poſtremò quemadmodum ſtatuis argumentum illud
Voluptas eſt expetenda, quia eſt bona,
eſſe enthymema, tametſi immutatus ſit ordo; ita dum dicitur,
Voluptas eſt expetenda quia eſt bona
Et omne bonum eſt expetendum,
Fateri debes præpoſterum hunc ſyllogiſmi ordinem haud prohibere quo minùs hæc
argumentatio ſit ſyllogiſmus. Nam ſi pugnaciter id neges, reclamabunt Peripatetici
omnes. quod ſi ita eſt, ſecundum hoc genus argumentationis non pertinet ad propoſi-
tum: dum oſtendere illo conaris poſſe enthymema conſtare ex totidem quot ſyllogiſ-
mus: nam hæc argumentatio non eſt enthymema, ſed inuerſus, ac perturbatus ſyllo-
giſmus. Ariſtoteles autem, dum ait debere enthymema ſæpenumero ex paucioribus
conſtare quàm primus ſyllogiſmus, de vero enthymemate loquitur, nõ de ſyllogiſmo.
Huc accedit quod ſi primum à te allatum enthymematis genus, quo affirmas Orato-
378 res vti frequenter, nimirum, Voluptas eſt per ſe expetenda quia eſt bona, oſtendit cur
dixerit Ariſtoteles enthymema ſæpenumero conſtare ex paucioribus quàm primus
ſyllogiſmus, aliud verò enthymematis (ſic enim aliud appellas) exemplum
Voluptas eſt per ſe expetenda, quia eſt bona,
Et omne bonum eſt per ſe expetendum,
Vt rarò vſurpatur ab Oratoribus, ita oſtendit, quo pacto poſſit enthymema conſtare
interdum ex totidem; iam ſatis fuiſſet dicere *enthymema debet ſæpenumero conſtare ex pau-
cioribus quàm primus ſyllogiſmus*: ac proinde inopportunè atque adeò temerè præponere-
tur illud [*ex paucis*] vel ſi illud [*ex paucis*] idcirco profertur, quia enthymema, vt ipſe
doces, maiore ex parte ſit bipartitum, ex propoſitione nimirũ & complexione, in aper-
tam ταυτολογίαν incidiſſet ſtatim Ariſtoteles, dùm ſubdit *& ſæpenumero ex paucioribus*:
potiúsque dicere debuiſſet *& interdum ex totidem.* quocirca dum etiam addis, *ſed quia
interdum accidit vt extremo loco maior addatur propoſitio, ſi non ita nota fuerit, ideo dixit Ariſto-
teles ſæpè ex paucioribus fieri quàm ſyllogiſmum, non autem ſemper*; pugnant hæc inter ſe: nam
ſi interdum & non ſæpenumero accidit vt addatur altera propoſitio, non debuiſſet di-
cere Ariſtoteles *ſæpenumero* ſed interdum fieri ex paucioribus quàm primus, id eſt (vt tu
exponis) integer ſyllogiſmus. Sed dum contendis fortaſſe ſignificare, quoque ex pluri-
bus conſtare poſſe, ne dum ex totidem quot ſyllogiſmus: quo pacto, amabo te, fieri id
poteſt, ſi tuam iſtam ſententiam retinere velis? nam cum dicas enthymema conſtare
ex totidem, dum ex vtraque propoſitione conflatur & concluſione; quid tandem ad-
379 detur, vnde conſtet ex pluribus? niſi tamen tertiam illi propoſitionem, aut etiam dupli-
cem concluſionem attribuas. quid plura? tua iſta opinio eo quoque nititur fundamen-
to, quo ſumis primi ſyllogiſmi nomine nihil aliud, niſi integrum tripartitúmue ſyllo-
giſmum, intelligi: quod tamen falſiſſimum eſt, cum de ſyllogiſmo illo loquatur Ari-
ſtoteles, qui longa quadam multiplicíque rationum ſerie coagmentatus ſit, quemad-
modum iam antea apertè ſatis oſtendimus. Vt propterea nihil fermè offendatur in hac
Maioragij ſententia, quod vlla ex parte approbandum, imò verò non magnopere im-
probandum ſit.

Sed ecce tibi Maioragius qui à deuio tramite ad rectam regredi cũ cœpiſſet, ſtatim *Maioragij*
tamen deerrauit iterum, atque à ſcopo aberrauit longiùs. Etenim cum ex Quintiliano *poſterior.*
illud quoque adderet & obſeruaret, enthymema aliud interdum eſſe ſimplex, aliud
multiplex ſiue compoſitum, atque illud conflari ex paucioribus, hoc verò ex pluribus
conſtare poſſe (quę profectò pronunciaſſet egregiè, ſi deinde compoſiti ſyllogiſmi no-
mine

Digitized by Google

mine illũ intellexiſſet, in quo ex probationibus inter ſe nexis, ac veluti filo ductis, colli-
gitur concluſio) mox tum iſtiuſmodi probationes ſpreuit, quas tamen vnas intelligit
Ariſtot. tũ alia multa addidit, quæ cũ Ariſtoteles doctrina atque ſentẽtia nullo cohærẽt
modo. Quapropter tũ illud pronũciauit, enthymema ſimplex ferè sẽper, nõ autẽ sẽper,
cõſtare ex paucioribus q̃ ſyllogiſmus (in cõglobatas verò quaſdã intuebatur rationes,
vnde enthymema interdũ euadit benè longũ, ac prolixius eſſe poteſt q̃ ſimplex ſyllogiſ 380
mus) cum tamen ſimplex enthymema, hoc eſt bipartitum, ſiue de probationibus, ſiue
de propoſitionibus partibúſue loquatur, ſemper ex paucioribus conſtet quàm ſyllo-
giſmus: tum verba illa ſubiunxit, *Rhetorica latè copioſéque dicit:* quia licet ex paucioribus
enunciatis, quàm fiat ſyllogiſmus conſtruat enthymema: ea tamen frequentiſſimè
multiplicat, & quodammodo conglobat, rationéſque rationibus cõtinenter adiungit;
vſque adeò vt in vno compoſito enthymemate ſæpenumero plurimorũ ſyllogiſmo-
rum terminos & vim complectatur. Vbi ſanè, ſi vim illam plurimorum ſyllogiſmorũ,
probationes illi confirmationéſque ſignificaſſet, iam rectam, vt dicebam, eſſet ingreſ-
ſus, ac ſcopum denique attingere potuiſſet. Sed ſpectauit longiùs: cum enim ſuam ille
ſententiam mox illuſtraret exemplo, *Sumamus*, inquit, *vnum ex Cicerone compoſitum enthy
mema, & videamus quot in eo ſyllogiſmi eſſe poſſint: tale eſt illud pro Milone. Quem igitur cum
omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem iure, quem loco, quem tempore,
quem impunè non eſt auſus; hunc iniuria iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubi-
tauit occidere? dico in hoc vno enthymemate, quinque perfectorum ſyllogiſmorum terminos ac vim
ineſſe, qui ſigillatim confirmari poſſunt.* quibus verbis per conglobatas rationes intelligi vo-
luit varias probationes inter ſe nexas ſed ſeiugatas, ita vt tum ſingulæ valere poſſint ad 381
concluſionem inducendam, tum conglobatę omnes vnius probationis expleant locũ;
cum tamen Ariſtoteles loquatur de concluſione, cuius probatio ex altera pendet, hęc
ex alia; ita vt concluſio probationem, probatio confirmationem, hæc, ſi ratiocinatio ſit
longior, approbationem habeat: hoc eſt enim ſyllogiſmum conſtare ex ſyllogizatis an-
tea, ſiue concluſionem colligi ex ijs, quæ ſuperiore ſunt ſyllogiſmo cõcluſa, quæ in en-
thymemate, quoad eius fieri poteſt, ſunt declinanda. Denique (vt alia quædam præte-
reã, in quibus item peccat Maioragius) nõ rectè per ſyllogiſmum primum tripartitum
ac ſimplicem intelligit, cum Ariſtoteles potiùs longum illum, qui iteratis probatio-
nibus & augmẽtatur, quíque compoſitus ſit, intelligat. Hæc habui quibus locum hũc
obſcuriſſimum controuerſiaéque pleniſſimum dilucidarem.

PARTICVLA XLVIII.

Ἐπεὶ δ᾽ ἐστὶν ὀλίγα μὲν τῶν ἀναγκαίων, ἐξ ὧν οἱ ῥητορικοὶ συλλογισμοί εἰσιν. τὰ γὰρ πολλὰ περὶ ὧν αἱ κρίσεις καὶ αἱ σκέψεις, ἐνδέχεται καὶ ἄλλως ἔχειν. περὶ ὧν μὲν γὰρ πράττουσι, βουλεύονται καὶ σκοποῦσι. τὰ δὲ πραττόμενα πάντα τοιούτου γένους ἐστί. καὶ οὐδὲν ὡς ἔπος εἰπεῖν ἐξ ἀνάγκης τούτων, τὰ δ᾽ ὡς ἐπιτοπολὺ συμβαίνοντα καὶ ἐνδεχόμενα, ἐκ τοιούτων ἀνάγκη ἑτέρων συλλογίζεσθαι, τὰ δ᾽ ἀναγκαῖα ἐξ ἀναγκαίων. δῆλον δ᾽ ἡμῖν καὶ τοῦτο, ἐκ τῶν ἀναλυτικῶν, φανερὸν ὅτι ἐξ ὧν τὰ ἐνθυμήματα λέγεται, τὰ μὲν, ἀναγκαῖα ἔσται, τὰ δὲ πλεῖστα ὡς ἐπὶ πολύ.

QVoniam autem ſunt pauca neceſſaria, ex quibus oratorij ſyllogiſmi confi- Riccobonus.
ciuntur (multa enim, de quibus iudicia, ac deliberationes ſunt, contingit
etiam aliter ſe habere, quæ enim agunt, de ijs conſultant, & deliberant; quæ verò
aguntur, omnia huiuſce generis ſunt, & nihil horum propè dixerim, ex neceſſita- 382
te eſt; quæ autem plerumque accidunt, & contingunt, ex talibus neceſſe eſt alijs
ſyllogiſmo concludi, neceſſaria verò ex neceſſarijs, id quod manifeſtum eſt nobis
ex Analyticis) apparet, ex quibus enthymemata ducuntur, alia quidem neceſſa-
ria futura eſſe, plurima verò quæ plerunque ſe habent.

Maioragius.

PAuca verò neceſſaria ſunt eorum, ex quibus oratorij ſyllogiſmi conficiuntur: maiori enim ex parte, quæ in iudicium ac deliberationem veniunt, etiam aliter ſe habere poſſunt: ſolent etiam homines de ijs rebus deliberare & cogitare quas in vita gerunt: quæ verò aguntur, eiuſdem generis omnia ſunt: neque quicquam, penè dixerim, eorum ex neceſſitate fit. hæc autem ipſa, quæ plerumque fiunt nec eodem modo ſe ſemper habent neceſſe eſt ex propoſitionibus eiuſdem naturæ confirmari; ſicuti neceſſaria ex neceſſarijs probantur: quod ex analyticis libris clariùs intelligi poteſt. Quare perſpicuum eſt eorum, ex quibus enthymemata fiunt, aliqua quidem eſſe neceſſaria, ſed plurima ex eis eſſe talia, quæ plerunque tantùm ſine vlla neceßitate fiunt.

Coment. XLVIII. Enthymema duci fermè ex ijs quæ poſſunt aliter ſe habere.

DOcet iam Ariſtoteles enthymema conſtare ex veriſimilibus, & ſignis, & quæ ſit tum veriſimilis tum ſigni vis & natura. Et ſanè cũ enthymema, hoc eſt præcipuum Oratoris inſtrumentum attuliſſet in medium, poſtulabat quoque ratio, vt nos de eiuſdem vi & natura doceret, ac ſigillatim ex quibus conficeretur & conſtaret. Igitur ſtatuit inter illa ex quibus conficiuntur oratoriæ argumentationes, pauca atque adeò pauciſſima eſſe neceſſaria; ac proinde enthymema duci quidem interdum ex neceſſarijs: ſæpenumero tamen ex ijs quæ poſſunt aliter ſe habere. quod dum docet, profectò ratioci-
383 natione vtitur tam longo probationum confirmationúmque ductu coagmentata, (id quod paulò ante monere cœperam) vt illuſtrius nobis exemplum relinquere minimè potuerit illius argumentationis, quàm dixerat apud rudes διὰ τὸ μῆκος ὐκ εἶναι ἐυπαρακολούθητον, propter longitudinem non vſque adeò facilè intelligi poſſe. Quanquam cum non apud vulgares ac rudes homines diceret ipſe, ſed ingenioſis ac ſolertibus auditoribus traderet præcepta dicendi, minimè reprehendendum eſt hoc ſcribendi genus. Ergo ad rem propoſitam oſtendendam, ponit Ariſtoteles primo loco propoſitionem: tum eandem ratione ſeu probatione confirmat, ſtatímque hanc alia, ſecundámque rurſus tertia, tertiam iterum quarta comprobat: cui etiam ſi placet, addit quintam: atque hũc in modum propoſitione confirmata, complexionem (enthymemate namque ratiocinatur) inducit. Vt propterea integra ratiocinatio, ſex rationibus ſeu probationibus coaceruata ſit. Argumentatio autem, ſi explicetur vniuerſa (ipſe enim more ſuo initia tantùm atque cauſas concluſionum commonſtrat) talis erit. Inter illa ex quibus conficiũtur oratoriæ argumentationes, pauca ſunt neceſſaria. ea igitur ex quibus fiunt enthymemata, erunt quidem interdum neceſſaria, ſæpenumero tamen, maiorique ex parte poterunt aliter ſe habere. Propoſitionem huius enthymematis, quam, vt monebam, confirmat antequam inducat concluſionem à nobis propoſitam, ſic probat. Quæ in iudicia ac deliberationem venire ſolent, ſæpenumero aliter ſe habere poſſunt. Sed Orator ea tractat, quæ in iudicia & deliberationem venire ſolent. Orator itaque ea tractat, quæ ſæpenumero aliter ſe habere poſſunt: ac propterea quæ ſunt neceſſaria & vno mo-
384 do tantùm fieri poſſunt, attingit raro. Hæc approbatio propoſitionis, quam approbationem, ne temerè dixiſſe videretur, quæ in iudicia & deliberationem cadunt, aliter fieri poſſunt; noua approbatione confirmat hunc in modum.

De ijs rebus conſultare ſolent homines, quas tractant ac gerunt in vita: ſed quæ ab homine geruntur in vita eiuſmodi ſunt, vt aliter fieri poſſint: quę igitur in conſultationem veniunt, fieri aliter poſſunt. Hæc eſt approbationis confirmatio. Sed quoniã ſtatim potuiſſet quiſpiam obijcere: ſi igitur quæ geruntur in vita, omnia ſunt huiuſmodi, vt aliter ſe habere poſſint, & hæc ipſa ſunt ea, de quibus conſultat Orator; profectò nulla erunt ex ijs neceſſaria, ac proinde Orator non minori ex parte, ſed ſemper verſabitur in ijs, quæ poſſunt aliter ſe habere. Itaque Ariſtoteles, vt huiuſmodi confirmationem partim approbaret, partim etiam moderaretur, appoſitè dubitationem his anteuertit verbis καὶ ὐδὲν ὡς ἐπὶς εἰπεῖν, ἐξ ἀνάγκης τύτων. *nihilque horum propè dixerim, eſt ex neceſſitate.* quaſi diceret vſque adeò incerta ſunt & varia, quæ ab hominibus geruntur in vita, vix vt interdum reperiatur aliquid, quod contingat neceſſariò, ac propterea, ſi aliqua ſunt neceſſaria, certè pauciſſima ſunt.

Sed eſto in præſentia ea de quibus fiunt iudicia & deliberationes, plerunque ſe habeant

Digitized by Google

beant aliter, hominéſque proinde cõmententur, conſulsent, agant denique ea paſſim, quæ non contingunt, neceſſariò: ſed tnum erat, Ariſtoteles, oſtendere aliter ſe habere poſſe non ea de quibus diſceptamus aut conſultamus, ſed ea ex quibus ducimus argumentationes ad res, quæ in conſultationem veniunt, definiendas. Nam longè differt 385
id de quo oritur controuerſia, & in conſultationem venit, ab ijs quibus controuerſia dijudicatur, & in hanc vel illam partem argumentando flectitur: ſicut etiam non parùm differt id quod concluditur, ab ijs ex quibus concluditur. Quamobrem nondum approbata fuit propoſitio, in qua contendebas, eorum ex quibus fiunt oratoriæ argumentationes, pauca eſſe neceſſaria.

Sed ecce tibi ſolertiſſimus Ariſtoteles, qui huic quoque dubitationi occurrit his verbis. *Quæ verò plerunque accidunt & eueniunt, ex huiuſmodi alijs concludantur neceſſe eſt*: quaſi diceret, ſi oſtenſum eſt ea quæ in diſceptationem & conſultationem veniunt, aliter ſæpenumero contingere poſſe, profectò initia quoque & rationes, ex quibus definiunt & confirmatur res controuerſa, neceſſe eſt vt ſæpenumero aliter contingere poſſint. Nã res quæ aliter ſe habere poſſunt, ex rationibus eiuſdem Naturæ concluduntur & confirmantur, ſicut neceſſariæ ex neceſſarijs. At vndénam conſtat hoc poſtremum, Ariſtoteles? id verò, reſpondet ipſe, ex Analyticis libris (priorem verò intelligit ex ijs, qui Analytici priores appellantur) perſpicuum eſt. & idcirco dubium non eſt (ſubdit ipſe) quin ex quibus enthymemata ducuntur, alia neceſſaria futura ſint, plurima verò ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. talia inquam vt plerunque, non ſemper, ita fiant, & hęc eſt concluſio: quam 386
elicit tandem aliquando ex prima illa propoſitione, quam tanto artificio confirmauit, tótque interiectis rationibus. His nuda ac ſimplex ſententia cõtinetur huius loci. Quã libuit paulò explicatiùs, ne dicam, minutè enucleare, ſiue quia Ariſtoteles preſſo illo dicendi genere & inuoluto viſus eſt non parum ambiguitatis creaſſe: ſiue vt longioris illius ratiocinationis exemplum ac ſpecimen in Ariſtotele ipſo commõſtrarem, & quo pacto probationum non propoſitionum multitudine producatur.

Iam verò facilè dubitauerit quiſpiam. Etenim Ariſtoteles paulò ante docuit in vni-
Dubitatur I. uersùm, non ex quibuslibet argumentari Oratorem, ſed ex ijs quæ in conſultationem cadere ſoleut, & rurſus conſultare homines περὶ τῶν φαινομένων ἐνδέχεσθαι ἀμφοτέρως ἔχειν, *de ijs, quæ videntur non vno, ſed varijs modis contingere poſſe*: idquę ne vllus ſupereſſet dubitandi locus, intelligi voluit in quolibet genere cauſarum; idcirco enim tria illa genera, per tria tempora illis ſubiecta deſcripſit, cum diceret: *Nam de ijs, quæ nequeunt aliter aut facta, aut futura eſſe, aut ſe habere, conſultat nemo.* quod ſi ita eſt, cur hoc in loco ea de quibus fiunt iudicia aut deliberationes, non ſemper, ſed τὰ πολλὰ plerunque ait aliter ſe habere? num ſui ipſius immemor tam facilè eſſe potuit Ariſtoteles? Imo verò cum in Rhetoricæ definitione docuerit, munus Oratoris eſſe inuenire τὰ πιθανά, vel ex definitione ipſa luce clariùs conſtat, neceſſaria nullo modo pertinere ad Oratorẽ. Vt omittã libro I. Moralium capite III. docuiſſe perinde eſſe requirere ab Oratore demonſtrationes, quod eſt neceſſarias rationes, ac probabiles à Mathematico. Quanquam totam 387
Reſpondetur: ita tamen vt in alium locũ reijciatur dubitatio. hanc dubitationem, quoniam iamdiu excitari cœpta eſt, & in primis in Rhetoricæ definitione latiùs exaggerata, lubet in eum locum atque ad eam Controuerſiam reijcere, quæ grauiſſimæ huic dubitationi eſt deſtinata. Ibi enim cùm loca conſulentur cætera, tum hic expendetur & examinabitur. Nunc ſat ſit monuiſſe, fortaſſe eorum quæ perraò accidunt, non facilè habendam eſſe rationem. & ideo nil mirum ſi ea tantùm quæ aliter cadere poſſunt atque aliter ſe habere, & ab Oratore exiguntur, & Rhetoricæ definiendę referũtur: etſi alioquin nil prohibet quominus interim indicare liceat poſſe aliqua, etſi perpauca, occurrere quæ ſint neceſſaria, quæcunque illa ſint tandem; & vno tantummodo contingant. Sed & illud dubitationem affert: nam ſupra accommo-
Dubitatur II. datè ſatis declarauit Ariſtoteles ea quæ in conſultationem veniunt, nõ eſſe neceſſaria: qua tamen re nunc in propoſiti enthymematis propoſitione probãda ſic vtitur, vt noua rurſus ipſam approbatione cõfirmet: quæ noua approbatio vel obſcurior eſt quàm id quod ea comprobatur, vel certè in multis minùs perſpicua: nam de ijs cõſultare homines quæ non videntur niſi aliter contingere poſſe, omnes norunt: at quæ gerunt homines, aliter fieri poſſe (vnde priorem ſententiam confirmat) id verò ſine exceptione aliqua defendi minimè poteſt: cum ſexcẽta ſint, quæ facimus Natura duce, ac ferè neceſſariò, ac proinde aliter fieri nequeant. Sed ne hic quidem immorandum eſt, ne moralis

ralis Philoſophiæ campos cogamur excurrere. quare tantùm dicam, Ariſtotelem hoc
388 in loco dũ ait *πραττόμενα πάντα τοιούτου γένους ἐςὶ, quæ aguntur, huiuſmodi ſunt omnia:* quod eſt non neceſſariò fiunt, ſed poſſunt aliter ſe habere, actionem vſurpare pro ijs, quæ à nobis & ſpontè, & conſilio, ac proinde non neceſſariò, geruntur, ac ſummatim prudentię ſubijciuntur: ſic enim cum alibi, tum maximè in libro VI. de moribus. Ex quo fieret vt appoſitè hinc doceret, homines de ijs conſultare, quæ non ſunt neceſſaria, ſed varijs modis cadere poſſunt. nam cum ipſaſmet hominum actiones proferret in medium, quæ, quoniam prudentiæ ſubijciuntur, & conſilio geruntur, ſatis oſtendunt conſultationem non eſſe rerum quæ fiunt neceſſariò, docebat eorum eſſe quæ in varias partes cadere poſſunt. Ita ſanè nihil propriè ab homine ageretur neceſſariò, ſi actio & praxis propriè non verò pro quocunque hominis munere & functione capiatur. At enim ſit iſtud. Verùm ſi res neceſſariæ ex neceſſarijs initijs ſeu propoſitionibus concludantur, quid eſt quod res Phyſicæ, quæ neceſſariæ videri ſolent, probabiliter tractentur paſſim, ac propterea tantoperè de illis nutent aut altercentur Phyloſophi? Sed profectò hæc res vt patet quam latiſſimè, & in magna veritate poſita eſt, longiorem ſubtilioremque tractationem deſiderat, quàm locus hic patiatur. Quocirca licebit ea conſulere, quæ nos de toto hoc argumento ſcripſimus in Timæum Platonis. cum enim ibi negaret Plato de Mundo hoc aſpectabili, quem facit alterius qui ſola intelligentia percipiatur, hoc eſt Ideæ, ſimulacrum, certis ac neceſſarijs rationibus poſſe diſputari, idque quia Mundus hic caducus ſit & fluxus, rationes verò cum rebus quas exprimunt, conuenire debeant, multa vltro citróque ex Platonis Ariſtotelíſque ſententia de hoc argumento pulcherrimo diſſeruimus. Nunc tantùm dicam res neceſſarias ſine dubio neceſſarias habere cauſas & rationes, ac propterea vbi humani imbecillitas ingenij nõ impediat, neceſſarijs argumentis à nobis euinci poſſe. quod ſi impediat, probabilia ſuperſunt tantùm, ac propterea ſtatuebat Ariſtoteles de rebus etiam cœleſtibus ſatis eſſe probabiles afferre rationes. cum enim & maximè à nobis diſtent, & ſenſibus penitus haud percipiantur, nequit homo proprijs ac neceſſarijs argumentis vti in eorum natura explicanda. atque hinc eſt vt in rebus quoque phyſicis ac neceſſarijs propter ſenſuum tarditatem, abſtruſáſque naturas probabiliter diſputemus plerúque. tametſi Plato adderet res phyſicas quæ fluxæ ſint, perpetuò ſic variari, vt ne per ſe quidem ſcientiam gignere poſſint, ſed opinionem tantùm.

Dubitatur III.

389 *Dec. 2. lib. 1. p. 9. 10. 11*

Reſpondetur.

PARTICVLA XLIX.

ΛΕ'γεται γὰρ ἐνθυμήματα. ἐξ εἰκότων καὶ σημείων, ὥστε ἀνάγκη τούτων ἑκάτερον, ἑκατέρῳ ταυτὸ εἶναι. τὸ μὲν γὰρ, εἰκός ἐστιν ὡς ἐπιτοπολὺ γινόμενον. οὐχ ἁπλῶς δὲ καθάπερ ὁρίζονταί τινες, ἀλλὰ τὸ περὶ τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν, οὕτως ἔχον πρὸς ἐκεῖνο πρὸς ὃ εἰκὸς, ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος.

390 *Riccobonus.* DVcuntur enim enthymemata ex veriſimilibus & ſignis; vt neceſſe ſit horum vtrunque cum vtroque idem eſſe. Veriſimile enim eſt, quod plerunque fit, non ſimpliciter autem quemadmodum definiunt nonnulli, ſed quod in ijs, quæ contingit aliter ſe habere, ſic ſe habet ad illud, cui eſt veriſimile, vt vniuerſale ad ſingulare.

Maioragius. *DVcuntur enim enthymemata ex uerisimilibus et ſignis. itaque neceſſe eſt, ut horum utrunque alteri eorum reſpondeat, atque idem ſit: nam uerisimile eſt tanquam id quod plerunque fit. Non tamen abſolutè ſicut quidam exiſtimant ſed quod in eis uerſetur qua aliter etiam euenire poſſunt: & quod ita ſe habeat ad id, cuius eſt uerisimile: ſicuti ſe habet id, quod generatim atque uniuerſè fit, ad id quod ſigillatim & in parte.*

Comment. XLIX. Enthymemaduci ex veriſimili et ſigno, et hoc neceſſario illud nõ neceſſario, reſpondere.

DEmonſtrauerat Ariſtoteles inter illa ex quibus ducuntur enthymema,
alia eſt neceſſaria, & hæc eſſe perpauca, alia contingere aliter poſſe,&
hæc eſſe quamplurima. Nunc vt propoſita propoſitionis membra cla-
riùs intueri liceat ac ſingulorum,& nomen & naturam agnoſcere,mo-
net enthymema duci *ἐξ εἰκότων καὶ σημείων*, *ex veriſimilibus & ſignis:* ac
propterea vtrunque eorum , hoc eſt veriſimile & ſignum , idem eſſe
cum vtroque illorum, hoc eſt cum neceſſarijs, & non neceſſarijs : ita nimirum vt veri-
ſimile reſpondeat non neceſſarijs,ſignum verò neceſſarijs. Quapropter ſi Orator du-
cat enthymema ex neceſſarijs , dicitur ex ſignis argumentari: ſi verò ex non neceſſarijs
ducat item enthymema,argumentari dicitur ex veriſimilibus. vt propterea argumen-
ta quæ ſunt neceſſaria, *σημεῖα*, quæ aliter contingere poſſunt *τὰ εἰκότα*; ſint appellanda in
præſentia. Et quoniam potuiſſet ſtatim aliquis ſciſcitari, quo pacto veriſimile reſpon-
deat ijs,quæ aliter fieri poſſunt,ſiue non neceſſarijs, *Veriſimile*,inquit, *eſt ex eorum ordine,* 391

Cur addat exceptionẽ quandam.

quæ fiunt plerunque, id eſt quæ non ſunt neceſſaria, ſed aliter fieri poſſunt. Sed cur addit
οὐχ ἁπλῶς δὲ καθάπερ ὁρίζονταί τινες, *non abſolutè tamen vt definiunt quidam & quæ ſequuntur?*

Sueſſanus.

Sueſſanus illud *abſolutè* exponit *non ſemper* quaſi verò Ariſtoteles doceret, veriſimile
eſſe id,quod fit plerunque, non autem id quod fit ſemper. Atque hoc ipſum ſenſerat

Egidius.

multò ante Egidius in hunc locum , dum ſcriberet, veriſimile non fieri in omnibus &

Maioragius.

ſimpliciter, ſed in pluribus Maioragius verò cenſuit illos quos redarguit Ariſtoteles,
extimaſſe quidem veriſimile eſſe id quod non ſemper, ſed plerunque fit; ſed tamen vo-
luiſſe abſolutè,plerunque fieri,hoc eſt,ſi Maioragij ſententiam aſſecutus ſum, vel ple-
runque quidem, ſed abſolutè tamen, ideſt neceſsariò fieri, vel certè abſolutè,quia eun-
dem ſemper tenorem atque ordinem ſeruent, vt propterea id dicantur perpetuò face-

Victorius.

re. Aliter Victorius. Nam exiſtimauit id dixiſse Ariſtotelem , quòd allatæ veriſimilis
definitioni duas adhuc conditiones cenſeret addendas eſse, quas cæteri prætermiſiſ-
ſent,abſolutè nimis illud definientes. Vna eſt: vt ea circa quæ verſatur veriſimile quam-
uis plerunque ita fiant, aliter tamẽ euenire poſſint,& hanc conditionem inquit Victo-
rius , exprimit Ariſtoteles dum ſubdit *ἀλλὰ τὸ περὶ τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν*. *Sed in ijs
quæ aliter ſe habere poſſunt.* Altera eſt , vt huiuſmodi veriſimile ſe habeat ad illud , cuius
eſt veriſimile , perinde ac ſe habet id , quod fit in vniuerſùm , ad id quod fit in parte.

Summa diſſidentiũ illarũ opinionum.

Quamobrem ſi Sueſſanum & Egidium ſequaris , Ariſtoteles reprehendit quoſdam, 392
quod non plerunque ſed ſemper vellent veriſimile euenire. Si Maioragium , quòd
quæ plerunque contingerent, contingerent etiam vel neceſsariò, vel eodem planè or-
dine ac tenore,vt aiunt,ſicut res naturales. Si Victorium, quòd nimis abſolutè loque-
rentur duas illas conditiones prætermittentes.

Authoris ſententia.

Ego verò, pace tantorum virorum, exiſtimo, inter Ariſtotelem & aduerſarios om-
nino conſtare veriſimile non ſemper ſed plerunque accidere : nam præterquam quod
nullo modo credi poteſt,eos tantopere deliraſse,vt veriſimile ſemper fieri vellent; quî
enim eſſet veriſimile? ſed diſſidium eſse in alio poſitum: id quod apertè ſatis indicant
tum verba illa *ἀλλὰ περὶ τὰ ἐνδεχόμενα ἄλλως ἔχειν*. *Sed quod in ijs rebus aliter ſe habere
poſſunt*, tum præſertim quæ mox ſequuntur. Exiſtimo etiam Ariſtotelem non eo no-
mine redarguere aduerſarios , quòd ſtatuerent veriſimile circa ea verſari, quæ tametſi
plerunque fiant , neceſsariò tamen fiant aut perpetuum & immutabilem ordinem
ſeruent. Nam vt omittam id quod plerunque fit, ab Ariſtotele paſſim ac veluti ab om-
nibus conceſserim opponi ijs quæ fiunt neceſsariò , profectò ſupra quàm credi poſſit,
fuiſsent abſurdi viri iſti, ſi veriſimile plerunque fieri , & tamen neceſsariò , aut etiam
ſemper eodem & immutabili ordine , affirmaſsent fieri : præſertim verò dum *τὸ εἰκὸς*
planè definirent,cum haberetur ſermo de humanis actionibus, déque ijs maximè,quæ
aut in conſultationem venire ſolent, aut controuerſijs dirimendis adhiberi. Deinde
Ariſtoteles *ὡς ἐπὶ τὸ πολύ* , id quod plerumque fit , & *ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν*,
quod nimirum contingit aliter ſe habere , promiſcuè & ſine vllo diſcrimine
vſurpat , vt apertè conſtat ex Particula Trigeſimaoctaua. Quamobrem , dum 393
hîc ait, *Veriſimile eſt id, quod plerunque fit, non abſolutè tamen, vt definiunt quidam, ſed quod in ijs
rebus, quæ aliter ſe habere poſſunt, ita ſe habet ad id cuius eſt ueriſimile, ut quod eſt in toto, ad id quod
eſt in parte* ea verba , *In ijs quæ aliter ſe habere poſſunt* nullum diſcrimen conſtituere valent
inter Ariſtotelem & Aduerſarios , ſed pronunciantur perinde ac ſi ſuperiora illa repe-
terentur,

terentur, diceretúrque, *In ijs quæ plerunque fiunt*. Denique exiſtimo eo differre, quod illi dum τὸ εἰκὸς, veriſimile inquam, definirent, dicerent eſſe id, quod plerunque fit, nulla exceptione adhibita aut cautione, ſed ἁπλῶς, abſolutè & in vniuerſum: itaut quicquid plerunque fieret, eſſet veriſimile. At Ariſtoteles non ita abſolutè loquendum arbitratur & præcisè, ſed cautè & cum exceptione, itaut veriſimile in ijs, quæ plerunque fiũt, ſiue aliter ſe habere poſſunt (hæc enim vltro citróque meant apud Ariſtotelem) ita ſe habeat ad id, cuius eſt veriſimile, ſicuti ſe habet id quod generatim fit ad res ſingulas, ſiue mauis totum ad partem. Atque huic expoſitioni tum allatæ rationes fauent, quæ, ni valde quidem fallor, redargui non poſſunt; tum earum lectio; qui vt Brocardus & Sigonius faciunt, non ſtatim poſt illud ἀλλὰ τὸ, claudunt ſententiam, vt facit Maioraglus, ſed leuiſſima interpunctione adhibita illud ἀλλὰ τὸ copulant cum illis verbis οὕτως ἔχει. Quamobrem planiſſima obſcuri huius loci ſententia, vt vberiùs explicetur, hæc erit. Veriſimile namque eſt quod plerunque fieri ſolet non abſolutè tamen & in vniuerſùm: vt ex quorundam definitione ſequitur, qui huiuſmodi definitionem tradunt, nulla exceptione aut cautione adhibita, ſed ea conditione ac lege, vt id quod verſatur in ijs, quæ aliter contingere poſſunt, ſiue plerunque fiunt (hæc enim in idem recidere, ac promiſcuè à nobis vſurpari, ſatis ſupérque
394 conſtare ex ſuperioribus poteſt) ita ſe habeat ad id cuius eſt veriſimile, quemadmodum ſe habet totum & vniuerſum quoddam ad partem ac res indiuiduas: vt verbi gratia, veriſimile eſt, inuidũ odio quoque proſequi illos, quibus inuidet, id enim plerumque fieri animaduertitur: & ideo ſi hinc concludatur, itaque hic figulus qui cæteris inuidet, eoſdem quoque odio proſequitur: in hoc enthymemate iure optimo dici poterit, veriſimile ſe habere ad id, cuius eſt veriſimile, ſicut genus ad res ſingulas; & hoc vnum eſt, ſi me audias, in quo reprehendit quoſdam Ariſtoteles. Aduerſus quem acutè ſanè dubitat hoc in loco Victorius: nam in idem crimen videtur incidiſſe, cuius inſimulat alios. Etenim libro ſecundo priorum Analyticorum capite XXXIII. *Veriſimile eſt* (inquit Ariſtoteles) *quod plerumque ita fieri, aut non fieri nouerunt, aut ita eſſe aut non eſſe.* quo in loco nil aliud addidit, quod magis naturam veriſimilis aperiret, vt nunc fieri debere affirmat. Verùm Ariſtoteles in propoſito Analyticorum loco conſiderabat veriſimile in gratiam ſyllogiſmi, cuius formam declarabat, neque id ſolùm, verùm etiam quatenus differt à ſigno, & idcirco aiebat: *Veriſimile autem & ſignum non idem ſunt. Nam veriſimile eſt propoſitio probabilis, ſignum autem propoſitio demonſtratiua, vel neceſſaria, vel probabilis.* Quocirca bona Victorij cum venia non definiuit veriſimile vt facit hoc in loco, nimirum ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γινόμενον, *id quod plerunque fit* ſed dixit εἰκός ἐστι πρότασις ἔνδοξος *veriſimile eſt propoſitio probabilis*. Quare ſubdebat (id quod decepit Victorium) ὃ γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἴσασιν οὕτως γινόμενον ἢ μὴ γινόμενον, ἢ ὂν, τοῦτο ἐστὶν εἰκός. *quod enim norunt plerunque ita fieri, uel non fieri, uel eſſe uel non eſſe, id eſt ueriſimile.* quibus verbis explicauit, quid intelligeret
395 probabilis nomine, quod in definitione vſurpauerat. Ergo Victorius definitionis loco id accepit, quod ille ad veriſimilis definitionem explicandam potiùs quàm ad idem definiendum attulerat. Quod ſi vrgeas tunc ſaltem cum diceret, veriſimile eſt propoſitio probabilis, exprimere debuiſſe hanc conditionem quam affert hoc in loco, & cuius gratia illos redarguit, qui prætermiſerant eam; (dum enim dicitur Veriſimile eſt propoſitio probabilis, cur non oſtenditur ſe habere ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ καθ᾽ μέρος, vt generale aliquid ad rem indiuiduam?) fortaſse cum ibi eo tantùm nomine definiret ſeu deſcriberet veriſimile, vt à ſigno diſtingueretur, ſat fuit dixiſſe, Veriſimile eſſe probabilem propoſitionem.

Dubitatur

Reſpondetur.

PARTICVLA L.

Τῶν δὲ σημείων, τὸ μὲν, οὕτως ἔχει, ὡς τῶν καθ' ἕκαστόν τι πρὸς τὸ καθόλου. τὸ δέ,
ὡς τῶν καθόλου τι πρὸς τὸ κατὰ μέρος. τούτων δέ, τὸ μὲν ἀναγκαῖον τεκμήριον. τὸ δὲ
μὴ ἀναγκαῖον, ἀνώνυμόν ἐστι κατὰ τὴν διαφοράν. ἀναγκαῖα μὲν οὖν λέγω, ἐξ ὧν γίνεται
συλλογισμός. διὸ καὶ τεκμήριον τὸ τοιοῦτον τῶν σημείων ἐστίν. ὅταν γὰρ μὴ ἐνδέχεσ-
θαι οἴονται λῦσαι τὸ λεχθέν, τότε φέρειν οἴονται τεκμήριον ὡς δεδειγμένον καὶ πεπε- 396
ρασμένον. τὸ γὰρ τέκμαρ καὶ πέρας, ταυτόν ἐστι κατὰ τὴν ἀρχαίαν γλῶτταν.

Riccobonus.

EX ſignis autem vnum quidem ita ſe habet, vt ſingularium aliquid ad vniuerſale alterum verò vt vniuerſale aliquid ad ſingulare. Atque ex his quod neceſſarium eſt, tecmirium eſt: at quod non eſt neceſſarium, nomine caret, quo diſtingui poſſit. Ac neceſſaria quidem voco, ex quibus fit ſyllogiſmus. Quamobrẽ etiam tecmirium tale ex ſignis eſt. Cum enim non contingere arbitrantur, vt ſoluatur id, quod dictum eſt, tunc ſe afferre putant tecmirium, tanquam demonſtratum & terminatum; quia tecmar, & terminus idem eſt iuxta antiquā linguā.

Maioragius.

SIgnorum verò duo ſunt genera: quorum alterum ita ſe habet ad id, cuius eſt ſignū, ſicuti quod in parte fit, ad id, quod in vniuerſo genere: alterum autem ſicuti, quod in vniuerſo genere fit ad id quod in parte. quin ex his ipſis id ſignum quod neceſſariū eſt, indicium vocatur, vel propria nota. quod autem non eſt neceſſarium, caret certo ac proprio nomine, quo ab alijs diſtinguatur. At verò neceſſaria illa voco ex quibus ſyllogiſmus ac firma concluſio fit. quocirca genus hoc ſignorum tecmirium dicitur hoc eſt indicium ac propria nota: cum enim id quod dixerint, nulla modo ſolui poſſe exiſtimant, tunc opinantur, id ſignum tecmirium eſſe, atque ita ipſum appellant, tanquam quod comprobatum atque confectum ſit. priſca enim Græcorum lingua tecmar idem erat, quod extremum atque vltimum.

Com. L. DE SIGNO.

EXpoſuit noſter author vim & naturam veriſimilis, nunc itaque ad ſignū
transfert ſermonē, cuius naturam & vim non explicat definitione, perinde atque explicaſſe videtur veriſimile; ſed ſtatim, ſignorū, inquit, aliud quidem ſe habet, quemadmodum res aliqua ſingularis & indiuidua ad generalē; & quæ ſequuntur. Vbi ſanè tria indicat ac præcipit: ac primùm indicat duo eſſe ſignorum genera: vnum quod ita ſe habeat ad id cuius eſt ſignum, ſicut ſe habet indiuiduum ad genus vniuerſum: alterum verò è contrariò: tum verò diuidit poſterius genus ſignorum, aitque ex ijs, ſi quod fuerit neceſſarium
τεκμήριον eſſe appellandum; quod autem non ſit neceſſarium ἀνώνυμον εἶναι κατὰ τὴν δια- 397
φοράν, *carere nomine ſecundum differentiam*, hoc eſt, præter ſigni nomen quod eſt ei cū ſigno neceſſario commune, non habere certum illud & proprium nomẽ quod à propria differētia peti ſolet, ſicut habet neceſſarium ſignum, quod præter generalem ſigni appellationem, proprium Tecmirij nomen inuenit. vbi per anonimum vtrunque ſignū non neceſſarium intelligit. quamuis enim illius ſigni occaſione quod ſe habet vt totum ad partem, viſus eſt eius mentionem facere, hoc tamen nomine (quoniam ſignum tecmirio oppoſitum explanabat) illud etiam complectitur, quo à parte progredimur ad totū. Denique Tecmirij naturā clariùs aperit, eius definitione allata. Nā neceſſaria ſigna, inquit, ſiue tecmiria appello ea ipſa ἐξ ὧν γίνεται συλλογισμός. ex quibus fit ſyllogiſmus.

CONTROVERSIA XXXI. Cur dicat ex neceſſario ſigno fieri ſyllogiſmum: et quid p ſyllogiſmū intelligat.

Sed cur ita? an non ex ſignis quoque non neceſſarijs, imò ex veriſimili etiam confici poteſt ſyllogiſmus? ſi enim negas, iam tecum ipſe pugnas, qui lib. II. priorū Analyticorū capite XXXIV. contrariū doces. ſi fateris, quæ eſt igitur hæc tecmirij ſiue definitio ſiue deſcriptio, quæ illud mirificè nō modò cū ſignis confundit, verùm etiā cum veriſimili?

Sueſſa-

Sueſſanus,vt huic dubitationi ſatisfaceret, monuit idcirco ſic loqui Ariſtotelẽ, de tec- *Sueſſanus*
mirio, quòd velit argumentum quoddam aduerſariorum anteuertere. nam potuiſſet
quiſpiam obijcere abſtinendum Oratori à neceſſariorum argumentorum vſu,ac pro-
pterea nullo modo attingendum eſſe tecmirium, cum ſit neceſſarium argumentum.
398 Itaque Ariſtoteles (inquit Sueſſanus) dubitationem ea ratione tollit, quòd eiuſmodi ſi-
gnum neceſſarium, ſiue tecmirium non ſit abſolutè neceſſarium, quemadmodum eſt
neceſſaria demonſtratio, quam Ariſtoteles tradit in Analyticis, ſed ſyllogiſticè, hoc eſt
ex hypoteſi, & (vt ita dixerim) ex ſuppoſitione. Quapropter ſententia ac vis huius loci
ex Sueſſano hæc erit. Tecmirium eſt neceſſarium non demonſtratiuum ſed ſyllogiſti-
cum, id eſt ex hypoteſi, & non abſolutè, vt fit demonſtratio.

Sed magnopere vereor, vt Sueſſano aſſentiri poſſim: nam primò quis vnquam ſine
admiratione audire poſſit, ex tecmirio fieri ſyllogiſmũ, perinde eſſe ac ſi diceretur, tec- *Refellitur*
mirium ſyllogiſticè concludi? aut ſyllogiſticè concludi, eandem vim habere, ac ſi dictũ
fuiſſet, ex ſuppoſitione nõ abſolutè concludi, vt fieri in demonſtrationibus ſolet? Dein-
de ſi voluiſſet Ariſtoteles tollere dubitationem iſtam, ídque eo nomine, quòd tecmi-
rium niſi ſyllogiſticè, hoc eſt ex hypoteſi & ſumptione aliquarũ rerum, ſuam vim non
habeat, debuiſſet contraria planè ratione loqui, ita vt diceret *neceſſarium ſignum appello,*
quod concluditur per ſyllogiſmum, non, *ex quo fit ſyllogiſmus*. Nam contraria ſunt hæc duo.
Neceſſarium eſt id ex quo fit ſyllogiſmus, & neceſſarium ſignum eſt id quod fit vel cõ-
cluditur per ſyllogiſmum. Præterea quis quæſo, te vno excepto, negauit vnquam, Sueſ-
ſane, neceſſarium (tuis enim verbis vtar) de quo in poſterioribus Analyticis egit Ariſto-
399 teles, cõcludere aliquid niſi ſyllogiſticè, cum demonſtratio ipſiſſimus ſit ſyllogiſmus?
Nam quod ais, ex hypoteſi eſſe neceſſarium huiuſmodi argumentum, id verò non eſt
ad rem. Nam demonſtratio, ſi Quintilianum, Philoponum atque alios nonnullos au-
dias, ex hypoteſi fieri poteſt.

Quid multa? quæ ſtatim de tecmirio docuit Ariſtoteles, inopportunè atque adeò
præpoſterè traderentur omnia, ſi dubitationem illam tollere voluiſſet. Nã grauiſſimis
verbis tecmirij vim atque efficacitatem exaggerat, oſtendítque firmiſſimũ inde quæc-
que redargui nullo modo poſſit effici argumentationem; itaut ne tergiuerſationi qui-
dem locus ſuperſit vllus. Quod ſi oſtendere inſtituerat tecmirium non eandem firmi-
tatem habere, quam illæ neceſſariæ philoſophorum demonſtrationes, ſed plurimùm il-
lis concedere, profectò extenuare debuiſſet tecmirij vim, illúdque cum propoſita de-
monſtratione conferre, atque ex collatione demum oſtendere, infirmiorem ex eo ra-
tionem gigni, quàm vt cum demonſtratione illa certare poſſit; ſic enim concludere
potuiſſet tandem, minimè reclamandum, ſi illo vteretur Orator.

Aliter itaque Maioragius. Nam dũ ait Ariſtoteles neceſſaria ſigna ſiue tecmiria eſſe
illa, ex quibus fit ſyllogiſmus, exiſtimat ſyllogiſmum hoc in loco ab Ariſtotele appella- *Maioragius.*
ri concluſionem firmam, quæque nullo modo refelli poteſt: idque contendit ab Ari-
ſtotele quamplurimis in locis eſſe factitatum. Sed vtinam, Maioragi, vnum aut alterũ *Reijcitur.*
produxiſſes locum: nam me quidem magna dubitatione liberaſſes. Quamuis enim non
400 inficias iuerim ex tecmirio gigni concluſionem firmam & neceſſariam, præſertim ſi ad
ſyllogiſmum reuocetur, cur tamen ſyllogiſmi nomine firma cõcluſio intelligi debeat,
non ſatis video. Quod enim ais idcirco huiuſmodi ſigna dici ἄλυτα talia inquam quę re-
dargui aut refelli nequeant & συλλελογισμένα, *firmiter concluſa*, cum è contrariò ſigna nõ
neceſſaria, cenſeantur λυτὰ & ἀσυλλόγιστα, hoc eſt facilia quæ redarguantur, & nõ firmi-
ter concluſa; id ſanè vel non eſt ad rem, vel certè tuam ipſam ſententiam refellit. Nam
quemadmodum diuidit Ariſtoteles ſigna in neceſſaria & in non neceſſaria: & non ne-
ceſſaria vocat (vt tu etiam obſeruas) λυτὰ καὶ ἀσυλλόγιστα, ita etiam debuiſſet dicere ne-
ceſſaria quidem ſigna appello τὰ συλλογιστὰ, vel potiùs τὰ συλλογιστικὰ, aut τὰ ἄλυτα καὶ
συλλελογισμένα, vt propterea tuæ rationes & exempla (iubet enim tecũ pauliſper ludere)
ſint λυτὰ καὶ ἀσυλλόγιστα. Atque eodem fermè nomine refellitur Brocardus, qui dum hęc
ipſa verba ἀναγκαῖα μὲν οὖν λέγω ἐξ ὧν γίνεται ὁ συλλογισμός, vertit, *neceſſaria igitur ea voco, ex*
quibus neceſſaria fit concluſio: per ſyllogiſmum firmam concluſionem intelligit ac neceſ-
ſariam. Quanquam, ſi quod iſti affirmant de concluſione, non ita de concluſione affir-
ment, quin de integro ſyllogiſmo dictum velint, itaut ſit ſententia, *tecmiria ſiue neceßaria*
ſigna, illa appello, ex quibus fit neceſſarius ſyllogiſmus, quòd pertinet ad nudam ſententiã (de

ratione enim adhuc diſſentio) non malè fortaſſe diceret, vt conſtabit paulò poſt.
Sed meliùs fortaſſe Victorius, qui ſyllogiſmi nomine hoc in loco intelligit ſyllogiſ- 401
Victorius. mum in prima figura. Scribit enim ſolum ſyllogiſmum neceſſarium ſyllogiſmi nomẽ
mereri, ac proinde ſyllogiſmi nomine vnum ſyllogiſmũ neceſſarium debere intelligi,
qui in prima figura conficitur. quod vt cõfirmet addit, ex tribus figuris quas tradit Ari-
ſtoteles ad ratiocinationes conficiendas, primam tantùm, idque vel eodem Ariſtotele
teſte, eſſe firmam ac neceſſario argumento accõmodatam; reliquas duas infirmas pla-
nè eſſe, ac quibus falſitas ſubeſſe facilè poſſit, tantum abeſt vt ſint neceſſariæ. Quibus
addit; propterea tecmirium, quo fit concluſio in prima figura concluditúrque neceſſa-
riò, meritò ſibi vindicare ſyllogiſmi nomen; id quod accidere minimè poteſt de alijs ſi-
gnis, quæ ad poſtremam tantùm & mediam figuram reuocari poſſunt. Hæc Victorius.
Exagitatur. A quo tamẽ idcirco aliqua ex parte diſſentire cogor, quòd Ariſtoteles in II. libro prio-
rum Analyticorum, in quo hæc ipſa de ſignis & triplici figura docet, ſic ſcribit. *Si igitur
vna dicta fuerit propoſitio, ſignum fit ſolum ſi cum altera aſſumpta fuerit, ſyllogiſmus.* Hæc autem
verba vt exemplis ipſis declarat, non de prima figura pronunciat, & tamen ſi enthyme-
mati addatur altera propoſitio, monet fieri ſyllogiſmum. Quid plura? cum diſputaſſet
de ſingulis figuris, concludebat *fit igitur fiunt ſyllogiſmi, præterquamquod qui per primam fi-
guram inſolubilis.* vbi non tam anguſtè loquitur, nec tam rigidus eſt, vt vereatur certarũ
figurarũ argumentationes appellare ſyllogiſmos, ſed potiùs in omnibus figuris (inquit)
fit ſyllogiſmus, licet in prima coargui non poteſt, in cæteris facillimè. Quod ſi deinde 402
ſyllogiſmum, qui fit per ſecũdam figuram (id quod ſuſpicarim in huiuſmodi ſententiã
adduxiſſe Victorium) ſcribit eſſe *ἀεὶ, καὶ πάντως λύσιμον, ſemper omninóque ſolubilem* (vten-
dum eſt enim tandem) idque ea de cauſa, quod ſic ſe habentibus ratiocinationis termi-
nis, nunquam fit ſyllogiſmus, videãr Peripatetici quid de huiuſmodi ænigmate ſtatuãt.
Nam cũ adhuc tertiæ figuræ argumentatio appelletur ab Ariſtotele ſyllogiſmus, non-
dum ita recantauit, quæ docuerat de triplici ſyllogiſmo, vt cum Victorio planè cõſen-
tire poſſimus: quamuis cur illum excuſemus, imò verò eius ſententiam cæteris præfe-
ramus, abundè ſatis habemus.
Authoris ſententia. Ipſe itaque ſimpliciùs ſic locum interpretarer: *Neceſſaria verò ſigna ſiue terminaria ap-
pello, ex quibus fit ſyllogiſmus:* ideſt Neceſſarius. Nam vt breuitate gaudet plerunque Ari-
ſtoteles, non repetit hanc vocem, ſed potiùs illam more ſuo ſubaudiri vult, quoniam
iam eandem bis térque inculcauerat. Confirmatur autem hæc ſententia, primò quia
quæ ſequũtur huic maximè fauent, omnia enim eò ſpectant, vt demonſtrent ex tecmi-
rio fieri non quemcunque ſyllogiſmum, ſed neceſſarium. Deinde quia ex tecmirio fie-
ri neceſſarium ſyllogiſmum, tum eſt per ſe perſpicuum, tum diſertè explicatur ab Ari-
ſtotele in II. priorum Analyticorum, toto fermè capite XXXIV. quod iam ſæpè cita-
uimus. Poſtremò quòd argumenta, quæ in Sueſſani, Maioragi, & Victorij ſententias
afferebam, hanc noſtram ne ſuſpicione quidem attingunt. Nam hac ipſa retenta, tec- 403
mirium perſpicuè diſtingui à Veriſimili ſigniſque nõ neceſſarijs (id enim huius diſpu-
tationis caput erat ac vertex) optimè intelligitur.
Quamobrem (vt illuc redeã vnde digreſſi ſumus) verè tertio loco declarat Ariſto-
teles vim & Naturam tecmirij, cuius cauſa cum dixiſſet, tecmiria ſiue neceſſaria ſigna
eſse illa ex quibus fit ſyllogiſmus, addidit *itaque tecmirium ſignum huiuſmodi eſt*: & quæ ſe-
quuntur: vbi colligit tale cenſendum & appellandum tecmirium inter ſigna, neceſsa-
rium videlicet. id quod ſtatim ethymologia ſeu vocabuli notatione demonſtrat, cum
enim exiſtimant homines id quod dixerint, infirmari nullo modo poſse, arbitrantur
etiam tecmirium allatum eſse, ſiue mauis cum latinis loqui, rationem ex propria rei
nota (Cicero ſiquidem propriam rei notam appellari lubet tecmirium) fuiſse deſum-
ptam: quo tecmirio, propriáue rei nota, id quod negabatur in Cõtrouerſia, quippe iam
euidens *πεπερασμένον*, terminatum inquam & cõcluſum ſit vndique. Nam priſca Græ-
corum lingua (ſubdit Ariſtoteles) *τέκμαρ* vnde tecmirium accipit nomen, & *πέρας* ſiue
terminus, idem planè ſignificabant: vt propterea cum res tecmirio demonſtratur, vn-
dique clauſa & terminata ſit, nullúſque, vt iam antea monebam, ſuperſit aduerſario
tergiuerſandi locus.

P A R.

Digitized by Google

PARTICVLA LI.

Ἔστι δὲ τῶν σημείων, τὸ μὲν, ὡς τὸ καθ' ἕκαστον πρὸς τὸ καθόλου ὧδε. οἷον, εἴ τις
404 εἴποι σημεῖον εἶναι ὅτι σοφοὶ δίκαιοι, σωκράτης γὰρ ὁ σοφὸς ἦν καὶ δίκαιος, τοῦτο μὲν οὖν σημεῖον ἐστί. λυτὸν δὲ κἂν ἀληθὲς ᾖ τὸ εἰρημένον. ἀσυλλόγιστον γὰρ τὸ δὲ οἷον εἴ τις εἴποι σημεῖον ὅτι νοσεῖ, πυρέττει γάρ, ἢ τέτοκεν, ὅτι γάλα ἔχει, ἀναγκαῖον ὅπερ τῶν σημείων τεκμήριον μόνον ἐστίν. μόνον γὰρ ἂν ἀληθὲς ᾖ ἄλυτόν ἐστι.

Riccobonus. Eſt autem ex ſignis vnum quidem vt ſingulare ad vniuerſale, non ſecus ac ſi quis diceret ſignum eſſe, ſapientes eſſe iuſtos, quia Socrates ſapiens erat, & iuſtus. Atque hoc quidem ſignum eſt, ſed ſolui poteſt, etiam ſi verum ſit, quod dictum eſt. Non enim cadit in ſyllogiſmum. Hoc autem, vt ſi quis diceret, ſignum eſſe, aliquem ægrotare, quia febrem habet, vel aliquam peperiſſe, quia lac habet, neceſſarium eſt, quod ex ſignis tecmirium ſolum eſt. ſolum enim ſi verum ſit ſolui non poteſt.

Maioragius. *Genus autem illud ſignorum quod ita ſe habet ad id, cuius ſignum eſt, ſicuti ſingulæ rès ad vniuerſum genus, tale eſt, vt ſi quis affirmaret ſignum eſſe viros ſapientes eſſe etiam iuſtos; quia Socrates erat ſapiens & iuſtus. Hoc quidem certè ſignum eſt, ſed facilè diſſolui ac refelli poteſt; etiam ſi verum fuerit id quod dicitur: nihil enim in ſe firmi habet, neque neceſſariò concluditur. Quod ſi quis ita dicat, Hunc hominem ægrotare, ſignum eſt eo quod febri laborat: aut, Hac mulier peperit, quoniam lac habet, iam hoc erit firmum & neceſſariò concluſum. Atque hoc ſignorum genus ſolum tecmirium ac propria nota vocatur, ſolúmque ſi verum fuerit id quod dicitur refelli non poteſt.*

Cō. LI. Quoniam paulò ante monuerat ex ſignis aliud ſe habere ad id cuius eſt ſignum, ſicut pars ad totum, alterum è contrariò, continentérque de hoc poſteriore ſigno, quoniam præcipuum eſt ac firmum, verba fecerat; nunc ad prius redit explicandum: id quod facit exemplo. Nam ſi quis (inquit) dixerit, viros ſapientes eſſe etiam iuſtos, atque hoc eo ſigno probauerit, quia Socrates, qui fuit ſapiens, fuit etiam iuſtus; verè id erit ſignum quoddam; ſed tamen valdè infirmum: ita vt quamuis Socrates egregiè ſapiens fuerit & iuſtus, argumentum tamen ſolui facilè poſſit atque refelli, ídque ea de cauſa quia ſit ἀσυλλόγιστος, ideſt non rectè formatum atque concluſum. Sed cur ob-
405 ſecro? ea de cauſa, quia illæ duæ propoſitiones, Socrates fuit ſapiens, Socrates fuit iuſtus, ſunt ſingulares propoſitiones; ex duabus verò ſingularibus propoſitionibus, quēadmodum copioſè oſtenditur in priore libro Priorum Analyticorum, nil ritè concluditur. Et ſanè licet id quod ineſt vniuerſo generi, neceſſariò concluditur de ſubiectis partibus ac ſingularibus; vt omne animal eſt ſenſu præditum, ergo homo ac proinde Socrates ſenſu præditus eſt: idque quia ſpecies & indiuiduum continent totam naturam generis: veruntamen è contrariò, id quod deprehenditur in re ſingula, non poteſt neceſſariò de genere toto efferri, cum genus non contineat totam ſpeciei & indiuidui naturam. vt propterea quia Socrates ſit ſapiens & iuſtus, non neceſſariò ſequatur, omnes ſapientes eſſe etiam iuſtos: multò verò minùs dum argumētum aberrat a recta figura, nec rectè conformatum eſt. Scribit autem de hoc genere argumenti Ariſtoteles in poſteriore libro priorum Analyticorum capite XXXIV. & rurſus in II. Rhetoricorum capite XXIV. vbi exemplis etiam rem illuſtrat. Atque huc reuocari poteſt illud Sinonis apud Virgilium,

Accipe nunc Danaûm inſidias, & crimine ab vno
Diſce omnes.

Iam verò, vt clariùs conſtet cur propoſitum ſignum ſolui poſſit, infirmúmque ſit;

rurſus

rurſus tecmirij vim firmamentúmque exaggerat, exemplíſque (atque ideo fortaſſe ab exemplis abſtinuerat paulò ante dum tecmirium deſcriberet: breuiſſimè namque 406
rem tranſegit, quòd paulò poſt exaggeranda eſſet ac declaranda vberiùs) declarat illuſtrátque. Ait igitur in tecmirio longè aliter euenire quàm in propoſito ſigno. nam ſi quis dixerit hunc hominem, vt Xenocratem ægrotare, idque ſigno eſſe & argumento, quòd febri æſtuat; aut etiam affirmauerit hanc mulierem vt Aſpaſiam peperiſſe, illúdque ſignum eſſe, quoniam lac habeat; profectò huiuſmodi ſignum firmiſſimum erit vtrunque & neceſſarium; ac propterea refelli nullo modo poterit. cuius rei ea eſt cauſa, quia id quod in ſingulis obſeruatur, vniuerſo generi ineſt neceſſariò. quod enim Xenocrates, quippe febri æſtuans, ægrotet, in omnibus hominibus, qui febri æſtuant, obſeruatur; ſic dum Aſpaſia, quippe lac habens, dicitur peperiſſe, idem de omnibus, quæ pepererunt, mulieribus colligere licet. id enim omnino verum eſt in ſingulari, quia ineſt generi vniuerſo. & hac de cauſa poteſt hoc ſignum primæ figuræ forma rectè eludi, hoc pacto.

Omnis qui febri æſtuat ægrotat,
Xenocrates febri æſtuat,
Ægrotat igitur.

At verò ſignum iam antea Socratis exemplo declaratum, quoniam non ineſt vniuerſo generi, ad propoſitam figuram reuocari minimè poteſt, qui in propoſitione falſum aſſumit. Et ideo in tecmirio continetur demonſtratio ab effectu, quæ eſt ratiocinatio admodum firma in altero illo ſigno, nullo modo.

PARTICVLA LII.

ΤΟ δὲ ὡς τὸ καθόλου πρὸς τὸ κατὰ μέρος ἔχον, οἷον εἴ τις εἴποιεν ὅτι πυρέττει, σημεῖον εἶναι, πυκνὸν γὰρ ἀναπνεῖ. λυτὸν δὲ καὶ τοῦτο κἂν ἀληθὲς ᾖ. ἐνδέχεται γὰρ καὶ μὴ πυρέττοντα πνευστιᾶν. 407

Riccobonus. ALterum verò, vt vniuerſale ad id, quod ſingulariter ſe habet, vt ſi quis diceret, aliquem febre laborare, ſignũ eſſe, quia frequenter anhelat, ac ſolui poteſt quoque hoc, etiam ſi verum ſit. Contingit enim etiam non laborantem febri anhelare.

Maioragius. *ALterum genus ſignorum, quod ita ſe habet ad id, cuius eſt ſignum, ſicuti quòd eſt in vniuerſo genere ad id quod in parte eſt, fit hoc modo, ut ſi quis diceret. Hunc hominem febri laborare ſignum eſt eo quod crebrò reſpirat. Sed hoc facilè ſolui poteſt, etiam ſi uerum fuerit: quoniam accidit etiam eum qui febri non laborat, aliquando crebrò reſpirare.*

Cõ. LII. EXplicauit naturam anonimi illius ſigni, quod ſe habet ad id cuius eſt ſignum ſicut pars ad totum: nunc explicat anonimum alterum ſignum, quod ſe habet vt totum ad partem. quod item declarat exemplo. nam ſi quis dixerit hunc hominem vt Speuſippum febri laborare, idque eo ſigno probet, quòd crebrò reſpiret, iam ſignum ſe habebit ſicut totum ad partem; quia ſcilicet tacitè arripiat ac ſumat omnes, qui crebrò reſpirant, febri laborare. dum enim enthymemate vtitur, reticet alteram ſyllogiſmi partem, nimirum propoſitionem. Sed hoc ſignum infirmum quoque eſt, & ſolui facilè poteſt; tametſi fortè in Speuſippo verum eſſe deprehenderetur. Cum enim alij permulti anhelare ſoleant & reſpirare crebrò alijs de cauſis; vt vel timore, vel propter curſus incitationem, nil prohibet quò minùs aliquis anhelet reſpirétque crebrò, qui tamen non laboret febri. Sed cur tecmirium quod ſe habet vt totum ad partem, concludit, hoc verò ſignum, quod eodem modo ſe habet, non concludit? quia generalis propoſitio, in qua nititur argumentum, & vnde maximè infertur concluſio, vera eſt in 408

tecmirio,

tecmirio, in altero illo ſigno eſt falſa. Ac propterea tecmirium (vt dicebam) optimè
ad primam figuram & ad Darij reuocatur, alterum ſignum præpoſterè reuocaretur.
Id tamen haud prohibet quòminùs interdum verum ſit aliquod huius generis ſignũ;
ita vt contingat aliquẽ anhelantem, frequentiúſque reſpirantem, febri detineri. quod
ſi non vno, ſed conglobatis ſignis multis conformetur argumentum, profectò minùs
infirmum erit, nec ſolui facilè poterit. de qua re audiendus eſt Maioragius, qui appo-
ſitè & eleganter id explicat. *Oratores, inquit, ab hoc genere ſignorum multa deducunt argu-
menta, quæ licet ſingula per ſe ſint infirma, tamen conglobata valent. vt ſi iuuenem videro cum
muliere loquentem, non ſtatim eum adulterum putabo. neque enim iuuenes omnes qui cum mulie-
ribus loquuntur ſunt adulteri: ſed ſi frequenter id fecerit, & ſine arbitris, & occultè, & nocturno
tempore, tunc ex ſignorum multitudine poterit adulter exiſtimari. Sic enim Vindicius ſeruus con-
iurationem filiorum Bruti cognouit, cum videret eos cum Tarquinij legatis crebrò colloquentes, &
id occultè nocturnóque tempore facientes. Sic Sp. Melius in ſuſpicionem venit affectati regni, quòd
plebem largitione corrumperet, quòd nocturnos conuentus ageret, quòd corporis cuſtodes quæreret.
ita Cethegus affinis coniurationi iudicatus eſt, quòd eſſet amicus Catilinæ, & cum eo frequenter*
409 *verſaretur, & quòd armorum maximam uim domi comparatam haberet. Ita Cicero pro Milone
conatur à ſignis probare Clodium inſidiatorem fuiſſe, quòd dixiſſet Milonem triduò periturum,
quòd ſeruos agreſtes armaſſet, quòd impedimenta reliquiſſet, quòd expeditus in equo profectus fuiſ-
ſet. hæc igitur ſingula parum habent firmitudinis, ſed copulata multum valent.*

PARTICVLA LIII.

Τί μὲν οὖν εἰκός ἐστι, καὶ τί σημεῖον καὶ τεκμήριον, καὶ τί διαφέρουσιν, εἴρηται μὲν καὶ νῦν. μᾶλλον δὲ φανερῶς καὶ περὶ τούτων, καὶ διὰ τίνα αἰτίαν, τὰ μὲν ἀσυλλόγιστά ἐστι, τὰ δὲ, συλλελογισμένα, ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς διώρισται περὶ αὐτῶν.

Riccobo-nus. QVid igitur veriſimile ſit, & quid ſignum, & tecmirium, & quid differant, dictum eſt adhuc. Apertiùs vero etiam de his, & qua de cauſa alia ſyllogiſmo concludi poſſint, alia non poſſint in Analyticis diſputatum eſt.

Maiora-gius. *QVid igitur veriſimile ſit & quid ſignum & propria nota, quáque ratione differant, ſatis pro tempore dictum ſit: planiùs enim & dilucidiùs de his omnibus, & qua de cauſa partim quidem nihil certi concludant, partim autem concluſionem firmam ſtabilémque habeant, in Analyticis libris iam antea diſputauimus.*

Comm. LIII. REcenſet ea, quæ modò ſunt explicata; aitque dictum eſſe quid ſit veriſimile, quid ſignum (anonimum intelligit, illúdque geminũ, quod oppoſuit tecmirio) quid tecmirium ipſum, quod eſt ſignum proprio nomine conſtans: & qua in re hæc inter ſe differant. Addit etiam tum hæc, tum qua de cauſa alia ſyllogiſmo concludi nequeant, alia ritè cõcludi poſſint, fuiſſe magis perſpicuè in Analyticis explicata. poſterio- *Quæ paulò ante docuerat, colligit: & vbi copioſiùs explicata ſint, indicat.*
rem verò librum intelligit priorum Analyticorum, vbi tum in capite XXXIII. de ve-
410 riſimili agit & ſigno, quæ ſimul definit diſtinguítque; tum in XXXIV. tripartitam
illam profert ſignorum varietatem explanátque copioſè. Tametſi quod attinet ad
cauſam, propter quam aliqua ſyllogiſmo concludi queant, nequeant alia; ea ſanè non
tam explicauit (quamquam explicauit etiam exemplíſque illuſtrauit) quàm ex ijs
collegit, quæ iam antea fuſiſſimè de ſyllogiſmorum figuris & confirmatione diſſer-
uerat.

Iam verò quærunt Interpretes hoc in loco quî tandem *τὸ εἰκὸς* ſeu veriſimile dif- *De veriſimili & ſigno quibus differant.*
ferat a ſigno: cum enim ab Ariſtotele tum hîc, tum alibi ſæpè, diſſocientur ac tan-
quam opponantur, neceſſe profectò eſſet, vt diſcrimen, nec ſanè leue, inter ea interce-
deret. Et tamen ſigna fermè veriſimilis naturam præſeferre videntur: ita vt multi (in-
ter quos & Quintilianus & Philoponus, Cicero etiam fortaſſe, eſt numerandus) ve-

riſimile

Digitized by Google

riſimile ac ſignum ſæpè confundant, vſurpéntque promiſcuè. quin Ariſtoteles ipſe,
qui duo illa veluti opponere viſus eſt non ſemel, ſignum aliquando veriſimilis ſpe-
ciem effecit. cum enim in prioribus Analyticis ſcribat, ſignum quoque interdum eſ-
ſe propoſitionem probabilem, cur non hoc ſignum cum veriſimili confundat, quod
definierat probabilem propoſitionem? Verùm enim verò vt certa prius ab incertis ſe-
cernamus, nihil eſt quod nos tecmirium hærentes habeat: ſiquidem veriſimile eſt
probabilis propoſitio, & ex ijs quæ in varias partes cadere poſſunt; ac propterea pro-
babile tantùm effecit argumentum: tecmirium contra eſt certum ac neceſſarium ſi-
gnum & nota, cui refragari nullo modo licet: ita vt veriſimile ab hoc ſigno diſtet toto
cœlo. De ſigno autem anonimo, in quo a re ſingula progredimur ad vniuerſum ge-
nus, dubitet fortaſſe quiſpiam: quia quemadmodum veriſimile, ita iſtiuſmodi ſignũ, 411
abeſt a neceſſitate, ac poteſt in varias partes cadere. Sed tamen differunt, tũ quia iſtud
ſignum eſt valde fallax, ac propterea non eſt idoneum, quod in prima figura confor-
metur: veriſimile, quoniam eſt propoſitio probabilis, commodè poteſt; vt cum di-
cimus. Rara fratrum gratia: Romulus Remi frater. Vix igitur inter eos gratia. Dein-
de veriſimilis propoſitio ſolet eſſe generalis: ſignum rei ſingulæ, vt telum, cruor, cla-
mor, & quid ſimile. Denique veriſimile aut non eſt ſignum, hoc eſt res vel ſub ſenſum
cadens (eſt enim generalis propoſitio) quódque in veſtigij ac notæ loco habendum
ſit: vel certè ſi quando cum nota aliqua & ſigno iunctum eſt, tum veriſimilis (id quod
in partitionibus obſeruat Cicero) tum ſigni, tametſi alia atque alia ratione, ſubire, lo-
cum, poteſt: ita vt non quà veriſimile ſit ſignum. Ad extremum veriſimile plurimùm
fit: ſignum iſtud perrarò verum eſſe deprehenditur: & ideo veriſimile ſic deſcribitur
vt plerunque euenire dicatur: vt inuidos odiſſe etiam illos, quibus inuident. Sola igi-
tur aut maxima ſupereſt dubitatio de ſigno, quod ab vniuerſo genere progreditur ad
rem ſingulam. cum enim id ſit huic ſigno commune cum veriſimili, minùs perſpici
poteſt qua diſſocientur ac differant. Sed differunt tamen: nam primò in veriſimili nil
certi arripimus; vt cum dicimus, probabile eſt eum, qui amatur, amantem diligere;
aut figulum figulum odiſſe. in ſigno certa ſumimus; vt qui febrim habet, anhelet: & 412
ideo hoc ſigni genus non ea de cauſa falſum ſæpè eſt, quòd propoſitionem falſam aut
probabilem arripiat, ſed quia præpoſterè reliquas argumentationis partes conformat;
vt cum ſubdit, hic anhelat, ergo laborat febri. fuerat enim ſubijciendum, hic febri la-
borat: anhelat igitur; vnde tecmirium extitiſſet. itaque veriſimile propter materiam,
propoſitum ſignum anonimum, in quo ab vniuerſo genere progredimur ad rem ſin-
gulam, propter formam fallere ſolet. Nam ſi huiuſce propoſitio ſigni in materia quo-
que peccet, error oriatur vtrinque. Certè veriſimile in forma haud peccabit: cum in
prima figura explicetur. Denique veriſimile quà veriſimile nullum ſignum ſeu notã
indiciúmque aut veſtigium rei alicuius præſefert, quemadmodum ſignũ. & idcirco,
quod (inquit Ariſtoteles) cognoſcunt homines in pleriſque ita fieri aut non fieri, ve-
riſimile appellant, vt odiſſe inuidentes: ſignum autem eſt id, quo exiſtente aut quo fa-
cto res aliqua ſignificatur, vt cruor cædis. Vt propterea hoc quoque ſignum a veriſi-
mili diſtinguatur. quod ſi adhuc requirat aliquis, num ſignum ex ijs exiſtere poſſit,
quæ ſolo cernuntur animo, nec ſub ſenſum cadunt, ego ſanè, ſi Ariſtotelem in conſi-
lium adhibeamus, crediderim vtrinque poſſe ſigna exiſtere & deriuari. nam ſignum
inde etiam explicat Ariſtoteles, quòd cum Socrates ſit ſapiens, ſit item iuſtus; collige-
remus ſapientes omnes iuſtos eſſe. quanquam nec inficias ierim, ſignũ quod ſub ſen-
ſum cadit, eſſe apud nos magis ſolidũ ac planum, ac propterea ſigni nomine dignius. 413
quin addiderim, ſignum quod ſolo animo cernitur, vt ſapientiam, quam hìc in ſigni
loco habet Ariſtoteles, in re aſpectabili quaéque percipitur ſenſibus inhærere, vt ſa-
pientia in homine: atque hinc fieri vt ſi non per ſe at certè propter fundamentum,
quodlibet ſignum apud nos ſub ſenſum cadat. vt propterea non iurè fortaſſe Maio-
ragius reprehendat Victorium, pugnétque oportere ſignum quodcũque ſub ſenſum
cadere. neque enim Victorium arguere poteſt quin Ariſtotelem arguat. nam dum
eundem Victorium reprehendit, quòd hac in re multis verbis vſus ſit, mihi contra
Victorij induſtria probari ſolet: digreditur enim eruditè: ac propterea quam de re hac
tota digreſſionem habet, non inutiliter conſulas.

PARTI-

Digitized by Google

PARTICVLA LIV.

Παράδειγμα δὲ, ὅτι μὲν ἐςὶ ἐπαγωγὴ ϗ ποῖα ἐπαγωγὴ, εἴρηται. ἔςι δὲ οὔτε ὡς μέρος πρὸς ὅλον, οὔθ᾽ ὡς ὅλον πρὸς ὅλον. ἀλλ᾽ ὡς μέρος πρὸς μέρος, ὅμοιον πρὸς ὅμοιον. ὅταν ἄμφω μὲν ᾖ ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος, γνωριμώτερον δὲ θάτερον ᾖ θατέρου, παράδειγμά ἐςι. οἷον, ὅτι ἐπεβούλευε τυραννίδι διονύσιος αἰτῶν τὴν φυλακὴν. καὶ γὰρ πεισίςρατος πρότερον ἐπιβουλεύων, ᾔτει τὴν φυλακὴν, ϗ λαβὼν, ἐτυράννευσε. καὶ θεαγένης ἐν μεγάροις. ϗ ἄλλοι ὅσους ἴσασι, παράδειγμα πάντες γίνονται τοῦ διονυσίου, ὃν οὐκ ἴσασί πω, εἰ διὰ τοῦτο αἰτεῖ. πάντα δὲ ταῦτα, ὑπὸ τὸ αὐτὸ καθόλου ὅτι ἐπιβουλεύων τυραννίδι, φυλακὴν αἰτεῖ. ἐξ ὧν μὲν οὖν λέγονται αἱ δοκοῦσαι εἶναι πίςεις ἀποδεικτικαὶ, εἴρηται.

Riccobonus. IAm exemplum eſſe inductionem, & in qualibus ſit inductio, dictum eſt. Atque eſt neque vt pars ad totum, neque vt totum ad partem, neque vt totum ad totum, ſed vt pars ad partem, ſimile ad ſimile, cum ambo ſubſint eidem generi, ſed notius alterum ſit altero. Exemplum eſt, quemadmodum affectare tyrannidem Dionyſium, cum poſtulet cuſtodiam. Etenim Piſiſtratus priùs affectans poſtulauit cuſtodiam, & cum obtinuiſſet, tyrannidem occupauit. Et Theagenes Megaris. Et alij quoſcunque ſciunt, exemplum omnes fiunt Dionyſij,
414 quem nondum ſciunt ob id poſtulare. Omnia autem hæc obſunt eidem vniuerſali, quòd affectans tyrannidem cuſtodiam petit. Ac ex quibus quidem ducatur quæ videtur eſſe fides demonſtratiua, dictum eſt.

Maioragius. *QVod autem exemplum ſit idem, quod inductio, & quibus in rebus inductio ſit, oſtenſum eſt; ſed tamen non ita ſe habet vt pars ad totum, neque vt totum ad partem, neque vt totum ad totum, verùm vt pars ad partem, & quod ſimile eſt ad id, cui eſt ſimile: cum enim ambo illa, quæ ſumuntur, ſub eodem genere poſita fuerint & alterum altero notius & apertius ſit: tunc id exemplum eſt: vt ſi quis probare velit, Dionyſium appetere dominatum regium, cum ſalutis ſuæ cuſtodes petat; & dicat Piſiſtratum antea cuſtodes petijſſe, cum regnum appeteret, & cum eos impetraſſet, tyrannidem occupaſſe; Theagenémque idem Megaris feciſſe, & alios quoſcumque nouerit idem feciſſe. omnes exemplum fient Dionyſij, quem adhuc ignorant, an ea de cauſa cuſtodes petat. hæc enim omnia ſub eodem genere, ac propoſito continentur, quòd quicumque regnum appetit, cuſtodes ſalutis ſuę petit. Iam igitur vnde probationes illæ ducantur, quæ ſpeciem habent demonſtrandi declaratum eſt.*

Cõ.LIV CVm ea præceperit, quæ de enthymemate docenda fuerant; nunc præcipit de exemplo. De quo colligit primò quæ paulò ante de illo ſtatuta ſunt; nimirum eſſe inductionem, & circa quæ ſit inductio. Quanquam dum illud appellat inductionem, id nõ eo conſilio affirmat, quod propriè ſit inductio, ſed quia ex inductione oriatur, eámque ſimilitudine ac veluti affinitate attingat, perinde ac enthymema ex ſyllogiſmo etiã oritur, & ſyllogiſmo eſt quam ſimillimum: & idcirco eo ipſo in loco, ad quem prouocat in præſentia, vix dixerat exemplum eſſe inductionem, cum ſubiecit inductionẽ *DE EXEMPLO.*
415 tamen Rhetoricam. Iam verò dum addit. ſe illud etiam de exemplo dixiſſe, περὶ ποῖα, circa qualia, ſeu circa quæ, ſit inductio, materiam deſignat, ſi Victorio credimus: quia ſcilicet dictum quoque ſit, exemplum circa res verſari, quæ aliter contingere ſolent. Niſi tamen verbis iſtis περὶ ποῖα formam adhuc deſignat: quia ſcilicet dixerat, cum

probamus

probamus aliquid ex pluribus & ſimilibus, in Dialectica gigni inductionem, in Rhetorica exemplum. nam id planè ſubiecerat de exemplo ſtatim ac monuerat eſſe oratoriam inductionem, & antequam ageret de materia. Sed vt ſit, iſthæc omnia & docuit, & hîc epilogo deſignare ſeu concludere potuit. Mox verò his commemoratis, docet etiam de exemplo tum qualis non ſit, tum verò qualis ſit eius œconomia & progreſſio, ſeu quo modo progrediatur in probando. itaque exemplum, inquit, non eſt vt pars ad totum: neque vt totum ad partem: neque vt totum ad totum: ſed vt pars ad partem, ſimile ad ſimile: quod eſt, non progreditur a parte ad totum, neque a toto ad partem neque a toto ad totum, ſed a parte ad partem, a ſimili ad ſimile; ita tamen vt ambo ſint ſub eodem genere, & alterum ſit altero notius: hoc eſt id a quo proficiſcimur, ſeu quod ſumimus, ſit eo notius quòd argumentando colligitur. Ita ſanè quatuor in exemplo conditiones requirit. prima vt in eo fiat progreſſio a parte ad partem: altera a ſimili ad ſimile: tertia vt vtrumque ſub eodem genere collocetur: poſtrema, vt id quod ſumitur, notius ſit quàm id quod colligitur. quam rem exēplo illuſtrat nobili. Nam ſi quis, inquit, probare decreuerit Dionyſium tyrannidem affectare, cum corporis cuſtodes petat; & dicat, Piſiſtratum iam antea tales cuſtodes petijſſe cum tyrannidem affectaret, illiſque impetratis, tyrannidem occupaſſe: Theagenem quoque Megaris idem feciſſe, idemque de alijs ſimilibus quicumque occurrant, commemorauerit, ſanè ij omnes exemplum fient Dionyſij, quē non dum omnino deprehendimus, cuſtodes petere tyrannidis occupandæ cauſa. Hoc exemplum: in quo ſtatim tertiam conditionem paulò ante propoſitam agnoſcit Ariſtoteles: nam ſubdit hæc omnia ſub eadem generali propoſitione contineri, quæ eſt omnes qui tyrannidem affectant, corporis cuſtodes petere. Hæc fermè Ariſtoteles. A quo ſanè rem hanc planiùs explicari vehementer optaſſem: nam mihi quidem non mediocrem afferr dubitationem. ita vt cum lubrico in loco verſemur, Controuerſiam inſtituere cogar, in qua cum alia quædam requiramus tum illud inprimis: quî tandem propoſitas conditiones in propoſito exemplo agnoſcere liceat omnes. Nam nec a parte ad partē, ſed a partibus ad partem, nec a ſimili ad ſimile, ſed a ſimilibus ad ſimile progreditur: quæ exempli naturam longè ambiguam efficiunt, quemadmodum oſtēdam planiùs paulò poſt. quo pacto etiam omnia ſub eodèm genere ſiue, vt eſt græcè, ὑπὸ τὸ καθόλυ, *ſub eodem generali*, contineantur, vel certè quia verè contineri dicantur, non planè video. quis enim omnes quot quot tyrannidem affectant, corporis cuſtodes poſtulare affirmet, cum ſexcentos proferre liceat, qui tyrannidem & affectarint & occuparint, qui corporis cuſtodes non poſtularint? Denique non a notiori, ſed a notioribus progreditur argumentatio in propoſito exemplo: cum tamen dictum eſſet alterum debere notius eſſe. Sed quoniam ſi peccandum eſt, nauiter eſt peccandum; agendum ea quoque proſequamur, in quibus hac eâdem de re ſecum etiam pugnare viſus eſt Ariſtoteles. Ergo exemplum iſtud tuum, Ariſtoteles, vel a parte atque vnico ſingulari, 417 vel a partibus multiſque ſingularibus ducendum eſt. Si primum, cur igitur iam antea ſtatuiſti in exemplo progrediendum eſſe a pluribus & ſimilibus? cur non modò Piſiſtrati verùm etiam & Theogenis & aliorum qui corporis cuſtodes poſtulaſſent, rem exemplis declaraſti? cur etiam addidiſti hęc omnia ſub eodem genere contineri oportere? ſanè hæc pronuncianda fuiſſent nunquam, ſi ab vno ad vnum progrediendum ſit. ſi alterum, cur hoc in loco ſcribis exemplum progredi a parte ad partem? cur a ſimili ad ſimile? cur addidiſti ambo (tam ſcilicet quod colligitur, quàm id ex quo colligitur) ſub eodem genere contineri oportere? cur alterum altero notius eſſe debere? Denique quo pacto in argumentum a ſimili (in hoc enim ab vno ad vnum progredimur) non incurris? Hæc ſanè maiorem præſeferunt repugnantiam, quàm vt conciliari poſſe videantur. Ad hæc, quid obſecro moliris dum a parte ad partem, a ſimili ad ſimile, progrediendum ſtatuis? ſi enim vt exempli formam declares, an non id feciſti (tametſi multò aliter) multò antea, dum diceres a pluribus & ſimilibus progrediendum? ſi materiam, iam de veriſimili ſine de eo quod aliter atque aliter cadere ſolet, eo conſilio egiſti, vt de exempli perinde ac enthymematis materia conſtare poſſet. itaque ſatius erat hæc prætermittere, quàm res tum alienas huc afferre, ac tales tam multaſque dubitationes creare. Denique ſi quod Interpretes ſcribunt hoc in loco, verbis illis, *Exemplum non eſt vt pars ad totum, neque ut totum ad partem, neque ut totum ad totum*, doceſe

CONTROVERSIA. XXXII. *Qui tandē propoſitas Exēpli conditiones hoc in loco agnoſcere liceat. Itaque dubitatur.*

Margin markers: 416 (beside "genem quoque Megaris idem feciſſe"); I. (beside "qui corporis cuſtodes non poſtularint"); II. (beside "greditur argumentatio"); III. (beside "ciliari poſſe videantur"); IV. (beside "que dubitationes creare").

cere inſtituiſti, quæ inter exemplum & alias argumentationes ſingulas intercedant diſcrimina, quæſo te oſtendas quódnam argumenti genus ſit illud in quo a toto progredimur ad totum: ſi quidem verè quidem dicitur ſyllogiſmus & enthymema a toto ad partem, Inductionem a partibus ad totum progredi, at qualénam argumenti
418 genus a toto ad totum, non ſatis video. Hæc contra Ariſtotelem in propoſita exempli doctrina. Quibus tamen, ſi quo modo fieri poteſt, ſatisfaciendum eſt. Ac primò quidem non ægrè concedo exemplum quo probatur Dionyſium corporis cuſtodes dum poſtularet, tyrannidem affectaſſe, & a pluribus, & a partibus, & a ſimilibus, non ab vna & parte & ſimili tantùm, deriuari. verùm non abſurdè, ſed rectiſſimè dicitur ab Ariſtotele exemplum a pluribus proficiſci ad ſingulare: quod tum ex propoſitis locis, tum aliunde colligere licet. Tametſi, quoniam de re hac tota, vt patet quàm latiſſimè, excitanda & formanda erit Diſputatio: in qua tum hanc ſententiam confirmabimus altiùs, & contraria argumenta, ſi quo modo fieri poterit, diluemus, tum verò Ariſtotelem cum Platone & M. Tullio comparabimus, lubet hîc rem ſtrictim attingere. Interim igitur pro Ariſtoteleo decreto tantiſper haberi patiamur, in exemplo a pluribus & ſimilibus, progrediendum eſſe: atque hinc fieri vt quatuor illæ propoſitæ conditiones in Dionyſii exemplo notari poſſint, cum a pluribus, & ſimilibus fiat progreſſio. Statim enim tertia quoque & quarta conditio, nimirum exemplum & a notioribus progredi, & partes omnes ſub eodem genere contineri, ſunt in promptu. ſi quidem dum in ſuſpicionem veniſſet Dionyſius, ne, quoniam petebat cuſtodes corporis, tyrannidem affectaret; id ſanè in Piſiſtrato & Theagene conſtabat ſatis, erátque notius: quemadmodum etiam iſti omnes ſub eodem genere contineri compertum eſt. Quod enim reuera multis non poſtulatis cuſtodibus corporis occuparint tyrannidem, id nil impedit: ſiue quia argumentum oratorium ſatis habet ſi in multis
419 id verè efferatur (probabiliter enim non neceſſariò diſputatur) ſiue quia in ijs quæ in exempli loco proferuntur, atque adeò doctrinæ cauſa finguntur, non admodum requiratur veritas: cum liceat cuique aptiore exemplo vti ac vero. Quò verò ſpectet, quídue moliatur Ariſtoteles dum iſthæc de exemplo docet, non ſanè ſtatuere auſim. Et quidem ſi de forma nos docere inſtituat, non ab re fecerit qui ſupra dixiſſet quidem progredi exemplum a pluribus & ſimilibus, ſed non addidiſſet vnde interim ab inductione diſtingueretur: nam inductio quoque a pluribus & ſimilibus ducitur. Itaque aptè hîc additur colligi ſingulare, vnde ab inductione diſtinguitur. Quanquam ſtatim quæras cur de hac re non eo in loco præceperit, malueríque varijs in locis & intercisè, quàm ſemel ac perfectè rem peragere. Quapropter ſi eum de materia egit priùs, materiam hîc deſignari ſtatuamus, ſcopulum hunc declinabimus, fortaſſe etiã veriùs ac rectiùs dicemus. nam nihil impedit quo minùs illud, *vna pars ad partem*, ſignificet materiam ex qua ducitur argumentum, debere eſſe non quid totum ſed partem. & huc etiam pertinet quod ait debere a notiori progredi, id enim ad materiam tantùm pertinet. idem dicendum (ſi quis attentiùs æſtimet) quod ait debere partes ſub communi propoſitione contineri: ſignificat enim qualis ſit pars iſta quæ pro materia conſtituitur. Denique Ariſtoteles cum de materia agere cœpiſſet, de materia illa egit priùs, quæ enthymemati cõmunis eſt cum exemplo, ſcilicet de veriſimili, quódque aliter contingere ſolet: tum ſigillatim de materia propria enthymematis: illud igitur ſupererat vt ageret de materia propria exempli, quod fecit hoc in loco. & ideo concludit eſſe dictum ex quibus ducantur fides, quæ ſpeciem habent demonſtran-
420 di: his enim verbis omnino ſignificat dictum eſſe ex qua materia conſtet exemplum & enthymema: quemadmodum etiam in particula XXXV. vbi docuit enthymema & exemplum ex ijs eſſe quæ demonſtrant vel demonſtrare videntur. Quod ſi te illud perturbet adhuc hærentémque habeat, quòd ſupra, vbi formam attingeret exempli, viſus eſt eam tantùm attingere, quæ ſunt exemplo cum inductione communia, ac propterea verendum ne hîc formæ expleat doctrinam, iam per meliceſ ſentias, formam quoque interim expleri dum docet a parte & ſimili progrediendum, & ſingulare concludendum. nam reuera hinc exemplum ab Inductione diſtinguitur. vt propterea ea fortaſſe de cauſa ibi exempli formam non abſoluerit, ſed inchoatam oſtenderit, quòd hîc, vbi de materia acturus eſ-

Reſpondetur ad I. & II.

Ad III.

Digitized by Google

ſet, commodiùs abſolui poſſet ac perfici. Denique tanta inter materiam & formam intercedit affinitas, vix vt vna ſine altera (præſertim vbi viſus oſtenditur) commonſtrari poſſit. Vt omittam licere etiam ſuſpicari, hæc pleraque promiſcuè tractari, quòd Ariſtoteles non tam ſeorſim exempli & materiam & formam declaret, quàm naturam integram, exemplúmque vniuerſum. Iam verò dum inquit Ariſtoteles,
Ad IV. exemplum non ſe habet vt pars ad totum, neque vt totum ad partem, neque vt totum ad totum, ſed vt pars ad partem, non ego illorum induſtriam probo qui cenſent quadripartita iſta diuiſione voluiſſe Ariſtotelem diſtinguere exemplum a cæteris argumentationibus: ſi quidem nemo non videt Ariſtotelem vti argumento ab enumeratione partium; & ideo argumentationis vias & formulas 421
enumerat quot in hoc genere fingi poſſunt: quia ſcilicet in hoc genere argumentationis nullum membrum ſine crimine contemni poſſit. quapropter cum hæ formulæ ac viæ fuiſſent Ariſtoteli enumerandæ omnes, tametſi non omnes in vſu eſſent poſitæ, non licet hinc colligere Ariſtotelem quadripartita iſta formarum varietate vti eo planè conſilio vt exemplum a ſingulis argumentationis formulis ac vijs diſtingueretur: præſertim verò quia a toto ad totum formula atque ars progreditur nulla. nam quod ſcribunt aliqui primæ figuræ proprium eſſe hoc argumenti genus, atque ab Ariſtotele in barbara fingi & repræſentari, aberrant ſanè. nam fateor quidem in ea figura partes ſingulas oſtentare ſignum generale: fateor etiam propoſitionem eſſe generalem ac genus aliquod vniuerſum comprehendere; ſed tamen Aſſumptio reuera, ſi cum propoſitione conferatur, vt conferri debet, ſe habet vt pars; ita ut ibi fiat progreſſus a toto ad partem. Quare ſi quis dixerit, Omne animal ſenſu præditum eſt: omnis homo animal; ergo omnis homo ſenſu eſt præditus, a toto genere ad partem, hoc eſt ab animali ad hominem progredietur. Itaque Maioragi ſectatorúmque pace, rectè monebat Victorius nullam eſſe argumenti ſpeciem, quæ ex toto vniuerſo vniuerſum concludat. Potiori itaque iure quæri poſſet cur Ariſtoteles in prioribus Analyticis ita exempli naturam declarauerit, vt non quadripartitò ſed tripartitò argumentationis formulas diſtribuerit, atque adeò membrum illud reticuerit in quo a toto ad totum fingi poteſt progreſſio. Neque enim ſine crimine (vt dicemus) pars vlla prætermittitur in hoc ratiocinationis genere. id quod facilè illi contingere po- 422
tuit, quòd paulò ante tum inductionis tum ſyllogiſmi formulas illuſtrauerat: & quo pacto illa a partibus ad totum, hic a toto ad partem, progrederetur, oſtenderat: nullam autem formulam admiſerat; in qua a toto ad totum (id quod Maioragij ſententiam iugulat) fieret progreſſio. Vt propterea ad extremum ſine crimine membrum illud reticuerit, quod conſtaret ſatis in exemplum cadere nullo modo poſſe. Quanquam huius explicatio nodi ad eos pertinet qui illam diſſerendi artem explanant. Me quidem iuuat id commemoraſſe vt hinc etiam intelligatur a toto ad totum artem progredi nullam.

Exēplum cum argumēto confertur ſeu loco a ſimili. Et ex ijs iam intelligere licet qua in re exemplum ab eo differat argumento ſiue loco qui a ſimili appellatur. Etſi enim a parte ad partem, a ſimili ad ſimile, vtrunque progreditur argumentum, exemplum tamen non vno ſimili contentum eſt, quemadmodum id quod a ſimili ducitur: vel certè ſi vnico ſimili quandoque conſtet (de qua tamen re alibi opportuniùs) adhuc tamen habet vnde magnopere diſſocietur. Nam ſi quis attentiùs reputet, intelligit profectò argumentum a ſimili non ex ijs duci, quæ ſub eodem genere continentur, quemadmodum, Ariſtoteles ipſo docente, in exemplo contingit. Id quod exempla declarabunt luculenter. Nam cum ait Marcus Tullius, *An verò vir Ampliſſimus P. Scipio Pontifex Max. Ti. Graccum mediocriter labefactantem ſtatum Reipublicæ, priuatus interfecit: Catilinam Orbem terræ cæde atque incendijs vaſtare cupientem, nos Conſules perferemus?* *in 1. Catil.* Argumentum eſt ab exemplo: & ideo a Ti. Gracco ad Catilinam fit progreſſio, qui ſub eodem planè genere verſantur. Sic dum Iuno apud Latinum Poëtam conqueritur hunc in modum. 423

—— Pallaſne excurrere claſſem

Argiuûm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,

Vnius

Aen. 1. *Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?*
Aſt ego quæ Diuûm incedo Regina, Iouiſque
Et ſoror & coniux, una cum gente tot annos
Bella gero, & quiſquam numen Iunonis adoret
Præterea? ——

argumentum a ſimili ad ſimile, atque in eodem item genere progreditur, & idcirco exemplum eſt. Verùm cur rurſus Cicero, *Vt quidam* (inquit) *morbo & ſenſus ſtupore ſuauitatem cibi non ſentiunt: ſic libidinoſi laudis guſtum non*
4. Phil. *habent*; ſimile vſurpat quidem, ſed non vnius eiuſdémque generis, ſed diuerſi. Id quod ſplendidè intueri adhuc licet ex celeberrimo illo Ouidij ſimili;

Scilicet ut fuluum ſpectatur in ignibus aurum:
lib. 1. Triſt. eleg. 4. *Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.*

Vt propterea ſimile ex rebus ſimilibus quidem, ſed diſparis tamen generis, exemplũ contra ex eiuſdem generis ſimilibus, deriuetur. Hæc in præſentia de exemplo. Nam de parabola & apologo: quæ duo ad exemplum reuocare viſus eſt Ariſtoteles, iuréne huc reuocentur, cum ficta ſint, & (quod apologi eſt proprium) præter veriſimile, & num hac de cauſa exemplum cum argumento a ſimili confundat Ariſtoteles (neque
424 enim defuere qui id de eo ſuſpicati ſint) peculiari quam de hac re Controuerſiam, ac Diſputationem inſtituemus, planiùs copioſiúſque tractabimus. Hæc enim & id genus alia tum quia in ſecundo libro pleraque continentur ſiue rurſus attinguntur, tum quia longioris ſcriptionis ſunt ac temporis, præſtat ſeorſim propria Diſputatione perſequi & explicare.

Sed iam exemplo relicto, redeundum eſt ad enthymema. vt enim enthymema ope roſius eſt quàm exemplum (locis ſi quidem propoſitionibúſue indiget, quibus conflatur: exemplum contra ſimplicius eſſe ſolet) ita non pauca ſunt quæ hoc in loco de enthymemate rurſus ſubiiciat. Et ideo præſentem particulam illis petorabat verbis, *Ex quibus quidem igitur ducantur probationes quæ demonſtrare videntur dictum eſt*; vt ad enthymema reuerteretur. Vt enim hæc verba epilogi obtinent locum, ita vt inde reuocentur nobis in memoriam quę dicta ſunt de veriſimili ac propterea de materia exemplo cum enthymemate communi, & ſigno; quibus Oratoriæ demonſtrationes fieri videntur (ſiue enim veræ ſint ac tanquam demonſtrent, ſiue ſpeciem veri habeant tantummodo nec reuera demonſtrent ac ritè fidem faciant, ſat ſit in oratoria palæſtra & concionibus illud ſpectari, vt demonſtrare hoc eſt fidem facere videantur) ita ad enthymema commodam ſternunt ac reuocant diſputationem; & ideo ſtatim pergit.

PARTICVLA LV.

425 Τῶν δὲ ἐνθυμημάτων, μεγάλη διαφορά. καὶ μάλιστα λεληθυῖα σχεδὸν πάντας ἐστὶν, ἥπερ καὶ περὶ τὴν διαλεκτικὴν μέθοδον τῶν συλλογισμῶν. τὰ μὲν γάρ, αὐτῶν ἐστι κατὰ τὴν ῥητορικὴν, ὥσπερ καὶ κατὰ τὴν διαλεκτικὴν μέθοδον τῶν συλλογισμῶν. τὰ δὲ κατ' ἄλλας τέχνας καὶ δυνάμεις, τὰς μὲν, οὔσας, τὰς δὲ, οὔπω κατειλημμένας. διὸ καὶ λανθάνουσι τοὺς ἀκροατάς, καὶ μᾶλλον ἁπτόμενοι κατὰ τρόπον, μεταβαίνουσιν ἐξ αὐτῶν.

Riccobonus. ENthymematum verò magna eſt differentia, & maximè latet fermè omnes, quæ etiam & in Dialectica methodo ſyllogiſmorum. Alia enim ipſorum ſunt in Rhetorica, vt etiam in Dialectica methodo ſyllogiſmorum: alia in alijs artibus & facultatibus, partim extantibus, partim nondum compertis. Quam-

obrem etiam latent auditores, & qui magis ea attingunt quàm par eſt, recedunt a ſe ipſis.

Maioragius.

IN ipſis autem enthymematibus maxima eſt differentia, quæ omnes ferè plurimum fallit: atque eadem eſt enthymematum differentia, quæ in differendi ratione ſyllogiſmorum eſt. nam enthymemata quædam ſunt ipſius artis dicendi propria; ſicuti ſyllogiſmi etiam quidam Dialecticæ proprij ſunt: quædam autem ad alias artes, & facultates pertinent; quæ vel iam inuentæ ſunt, vel nondum planè cognitæ. Itaque ſæpè fit vt auditores fallant, & qui eiuſmodi enthymemata magis, quàm conueniat, amplectuntur, artis oratoriæ fines tranſiliunt.

Vt tandem locos argumentorũ et varietatem cõmõſtret, de enthymematum varietate diſſerit.

QVoniam enthymematis exemplíque naturam explicauit copioſè ſatis, 426 Cõ.LV.
iam poſtulet aliquis vt quoniam magna eſt ſyllogiſmorum ac proinde enthymematum varietas, eam declaret ac patefaciat; ſimúlque de argumentorum locis ac ſedibus atque adeo de propoſitionibus nos tantiſper admoneat vnde hæc enthymematum varietas oritur. Ipſe igitur huc ſe ſe refert, ac propterea diſputat tum de enthymematum tum de propoſitionum, ex quibus enthymemata ducuntur, varietate. Ait igitur maximam in enthymematis eſſe differentiam, quæ tamen propemodum lateat omnes. Sed quæ obſecro eſt differentia iſta tam abſtruſa, quæ lateat ferè omnes? ea planè quæ in Dialectica quoque cernitur in ſyllogiſmis. vt enim ſyllogiſmi alij ſunt Dialecticæ proprij, alij aliarum facultatum atque artium, ſiue inuentas ſpectes, ſiue quæ non dum planè cognitæ & explicatæ ſunt, ita in Rhetorica facultate enthymemata alia ſunt ipſius Rhetoricæ propria alia aliarum artium & facultatum. Atque hinc eſt (ſubdit) vt huiuſmodi enthymemata lateant auditores: quod ſic etiam aliqui magis quàm par eſt, illa attingant & penitiùs tractent, a ſe ipſis recedunt, atque Oratorij muneris tranſiliunt fines. Hæc de communium propriorúmque enthymematum varietate Ariſtoteles in præſentia. vbi ſanè per ſyllogiſmos Dialecticos aut Rhetorica enthymemata, intelligit ea quæ communibus ſeu topicis continentur locis: qui ſanè loci dicuntur communes, quia rebus omnibus (ſi Ariſtoteli credas) probabiliter tractandis aptari poſſint. per proprios verò eos intelligit qui ſunt priuatarum artium & facultatum, quæ certam habent materiam, vt Geometricæ verbi gratia & Aſtrologicæ. Et hac de cauſa ait, eos a ſe, id eſt a ſuo munere & arte recedere, qui ſyllogiſmos ſubtiliùs attingunt quàm par eſt: quod de Dialecticis pronunciat, qui propoſitiones ac ſyllogiſmos quos probabiliter & ad opinionem par eſt vſurpare, diligentiùs atque illo ipſo ſtudio quo priuatæ artes vtuntur, vrgent & rebus probandis adhibent: idémque vſu venire Oratoribus ſignificat qui item diligentiùs quàm par eſt, nec tam ad fidem faciendam, quàm ad rem altiùs demonſtrandam, propoſitiones referunt & enthymemata. ita enim in priuatarum artium doctrinas irrumpunt ſuos illi fines tranſilientes. Ait autem enthymemata poſſe etiam ex artibus & facultatibus, partim etiam ex artibus.
οὔπω κατειλημμένων non dum præceptis, deſumi, in eas, opinor artes intuens quæ inchoatæ
eſſent ac rudes, & quarum iam extarent quædam initia & ſemina: neque enim vide- 427
tur fieri poſſe vt ex ijs artibus & facultatibus ducantur propoſitiones & enthymemata, quarum nulla planè ac ne inchoata quidem & rudis extat cognitio. Quanquam ſi vrgeas illud *οὔπω κατειλημμένας* commodiùs exponi nondum perceptas, & ab illo inuentas (in Topicis enim nondum perceptas artes opponit *εὑρημένας*, inuentis) iam diſtributè explicandus erit locus, ita ſcilicet vt ex præſentibus inuentíſque aut etiam inchoatis liceat in præſens ducere nos enthymemata; ídque etiam in ijs ex inde factitandum, quæ in dies excogitentur: nam in dies quoque inde licebit enthymemata deriuare. Si quidem in dies nouas excogitari artes quin doctrinas etiam, ita vt nouæ quotidie propoſitiones ſuppeditentur enthymematis conficiendis,

ficiendis, quemadmodum & artes aliquas temporum iniuria deperijſſe compertum eſt. Neque verò ſecum ipſe pugnat Ariſtoteles quiſiam antea ſcripſit Oratoris induſtriam in ijs requiri, quorum nullæ extant partes: ea verò quæ proprijs artibus conſignata ſunt, a priuatis artificibus, vt res ad medicinam ſpectantes à Medico, Geometricas & Aſtronomicas a Geometra & Aſtrologo eſſe tractandas; nam præter quàm quod aliud eſt res ad Medicum attinentes tractari ab Oratore, aliud aliquid inde; populariter præſertim & probabiliter, vſurpari, ad alia perſuadenda quorum non extant artes; re vera Ariſtoteles enthymemata, quæ ex alijs artibus duci poſſe commemorat, non tam Oratori, quàm proprijs artificibus videtur tribuere: quia ſcilicet nos admonebat enthymemata alia eſſe oraroria, alia aliarum artium. De qua re, ſi quis miretur enthymemata tribui alijs quoque artibus, dicemus poſtea. Sed ſtatim quærat aliquis quæ tandem ſunt illa enthymemata, quæ ſunt Rhetoricæ propria, quiue proprij Dialecticorum ſyllogiſmi: & rurſus quomodo communes haberi ac dici poſſunt (dum enim ea enthymemata, eóſue ſyllogiſmos opponit ijs quę ſunt aliarum artium propria communia videntur appellanda) ſi proprij ſint. qui rurſus alij ſunt Dialectici, alij oratorij, cum hæ facultates nullam certam materiam habere dicantur: neque enim ſine materia poſſunt exiſtere: Atque idem facilè ſciſciteris de alijs artibus & facultatibus quales ſcilicet ſint ſingulorum ſyllogiſmi; hæc enim omnia videntur
428 explanatione indigere. Verùm quoniam Ariſtoteles profitetur ſe totam hanc rem velle explicare planiùs, ſatiùs eſt vt interim tum has tum alias quæ fortaſſe excitari poſſent, dubitationes coërceamus, & Ariſtotelem (eum poſtea interpellaturi, niſi has antea dilueritac veluti profligauerit) audiamus.

PARTICVLA LVI.

Μᾶλλον δὲ σαφὲς ἔσται τὸ λεγόμενον, διὰ πλειόνων ῥηθέν. λέγω γὰρ διαλεκτικούς τε καὶ ῥητορικοὺς συλλογισμοὺς εἶναι, περὶ ὧν τοὺς τόπους λέγομεν. οὗτοι δ᾽ εἰσὶν οἱ κοινῇ περὶ δικαίων καὶ φυσικῶν, καὶ περὶ πολιτικῶν, καὶ περὶ πολλῶν διαφερόντων τῷ εἴδει. οἷον, ὁ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον τόπος. οὐδὲν γὰρ μᾶλλον ἔσται ἐκ τούτου συλλογίζεσθαι ἢ ἐνθύμημα εἰπεῖν περὶ δικαίων, ἢ φυσικῶν, ἢ περὶ ὁτουοῦν. καίτοι ταῦτα εἴδει διαφέρουσι. ἴδια δὲ, ὅσα ἐκ τῶν περὶ ἕκαστον εἶδος καὶ γένος προτάσεών ἐστιν, οἷον, περὶ φυσικῶν εἰσι προτάσεις, ἐξ ὧν οὔτε ἐνθύμημα οὔτε σλλογισμός ἐστι περὶ τῶν ἠθικῶν, καὶ περὶ τούτων, ἄλλαι, ἐξ ὧν οὐκ ἔσται περὶ τῶν φυσικῶν. ὁμοίος δὲ τοῦτο ἔχει ἐπὶ πάντων.

Riccobonus. MAgis autem aperietur, quod dicitur, ſi id pluribus fuerit explicatum. Dico enim Dialecticos & Rhetoricos ſyllogiſmos eſſe, de quibus locos dicimus. Atque hi ſunt communiter de iuſtis, & naturalibus, & de ciuilibus, & de multis differentibus ſpecie, vt maioris, & minoris locus: nihil enim magis licebit ex hoc concludere ſyllogiſmo, vel enthymema dicere de iuſtis, quàm naturalibus aut de quacumque re. Atque hæc ſpecie differunt. Propria verò, quæcumque ex propoſitionibus vnicuique ſpeciei aut generi inſitis ſunt. vt de naturalibus ſũt propoſitiones, ex quibus neque enthymema, neque ſyllogiſmus eſt de moralibus & de his aliæ, ex quibus non erit de naturalibus. Similitérque id ſe habet in omnibus.

Maioragius. *HOc autem quod dico, clarius, & apertius erit, ſi pluribus verbis explicetur. Eos enim ego Dialecticos & Oratorios ſyllogiſmos voco, qui ducuntur ex locis, in quibus latent argumenta. Loci verò ſunt ij, qui communiter dicuntur, de*

rebus, quæ ad mores, & ad naturam, & ad ciuilem ſcientiam pertinent, & denique ad alia multa, quæ ſpecie inter ſe differant; vt locus qui ex maiore & minore dicitur. neque enim ex hoc loco magis de rebus iuſtis, quam de rebus naturalibus, aut de qualibet alia re, vel ſyllogiſmo concludere aliquid, vel enthymemate probare licet. atqui hæc ſine dubio ſpecie differunt. Propria verò cuiuſque artis argumenta ſunt, 429 *quæ conſtant è propoſitionibus ab arte illa ipſa deſumptis. exempli gratia, in rebus naturalibus propoſitiones ſunt, ex quibus nemo poterit aut enthymema aut ſyllogiſmum formare, qui ad vitam & mores pertineat; & in moralibus rebus ſunt aliæ propoſitiones, ex quibus nihil concludi poteſt, quod ad naturam ſpectet: atque eadem eſt in cæteris omnibus ratio.*

Enthymematũ locorũque varietatẽ proſequitur.

QVoniam (inquit) rem hanc breuiter & propterea obſcuriùs fortaſſe complexi ſumus, præſtat eam copioſiùs ac proinde clariùs explicare. Ergo eos (ſubdit) ſyllogiſmos & Dialecticos & Oratorios appello, qui ex ijs ducuntur veluti ſedibus ac locis in quibus argumenta deliteſcũt. loci verò ſunt qui communiter dicuntur de ijs rebus, quæ tum ad mores, tum ad naturam, tum ad alia multa pertinent, quæ inter ſe differunt ſpecie: quemadmodum verbi cauſa locus ex maiore & minore: ex quo ſanè non magis de rebus iuſtis, quàm de naturalibus, aut de qualibet alia re licebit ſyllogiſmo concludere aut enthymemate. Sic Ariſtoteles vt doceat, qui ſint Dialectici aut Oratorij ſyllogiſmi. Vbi tamen ſtatim quæres, tum, qualis qualis tandem ſit locus hic maioris & minoris, vt planiùs conſtet qui ſint communes loci; ad quos indicandos iſtum produxit in medium: tum, quo pacto in hoc oratorius ſyllogiſmus ſeu enthymema deliteſcat. Porrò huius loci vis & natura explicatur ab Ariſtotele in II. libro Rhetoricorum capite XXIII. vbi monet niti in ea propoſitione, ſi quid non ineſt in quo maximè eſſe deberet: multo minùs in quo minùs debet. vt ſi Dij aut norunt omnia, multò minùs homines: quod argumentum negandi vim habet: affirmando tamen commutato ordine conformatur. vt ſi dixeris, Qui patrem cecidit, quid ni propinquos etiam cedat? quod argumentum in ea propoſitione nititur, ſi id ineſt quod minùs videtur, id etiam inerit, quod videtur magis. Hic eſt locus maioris & minoris. & his de cauſis addit Ariſtoteles, eum valere in vtramque partem, hoc eſt ſiue rem ineſſe demonſtret, ſiue neget. Atque idcirco priùs rurſum a maiori ad minus, alterum verò a minori ad maius progreditur. Huius verò generis argumenta innumera occurrunt apud Poëtas & Oratores. Quare huc pertinet illud Ouidij elegantiſſimum.

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes; 430
Arida nec ſitiens ora lauabis aqua.
Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

huc illud Horatij

Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones.
Vt te ipſum ſerues non expergiſceris?

huc illud Virgilij.

Antenor potuit medijs elapſus Achiuis

& quæ ſequuntur; nota enim ſunt; & illud

O paſſi grauiora, dabit Deus his quoque finem.

Sed Poëtis miſſis, huc inprimis ſpectat illud M. Tullij pro Archia, *Saxa & ſolitudines voce reſpondent beſtiæ ſæpè immanes cantu flectuntur atque conſiſtunt: nos inſtituti rebus optimis non Poëtarum voce moueamur?* Huc ex Philippica illud: *Si Brutus Regem ſuperbum non tulit D. Brutus ſceleratum atque impium regnare patietur Antonium?* Denique Manliana oratio hoc argumentorum genere penè inſtructa eſt tota. *Maiores noſtri,* inquit M. Tullius, *Sæpe mercatoribus ac nauiculatoribus iniurioſiùs tractatis bella geſſerũt: vos tot ciuiũ Rom. millibus vno nũtio, atque vno tempore necatis quo tandem animo eſſe debetis? legati quòd erant appellati ſuperbiùs, Chorintum patres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt: vos eum Regem inultũ eſſe patiemini, qui legatum populi Rom. conſularem, vinculis ac verberibus, atque omni ſupplicio excru-*

ciatum

tiatum necarit? Illi libertatem ciuium Rom. imminutam eſſe non tulerunt; vos vitam ereptam negli-
getis? Ius legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt: vos legatum Populi Rom. omni ſupplicio in-
terfectum, inultum relinquetis? Videte ne, vt illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperij gloriam
relinquere: ſic vobis turpiſſimum ſit, illud quod accepiſtis, tueri & conſeruare nõ poſſe. Hęc & alia
plurima in ea Oratione M. Tullius. Quod ſi talis eſt hic qui maioris & minoris dicitur
431 locus, mirandum profectò eſt quod Maioragio in mentem venerit in hac particula dũ
ſic ſcriberet. *Quod autem ex hoc loco* (maioris ſcilicet & minoris) *poſſint argumenta duci di-*
uerſarum rerum & ſpetie differentium, exemplis declarabimus: vt de ijs quæ ad mores attinent hoc
erit argumentũ: maior virtus eſt iuſtitia quàm fortitudo: nam ſi omnes iuſti eſſemus, fortitudine non
egeremus. Melius eſt iniuriam accipere quàm inferre. quia qui facit iniuriam malus eſt, qui eam ac-
cipit probus eſſe poteſt. magis parentibus debemus quàm nobis ipſis. nam ſi parentes non fuiſſent, nec
nos quidem eſſe potuiſſemus. de ijs quæ ad res naturales ſpectant ex eodem loco hæc erunt argumẽta:
melior eſt calor quàm frigus. Calor enim res omnes procreat & conſeruat, frigus eas conſumit. melior
aqua quàm ignis. pluribus enim in rebus vtimur aqua quàm igne. diutiùs viuunt celibes quàm qui
vxores habent: nam veneris vſus ſpiritus vitales exhaurit. de ijs quæ ad ciuilem ſcientiam pertinẽt,
ex eodem loco ſint hæc argumenta. præſtantiores ſunt leges quàm iudicia, quia leges commune bonum
ſpectant, iudicia priuatum. melius eſt vt Princeps regionem ſuam tueatur, quàm alienam appetat. nã
qui aliena cupidiùs appetunt, ſua ſæpius amittunt. Melius eſt ut Reſpublica ab uno uel à paucis admi-
niſtretur quàm à multis. facilius eſt enim unum ſapientem aut paucos inuenire quàm multos. hoc
modo ab alijs etiam rebus cuiuslibet generis licebit ex comparatione argumenta formare. Sic Maio-
gius. qui ſanè nondum ſatis huius vim argumenti ac loci explorauerat. neque enim hoc
pacto conformatur huius argumentatio loci; ſed quo nos ex Ariſtotele oſtẽdimus mo-
re ac modo. Iam verò hunc locum & Moralibus & Phyſicis aliiſque rebus ſeruire poſſe,
ac propterea communem habendum appellandúmque eſſe inde conſtat, quia in ſua
quiſque arte & doctrina poteſt & verò ſolet argumẽto à maiori & minori vti. Vt enim
eſt omnibus fermè rebus accommodatus, ita in promptu eſt omnibus. Idem dixerim
de loco a definitione, a coniugatis, a notione & ſimilibus. Addit verò ad extremum Ari-
ſtoteles καὶ ταῦτα διαφέρει τῷ εἴδει, *atque hæc ſpecie differunt*, vt intelligamus res morales
naturales, geometricas & id genus alias inter ſe ſpecie differre: ac propterea fieri vt quo-
432 niam propoſitus locus ijs omnibus facultatibus ſeruit quæ ſpecie differunt, communis
habendus ſit. Atque hæc vt doceat quos appellauerit Oratorios ac Dialecticos ſyllogiſ-
mos: quos ſanè, quoniam eorum loci ſunt communiter de iuſtis & iniuſtis, déque ciui-
libus aliiſque multis; communes locos appellare licet: cõmunia etiam quæ ex illis exi-
ſtunt enthymemata: & ſi dum ex his locis conflatos ſyllogiſmos aut conſtituta enthy-
memata propria eſſe dixit Rhetoricę quemadmodum communes Dialecticos ſyllogiſ-
mos appellauit & Oratoria enthymemata quaſi Dialectici aut Oratoris eſſent propria.
Vbi ſanè videtur. hæc enthymemata appellare Oratoria, non quia ſint Oratoris propria
potiùs, quàm ei cum Dialectica & alijs artibus quæ probabiliter interdum diſputent,
communia; ſed quia re vera maximè Oratoris, quoniam fidem tãtùm gignere molitur,
eſt ijs vti & ideo ijdem ſyllogiſmi proprij quoque dicuntur Dialectici, quia hos Dialecti-
cus, vt opinionem tantùm ſibi gignendam proponit non ſcientiam vſurpare ſolet. De-
nique cum propoſitiones illę ſint tantùm accommodatæ ad populariter ac probabiliter
diſſerendum, quod eſt Oratoris proprium ac Dialectici, proprię dicuntur Rhetoricę &
Dialecticæ. Nunc quos appellauerit proprios locos aut propria enthymemata explica-
bit. Propria igitur cuiusque artis argumenta illa ſunt (inquit) quæ conſtant ex propoſi-
tionibus certæ ſpeciei aut definiti generis, vno verbo, priuatæ facultatis proprijs, vt verbi
gratia ex propoſitionibus naturalis ſcientiæ; ex hac enim nemo poterit argumenta de-
ſumere quæ pertineant, ad vitam & mores: quemadmodum è contrario ex morali-
bus nil concludi poterit quod ſpectet ad res naturales, eádémque erit de cœteris fa-
cultatibus atque artibus ratio: cum priuatæ artes & facultates priuatis propoſitioni-
bus contineantur; quæque ad alias facultates traduci minimè poſſunt. Denique hæc
laus Dialecticis ac Rhetoricis propoſitionibus concedenda eſt: quæ, quoniam ſunt
communes, ad omnes artes, & facultates referri poſſunt. Tametſi probabiliter tan-
433 tum concludere valent. & ideò pergit.

PARTI-

PARTICVLA LVII.

Κ Ἀκεῖνα μὲν ὃ ποιήσει περὶ ὐδὲν γένος ἔμφρονα. περὶ ὐδὲν γὰρ ὑποκείμενόν ἐςι. ταῦτα δ' ἐὰν ὥσωτις ἂν βελτίω ἐκλέγηται τὰς προτάσεις, λήσει ποιήσας ἄλλων ἐπιςήμην τῆς διαλεκτικῆς καὶ ῥητορικῆς. ἂν γὰρ ἐντύχῃ ἀρχαῖς, ὐκ ἐςι διαλεκτικὴ, ὐδὲ ῥητορική. ἀλλ' ἐκείνη ἔςαι, ἧς ἔχει τὰς ἀρχάς.

Riccobonus.

ATque illa quidem non efficiunt in aliquo genere prudentem : quia nullam certam materiam habent. Hæc verò quò quis meliora ſeligat ad propoſitiones conficiẽdas clam efficiet diuerſam ſcientiam a Dialectica & Rhetorica. Nam ſi incidat in principia, non eſt Dialectica, neque Rhetorica, ſed illa erit, cuius habet principia.

Maioragius.

ATque illa quidem argumenta, quæ communiter ex locis ſumuntur, neminem poſſunt huius, aut illius artis peritum facere; quoniam nullam habent certam ſibi ſubiectam materiam. Has autem proprias artium propoſitiones quantò quis exquiſitiores elegerit, tantò magis per imprudentiam efficiet aliam ſcientiam, diuerſam a Dialectica, aut Rhetorica. Si enim ad alicuius artis principia peruenerit; iam non erit Dialectica, aut Rhetorica, ſed erit illa ipſa ars, cuius ea principia fuerint.

Cõ. LVII. Communium locorum vis qualis.

QVibus verbis docere videtur quæ ex communibus locis ducũtur argumenta, neminem efficere certæ alicuius artis aut facultatis, ſeu rei, peritum ac gnarum : idque ea de cauſa quia nullam habent certam ſibi materiam ſubiectam. Ita ſanè ſi quis argumentum a maiori & minori duxerit, aut alio communi loco, is nullius priuatæ ſcientiæ aut artis facultatiſue aut rei ſiue præcepti ac doctrinæ fiet cõpos. Verùm huiuſmodi decretum magnas ſtatim affert dubitationes, ita vt Controuerſiam interponere cogar, ac rem paulò excutere latius : illúdque inprimis requirere. 434

CONTROVERSIA XXXIII. NVM quæ ex cõmunibus locis ducũtur argumẽta, peritum aliqua in re poſſint efficere quempiam.

NVM verè enuntietur, ex ratiocinationibus quæ ex communibus locis ducuntur, neminem aliqua in re peritum effici. Nam hoc affirmare videtur quidem Ariſtoteles: ſed tamen obſcuritatem habet ſiue effectum ſpectes ſiue qua illud confirmat rationem. Etenim ſi quæ ex communibus locis ducuntur enthymemata, neminem faciunt peritum ac gnarum in aliquo genere: id ſanè euenit vel quia non aſcendunt ad certi alicuius generis definitãue rei ac materiæ tractationem; vel quia licet ad eam deſcendant ſolam probabilitatem continent ac propterea nequeunt quemquam verè peritum ac gnarum efficere. ſi primum dixeris, profectò, vt omittam cognitionem communium illarum, quibus conflantur, propoſitionum, cognitionem eſſe, ac ſciẽtiam aliquam gignere (& ideo tum in Topicis tum in Rhetoricis explicantur & ad præcepta reuocãtur) Dialecticus aut Orator ſyllogiſmum haud conflauerit vel enthymema, niſi certam aliquam materiam attingat & complectatur. & ſanè illorum propoſitiones, dum explicantur, ſemper cum alicuius certæ facultatis ſiue artis mauis aut ſcientiæ materia copulantur, & in priuatarum doctrinarum materia effinguntur. quare nos Ariſtotelem ſecuti paulò ante argumentum maioris & minoris in varijs rebus conformauimus, quæ priuatis artibus & facultatibus continentur; vt cum illud M. Tullij proferrem, *Maiores noſtri mercatoribus & nauiculatoribus iniurioſiùs tractatis bella geſſerunt, uos tot ciuium Romanorum millibus uno nuntio atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis?* Ita etiam ſi a definitione locum explanaueris, cogẽris ad iuſtitiæ, vel animalis, vel trianguli, vel ægritudinis aut alterius huiuſmodi rei definitionem deſcendere, vnde vel morale, vel phyſicum, vel mathematicum, vel medicinæ proprium decretum explanabitur, vnde propriæ alicuius artis præcepto imbuaris id quod ex iiſdem rhetoricis dialeticiſque locis, quos communes appellauimus, apud Ariſtotelem & M. Tullium intueri licet, apud quos non nuda

præcepta

435 præcepta aut vacuas propoſitiones offendas, ſed in certa aliqua ſiue ciuilis, ſiue alterius
facultatis materia & campo expreſſas. quis igitur enthymematũ propoſitiones ita ex-
plicari ſentiat, & enthymemata ipſa citra definitam materiam effingi ſtatuat? denique
qui non ſentiat enthymemata niſi in certa aliqua materia exprimi haud poſſe, is in me-
ridiana luce caliget neceſſe eſt. Vt propterea ſi de enthymematis reuera loquatur Ari-
ſtoteles, falsò omnino affirmet neminem peritum reddere ac gnarum quia non deſcen
dat ad certam aliquam definitæ rei aut doctrinæ materiam. Quod ſi alteram rationem
ſequaris ac viam, ac dicas neminem efficere peritum quia ſolam probabilitatem conti-
nent, Ariſtoteles igitur falſam attulit huius rei cauſam, & in eam fallaciam incidit quã
cauſam non cauſam appellare ſolet. neque enim ea de cauſa quæ ex locis illis ducuntur
enthymemata neminem efficiunt peritum, quia nullam certam materiam habeãt: ſed
ratio eſſet quia interim nihil exquiſitè tractarent, ſed populariter & ad ſcientiam minùs
accommodatè. Quanquam ne iſta quidem ratio aut tergiuerſatio valeret ſatis: quan-
doquidem argumentum à definitione verbi gratia, etſi definitio in Topicis ſedibus nu-
meretur, certam gignit notitiam, vt ſi quis dixerit, quodcumque animal rationis parti-
ceps prudentiæ vtitur & conſilio: homo eſt animal rationis particeps: ergo prudentia
vtitur & conſilio, vel ſi dixerit quid ni cõſilio & prudentia vtatur homo cum ſit animal
rationis particeps? & idem dixerim de alijs locis quibuſdam ex quibus tale argumẽtum
confletur in Phyſica verbi gratia aut ciuili materia vt inde peritus euadat aliquis. Igitur
crediderim ea verba *κἀκεῖνα & illa*, nullo in genere prudentem efficiunt ac gnarum, eſſe
referenda ad *προτάσεις* ad propoſitiones inquam, nõ ad enthymemata aut ſyllogiſmos,
Iam res explicatur.
quæ ex illis conſtent vbi ad certam materiam fuerint reuocatæ. nam reuera locus a de-
finitione, à cauſa, ab effectu & huiuſmodi alijs per ſe & à certa materia ſeparatus nullius
rei peritũ facit quẽquam: ſecus de propoſitionibus certarum doctrinarũ quæ aliquid
docent, vt cum dicimus homo eſt animal rationis particeps quæ propoſitio eſt Phyſica.
Itaque illud *κἀκεῖνα* vel mendosè legitur reſpõdendúmque eſt *κἀκεῖναι* ita vt ſit ſenſus &
illæ propoſitiones (de his enim iam iam meminerat) vel certè quia mox ſubdit *ταῦτα δὲ*
non ad *προτάσεις* omnino & propoſitiones ſed ad ea, quæ primò dicta ſunt de prioribus
propoſitionibus, referri debet: vel denique ſi ad enthymemata hæc retuleris, id enthy-
mematis tribuit illis (prioribus ſcilicet, quæ dixerat conſtare ex topicis) propter topicas
436 propoſitiones quæ per ſe peritum efficiunt neminem. Certè paulò ante dum diceret,
*Dico enim Dialecticos & Rhetoricos ſyllogiſmos de quibus locos dicimus, atque hi communiter ſunt
de iuſtis & naturalibus & ciuilibus, ut maioris & minoris locis. nihil enim magis licebit ex hoc
concludere de iuſtis quàm de naturalibus aut quacunque re*: compertum videri poteſt Ariſto-
telem ſignificare propoſitionem ex maiori ſumptam non facere peritum in aliqua re:
idque ea de cauſa quia propoſitio ex maiori per ſe non habet certam materiam, quod
ſi omnino velis de enthymematis illud pronunciari nullum genere nos prudentes effi-
cere quia in nulla re ſubiecta verſantur, eò adhuc eſt confugiendum vt dicamus id eue-
nire quia popularia (niſi ſuos fines tranſilire velit atque artem peruertere) ſectetur quæ
ſcientiam gignunt nullam. nam definitiones etiam abſunt ab hac laude cum non per-
fectas ſed adumbratas vſurpet definitiones Orator. itaque hominem fortunæ ludibriũ
appellabit. Naturæ miraculum, & ſi quid huiuſmodi, non phyſicam planè hominis de-
finitionem vſurpabit ad amuſſim. ita fortè dicitur nullam debere certam materiã, quia
licet enthymemata non poſſint non & materia & forma conſtare, materia tamen, quo-
niam non ex proprijs alicuius doctrinæ præceptis arripitur, certa, carere dicitur enthy-
mema. Iam verò quemadmodum docuit Ariſtoteles quæ ſit vis communium locorũ,
quod eſt rhetoricarum dialecticarúmque propoſitionum, quæ rebus omnibus adhibe-
ri ſolent: ita continenter declarat, quæ ſit vis priuatarum, quaéque ex certis ac definitis
artibus aut doctrinis propoſitiones & argumenta deriuantur. quare proprias (inquit)
artium propoſitiones quantò quis potiores ſelegerit, ſiue enthymemata ex potioribus
propoſitionibus conflauerit, eò magis à Dialectica & Rhetorica recedet & ad priuatam
ſcientiam ac facultatem deueniet. incidet enim in aliarum principia doctrinarum, ac
propterea inde non exiſtet ampliùs Rhetorica aut Dialectica probatio aut concluſio,
ſed eius artis aut ſcientiæ, cuius erunt principia. ita ſanè qui eruditior videri Orator vo-
luerit, aut accuratiùs ſubtiliúſque quàm Oratoris officium poſtulet differere & argu-
mentari, ob idque Phyſicis aut moralibus principijs vtetur, ex Oratore aut Dialectico
Priuatorũ locorũ vis qualis ſi a Rhetore accuratius vſurpẽtur.

Phyſicus

Phyſicus aut Moralis efficietur. Hæc Ariſtoteles de enthymematum propoſitionúmque differentijs. quibus tria breuiter addit pergens.

PARTICVLA LVIII.

Ἔστι δὲ τὰ πλεῖστα τῶν ἐνθυμημάτων, ἐκ τούτων τῶν εἰδῶν λεγόμενα, τῶν κατὰ μέρος καὶ ἰδίων. ἐκ δὲ τῶν κοινῶν ἐλάττω. καθάπερ οὖν καὶ ἐν τοῖς τοπικοῖς καὶ ἐνταῦθα διαιρετέον, τῶν ἐνθυμημάτων τά τε εἴδη καὶ τοὺς τόπους, ἐξ ὧν ληπτέον. λέγω δὲ εἴδη μὲν, τὰς καθ᾽ ἕκαστον γένος ἰδίας προτάσεις. τόπους δὲ τοὺς κοινοὺς ὁμοίως πάντων. πρότερον οὖν εἴπωμεν περὶ τῶν εἰδῶν. πρότερον δὲ λαμβάνωμεν τὰ γένη τῆς ῥητορικῆς. ὅπως διελόμενοι πόσα ἐστὶ, περὶ τούτων χωρὶς λαμβάνωμεν τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς προτάσεις.

SVnt autem plura enthymemata ex his formis ducta, quæ ſingulares ſunt, & propriæ:ex communibus verò pauciora. Vt igitur etiam in Topicis, ſic his in libris diſtinguendæ ſunt enthymematum & formæ, & loci, ex quibus aſſumendũ eſt. Voco autem formas vniuſcuiuſque generis proprias propoſitiones. At locos communes ſimiliter omnium. Ac priùs quidem explicemus formas. Sed priùs aſſumamus genera Rhetoricæ, vt cum diſtinxerimus, quot ſint, de ſuis ſeparatim aſſumamus elementa, & propoſitiones. *Riccobonus.*

MAiorem autem partem enthymemata fiunt ex propoſitionibus illis, quæ propriæ peculiarésque ſunt alicuius artis, è communibus autem locis longè pauciora. Quemadmodum igitur in Topicis, ita etiam in hoc opere diſtinguendæ ſunt enthymematum ſpecies, & loci vnde ſumuntur argumenta. voco autem ſpecies enthymematum, proprias cuiusque generis propoſitiones; locos verò ſedes argumentorum, æqualiter omnibus communes. Priùs igitur de formis enthymematum, quàm de locis dicamus. ac primò Rhetoricæ genera videamus. vt cum ea quot numero ſint explicuerimus, ſigillatim deinde cuiuſque generis elementa, propoſitionéſque tractemus. *Maioragius.*

Comment. LVIII. Tria ſubijcit de enthymematis ac locis.

TRia (id quod dicere cœpi) ſubijcit, vnde totam hanc enthymematum varietatem inſtitui quæ ſui rationem abſoluat & complectatur. Primum eſt plura enthymemata fieri ex ijs formis & propoſitionibus, quas proximas diximus atque alicuius artis ſcientiæúe peculiares: cõtra verò ex communibus formis ſeu locis & propoſitionibus pauciora: & ideo enthymematum formas ac ſpecies pro bipartita iſta propoſitionum ac locorum varietate eſſe diſtinguendas: quemadmodum etiam in Topicis, vbi alij loci cõmunibus, alij proprijs, deſtinantur propoſitionibus & argumentis. Alterum eſt. per enthymematum ſeu propoſitionum formas intelligendas eſſe proprias propoſitiones ſingulorum generum, hoc eſt Deliberatiui, Demõſtratiui & Iudicialis: per communes verò locos intelligendas eſſe propoſitiones omnium, hoc eſt quæ inſeruiunt omnibus generibus cauſarum. Tertium ac poſtremum eſt priore loco explicandas eſſe formas quæ ſingulorum ſunt propriæ generum ſeu propoſitiones, quæ pertinent ad tripartitã illam cauſarum ſeu generum varietatem: priùs tamen aſſumenda eſſe & declarãda tria genera ipſa: vt ijs cognitis & explicatis, eorum elementa & propoſitiones commodiùs in medium proferantur. Hæc Ariſtoteles: qui propterea continenter in hoc primo libro tum tripartitam iſtam generum varietatem proſequitur fusè, tum ſingulorum generum propoſitiones veluti in aciem educit diſponítque diligenter. 438

I. II. III.

Nunc ad dubitationes, quæ ſeſe adhuc obijciunt Ariſtoteli de enthymematum locorúmque varietate ac natura differenti. Etſi enim hac in re alias nonnullas dubitationes attulimus

attulimus in ipſo Ariſtoteleæ diſputationis curſu,aliquas tamen prætermiſimus, quas
ſubijcere præſtat in præſentia. Ac primùm quidem dubitatur & quæritur, num enthy-
mema non Rhetoricæ modò, ſed alijs quoque artibus ac doctrinis tribuendum ſit:an
verò quemadmodum Oratori interdicitur ſyllogiſmi vſus (quanquam iurène differe-
tur ſuo loco) ita cæteris interdicendus ſit vſus enthymematis. Sanè Ariſtoteles iam an-
tea viſus eſt ea de cauſa enthymema appellare Oratorium ſyllogiſmum, ſiue oratoriam
demonſtrationem, quòd enthymema ſit proprium oratoris:alioquin temerè demon-
ſtratio oratoria appellaretur. Et tamen hîc ait, enthymematum alia eſſe *κατὰ τὴν ῥητο-
ρικὴν ſecundum Rhetoricam* ſiue propria artis dicendi, alia *κατ᾽ ἄλλας τέχνας καὶ δυνάμεις ſecun-
dum alias artes & facultates* ſiue aliarum artiũ facultarúmque propria. Deinde illud quo-
que dubitationem habet, quod videtur dictu abſurdum, vel certè non tam facilè ac ſine
exceptione affirmandum, Oratorem fines tranſilire artis ſuæ, ſi priuatarum artiũ locos
ac propoſitiones accuratè tractet vſurpétur; quaſi verò ſuo munere abutatur perſonã-
439 que induat alienam. cur enim ſi ex phiſiologia germanam hominis definitionem vſur-
pet, phyſicus erit potiùs quàm orator? aut enim prohibendum ne vſurpet aliarum do-
ctrinarum propoſitiones, aut certè ſi vſurpare illas poſſit (hoc enim interim non modò
concedit, ſed iubet Ariſtoteles) omnino permittendum vt potius iubendum, vt bonas
ac germanas vſurpet, ac diſſerat accuratè. Cur enim hominem dicat eſſe animal bipes
ac rectum incedens, ſi perfectam & planam hominis definitionem arripere poſſit, qua
dicat, eſſe rationis particeps animal? Quapropter fateor quidem fieri poſſe vt interdum
ſubtiliores quædam definitiones (idem ru ſtatuas de priuatis propoſitionibus omni-
bus) minùs accommodatæ ſint oratoriæ paleſtræ, ſed tamen nihil prohibet quo minùs
multæ, quæ alioquin germanæ ſint & intimæ, planæ quoque ſint & ad intelligendum
accommodatę: & tamen Ariſtoteles, propriorum vſum locorum ac propoſitionum
præſcribit Oratori, interdicit ne accuratè & adamuſſim eas cõſectetur attingatur, quaſi
verò inde fines tranſiliat ſuos atque eius artificis ſubeat munus & nomen, cuius arripit
propoſitiones. Et hinc altera etiam ſeſe obijcit dubitatio. nam cum vna ex parte prohi- III.
bere videatur Ariſtoteles, ne quis Orator ſe planè magnopere inſinuet in aliarum artiũ
ac doctrinarum propoſitiones; ex altera verò doceat, Oratorem nullas fermè, aut certè
quam pauciſſimas habere propoſitiones proprias, proindéque debere ex priuatarum
artium ac doctrinarum campo illas deſumere, iiſdémque enthymemata conflare; mi-
rum eſt cur deinde tantopere illum coërceat in eo campo, in quem veluti calcaribus ad
motis coniecerat. Denique dum idem Ariſtoteles communes quaſdam etſi paucas IV.
Oratori tribuit propoſitiones, quid quæſo cauſæ eſt cur non iubeat, vt has minùs accu-
ratè & exquiſitè attingat? Nam ſi ſubtilior diligentia in foro & curia minùs eſt opportu
na, ſanè tam in communibus illis locis, quàm in priuatis erit inopportuna. & tamen
Ariſtoteles tantummodo in priuatis propoſitionibus tanquam frenum iniiecit Orato-
ri. Hæc & alia quædam quæ paulò ante obiecimus Ariſtoteli, dum de enthymematum
locorúmque varietate præciperet, explicanda eſſent in huius ſecundi capitis fine. Tam-
Reijciuntur propoſitæ dubitationes in aliũ locum. ſimulque cõtrouerſijs varijs tractandis aditus aperitur.
etſi hæc etiam libenter in alium locum reiecerim ; neque enim ſatis explicari poſſunt,
niſi priùs cætera, quæ de Rhetoricæ ac Dialecticæ natura dubitationes excitatæ ſunt, ri-
tè explanauerim.

At enim quid tu tam multas quaſi turbas commoues ac paſſim controuerſias in
medium affers, quas nouis ſemper ac maioribus cumulas, nec tamen illas explanas aut
440 ſedas vnquam? quid nouum æs alienum ſemper contrahis, vetus nunquam diſſoluis?
ſcilicet illud ſupereſt vt tot tantiſque turbis & contentionibus in his primis capitibus
excitatis, ad inſequens atque adeò ad tripartitum cauſarum varietatem aggrediaris con
tinentérque ad primi huius libri (tertij etiam ſi Deo placet) finem contendas, nouis ſem
per dubitationibus & allatis & in alium locum reiectis, quibus nobis de more illudas &
imponas egregiè.

Imò verò antequam ad proximum caput aggrediar & continenter de ſingulis cau-
ſarum generibus verba faciam, de quibus reliquo hoc libro diſputat Ariſtoteles, omni-
no conſtitui quas hactenus dubitationes & controuerſias excitaui, pro virili mea expla
nare omnes. Sentio enim vix ac ne vix quidem poſſe nos ad reliqua progredi, niſi quem
nobis tot tantiſque dubitationibus & controuerſijs aditum intercluſimus, aperiamus.
Denique niſi initia plana fuerint atque optimè conſtituta inutiliter ſanè ea proſequa-
mur

mur quæ ex initijs conſequuntur. Quid viginti præcipuas Controuerſias extremo ſuperiore capite collegi, quarum explicatum in alium locū reieci. Multo verò plures exinde ſeſe in ſecundo capite obtulere; ita vt ſexdecim eæque grauiſſimæ ex vna Rhetoricæ definitione diſſenſiones eruperint: quæ etiam huiuſmodi ſunt, vt inde non ſolùm ea definitio, verùm etiam Ariſtoreleæ Rhetoricæ initia & fundamenta, conuelli videantur. Itaque ſi ad calculum reuocentur ſubducatúrque numerus diligenter, quinquaginta non dico dubitationes, ſed ampliſſimæ Controuerſiæ ſeſe nobis obijciunt, quas in præſens veluti ingentes ſcopulos ſuperare neceſſe eſt. In quibus eò maior adhibenda eſt diligentia, quòd in eis aliæ plurimæ (id quod euentus ipſe declarabit) deliteſcant. Ergo ne earum mole diutiùs premamur (præſertim quia illarum numerus magis adhuc & magis augebitur in progreſſu) rem ipſam benè iuuante Deo tandem aliquando aggrediar: ſeorſim tamen ac diſtincto volumine ídque tanquam theatro mutato ac ſcena. qui enim hîc αὐτοπροσώπως ac fermè Peripateticorum more diſſerimus, vt ſcilicet in primis doceamus ibi ἑτεροπροσώπως (vt nimirum pro virili mea & doceam & oblectem) ac Platonis Ciceroniſque more ac modo, orationem ſtylúmque variabimus. Vos igitur, ſi placet, quod iam literis conſignamus Rhetoricarum Diſputationum Volumen, euoluere, ac boni æquique conſulere ne grauemini. Hîc verò interim ad III. pergamus caput.

CAPVT III.

PARTICVLA LIX.

Ἔστι δὲ τῆς ῥητορικῆς εἴδη τρία τὸν ἀριθμόν. τοσοῦτοι γὰρ οἱ ἀκροαταὶ τῶν λόγων
ὑπάρχουσιν ὄντες. σύγκειται μὲν γὰρ ἐκ τριῶν ὁ λόγος, ἔκτε τοῦ λέγοντος, καὶ 441
περὶ οὗ λέγει, καὶ πρὸς ὅν, καὶ τὸ τέλος πρὸς τοῦτόν ἐστι. λέγω δὲ τὸν ἀκροατήν.

Riccobonus.

IAm verò Rhetoricæ ſunt tres numero formæ. Totidem enim auditores ſunt orationum. Etenim conſtat ex tribus oratio, tum ex eo, qui loquitur, tum ex eo de quo loquitur, tum ex eo, ad quem. Ac finis ad hunc refertur, ideſt ad auditorem.

Maioragius.

SVnt autem Rhetoricæ genera numero tria: tot enim etiam auditorum genera reperiuntur. nam ex tribus rebus Oratio conſtat, ex eo qui dicit, ex materia de qua dicitur, ex eo apud quem verba fiunt. quin etiam cuiuslibet Orationis finis ad auditorem refertur.

Comment. LIX.

PRAESentis capitis nexus & materia.

PRoduxit in medium Ariſtoteles enthymema & exemplum quibus tanquam armis decertandum eſt Oratori. egit etiam tum de veriſimili & ſigno ex quibus conſtituuntur enthymemata; tum de ſimili ex quo deriuatur exemplum; nunc Oratorē ipſum traducit ad certamen: vel certè de quibuſdam illum adhuc inſtruit quę ante pugnam obſeruaſſe pręſtat: atque hæc ſanè ad tria capita reuocari poſſunt. primò enim docet quas

Tria doceri.

I. cauſas recipere debet Orator, ſeu quot ſint Oratoriarum genera cauſarum, & cur tot
II. ſint. Tum de ſingulorum generum & partibus, & tempore, & fine ſingulis generibus
III. propoſito, eundem admonet: vt ſcilicet pugnam inſtructior inſtituat ac paratior. Ad

Explicatur extremùm propoſitiones in medium affert quas priùs in qualibet cauſæ genere explo-
I. raſſe oportet. Sed dicamus primùm de primo. Tres (inquit Ariſtoteles) ſunt Ῥητορικῆς 442
εἴδη, *Rhetoricæ ſpecies ſeu formæ*; quod eſt (vt cum M. Tullio loquar) tria ſunt genera cau-

Quod pertinet ad conſtituenda genera cauſarum.

ſarum. cum verò hæc Ariſtoteles in ſuperiore particula appellauerit τὰ γένη τῆς ῥητορικῆς, *Rhetoricæ genera*, in præſens verò *Rhetoricæ* appellet *formas*; ſatis cōſtat eum genera & formas more maiorum promiſcuè vſurpare. quamuis enim in ſubtilioribus diſputationibus non

bus non tam facilè genera & formas confundit, id tamen, quoniã hîc minorem ambi-
guitatem res habet, tãtiſper variat orationẽ, ac proinde Oratorias cauſas modò ad tria
genera reuocat, modò tribus formis concludit: ſatis enim conſtat Oratoris cauſas ſiue
oratoriarũ cauſarum formas ac genera vtrinque deſignari. Quanquã nos in poſterum
Tulliano ferè more loquemur, tres iſtas Rhetoricas formas, cauſarũ genera nuncupã-
tes. etſi enim cauſæ vis ac notio apud M. Tulliũ manat latiùs, ita ut quidquid agitur, id
interdũ ab eo cauſæ nomine appelletur (ita quidẽ cũ Luceium oraret vt reſcriberet nũ
cauſam ſuſciperet oblatã, hiſtoriæ ſcribendi munus intelligebat) vbi tamen cauſas tri-
partitò diſtribuit, Oratorias cauſas & Rhetoricas Ariſtotelis formas intelligit: generũ
tamen libentiùs quàm formarũ retẽto nomine & vſurpato. Sunt igitur (inquit Ariſto-
teles) tria genera cauſarũ, quod ſanè breuiſſimè inde probat hoc in loco quòd totidẽ
ſunt orationũ auditores. cuius rationis ea eſt vis. Auditores præſto ſunt vel deliberãdi,
vel iudicandi, vel denique tanquã ſpectandi, aut etiã ſi mauis de Oratoris facultate, iu-
dicãdi, gratia: ſi primum, illud cauſæ genus oritur, quod βουλευτικὸν ſeu deliberatiuũ
appellamus: ſi alterum, δικανικὸν ſeu iudiciale: ſi poſtremũ ἐπιδεικτικὸν ſeu demonſtra-
443 tiuum. Tria igitur ſunt genera cauſarũ. Hæc eſt breuiſſima huius rationis vis, quemad-
modũ in ſequenti particula ex Ariſtotele ipſo conſtabit planiùs. Nunc enim cũ dixiſſet
tres eſſe Rhetoricæ formas, quia tot ſunt auditores orationũ, tacitæ cuidã dubitationi
occurrendum putauit. nã cum in Oratorijs cauſis præter auditorẽ, & Orator & res ſeu
perſona ipſa ſeſe offerat de qua dicitur, cur ab auditore potiùs quàm ab Oratore aut re
ipſa ducitur oratoriarum cauſarũ diſtributio & formarũ conſtitutio? Reſpondet igitur
Ariſtoteles, verè quidẽ dici tria iſthæc in cauſis ſingulis reperiri, ſed tamẽ ad auditorem
tanquam in finem referri tum dicentem, tum rem ſeu perſonam de qua dicitur (nam
vtrũque valent ea verba περὶ οὗ λέγει) ac propterea finem in auditore poſitũ eſſe. ac rectè.
nam Orator ſine dubio ad auditorem dictionẽ conuertit totã: rem etiam de qua dicit,
auditoris poteſtati ſubijcit ac iudicio: ita vt auditor tanquã finis videri poſſit, ſiue in eo
finis cõſtituendus ſit. Quãquam, vt rationes quibus rerum multipliciũ vis ac ratio ſeu
diſtributio ſiue; vt cum noſtratibus Peripateticis loquar, ſufficientia, declaratur, non in
Mathematicorum acribologia ſed probabilitate quadã niti ſolent, nihil prohibet quo-
minus etiam Quintiliano fermè a re ipſa quin ab Oratore quoque ſufficiẽtia & pleni-
tudo illa partium non ineptè ducatur. a re, quia vel deliberationis, vel iudicationis, vel
ſimplicis auditionis cauſa de illa agitur; ita vt tripartita inde cauſarum varietas exiſtat
quæ deliberatione, iudicio & ſimplici auditione cõtinetur: ab Oratore, quia is ita dicit,
vt vel deliberatio vel iudicatio, vel ſimplex auditio ſit ei propoſita. ita non contẽnenda
tripartitæ iſtius varietatis triplex ratio ex triplici veluti fonte deriuari poteſt. Tametſi
non eſt quod inficiemur ab auditore tãquam a fine iuſtiùs deriuari. Illud tamen (vt ad *Dubitatur*
444 Ariſtotelicã rationem redeam totus) dubitationem habet, quid cauſæ ſit cur Ariſtote- I.
les tanquam certum arripiat, tria illa tantùm, nimirũ Oratorem, rem de qua agitur, &
auditorẽ, in cauſa reperiri. An non tum actor & reus, tum teſtes paſſim, leges, pacta &
huiuſmodi alia plurima in ea reperiuntur? Reperiũtur, fateor; ſed actor & reus Oratore
cõtinentur ſiquidem Orator vel pro reo aduerſus actorẽ dicit, vel pro actore aduerſus *Reſpondetur.*
reum, ita vt eorũ ſuſtineat perſonã: teſtes verò & leges, & ſi quid huiuſmodi cũ re ipſa
iungẽda ſunt qua cũ ſunt implicita & copulata, ſeu ad quã declarandã & tractãdã aſſu-
muntur. Quanquã illud rei caput eſt, tria illa in omni cauſa reperiri ac neceſſariò repe-
riri: cũ tamen actor & reus in iudiciali genere tantùm reperiantur: teſtes etiam & leges
ægrè a iudiciali itẽ ſeparẽtur: nã certè in deliberatiuum rarò, in demonſtratiuum nun-
quam, cadere ſolent; ita vt ab ijs quæ inſunt vnicuique cauſæ neceſſariò, fuerit petenda
ratio ad Oratoria genera conſtituenda. Quanquã illud adhuc requirat quiſpiam; num *Dubitatur*
aliqua ſint quæ tripartitã iſtam effugiãt varietatem, ita vt alijs etiam de cauſis auditor II.
Oratori præbeat aures. quid enim ſi non deliberationis, non iudicij, non ſimplicis audi-
tionis gratia præſto ſit, ſed vel vt benedicẽdi artẽ perdiſcat, vel vt ſibi gratias agentibus
(nil enim prohibet citra laudationẽ gratias agi) aures adhibeat ac mentẽ? vel vt dicenti
repugnet? Profectò M. Tullius aliquando petitionẽ ac recuſationẽ addendam cenſuit, *Reijcitur*
quaſi verò quarta quædã ratio ac proinde cauſæ forma ſit proferẽda: alij alias. Sed de re *dubitatio ĩ*
hac tota in ſequenti particula cõmodiùs. Illud potiùs hoc in loco diſceptandũ eſſet, quî *ſequentem*
non ſecũ pugnet Ariſtoteles dũ Oratorias cauſas triplici hoc cõcludit genere, cũ ſupra *particulã.*
theſim & queſtionem; imò verò immenſum ferè campum illi tribuerit, tantũ abeſt vt *Dubitatur rurſus.*

 in an-

inanguſta hæc veluti curricula impellẽdũ iudicarit? Sed de hac quoque re diximus in Controuerſia quã in definitione Rhetoricæ excitauimus: fortaſſe etiã in ſequenti particula rurſus dicemus pauca quædã. Nunc ſat ſit vel ad hæc tria genera poſſe analogia quadã & proportione reuocari omnia quæ ornatè & copioſè tractari poſſint, vel ſaltẽ ijs generibus præcipua & vſitatiora contineri quæ paſſim Oraroris requirũt induſtriã. niſi fortè ἐπιδεικτικὸν γένος: multò latiùs pateat quàm vt ſola vituperatione aut laude 446
contineatur. de qua re (vt dicere cœperam) in ſequenti particula copioſè.

PARTICVLA LX.

Ἀνάγκη δὲ τὸν ἀκροατὴν, ἢ θεωρὸν εἶναι, ἢ κριτὴν. κριτὴν δὲ, ἢ τῶν γεγενημένων, ἢ τῶν μελλόντων. ἔστι δ' ὁ μὲν περὶ τῶν μελλόντων κρίνων. οἷον ἐκκλησιαστής. ὁ δὲ περὶ τῶν γεγενημένων, οἷον, ὁ δικαστής. ὁ δὲ περὶ τῆς δυνάμεως, ὁ θεωρός. ὥστ' ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη τρία γένη τῶν λόγων. τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν.

Riccobonus.

NEceſſe autem eſt auditorem aut auſcultatorẽ eſſe, aut diſceptatorẽ. & quidẽ diſceptatorem aut præteritorum, aut futurorũ. Eſt verò qui futura diſceptat, vt concio: qui præterita, vt iudex: qui facultatem, auſcultator. itaque ex neceſſitate ſunt tria genera orationum oratoriarum, deliberatiuũ, iudiciale, demonſtratiuũ.

Maioragius.

NEceſſe eſt autem, vt is, qui audit, vel auſcultator tantùm ſit, vel etiam diſceptator; diſceptator verò, qui vel de præteritis ſtatuat, vel de futuris. & de futuris quidem ſtatuit, vt is, qui in concione eſt ſententiæ moderator, de præteritis autẽ, vt iudex. at verò auſcultator de Oratoris facultate iudicat. quare neceſſe eſt tria cauſarum eſſe genera, deliberationis, iudicij, exornationis.

Comment. LX.

Adhuc in eo quod primo propoſuit, explicãdo verſatur: nimirũ cur tria ſint genera cauſarum.

TRes cõſtituerat Rhetoricæ formas quòd totidẽ eſſent orationũ Auditores, quæ ratio, quippe cõtracta nimis ac breuiſſima, obſcurior videri poterat. quî enim tres planè ſint auditores, aut a tribus auditorib⁹ tria iſta genera cõſtituantur? nunc igitur propoſitã rationẽ tanquã ex anguſtijs in apertũ educit, & expolitione quadã adhibita reddit perſpicuã ac planã. quod tamen efficere haud ſtatim potuit, cum neceſſe haberet auditorem ipſum antea veluti finem efficere dum in Oratoria cauſa non auditor tanrùm, verũ etiã tũ Orator, tũ res ſeu perſona de qua dr̃, reperitur. Iã igitur ex tripartita vel potiùs ex bipartita varietate oſtendit tres Oratorias formas, ſeu tria cauſarum genera, eſſe 447
cõſtituẽda, quẽadmodũ tũ ex litera quæ plana eſt, tũ verò ex ijs quæ in ſuperiore particula diximus cõſtare poteſt. Quãquãvnũ fortaſſe dubitationẽ habeat, ĩ quo neſcio quo pacto ab Interpretibus, quin vt cũque a M. Tullio ẽt, diſcedere cogor. nã ij oẽs ſic interpretãtur hunc locũ, quaſi verò Ariſtoteles Oratoriũ auditorẽ in ſimplicẽ auditorẽ diſtribuat & diſceptatorẽ; cõtinẽterque ſtatuat ex diſceptatore rerũ futurarũ oriri deliberatiuũ genus: ex diſceptatore præteritarũ, oriri iudiciale: ex ſimplici verò auditore, qui inquã tm̃ audiat; demonſtratiuũ. Itaque Maioragius, *Vt probet* (inquit) *tria eſſe Rhetoricæ genera, docet auditorũ genera eſſe tria, nẽpe auſcultatorẽ, iudicẽ, & ſentẽtiæ moderatorẽ. nã is qui audit aut tantũ auſcultat, aut etiã iudicaturus eſt, qui diſceptator a Cicerone dicitur. qđ ſi iudicaturus eſt, aut de præteritis, aut de futuris ſtatuit. ſi de præteritis iudex dicitur, ſi de futuris ſententiæ moderator qui eccleſiaſtes Græcè dicitur. qui tantũ auſcultat, is de Oratoris facultate iudicat, & auſcultator a Cicerone vocatur; Ariſtoteles θεωρὸν appellat. quod propriè ſpectatorem ſignificat.* Sic Maioragius. Cicero ẽt in partitionibus hũc locũ his expreſſit verbis, *Cauſa auditorũ genere diſtinguitur. nã aut auſcultator eſt modò qui audit, aut diſceptator ideſt rei ſentẽtiæque moderator, ita vt delectetur, aut ſtatuat aliquid: ſtatuit autem aut de præteritis vt iudex, aut de futuris vt Senatus. ſic tria ſunt genera, iudicij, deliberationis, exornationis.* Ego verò ſuſpicor auditorem 448
paulò latiùs vſurpari, nõ mirũ quia auditor vel ſit, nõ dico merus auſcultator cum interpretibus, ſed ſpectator (θεωρὸς enim ſpectatorẽ ſignificat) quemadmodũ in Theatris & Panegyricis ac celebritatibus vſu venire ſolebat (nã hinc θεωρὸς appellãtur) vel ſit diſceptator, ac diſceptator rurſus vel futurorum vnde exiſtat deliberatiuum genus, vel præteritorum, vnde exiſtat iudiciale, quod ſi ſit θεωρὸς, rerum præſentium (id enim ex dictis eſt intelligendum & ſupplẽdum, cum præſens tempus ſuperſit quod propriũ auditorem

Dubitatur aduerſus interpretes

Digitized by Google

auditorem habeat) erit θεωρὸς: qui ſanè περὶ τῆς δυνάμεως, de facultate, dicentis ſcilicet; iu-
dicabit, vel (ſi mauis) ſpectarot erit περὶ τῆς δυνάμεως, *facultatis dicentis*, vnde exiſtet ge-
nus demonſtratiuum. Hic eſt germanus ſenſus alioquin non video cur hic tertius quē
θεωρὸν appellat, dicatur eſſe περὶ τῆς δυνάμεως, niſi δυνάμεως diſceptator, vel ſaltem ſpecta-
tor, ſtatuatur: ita vt perperam merus ſtatuatur auditor. Imò verò ſi quis de me quæ-
rat num Ariſtoteles primum illud auditoris genus quod θεωρὸν appellauit, teuera δυνά-
μεως, facultatis iuquam, ſpectatorem eſſe voluerit, an verò iudicem, crediderim ſpecta-
torem quidem appellare (nam hoc nomine hunc auditorem opponit diſceptatori)
ſed tamen eo cōſilio ſpectatorem, vt agnoſcat ac ſecum ipſe ſtatuat quin plauſu etiam
& aſſenſione quoquomodo iudicium ferat de facultate dicentis. itaut quamuis non
tabulis aut ſuffragio diſceptet, quemadmodum iudex & qui deliberat ſenator, ac pro-
449 pterea ſpectatoris retineat nomen, re tamen ipſa ſignificationem det aliquam de facul-
tate dicentis, hoc eſt de Oratoris ingenio, adde, ſi placet, memoria, ſuauitate, & vt om-
nia ſemel complectar, de eloquentia. ita enim fit vt conſtet qualis & quanta ſit eius vis
atque facultas. & ſanè olim ijs qui in genere demonſtratiuo verſarentur Oratoribus,
præmia etiam in Conuentibus & panegyricis (certatim enim dicebant interdum) pro-
ponebantur, aut laudis palma tribuebatur, itaut in genere quoque demonſtratiuo ab
auditoribus ſeu potiùs ſpectatoribus aliquid diſceptaretur. ita fieret vt licet ſpectatori
huic diſceptatoris nomen minùs conueniret quàm deliberanti aut iudicanti, (& ideo
fortaſſe ad extremùm reijcitur) quin ſpectatoris nomine appellaretur, quòd ſuffragiū
ferret nullum, nec in tabulis iudicium proferret ſuum, quemadmodum in iudicijs &
curia fit, diſceptator tamen eſſet; nimirum Oratoriæ facultatis ac laudis. & ideo quam-
uis ab initio videatur Ariſtoteles θεωρὸν diſceptatori opponere (auditorem enim in θεω-
ρὸν & diſceptatorem diſtribuit) tamen ad extremùm alicuius rei non modò ſpectato-
rem verùm etiam diſceptatorem conſtituit θεωρὸν nimirum Oratoris ſeu dicentis facul-
tatis. præſertim quia illis quæ de ſpectatore efferuntur verbis ὁ δὲ περὶ τῆς δυνάμεως ſub-
audiendum (id quod interpretes ſatis indicant & res clamat) κρίνων, iudicans; itaut θεω-
ρὸς non ſit merus auſcultator cenſendus ſed ille qui iudicat de facultate. Quod ſi haud
placeat hæc interpretatio, ſed communis arrideat, illud ſaltem cauendum eſt, ne cum
Maioragio aut M. Tullio θεωρὸν dicamus eſſe auſcultatorem tantùm (nam vt auſcul-
tet tantùm, & tamen de facultate quoque Oratoris iudicet, fieri non poteſt) quin ne
auditorem quidem appellamus ſed ſpectatorem. Nam Ariſtoteles dixit quidem au-
ditorem alium eſſe θεωρὸν, hoc eſt ſpectatorem, ſed vel auditorem tantùm, vel etiam
auditorem, nullo modo affirmauit. Tametſi M. Tullius qui non eſſet Ariſtoteli man-
450 cipatus, potuit ſuo iure auditorem diſtribuere in diſceptatorem & merum auſculta-
torem cui etiam vnam proponat delectationem. cum enim apud Romanos mos ille
haud vigeret quo in publicis conuentibus & panegyricis pompæ & oſtentationis cau-
ſa certatim dicerent Oratores, horum auditores per idem tempus in ſimplici lauda-
tione & vituperatione audienda, non in ſententia vlla ferenda, verſabantur, itaut audi-
tor eſſet merus auditor. Quapropter quæ docet Maioragius rectè quidem cum Ro-
mano more cōſentiunt, & cum M. Tullio, cum Ariſtotele nullo modo. Iam verò cum
inde genus demonſtratiuum conſtituat Ariſtoteles, vnde ſaltem de Oratoris faculta-
te fit iudicium, ac propterea tres conſtituat cauſarum formas, videndum eſt NVM li-
ceat ad huiuſmodi genus quod deinde ἐπιδεικτικὸν ſeu demonſtratiuum appellatur,
reuocare Oratorias dictiones omnes quæ nec in deliberatione, nec in iudicijs verſātur.
niſi enim id conſtet, vix ac ne vix quidem liceat tribus generibus oratoriā dictionē cō-
cludere: denique res iſta quî dubitatione vindicari poſſit videndū eſſet. Agedum igitur
rem hanc vniuerſam diligenter examinemus, & quid ſentiendū ſit, ſi fieri poſſit, tandē
aliquando ſtatuamus: præſertim verò quia turpe ſit de dicendi facultate pręcipere, nec
tamen ſubiectam materiam perſpectam habere prius. Grauis autem, ac neſcio an etiā
grauiſſima, ſe ſe nobis obijcit Cōtrouerſia de tripartito hoc genere cauſarū. Etſi enim
non pauca de illo diximus hactenus, multa etiā ſcripſimus alibi, ac præſertim in Mani-
liana & in Oratorijs Controuerſijs, nuſquā tamen ſigillatim planè ijs ſatisfecimus qui
Ariſtotelē ipſum in hac tripartita varietate reprehendunt. Nā & Anaximenē proferūt
aliter ſentientē, & quartum quoddā genus ex Platone afferunt quod προσομιλητικὸν ap-
pellauit: quin ad magnum dicendi Authorem atque magiſtrum Ciceronem prouo-

CONTROVERSIA XXXIV. NVM rectè Ariſtoteles tripartito coerceat genera cauſarum.

Diſputatur contra Ariſtotelem.

P 2 cant,

cant, qui quartum item genus produxit in medium cui petitionis & recuſationis attri- 451
buit partes. Quid multa? Fabius Quintilianus, Rhetor clarus ac nobilis, ſic rem pere-
git, vt quæ è veſtigio ſubijciam, ſcribere non dubitauerit. *Si laudandi ac vituperandi of-
ficium in parte tertia ponimus, in quo genere verſari videbimur ſi querimur, conſolamur, mitiga-
mus, concitamus, terremus, confirmamus, præcipimus, obſcurè dicta interpretamur, narramus,
deprecamur, gratias agimus, gratulamur, obiurgamus, maledicimus, deſcribimus, mandamus, re-
nunciamus, optamus, & ſimilia?* Quid clarius vt conſtaret plura adhuc orationum ge-
nera eſſe concedenda, nec poſſe oratoriam dictionem tripartiti illius generis anguſtijs
ac finibus cohiberi? Itaque proferre liceret authores multos qui ſexcenta eleganter &
copiosè dicendo complexi ſunt, cum tamen ea nec ad ſuaſionem, aut diſſuaſionem,
nec ad accuſationem aut defenſionem, nec ad laudem aut vituperationem, poſſint re-
uocari. Vt omittam Ariſtotelem ipſum ſecum mirificè pugnare, qui & theſim ſeu
quæſtionem ſubiecerit aliquando dictioni Oratoriæ, quaſi verò quicquid in contro-
uerſiam & quæſtionem vocari poſſit, id ſubijciatur Oratori, itaut tandem affirmaue-
rit Rhetoris campum nullis certis finibus concludi poſſe, ſed de qualibet re ci liceat
verba facere. Hæc contra Ariſtotelem.

Pro Ariſtotele, ac triplex illius tuendi initur ratio.

Veruntamen nihil eſt cur facilè ab Ariſtotelis ſententia diſcedamus, quin prò illa
retinenda fortiter decertemus. Ergo vt multa ſileam quæ aliunde Ariſtoteli tuendo
huc reuocare poſſem, & cominus cum aduerſarijs congrediar primo quoque tem-
pore, illorúmque Anteſignano, Quintiliano inquam, occurram, ſic reſpondeo. Ac
primùm quid prohibet, obſecro, quominùs aliquis ornatè & copiosè aliquid narret,
nec tamen Oratoris ſuſtineat perſonam, ſed vel Hiſtorici vel alteriùs artificis pro argu-
menti ac rei ſubiectæ natura & varietate? An non Herodotus ſuauiter & copiosè Pri- 452
ſcorum antiquitatem enarrat? enarrat ſanè; ac tali & tanta ſuauitate & elegantia, vt
nouem illius libris nouem muſarum nomina impoſuerit Græcia. Non enim Hero-
dotus ipſe Muſarum nomina ſingula ſingulis indidit libris; ſed Athenienſis populus
hæc illis ab Orationis ſuauitate & elegantia præfixit. Et tamen Hiſtoricus eſt. Idem
dixerim de Thucydide cuius orationem vſque adeò adamauit Demoſthenes vt eum
octies deſcribere non dubitarit; ſe enim interim illius dicendi vim & copiam imbibe-
re affirmabat. Et tamen Hiſtoricus eſt non Orator. Nec aliter ſentiam de Dionyſio qui
Romanam texit hiſtoriam: tanta eſt enim illius eloquentia vt Thucydidem ipſum &
Herodotum dicendi virtute ſuperarit. ac Demoſthenem (ſi hiſtoricum cum Oratore
conferre liceat) ferè æquarit. Nec tamen quiſquam hunc inter Oratores numeret, ſed
inter Hiſtoricos. Eodémque modo fieri poteſt vt quis inter docendum eloquentiæ
neruos intendat, nec tamen Orator habendus ſit, ſed vel Phyſicus, verbi gratia, vel Mo
ralis Philoſophus. An non M. Tullius de Natura Deorum, de finibus bonorum & ma-
lorum, de morte contemnenda, déque huiuſmodi alijs ornatè & copiosé, quin ſumma
eloquentiæ vi diſputauit? Diſputauit ſanè: ſed tamen Moralis aut Phyſici, diuiníque
Philoſophi obijt partes. Vt propterea adhuc liceat iſthæc omnia, quæ Quintilianus
commemorat, ornata oratione & perdiſerta complecti & perſequi, cum tamen Ora-
toris perſonam haud dum ſubeat, niſi orationem ad ſuaſionem vel diſſuaſionem, ſiue
ad accuſationem vel defenſionem, aut ad laudem vituperationémue traducat.

Deinde, vt altera quoque via Quintiliano ac cæteris aduerſarijs occurramus, certũ
eſt ἐπιδεικτικὸν genus, quod nos demonſtratiuum appellamus, verè quidem in laude &
vituperatione & maximè & frequẽtiſſimè verſari, itaut potiſſimus illius campus laus
ſit & vituperatio: ſed tamen aliquando alijs rebus oſtendendis ac demonſtrandis oc-
cupatur, ac propterea demonſtratiuum appellatur. Ex quo fit vt ad conſolandum, ad 453
obiurgandum, ad aliquid etiam explicandum quandoque deſcendat, ac cętera illa quę
a Quintiliano tam diligenter narrantur, obeat munera, cum tamen interim in demõ-
ſtratiuo verſetur genere, ac ſi non vſitatiſſimum eius generis peragret campum, vſita-
tum tamen peragret atque Oratore non indignum.

Denique ſi quis rectè æſtimet, intelliget iſthæc omnia quæ a Quintiliano Oratori
tribuuntur munera, vix quicquam ac ne vix quidem eſſe a tripartito illo cauſarum
genere aliena, ſed ad ea certa quadam ratione ſeu analogia & proportione poſſe reuo-
cari. Conſolatur aliquem Orator atque omnes eloquentiæ neruos intendit vt eum cõ-
ſoletur. At hoc eò ſpectat vt ei ſuadeat abſtergendum eſſe luctum, leniẽdum eſſe mœ-
rorem.

Digitized by Google

rorem. Ad deliberatiuum igitur genus reuocanda eſt Oratio. Conqueritur aliquis aut obiurgat, idque copioſè & grauiter: at hoc ad genus iudiciale reuocandum eſt: ſiquidem apertam accuſationis imaginem refert. Gratias agit quiſpiam ac diſerta oratione gratias agit. At hoc pertinet ad Demonſtratiuum; quandoquidem qui gratias agit, beneficium commemorat, largitatem, munificentiam ac ſummatim virtutes, itaut no abſira laude. Dies me deficiat ſi in ijs omnibus ſigillatim inſiſtam, quæ & commemorat Quintilianus & commemorari poſſint, quæ ſine dubio, quicquid iſte dubitet, imaginem quandam ac ſpeciem ſuaſionis aut diſſuaſionis habent, aut accuſationis vel defenſionis ſeu laudationis aut vituperationis. Ita mihi videor Quintiliani querelæ occurriſſe. Nam προσομιλητικὸν Platonis genus ad demonſtratiuum pertinere nihil eſt quod dubitemus, ſi quæ dicta ſunt rectè æſtimentur. idem dixerim de petitione & refutatione, quæ ſunt germanæ iudicialis generis partes. eodémque nomine tum theſim cum tripartita iſta varietate coniungas, tum ampliſſimum Oratori campum nullis

454 propemodum finibus terminatum concedas. Atque idem dixerim ſi quis obijciat cauſas quinquepartitò diſtribui à M. Tullio: ſiquidem in priore libro de Inuentione, *Genera cauſarum* (inquit) *ſunt quinque, honeſtum, admirabile, humile, anceps, obſcurum:* ex quo fit vt tripartita illa Ariſtotelis diuiſio improbanda videatur ſi Ciceronem audiamus. Quanquam nihil eſt vt id ſuſpicemur cum Cicero ipſe in hoc eodem libro ad initium tripartitam Ariſtotelis diuiſionem probaſſet. Fateamur igitur id quod eſt: noua hæc Ciceronis diuiſio non tam ex fine & partibus ſeu potiùs ex cauſarum & natura deriuatur, quàm ex ſpecie quadam & imagine, atque adeo ex qualitate quæ illis accedit extrinſecus: quo nomine Quintilianus ſextum quoque profert genus, turpe nimirum; quaſi verò humili vel non contineatur vel non commodè exprimatur. Longè autem differt ſiue ex natura, & eſſentia (vt ſignificantiùs cum noſtratibus Peripareticis loquar) petatur diſtinctio, ſiue ex qualitate, præſertim quæ aduentet extrinſecus. Quin etiam (vt verè fatear) magnopere ſuſpicor M. Tullium, cum quinquepartitam hanc formam proferret, in Iudiciale genus in quod inciderat, reſpexiſſe; quia ſcilicet cauſa vnam aut alteram faciem ſeu qualitatem; honeſtam inquam, aut humilem (idem tu de cæteris ſtatuas) primo referat aſpectu. Etſi non inficior reliquis duabus cauſis, præſertim Deliberatiuæ contingere poſſe vt non diſſimilem referant imaginem. vt propterea nihil prohibeat quominus & tripartitò & quinquepartitò (alio tamen atque alio conſilio) diſtribui poſſint Oratoriæ cauſæ.

Subiungitur IV. ratio in Ariſtotelẽ quaſtem explicatur.

PARTICVLA LXI.

455 Συμβουλῆς δὲ, τὸ μὲν, προτροπή. τὸ δὲ, ἀποτροπή. ἀεὶ γὰρ καὶ οἱ ἰδίᾳ συμβουλεύοντες, καὶ οἱ κοινῇ δημηγοροῦντες, τούτων θάτερον ποιοῦσι. δίκης δὲ, τὸ μὲν κατηγορία. τὸ δὲ, ἀπολογία. τούτων γὰρ ὁποτερονοῦν ποιεῖν ἀνάγκη τοὺς ἀμφισβητοῦντας. ἐπιδεικτικοῦ δὲ, τὸ μὲν, ἔπαινος. τὸ δὲ, ψόγος.

Riccobonus. AC deliberationis quidem vna pars eſt ſuaſio: altera diſſuaſio. Semper enim cum qui priuatim deliberant, tum qui publicè concionantur, horum alterum faciunt. Iudicij verò vna pars accuſatio, altera defenſio. Horum enim alterum facere neceſſe eſt eos, qui controuerſantur. At demonſtratiui vna pars eſt laus, altera vituperatio.

Maioragius. *DEliberationis autem duæ ſunt partes; altera ſuaſio, altera diſſuaſio. nam & qui priuatè de re aliqua deliberant, & qui publicè concionantur, ſemper horum alterutrum efficiunt. Iudicij verò partes ſunt accuſatio, & defenſio qui enim in iudicio verſantur, horum alterum facere oportet. Exornationis denique partes ſunt laus & vituperatio.*

Cō. LXI. Explanatur.
II.
Quod eſt tripartitū: ac prius agitur de partibus ſingulorū generum.

DE partibus (has nos cum tempore ac fine ſingulis generibus propoſito
ad ſecundum caput reuocauimus) agit quæ generibus conueniunt ſin-
gulis. Et rectè. neque enim Oratoris induſtria ijs adhibetur quæ omni
carent controuerſia, ſed ijs quæ ancipitem habent deliberationem &
iudicationem, & in varias partes cadere poſſunt. ita fit vt Orator in de-
liberationibus maximè & iudicijs verſetur, quæ vel ambiguitatem ha-
bent, vel in ambiguum a controuerſantibus adducuntur. Denique vt in iudicijs accuſa-
tor ſemper reperitur ac defenſor, ſeu actor & depulſor, ita in deliberationibus ſuaſori lo-
cus eſt ac diſſuaſori: ita vt partes iure optimo ſtatuantur. Quod ſi demonſtratiuum ge-
nus non omnino videatur huiuſmodi, cum non ei planè laudando aut vituperando afci-
ſcatur de cuius virtute aut vitio oritur controuerſia, ſed viro probo laudando, impro-
bo vituperando, iam vt omittam demonſtratiuum genus non omnino eſſe oratoris
proprium, vel certè minùs proprium quàm deliberatiuum & iudiciale, ac proinde mi-
nùs ei conuenire vt in re ambigua verſetur orator; ſat ſit in vniuerſùm modò laudatio-
nem modò vituperationem habere; ita vt in hoc, quoque genere ad contrarias partes
ſtylum inflectat orator, ac proinde id ſatis eſſe vnde partes habeat ſuas. Atque idem di- 456
cendum eſſet vbi forte Orator eam in Iudicijs aut Curia tractaret cauſam quæ parum
ancipitem diſceptationem haberet: nam ſatis eſſet Oratorem tum in Curia tum in foro
modò vnam modò alteram partem ſectari: ita vt pro rei opportunitate ſuaderet vel diſ-
ſuaderet, ageret vel defenderet. Nam oratoriam facultatem ea de cauſa habere partes
eáſque contrarias quòd ſit facultas, quaſi verò facultas & δύναμις ſit contrariorum,
equidem Alexandro ne iuranti quidem conceſſerim. mihi enim ſequi perplacet M. Tul
lium, qui facultatem dici indicat, quòd facilitatem præſtet. & hac de cauſa non Rheto-
rica ſolùm & Dialectica verùm etiam alia plurima ſunt quæ, etſi ad contrarias partes nō
valerent, facultatis, & merentur & inuenerunt nomen. Denique ab Ariſtotele Rhetori-
ca & Dialectica inter facultates numerantur, & facultates quædam dicuntur, quia non
ſunt perfectæ artes aut doctrinæ vnde ſine vllo errore finem aſſequi liceat, ſed tantùm
δύναμιν ac vim & facilitatem præbeant vnde propoſitum finem aſſequamur, & ideo
generali nomine facultatis exprimitur Rhetorica quemadmodum Dialectica; ita vt
hoc nomen ſit eis apud optimos Authores commune cum alijs doctrinis plurimis &
exercitationibus. Ita ſanè, quoniam facultatem eſſe eam quæ in contrarijs partibus ver-
ſetur, & Rhetoricam hinc facultatem appellari, pernego, qui Rhetoricam partes habe-
re probant quòd ſit facultas, aberrant longiùs. Iurè igitur (vt ad rem redeam) Ariſtote-
les, quoniam Orator rebus controuerſis adhiberi inprimis ſolet, quæ varias in partes
agitantur, peruestigat quæ ſint ſingulorum generum partes. Incipit autem a delibera-
tiuo quòd ſit πολιτικώτατον, & primarium Rhetoricæ ſiue Oratoris veluti patrimoniū.
atque idcirco ab hoc incipit ſiue genera requirat, ſiue partes, ſiue tempus, ſiue finem,
ſiue propoſitiones; eadémque de cauſa prius de deliberatiuo diſſeret quā de cæteris. Ait
igitur partes deliberatiui generis eſſe ſuaſionem & diſſuaſionem. id quod probat quia 457
qui in deliberatione verſatur, ſiue publicè ſiue priuatim verba faciat, ſuadet vel diſſua-
det. Ac publicè quidem, quoniam in deliberatione conſultatur ac deliberatur de pace,
bello, fœdere, & huiuſmodi alijs plurimis quibus ſalus & dignitas publica continetur,
quæque fermè ambigua ſunt, ita vt neceſſe ſit ſuaſione ac diſſuaſione variari delibera-
tiuum genus, ac proinde hæ ſint illius partes; idem dixerim ſi priuatim conſultem ac
deliberandum ſit; licet enim in priuata conſultatione priuatum fermè bonum ſpecte-
tur, ſuaſio tamen ac diſſuaſio ſunt priuatæ conſultationis partes. Iam verò Iudicialis ge-
neris partes (inquit Ariſtoteles) ſunt accuſatio & defenſio: nam aut accuſet aut defendat
Dubitatur neceſſe eſt qui verſatur in Iudicio. Quanquam cum iudiciale genus non modò crimi-
noſas cauſas complectatur, verùm etiam Ciuiles controuerſias quæ non accuſatione
continentur vt crimina, ſed petitione & in vniuerſum actione, quid eſt quòd Ariſtote-
les accuſationem ſtatuit alteram iudicialis generis partem? an fortè in priſcum aliquod
tempus ac Iudicij genus ſpectauit in quo crimina tantùm diſceptarentur in iudicijs: ci-
uiles cauſæ per arbitros aut alia ratione extra iudicia tranſigerentur? Minimè verò.
Nam licet in I. Politicorum ſignificet atque Homeri teſtimonio confirmet vetuſtis tē-
poribus iudicia multò aliter fuiſſe adminiſtrata, hîc tamen iudicia ac iudiciale genus
vſurpat trito more; ita vt tam ciuilem quàm criminoſam complectatur cauſam. Siqui-
dem

dem paulò ante inde probabat genus deliberatiuum eſſe politicoteron quàm Iudi-
ciale quia hîc συναλλάγματα (contractus appellant Iuriſconſulti) tractarentur, hoceſt
ea quæ ad emptionem & venditionem & huiuſmodi alia pertinent, vnde ciuiles exiſtũt
controuerſiæ. ita vt Iudiciali generi has quoque attribuat controuerſias. Num itaque
ad ſynedochen aut conſimilem dicendi rationem confugiemus quaſi verò accuſatio
quippe grauiſſima iudicij pars alteram intelligendam relinquat? (ſic enim capite homi
nem totum, puppi nauem, deſignamus) Ne id quidem: ſiquidem hæc dicendi genera
Poëtis ſunt relinquenda, aut ijs quos conſimile delectat dicendi genus: in ijs certè qui
doctrinas tradunt nequaquam excipiendum, & in Ariſtotele minimè omnium, qui ſi-
gnificanter ac propriè loqui ſolet. Igitur magnopere ſuſpicor Sigonium & alios Inter-
pretes non benè hunc vertiſſe locum. Nam ſi Budæo credimus, Græcæ linguæ peritiſſi- *Reſpondetur.*
mo, κατηγορεῖν, etſi plerunque ſignificat accuſare ac criminis reum facere, interdum
tamē patet latiùs & ſignificat actionem intendere & inſtituere: ita ut de petitione quo-
que & Ciuili actione proferatur. Sic etiam κατηγορία iudicialem actionem interdum
ſignificat vniuerſim, ſiue criminoſa ſit ſiue Ciuilis. & ideo pro κατηγορία vertendum
erat actio vt quæcunque cauſa deſignaretur ſiue ciuilis ſiue criminoſa, & actio & defen
ſio partes ſtatuerentur generis Iudicialis, non accuſatio & defenſio. id quod eo tutiùs
459 affirmare licet, quòd quemadmodum partes aliorum generum peræquè patent (diſ-
ſuaſio enim æquè ac ſuaſio, vituperatio æquè ac laudatio, protenditur) ita patêre debent
partes Iudiciales: ac propterea defenſioni quæ criminoſæ ac ciuili aptatur cauſæ, actio
reſpondere debet quæ item ciuilem criminoſámque deſignat actionem. Et hinc eſt vt
Ariſtoteles ea ſtatim ratione doceat κατηγορίαν καὶ ἀπολογίαν eſſe partes iudicialis quia
ἀμφισβητοῦντες, controuerſantes inquam, horum alterum facere ſoleant. controuer-
ſantes verò ſeu altercantes ciuilis controuerſiæ actorem & depulſorem non minùs
quàm criminoſum accuſatorem ac defenſorem deſignant. Ita quidem ciuile quoque
iudicium hoc genere contineretur. Addit autem Ariſtoteles demonſtratiui partes eſſe *Cur non probet laudem & vituperationem eſſe partes demonſtratiui.*
laudem & vituperationem. vbi non probat, quemadmodum in alijs fecit, has planè eſſe
demonſtratiui generis partes, quaſi verò ex dictis conſtet has ſupereſſe partes quæ de-
monſtratiuo tribuantur generi. tametſi quoniam reuera non idcirco ſatis conſtat laudē
& vituperationem eſſe partes demonſtratiui generis, ſed probatione indigebat vel ma-
ximè, verendum eſt ne probationem diſſimulauerit de induſtria, quòd nimirum intel-
ligeret ἐπιδεικτικὸν quippe oſtētationis ferè gratia cōparatū, patêre quam latiſsimè, nec
poſſe interim non præcipuis partibus comprehendi? ita ſanè in duobus ſuperioribus
generibus probationem alacriter attuliſſet vbi erat in promptu: in hoc eam callidè præ-
terijſſet vbi difficilis eſt, quæ binis partibus concluderetur vndique. Quanquam fortaſ-
ſe tueri Ariſtotelem poſſimus quòd primariæ partes & maximè propriæ ſint laus &
vituperatio cæteræ & minùs propriæ ſint, & verò ad has analogia quadam referri poſ-
ſint. niſi forte adhuc obijcias ἐπιδεικτικὸν genus illud eſſe ex Ariſtotele in quo orator
citra ſuaſionem & diſſuaſionem aut accuſationem & defenſionem ſuæ ſpecimen præ-
460 bet eloquentiæ & facultatis. quod ſanè fieri poteſt non modò in laudatione & vitupe-
ratione, verùm etiam in gratulatione, gratiarum actione, petitione, inficiatione & alijs
plurimis quæ reuera vix ac ne vix quidem ad laudem reuocari poſsint & vituperationē:
ideo enim in hoc genere Orator veluti oſtentator appellatur, & huius auditor, ſpectator
dicitur, quippe qui de eius iudicet facultate. Hæc de partibus ſingulorū generū. Quo in
loco præſtaret in optimis oratoribus pro ſingulis generibus eas agnoſcere, præſertim *Propoſitæ partes pro ſingulis generibus in M. Tullio & alijs agnoſcuntur.*
verò quia licet apud M. Tullium partes iudicialis generis in promptu ſint, deliberatiui
tamen non facilè, demonſtratiui multò minùs; ſed rem attingamus breuiter, oratores
ſummos ac Demoſthenem inprimis & Iſocratem in ijs conſulentes quę in M. Tullio,
quoniam ex eius orationibus interierunt plurimę, non ſupperunt. Ergo in Iudiciali res
non obſcura eſt apud Ciceronem. nam in accuſatione & Verrinę ſunt poſitę, & oratio
in L. Piſonem: cum his tamen iungi poteſt nobilis oratio Aeſchynis contra Cteſiphon *In giudiciali genere.*
tem de Corona, & Demoſthenis in Midiam, in Timocratem atque alios multos. In de-
fenſione verò nobiliſsimas pro Milone, pro Sylla, pro Archia, pro Quintio, próque alijs
orationes habemus multas ex M. Tullio, ita vt in defenſione haud neceſſe ſit ad alios
confugere. Tametſi Demoſthenis oratio pro Cteſiphonte de Corona digniſsima eſt
quæ legatur. At deliberatiui generis quæ ſuaſionē cōtineant, habemus Orationē pro
lege

Digitized by Google

In Deliberatiuo.

lege Manilia in qua ſuadet Pop. Rom. Pompeiũ contra Mitridatem renunciandum
eſſe Imperatorem. Eiuſdem generis tum Catilinariæ aliquæ tum Philippicæ videri
poſſunt, tametſi de ijs, quoniam reuera in magna varietate ſunt poſitæ, ac proinde
dubitationem habent, paulò poſt ſigillatim. Demoſthenis tamen Orationes tũ Olyn-
thiacæ tum Philippicæ (illis enim auxilium ferendum, Philippum bello appetendum 461
ſuadet) tum aliæ quædam ſunt quæ continent ſuaſionem. Ad diſſuaſionem verò per-
tinent tres Ciceronis Orationes contra Seruilium Rullum, nam diſſuadent Agrariam
legem: fortaſſe etiam Oratio de Prouincijs conſularibus diſſuaſione continetur. Sed
de hac deinceps: cum his verò inter alias quaſdam iungi poteſt Demoſthenis Oratio
pro Megalopolitis: qua Lacedæmonijs opem ferri diſſuadet. Atque eódem reuocari
poteſt Iſocratis Panegyricus, Arëopagiticus, Archidamus, & Oratio de pace. Nam ſi
in priuatis quoque deliberationibus ſuaſionis aut diſſuaſionis requiras exempla (ſi-
quidem priuatim etiam ſuaſioni ac diſſuaſioni patêre aditum monet Ariſtoteles) ha-
bes fermè eiuſdem Iſocratis orationes tum ad Philippum tum ad Dermonicum, tum
ad Nicoclem: quibus ſimiles videri poſſunt Ciceronis epiſtolæ duæ: nimirum vna ad
Q. Fratrem, quæ politicis inſtitutis ac virtutibus plena eſt, vnde Quintus ad Prouin-
ciam præclarè adminiſtrandam adducatur. Altera ad Luceium qua ſuadet vt hiſtoriã
ſui conſulatus ſcribendam ſuſcipiat. Demonſtratiui denique generis cenſetur Oratio

In Demonſtratiuo.

pro Marcello, & útraque poſt reditum, ad Quirites vna, ad Senatum altera. Tametſi
de ijs etiam dubitari poteſt num planè ad genus demonſtratiuum pertineant: de qua
item re poſtea. In eodem genere conſulere licet funebrem Platonis orationem quæ
tum Epithaphius tum Menexenus inſcribitur: quam ſanè Thucydideæ ſimilem in-
uenias quæ item in funere affingitur Pericli. Legenda quoque eſt Demoſthenis ora-
tio funebris & Iſocratis altera quæ in eodem verſatur genere & Euagoras inſcribitur. *li. 2. his.*
Iſocratis item Buſiris, Pannothenaicus, & Helena in laudatione verſantur, aut eam 462
maxima affinitate attingunt. Vituperationis exempla deſiderari videntur in M. Tul-
lio, nam in Philippicis quæ vituperationis ſunt pleniſſimæ, ſuaſionis aut diſſuaſionis
gratia videtur aſſumi vituperatio: ſic in Verrinis ad accuſationem refertur. Iſocratis
tamen oratio contra Sophiſtas eſt huiuſmodi: quin fortaſſe Ciceronis in Vatinium
interrogatio non ad accuſationem ſed ad meram vituperationem pertinet.

Propoſitas partes miſceri paſſim atque confund: & qua tandem ratione diſcerni poſſint, vt cuique generi conueniat intelligatur.

Illud tamen non eſt reticendum, ſæpè in Orationibus ſic miſceri partes, vt non fa-
cile ſit ſtatuere in quo verſentur genere. itaque & de Catilinarijs a multis dubitatur,
de Philippicis, quaſi verò interdum aliquæ generibus mixtæ ſint & de quibus non fa-
cile ſit conſtituere. Quanquam illud peruidendum eſt diligenter vt quæ pars per ſe
tractatur, ea conſtituat orationis genus, non quæ alterius gratia aſſumitur, ſic in Ma-
niliana Pompeij laudatio, quoniam ſuaſionis cauſa aſſumitur, haud potis eſt quæ Ora-
tionem in demonſtratiuo conſtituat genere, etſi laudatio illa ſit ampliſſima. contra
verò ſuaſio de Pompeio aduerſus Mitridatem Imperatore eligendo, quoniam per ſe
id agitur, genus deliberatiuum conſtituit; eodem modo quæ laus ſiue Archiæ ſiue hu-
manioribus literis tribuitur in Oratione pro Archia, non cõſtituit cauſæ genus, quod
defenſionis gratia interponatur: ita vt in Defenſione, quoniam hæc per ſe ſpectatur,
& in Iudiciali genere verſetur ea Oratio. ſic fortaſſe quæ in Philippicis aut Catilina-
rijs oritur dubitatio, commodè tranſigatur. quam enim Philippicæ continent vitu- 463
perationem, ea ſuaſionis gratia videtur inſtitui: vt ſcilicet Antonius Patriæ hoſtis de-
claretur. Catilinæ quoque crimina eódem ſpectare videntur: tametſi quoniam non
omnes aut Catilinariæ aut Philippicæ eundem tenorem ſeruant, hoc minùs facilè
conſtituatur de omnibus; ita vt aliquæ miſti generis (hoc enim concedendum pau-
lò poſt docebimus) videri poſſint. Vnum tamen atque alterum addam quod dubi-
tationi dirimendæ plurimum conferat. Primum eſt nihil prohibere quominus vna

Contrarias quoque partes. quin genera etiã in vna eadẽque oratione nõ raro miſceri.

eadémque Oratio contrarias partes habeat: id quod in Oratione de prouincijs con-
ſularibus licet animaduertere, cuius prior pars, cum de Prouincijs confirmandis di-
ſceptaretur, ſuaſionem habet, nimirum Cæſari non adimendas prouincias ſed confir-
mandas; poſterior diſſuaſionem, Piſoni ſcilicet adimendam & Gabinio. Demoſthenis
quoque pro Megalopolitis oratio ſuaſionem habet ac diſſuaſionem; hanc contra La-
cedemonios, illam pro Megalopolitis. imò diuerſi etiam generis partes complecti
poteſt oratio vt ſuaſionem & laudationem, ita vt hæ partes per ſe ſpectentur ambæ. ſic

fune-

ſunebris oratio Demoſthenis tum eos laudat qui pro Patria ceciderant, tum horum
patentibus præmia decerni ſuadet ac vitæ ſumprum ſuppeditari. ita vt partim ad De-
monſtratiuum genus, partim ad Deliberatiuum ſit referenda. Denique fieri poteſt
vt multa eáque varia capita peræquè contineat oratio, vnde partim ad Deliberatiuū,
partim ad Iudiciale, partim ad Demonſtratiuum genus pertineat. certè Iſocratis He-
464 lena tam multis ac varijs partibus variatur, vt tum vituperationem Sophiſtarū, tum
Theſei laudationem, tum quoquo modo Paridis defenſionem, tum rurſus (vt minora
quædam taceam) quæ item aliò ſpectant vberiorem Helenæ laudem contineat. Alte-
rum eſt fieri quoque poſſe vt palàm ad vnum genus pertineat oratio: clam ad alterū:
qui enim diligenter æſtimet Marcellianæ orationis artificium, is intelliger videri qui-
dem orationem inſtitutam Cæſaris ornandi gratia, quòd Marcellum in gratiam rece-
piſſet, ac ſummatim gratiarum actionem continere, vnde non ægrè ad demonſtrati-
uum reuocatur genus; ſed tamen in ea M. Tullium clam omnes Eloquentiæ neruos
intendere vt Cæſari perſuadeat patriam in priſtinum ſtatum reſtituendam, vnde ſua-
ſio ac deliberatiuum genus exiſtit. Atque ex his quæ dicta ſunt, licear ea etiam defini-
re quæ de genere & partibus tum in oratione pro Domo ſua, tum de Aruſpicum re-
ſponſis in Senatu, oritur dubitatio. Atque hæc de partibus ſingulorum generum, vt
eas, vbi confundi videantur diſcernere liceat ac iudicare: vel certè vt intelligamus etiā
contrarias cauſas & partes, & genera in vna eadémque oratione, ſæpè miſceri: ita vt
mixtum cauſæ genus ac varium ſine vlla dubitatione ſit concedendum. Quæ eò etiam
vtiliùs obſeruentur quòd cum non modò partes ac genera, verùm etiam tempora &
fines (de his mox dicemus) miſceantur ſæpè, quæ de partibus diximus ac generibus,
in tempora quoque ac fines planè conueniant.

PARTICVLA LXII.

465 Χρόνοι δὲ ἑκάστου τούτων εἰσί, τῷ μὲν συμβουλεύοντι, ὁ μέλλων. περὶ γὰρ τῶν ἐσομένων συμβουλεύει, ἢ προτρέπων, ἢ ἀποτρέπων. τῷ δὲ δικαζομένῳ, ὁ γενόμενος. περὶ γὰρ τῶν πεπραγμένων ἀεὶ ὁ μὲν κατηγορεῖ, ὁ δὲ ἀπολογεῖται. τῷ δ' ἐπιδεικτικῷ, κυριώτατος μὲν ὁ παρών. κατὰ γὰρ τὰ ὑπάρχοντα, ἐπαινοῦσιν ἢ ψέγουσι πάντες. προσχρῶνται δὲ πολλάκις καὶ τὰ γενόμενα ἀναμιμνήσκοντες, καὶ τὰ μέλλοντα προεικάζοντες.

Riccobonus. TEmpora etiam vnicuique horum accommodantur. Deliberandi quidem futurum: nam de futuris deliberat aut ſuadens aut diſſuadens. Iudicia verò tractanti præteritum. nam de factis ſemper vnus accuſat, alter defendit. At demonſtratiuo maximè proprium quidem eſt præſens (ex ijs enim, quæ inſunt, laudant, aut vituperant omnes) ſed aſſumunt ſæpè etiam præterita, quæ in memoriam reuocant, & futura, quæ conjectant.

Maioragius. *QVin etiam horum trium generum tempora diſtincta ſunt. nam deliberationi futurum tempus datur: qui enim deliberat, ſiue ſuadeat ſiue diſſuadeat, de futuris deliberat. Iudicio verò præteritum tempus eſt propoſitum. nam de rebus iam factis ſemper hic quidem accuſat, ille autem defendit. Exornationis maximè quidem proprium eſt præſens tempus. qui enim laudant vel vituperant aliquem, ea quæ tunc in eo ſunt, conſiderant; ſed tamen etiam præterita reminiſcentes commemorant, & de futuris coniecturam faciunt.*

Com-

De tempore cuique generi proprio, quod erat alterũ — *Comm. LXII.*

COmmonſtratis partibus ſingulorum generum, tempus cuique tribuit
ſuum ac deliberatiuo quidem futurum, cum deliberatio niſi futuri eſ-
ſe non poſſit. nam vt de re præterita deliberemus fieri nullo modo po-
teſt: ſi enim eo priuatur Deus quòd rem factam infectam reddere ne-
quit (quanquam id rei quæ fieri nullo modo poſſit tribuẽdum eſt qui-
dem, diuinæ facultatis quæ alioquin finibus concluditur nullis nullo

Quale tempus ſpectetur in deliberatiuo genere.

modo) quis homini tribuat vt de re præterita deliberet? Atque idem, eodémque iure 466
ſtatuendum eſt de re præſenti, quæ ſanè quoniam iam exiſtit, & quà exiſtit, non poteſt
non eſſe, ac proinde nequit fieri, conſultationem ac deliberationem excipit nullam. de
ijs enim deliberamus quæ fieri adhuc poſſunt: quod ſi aut præterijt, aut eſt, deliberan-
di occaſio iam præterierit neceſſe eſt. quanquam deliberatio ita eſt de re futura, vt ad
rectè deliberandum præteritarum rerum cognitio momenti habeat plurimum. &
hinc eſt vt rerum geſtarum atque hiſtoriæ notitia & ſtudium mirificè conferat ad re-
ctè deliberandum. Itaque bonus deliberator bifrontem Ianum referat oportet, ac fa-
cie vna præteritum, altera futurum, ſpectet. quanquam & maturitas & celeritas co-
mites ſunt deliberationi adhibendæ, vt qui deliberat bonum cõſultationi propoſitum

Quale in Iudiciali.

ac deliberationi fortiatur ſed de his aliàs. Iam verò iudiciali præteritum tribuit: & iu-
rè: nam niſi de rebus iam factis accuſatio aut defenſio ſiue actio & depulſio inſtitui
nequit. itaque rectè quoque M. Tullius iudiciale genus ait in præteriti diſceptatione
verſari. ſi enim fortè is accuſetur qui re infecta diſceſſerit quam moliebatur, ſaltem
quòd eam vel tentauerit, vel conſilium ſuum ac mentem de ea re peragenda declara-
uerit (quæ omnia præteritum ſpectant) accuſari & poteſt & ſolet. ita fit vt iudicium

Quale in Demõſtratiuo.

de præteritis conſtituatur. Paulò difficilius eſt quod de genere demonſtratiuo ſtatuit,
cui præſens attribuit. neque verò id contendo quòd præſens tempus ſit nullum: nam
ſat ſcio populariter vſurpari hoc in loco ac more maiorum; ita vt non tam momentũ
ſpectetur quàm certum temporis, quod minùs abſit, ſpatium: vt enim præſentem
horam, diem, menſem, annum, ætatem dicimus, ſic præſens tempus in vniuerſum. Sed

CONTROVERSIA LXXV. NVM iure Ariſtoteles præſens tẽpus Demõſtratiuo attribuat generi.

ea de cauſa dubitare cogor, & Ariſtotelis ſententiam vocare in Controuerſiam quòd
quæ ratio Ariſtotelem adduxit vt iudiciali generi, ſiue accuſationi & defenſioni, præ- 467
teritum tribueret, eadem efficiat præteritum laudationi & vituperationi ac proinde
demonſtratiuo generi tribuendum. iudicio enim præteritũ (inquit Ariſtoteles) pro-
poſitum eſt, quia de rebus iam factis hic quidem accuſat, ille defendit. at quis niſi de
rebus factis aut ſaltem tentatis laudetur aut vituperetur? certè quemadmodum vt
accuſetur, ita vt laudetur aut vituperetur res aliquo modo fuerit aut facta aut tenta-
ta neceſſe eſt. atque hinc eſt vt narratione vel maximè gaudeat demonſtratiuum ge-
nus, qua ſanè hiſtorici inſiſtens veſtigijs, non quæ geruntur ſed res geſtas & ante actas
narrat. Et huc pertinet quod virtus diuturnitate confirmetur atque habitu contineа-
tur, qui vſu & exercitatione ante acti temporis indiget. Vt propterea nihilo minùs in
demonſtratiuum genus quàm in iudiciale conueniat ante acti temporis ſpatium.

Explicatur res vniuerſa.

Quanquam fortaſſe eò ſpectauit Ariſtoteles quòd reuera ex rebus turpiter geſtis quæ-
dam veluti macula contrahitur: quin vbi turpitudo frequentetur vitioſitas inde &
habitus prauus exiſtit. contra verò ex rebus præclarè geſtis decus quoddam & orna-
mentum ac tandem habitus quidam paratur. atque hæc ſanè macula, hócue decus
aut, vno verbo, hic qui præſens eſt habitus, ſpectari videtur dum quis laudatur aut
vituperatur: cum tamen in accuſatione & defenſione paulò aliter accidat in qua factũ
ipſum, ídque iam peractum, ſpectari ſolet. cuius rei ſignum eſt quia ſi contractum
decus vitio fœdetur poſtea, laudis deperit materia: vel etiam ſi rebus deinde præclarè
geſtis ac virtutis decore vitium eluatur, vituperationis quoque fomes extinguitur.
contra in accuſatione & defenſione: cum factum ipſum & crimen, quale quale fue- 468
rit, examinetur: & res factá ne ſit aut non facta ſpectetur. ita vt quæ accuſationi ſunt
obnoxia, ijs non tam contrarijs ſtudijs, quàm iudicij pœna, fiat ſatis. & huc fortaſſe
ſpectauit Ariſtoteles cum diceret qui laudant aut vituperant aliquem κατὰ τὰ ὑπάρ-
χοντα ἐπαινεῖν: *quæ huic inſunt laudare*, atque adeò quæ in præſens in eo ſunt, ſpectare.
Videtur enim tum in contractam illam maculam ac labem tum in præſens decus &
ornamentum intueri, tametſi facta ipſa iamdiu peracta eſſent. Hæc mihi occurrit ra-

Dubitatur rurſus.

tio qua vindicem dubitatione Ariſtotelis ſententiam. Verùm quid ſi quis clamet tum
planè

planè laudi aut vituperationi planum eſſe locum & expeditum patêre campum, cum
aliquis è viuis deceſſerit?(tunc enim planè laudatio aut vituperatio conſtans ſit & con-
ſentiens)cum verò quis deceſſerit, reuera vnum præteritum tempus ſpectari poſſe, ita
vt patiſimò potiore iure demonſtratiuo conueniat præteritum quàm iudiciali? Quid
etiam ſi quis addat mortuos paſſim laudari ac publicis encomijs ornari, non verò ac-
cuſari & in iudicium vocati? ſanè is rurſus efficiat laudationi potiùs quàm accuſationi
ſeu demonſtratiuo generi veriùs quàm iudiciali præteritum tempus conuenire. Acu-
469 tè.ac propterea quòd attinet ad mortuos, hos inquam celebrari paſſim ac tutiùs quàm
viuos ornari laudibus, equidem non magnopere repugnarim, video enim funebres ora
tiones inprimis eſſe huiuſmodi: ita vt quod Solon reſponſum dedit Crœſo, in contro-
uerſiam hanc noſtram conueniat optimè, nimirum neminem ante mortem non dico
fœlicem habendum ſed ſolida laude dignandum. ſed tamen illud quoque videor mihi
poſſe affirmare, nihil prohibere quominus in mortuo quoque præſens adhuc ſit decus
illud, quod cõtrahit animus virtute, aut, quam vitio contrahit, macula: præſertim verò
ſi altiores in vitio aut virtute radices egerit, ita vt habitu ſint confirmata. Cum enim
animus humanus ſit immortalis, dum ſoluitur ab hoc corpore, habitum illum ſeu de-
corem aut maculam virtutis aut vitij retinet, vnde mortui quoque laudari poſſunt ob
præſentem virtutem. Quanquam ne videamur theologari potiùs (vt cum Tertuliano
loquar) quàm ex Ariſtotele philoſophari ſic ſtatuo, in opinione quoque hominum &
memoria gloria aut infamia eorum reſidet ac viget qui anteacto tempore turpiter aut
præclarè traduxerũt vitam, & ideo poſt mortem etiam ſupereſt locus vituperationi aut
laudi. Si enim viuentium gloria aut infamia ex Ariſtotele quoquomodo pertinet ad
mortuos, quantò magis contractum decus aut dedecus quod adhuc in hominum me-
moria perſeuerat, ad mortuos ipſos pertinebit? Ita ſanè ob præſens decus vel dedecus
laudari poterunt aut vituperari. Quanquam ſi quis rem paulò ſimpliciùs definiri velit, *Lib. 1. Eth. cap. 10. & 11.*
470 ac ne philoſophandum quidem ſed populariter agendum, (quid enim erat vt præteritũ
dicerer aſſumendum ſi propter tuum iſtud decus vel eam labem aut etiam propter opi
nionem ac memoriam ſit præſens?) ſic rurſus ſtatuo. Nihil prohibet quominus is qui
laudat aut vituperat, rem aliquam præſentem laudet aut vituperet, vnde præſens tem-
pus ſpectari videatur. laudamus enim aliquem propter corporis pulchritudinem atque
oris dignitatem: laudamus propter inſitam prudentiam, temperantiam, ſapientiam
& in vniuersùm propter animi virtutes ac dotes: propter opes etiam quibus moderatè
vtatur: propter nobilitatem, bonorúmue amicorum copiam, denique bona tum animi
tum corporis, tum fortunæ quæ præſentia ſunt, laudantur ita vt præſens ſpectemus
tempus.

Quod ſi obijcias potiore iure res geſtas laudari in quibus virtus enituit quæ ta-
men pertinent ad præterirum tempus, iam hac de cauſa Ariſtoteles monet in demon-
ſtratiuo genere præteritum quoque tempus aſſumi: aſſumi autem ait non præcipuè
ſpectari, vt in iudiciali genere. quandoquidem parum referret prȩclarè multa geſſiſſe
antea niſi in præſens tueremur partam gloriam & coleremus virtutem. alioquin uitu-
perationi potiùs quàm laudationi eſſet locus. Itaque iurè præſens tempus per ſe ſpecta-
tur maximè: præteritum aſſumitur potiùs. Adde quòd non modò ex rebus geſtis ve-
rùm etiam ex rebus quæ præclarè & cum virtute geruntur in præſens laudari contingit
aliquem. qui enim hominem laudet quod temperantiam colat ac prudentiam oſten-
dat, aut etiam diuitijs liberaliter vtatur, domum etiam aut Rempublicam adminiſtret
pro dignitate, hic præſens tempus, quoniam populariter vſurpari diximus, ſpectat omni
no. Hȩc rurſus in propoſita controuerſia. Quanquam vt ingenuè aperiam quod ſentio, *Moderatione adhibita retinetur propoſita Ariſtotelis ſententia.*
& me omni inuidia liberem, laudationi (idem tu commutata proportione ſtatuas de
vituperatione) præſens tempus eſt quidem opportunius ob recens vel præſens decus,
ſed tamen præteritum nullo modo eſt excludendum, etiam ſi de illo quem laudas hoc
tempore nihil præclarè geſtum poſsit commemorari. Quid enim impediat quominus
iurè laudetur ſenex qui in virili ȩtate ſtrenuè geſſerit multa, tametſi ſenectutem quie-
tè traduxerit ac facinus nullum ſiue prȩclarum uelis, ſiue turpe, admiſerit? & ta-
men in præſentia præteritum ſpectatur (ſpectatur inquam non aſſumitur) tempus. Ita
quidem in funebri Demoſthenis oratione, in Platonis Menexeno, in Iſocratis Helena,
471 in Traiani Panegyrico, in laudationibus quas ipſi ſanctis viris impendimus, præteritũ
tem-

tempus ſpectatur quidem, aſſumitur nullo modo. Vt omittam reuera non magnoperè intereſſe in laudatione num præſens aut præteritum ſpectes tempus: quandoquidem & vrbes & virtutes & bonas artes & Regiam adminiſtrationem & ſexcenta huiuſmodi alia laudamus & celebramus, in quibus tamen tempus ſpectatur nullum. Nam M. Tullium dum Pompeium ornaret, non res præſentes attigiſſe priùs vt præſens tempus ſpectare videretur, tum res ante actas ſubieciſſe vt præteritum aſſumere videretur, ſed a Cn. Pompei pueritia incœpiſſe, ac ſenſim ad reliqua deſcendiſſe, eundémque morem fermè cęteros ſequi in laudationibus, cõpertum eſt. Ita vt mea quidem ſententia per opportunum quidem videri poſſit præſens tempus, ſed tamen præteritum ſuam habeat opportunitatem, & per ſe (Ariſtotelis pace) ſpectari poſſit, non verò tantùm aſſumi.

PARTICVLA LXIII.

Τέλος δὲ ἑκάστοις τούτων ἕτερόν ἐστι. καὶ τρισὶν οὖσι τρία. τῷ μὲν συμβουλεύοντι, τὸ συμφέρον καὶ βλαβερόν. ὁ μὲν γὰρ προτρέπων, ὡς βέλτιον συμβουλεύει. ὁ δὲ ἀποτρέπων, ὡς χεῖρον ἀποτρέπει. τὰ δ᾽ ἄλλα, πρὸς τοῦτο συμπαραλαμβάνει ἢ δίκαιον, ἢ ἄδικον, ἢ καλὸν, ἢ αἰσχρὸν, τοῖς δὲ δικαζομένοις, τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἄδικον. τὰ δ᾽ ἄλλα, καὶ οὗτοι συμπαραλαμβάνουσι πρὸς ταῦτα. τοῖς δ᾽ ἐπαινοῦσι καὶ ψέγουσι, τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρόν. τὰ δ᾽ ἄλλα καὶ οὗτοι πρός ταῦτα ἐπαναφέρουσι.

Finis ſingulis his diuerſus eſt, & tribus ſunt tres. deliberanti quidem vtile & perniciosum. Etenim ſuadens, vt melius, deliberat: diſſuadens, vt peius diſſuadet. Alia autem ad hoc ſimul aſſumit, vel iuſtum, vel iniuſtum vel honeſtum, vel turpe. Iudicia verò tractantibus iuſtum, & iniuſtum. Alia verò etiam hi ſimul aſſumunt ad hæc. At laudantibus & vituperantibus honeſtum, & turpe. Alia autem & hi ad hæc referunt. *Riccobonus.* 472

Finis præterea vnicuique generi diuerſus eſt; & cum tria ſint genera, tres etiam erunt fines. nam in deliberando finis eſt vtilitas, & detrimentum. qui enim ſuadet aliquid, illud, tanquam melius, ſuadet: & qui diſſuadet, tanquam deterius diſſuadet: alia verò omnia huc referuntur, vt ſi quid iuſtum aut iniuſtum, honeſtum aut turpe dicatur. In iudicijs quid æquum aut iniquum ſit, quæritur, ſi quæ verò ſunt alia, huc referuntur. In exornationibus qui laudant, & vituperant, honeſtum, & turpe ſibi proponunt, & reliqua omnia huc referunt. *Maioragius.*

De Cuiuſque generis fine; qui poſtremò ad II. caput fuerat reuocatus.

Finem declarat cuique generi propoſitum: qui item in generibus ſingulis geminus eſt, & pro varietate partium variatur. Itaque in deliberatiuo finis ſuaſori propoſitus (ſi Ariſtotelem audias) eſt vtilitas, contra verò diſſuaſionis, detrimentum. Et quidem videmus paſſim mortales dum ſuadent, rei vtilitatem, & commoda proferre & exaggerare vt perſuadeant: contra uerò rei incommoda & damna percenſere & amplificare vt diſſuadeant. Quod ſi quis obijciat ſuadentem ſæpè rei iuſtitiam & honeſtatē commorare, diſſuadentem contra rei iniquitatem & turpitudinem, hæc verò (inquit Ariſtoteles) ſi rebus ſuadendis aut diſſuadendis ineſſe videantur, aſſumuntur illa quidem & ad finem referuntur: non tamen per ſe ac primò ſpectantur. nam ſi quis docere potuerit rem quam ſuadet eſſe non modò vtilem, verum etiam cum iuſtitia & honeſtate coniunctam, faciliùs ſuadeat; ita vt præſter hæc quoque arripere: vbi de iuſtitia conſtiterit. Sic in diſſuadendo vbi damnum propoſueris, iniquitas etiam & turpitudo magnum afferat momentum diſſuaſioni. Finis verò iudicialis generis eſt (inquit)

Digitized by Google

quit) τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον iuſtum vel iniuſtum, hoc accuſationis, illud defenſionis.
473 Et huc etiã ea referuntur quæ vel vtilia & honeſta, vel detrimentoſa & turpia videantur. Si quem enim accuſaueris quod rem iniquam patrarit, hunc in maiorem inuidiã adducas ac magis & magis tum peccaſſe tum puniendũ eſſe oſtendas ſi effeceris rem illam inſtituram, & detrimẽtum nobis attuliſſe & cum turpitudine coniunctam eſſe. contra verò defendenti opportunè accidat vt & turpitudinem & detrimentum a facto quod tuetur, arcere atque honeſtatem & vtilitatem eidem affingere poſſit. Denique honeſtas & turpitudo laudanti & vituperanti in finis loco propoſita eſt: cætera de more certa quadam ratione & proportione aſſumuntur & ad propoſitum finem referuntur. Hæc ſunt quæ generibus ſingulis pro ſingulis partibus in finis proponuntur loco. Dubitari verò ſolet num iurè vtilitatẽ deliberatiuo generi propoſuerit Ariſtoteles. nam M. Tullius etſi interdum aſſentire videtur, ſæpè tamen honeſtatem & dignitatem vel vnam vel maximè ſpectari iubet. Quintilianus verò in Ariſtotelis ſententiam acerbè inuehitur, vnam dignitatem & honeſtatem ſpectari iubens. Qua in re ſi de bonis eſſet ex Stoicis philoſophandum, qui vnum honeſtum faciunt vtile, hæc ſolo nomine diſſociantes, aut ſi Academicis omnino aſſentiendum eſſet qui licèt non idem planè faciant honeſtum & vtile, negant tamen veram vtilitatem exiſtere ſine honeſtate, dubitatio eſſet otioſa. Verùm quia in ſchola verſamur Ariſtotelis qui cum alibi tum hîc maximè vtilitatem pro neceſſario cum honeſtate coniungit, quin cum honeſtate pugnare interdum non ægrè admittit, res eſt perdifficilis. Sed clauſula hæc ſit. aliud eſt Rhetoris perſonam ſuſtinere, aliud Philoſophi atque huius ſummam integritatem profitentis. nam cum in cœtu hominum & multitudine, quæ plerunque ignara eſt & honeſtatis ac dignitatis aculeos non ſentit, ſed vnis commodis atque vna vtilitate ducitur, verba faciat Orator; ægrè vel ſuadeat, niſi vtilitatem, vel diſſuadeat, niſi damnum, in medium afferat. quin viri quoque induſtrij & naui vtilitatem paſſim quærunt ac ſpectant, dignitatem tantiſper & honeſtatem prætereuntes. denique optimi tantùm & integerrimi honeſtatem ac dignitatem & ſentiunt & vtilitati anteponunt. quare verendum erit ne Oratori qui non vtilitatem in finis habeat loco, ſed vnã
474 honeſtatem (maximè verò ſi damnum hinc ſequatur) ſpectet ac dignitatem, ſilendũ ſit potiùs; præſertim vbi publica vtilitas agitur, in qua vtinam non prudentes quoque viri & alioquin probi non aliquando honeſtatis (neque enim Ariſtides & Xenocrates offenduntur paſſim in Curia) ac dignitatis momenta minùs quàm par eſt, æſtiment: vſque adeò patriæ vtilitas animo allicit & capit. Et hinc eſt vt in deliberatiuo vtilitas ſpectari vel vna vel maximè ſoleat: etſi ad rem honeſtandam prætextus quærantur arripiantúrque vnde factum honeſtate quoque reſpergatur. Vt propterea cum & Rhetorem agat Ariſtoteles, & quid in vſu poſitum ſit ſpectet, vtilitatem non temerè in finis loco proferat in deliberatione. Quare nihil erat cur Quintilianus tantoperè commoueretur & Ariſtotelis ſententiam carperet ac proſcinderet. quod eò etiam minùs feciſſet ſi quæ in particula ſequenti docet Ariſtoteles attentiùs reputaſſet. nam ſatis ſupérque indicat ſe vſum ſpectare interim non philoſophari: Tametſi non ab re ſit monuiſſe, nobis quibus maximè omnium iuſtitia colenda eſt & tuenda, cauendum eſſe ne propoſitum morem facilè ſectemur & in Senatu atque Curia vtilitatem, æquitate poſthabita & honeſtate, ſpectemus. Quare ſic ſtatuo, ad perſuadendum eſſe diligenter explorandos auditorum mores, inſtituta & propẽſiones. Ita quidem ſi fortè contigerit vt in auditores incideris qui religionis ac pietatis laude floreant, & iuſtitiam virtutémque colant, honeſtatem & æquitatem in finis loco quoad eius fieri poſſit habere ne verearis. Quid enim vtilitatem illis proponamus, quæ cum honeſtate vix ac ne vix quidem cohæreat, vbi cum dignitate in noſtram illos ſententiam adducere valeamus? Quòd ſi vulgarem multitudinem alloquamur quæque honeſtatis & æquitatis aculeos haud ſentiat, ac niſi vna vtilitate duci poſſit, ac ſummatim vtilitas illa tantum occurrat quæ abſit ab honeſtate, profectò ſi ratio deſit, vnde a turpitudine diuellatur & iniuſtitia, ſatiùs eſt honeſtè ſilere quàm turpiter loqui & iniquum conſilium dare. Imò verò ſi fortè ſine culpa nequaquam ſcilere liceat, ac ſummatim vt ſententiã proferamus oporteat, ingenue fatẽdũ rẽ indignã eſſe quã amplectamur. quin ſi eò cuadat turpitudo vt apertè iuſtitia ac Religio violetur, ſatiùs eſt honeſtè mori ſiue ad honeſtè occũbendũ auditores hortari, quã ſe atque alios flagitio vllo fœdare & obſtringere.

Neque verò cum Chalcedonio Traſimacho mihi quiſquam obijciat, Naturam pa-

Dubitatur.

Reſpondetur.

Cautionẽ adhibendã ne facilè patiamur vtilitatem vnam ſpectari.

Pro vna vtilitate diſputatur rurſus. rentem ac Magiſtram optimam proprij commodi & vtilitatis ſenſum appetitionémque ingeneraſſe mortalibus: nec poſſe quenquam, niſi Natura repugnante, propriæ vtilitatis vel cupiditatem obijcere vel appetitioni reſiſtere ac repugnare. Contra verò æquitatis iuſtitiæque nomen ac ſimulacrum ab otioſis hominibus atque adeò ſuperſtitioſis excogitatum inuentúmque fuiſſe: vel certè ab ijs introductum, qui eum dominatum in cæteros occupaſſent, hos ſibi etiam atque etiam mancipandos exiſtimarent. ideò enim neſcio cuius iuſtitiæ & honeſtatis opinionem ac ſpeciem iniecerunt populorum animis, vt ij proprij commodi obliti ſuorum vtilitati dominorum 475

Reſpondetur. commodiſque ſeruirẽt, quòd eſt ſuam illi libertatem alieno bono ſtudentes cum ſeruitute commutarent. Nemo inquam hæc mihi cum Chalcedonio illo Sophiſta aut cum Epicureis qui ad commodum & voluptatem referunt omnia, obijciat ac iactet. qui enim ſic diſputet, is profectò nunquam obſeruauerit quid inter hominem interſit ac belluam: ac præ ſtupore ingenijue tarditate haud perſpexerit cur Natura parens optima, vel potiùs, Naturæ Author Deus, hominem mente ornauerit & intelligentia: prudentia & conſilio inſtruxerit: ratione & oratione decorarit: in primis verò illi tum virtutis honeſtatéque gloriæ incitamenta ingenerauerit: tum os ad vultũ ſublimem dederit vnde cęlum atque adeò patriam intueretur. nec rurſus ſecum ipſe reputauit, cur è contrario idem Naturæ author mutas animantes ac feras mentis expertes fecerit, earũ ora humi defixa & ad paſtum prona eſſe voluerit: animaduertiſſet enim cum hominis animum eſſe immortalem ac propè diuinum, tum hominem ipſum ad æquitatem, iuſtitiam, honeſtatem fictum eſſe ita vt hæc vel maximè illi colenda ſit & retinenda. Et quanquam olim fortaſſe Principes ac Reges aliqui propriæ vtilitati inhiantes, iuſtitiam obiecerint populis & honeſtatem, vt ijs tanquam frenis, illos in officio, atque omnia interim ad propriam vtilitatem conuerterent ac raperent, haud tamen defuere, aut deſunt in præſens multi qui æquitatem & honeſtatem ſic amplectuntur ac propriæ vtilitatis obliti omnia ad populorum referunt vtilitatem, publicũ bonum priuato anteponentes. Atque hos ſanè horumque perſimiles imitetur oportet noſter Orator propriam vtilitatem obijciendam cuique ſuadens vbi eum æquitate & honeſtate coniungi nequeat: præſertim verò quia dum fluxa hæc mortalitatis 476
commoda obliuiſcitur vt honeſtati faueat, ſolidam vtilitatem & immortalem cum ſibi cum cæteris parat quos ad æquitatem & honeſtatem incendit.

PARTICVLA LXIV.

Σημεῖον δὲ, ὅτι τὸ εἰρημένον ἑκάστοις τέλος. περὶ μὲν γὰρ τῶν ἄλλων, ἐνίοτε οὐκ ἂν ἀμφισβητήσαιεν. οἷον, ὁ δικαζόμενος, ὡς οὐ γέγονεν ἢ ὡς οὐκ ἔβλαψεν. ὅτι δ' ἀδικεῖ, οὐδέποτε ἂν ὁμολογήσαιεν· οὐδὲ γὰρ ἂν ἔδει δίκης. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ συμβουλεύοντες, τὰ μὲν ἄλλα πολλάκις προΐενται, ὡς δὲ ἀσύμφορα συμβουλεύουσιν, ἢ ἀπ' ὠφελίμων ἀποτρέπουσιν, οὐκ ἂν ὁμολογήσαιεν. ὡς δ' οὐκ ἄδικον, τοὺς ἀστυγείτονας καταδουλοῦσθαι, καὶ τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας, πολλάκις οὐδὲν φροντίζουσιν. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ ἐπαινοῦντες καὶ οἱ ψέγοντες, οὐ σκοποῦσιν, εἰ συμφέροντα ἔπραξεν ἢ βλαβερά. ἀλλὰ καὶ ἐν ἐπαίνῳ πολλάκις τιθέασιν, ὅτι ὀλιγωρήσας τοῦ αὑτῷ λυσιτελοῦντος, ἔπραξέ τι καλόν. οἷον, ἀχιλλέα ἐπαινοῦσιν, ὅτι ἐβοήθησε τῷ ἑταίρῳ πατρόκλῳ, εἰδὼς, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀποθανεῖν, ἐξὸν ζῆν. τούτῳ δὲ, ὁ μὲν τοιοῦτος θάνατος, κάλλιον. τὸ δὲ ζῆν, συμφέρον.

Riccobonus. Signum verò eſt, quem diximus, ſingulis finem eſſe, quod de alijs interdũ non cõtrouerſabuntur, vt qui iudicio prouocatus, ſe non feciſſe, aut nõ nocuiſſe: at ſe iniuſtè, feciſſe nunquam confitebitur: nihil enim opus eſſet iudicio. Similiter etiam qui deliberant, alia quidem ſæpenumero dimittunt; ſe vero inutilia deliberare, aut ab vtilibus diſſuadere, non confitebuntur. Non eſſe autem iniuſtũ finitimos in ſeruitutẽ redigere, & nullã iniuriã inferentes, ſæpè nõ cogitant. 477
Eodem modo etiam qui laudant, & qui vituperant, non conſiderant, vtiliáne egerit, an pernicioſa, ſed in laude ſæpè ponunt, aliquem neglecto eo, quod ſibi prodeſſet, egiſſe aliquid honeſti, quemadmodum Achillem laudant, quod adiuuerit ſodalem Patroclum, cum ſciret, ſe mori oportere, & ipſi liceret viuere. At ei eiuſmodi quidem mors honeſtior fuit; ſed viuere vtile.

Quod

Maioragius.

QVod autem hi ſint fines vnicuique generi propoſiti, illud apertè declarat, quod de alijs rebus interdum ne contendunt quidem; vt in iudicio: quin fecerit, aut quin læſerit. Sed nemo vnquam iniuſtè ſe feciſſe, fateretur: alioquin omnis ſtatim controuerſia tolleretur. Eodem modo qui conſulunt, alia ſæpenumero non curant; ſed nunquam faterentur, ſe vel inutilia ſuadere, vel ab vtilibus retrahere. non eſſe autem iniuſtum, aut finitimos populos, aut eos, qui nihil læſerunt, in ſeruitutem redigere, ſæpè non curant oſtendere. Simili ratione qui laudant, aut vituperant, non illud attendunt, vtrum is; de quo dicunt, vtilia an inutilia fecerit; ſed etiam in magna ſæpè laude ponunt, ſi quis vtilitate propria neglecta, honeſtum aliquid effecerit. Vt Achillem in eo laudant, quod opitulatus eſt Patroclo ſodali ſuo; quamuis ſciret ea de cauſa ſe moriturum, cum liceret ei viuere. huic igitur mors eiuſmodi in primis honeſta fuit, vita verò fuiſſet vtilis.

478 DOcet fines ſingulorum generum eos planè eſſe quos propoſuit. ac primùm iudicialis iuſtum eſſe vel iniuſtum, quia in iudicijs de hoc ſemper contenditur, vtrum ſcilicet æquitas ſeu iuſtitia fuerit violata, cum accuſator affirmet, defenſor contra inficietur. & huc referat ſtudium & defenſionem; crimen ac factum obiectum vel negans, vel inde iuſtũ haud violatum contendens. quod argumento eſt hunc eſſe iudiciali propoſitum finem: præſertim quia interdum de vtilitate aut honeſtate, ſeu detrimento & turpitudine, ac ſummatim de re aliqua præter iuſtum & iniuſtum, ne verbum quidem. Sed & conſimili ratione oſtẽdit vtile vel damnum eſſe deliberationis finem. vbi obſeruandum eſt in ijs quæ recepta eſſent vſu (id quod paulò ante dicere cœperã) atque in ipſa deliberationum conſuetudine & œconomia, niti totum; ita vt cum non Philoſophi more diſputet de germano conſultationis & deliberationis fine, ſed ſpectet quem paſſim in concionibus finem ſibi proponant deliberaturi, nihil eſſet cur Quintilianus tantoperè commoueretur, quaſi verò honeſtas & dignitas ſit deliberatiui generis finis. Nec diſſimili confirmat argumento honeſtatem ac turpitudinem laudationi & vituperationi eſſe propoſitam. Quanquam duæ hîc eæque graues ſeſe obijciunt dubitationes ac prior quidem ea eſt quia ſi quid iuſti nomine defendi nequeat, ad æquitatem eſt confugiendum, ita vt æquitas in finis loco habenda ſit non iuſtitia. nam hæc inter ſe differre vel ex eo conſtate ſatis poteſt quòd M. Tul. Oratori præcipit vt contra ius (vbi opus ſit) dicat pro æquitate. Et quidem cum ius præſertim ſummũ, iniuſtitia cenſeatur, æquitas clementiã miſceat cum iuſtitia præſtat ſæpè æquitatem ſpectare, ius deſerere. certè Horatius etſi patriæ victoriam ac ſalutem peperiſſet, ac magna cum dignitate peperiſſet, enecatus fuiſſet ob interfectam ſororẽ, niſi ad æquitatem & clementiam confugiſſet Populi Romani: ſic Cæſar apud Saluſtium, fatetur coniuratos illos ſexcentis ſupplicijs eſſe dignos, nec pœnam vllam, tali tantóque crimini ſufficere, ſed tamen vel quia Populus Romanus ſemper maximam æquitatis rationem habuiſſet, vel quia iuuenes illi ex præclaris maioribus orti eſſent, ſuadet vt mors cum perpetuo carcere commutetur. Sed vel quia interim iuſti nomine haud ſpernit æquitatem Ariſtoteles, vel quia ſummum tantum ius & iuſtitiæ rigor cauenda ſint, non moderatum ius ac iuſtitia cum æquitate coniuncta, non grauatè concedimus vt æquitas quæ tamen iuſtitiæ comes ſit, habeatur ratio, & a fine iudicialis generis non diſſocietur.

Confirmat tres fines propoſitos generib. ſingulis ſingulos conuenire. Iudiciali.

Deliberatiuo.

Demõſtratiuo.

Dubitatur de Aequitate, cur nõ in finis loco.

Reſpondetur.

479 Altera dubitatio, quæ ſanè paulò grauior videri poſſet, ea ſit. Etenim certum eſt Ariſtotelem Oratori præcepiſſe vt de qualibet re diſputare poſſit probabiliter: ideo enim iuſſit vt exploraret id quod in vnaquaque re valet ad fidem faciẽdam, & rurſus Oratoris eſſe dixit περὶ τοῦ δοθέντος de qualibet re propoſita probabiliter diſputare: dummodo enim ornatè id faciat & copioſè, nec niſi probabilia arripiat argumenta, quamcunque illi ſubicit quæſtionem. Ex quo fit vt dum Orator probabiliter & ornatè aliquid proſequitur quod nullo modo ad ſuaſionem aut diſſuaſionẽ ſeu accuſationem & defenſionem ac propterea ad genus deliberatiuum aut iudiciale referri poſſit, id totum ad demonſtratiuum pertineat. Vt ſi quis luculenta Oratione alicui bonum aliquod gratulatur aut quid huiuſmodi copioſè ac probabiliter proſe-

Dubitatur rurſus. de partib. Demonſtratiui. & de fine.

quitur quod abeſt a iudiciali & deliberatiuo genere. Et hinc eſt vt genus demonſtra-
tiuum per quam latiſſimè pateat. Et tamen vix interim vnquam aut certè perrarò
honeſtatem aut turpitudinem in finis habeat loco. Quam enim obſecro vel honeſta-
tem vel turpitudinem ſibi proponit Orator qui alicui adeptũ honorem aliquem aut
recuperatam valetudinem aut reditum in Patriam gratuletur? Philo armamentariũ
apud Athenienſes ſic laudauit vt ſuam ille eloquentiam auditoribus mirificè proba-
uerit. At quæ obſecro honeſtas vel turpitudo in armamentario celebrando ſpectetur
ac veluti finis ſtatuatur? Quid? eſto aliquis probabiliter & copioſè diſputet Galaxiam
ſeu viam Lacteam non in aëre gigni ſed Cœlo eſſe infixam & inde eius imaginem in
aërem redundare, ſanè honeſtas aut turpitudo hîc ſpectetur aut in finis loco habea-
tur, nulla. Idem dixerim ſi quis non Phyſicis ſed popularibus argumentis & ex Hiſto-
rijs, fama, experimentis, deriuatis copioſè diſputet cur fluat ac refluat mare. Atque
idem de ſexcentis alijs dici poſſet. Vt omittam Traſimacum apud Platonem laudaſſe
iniuſtitiam: idémque feciſſe apud Romanos Carneadem. Quod ſi laudanti honeſtas
ſpectanda eſſet, turpitudo vituperanti, ij in iniuſtitiæ laudatione vnam turpitudinem
non quæ ab Ariſtotele laudatior præfigitur, honeſtatem ſpectaſſent. Sed ne dubita-
Reſpondetur. tio hæc manet latiùs, ſic ſtatuo. Re uera finis Oratoriæ dictioni propoſitus eſt is qui 480
ad genus deliberatiuum pertinet; id enim vel vnum vel maximè ſpectare debet Orator
vt in Senatu pro Reip. ſalute ac dignitate eloquentiam exerat & publico bono dicen-
di vim adhibeat. Ita fit vt ſi ſuadeat, vtilitatem, ſi diſſuadeat, detrimentum ſpectare ſo-
leat. Quanquam quoniam Reip. intereſt vt iudicia exerceantur & rectè exerceantur,
ſolet Orator in forum quoque & iudicia deſcendere atque illud dicendo vi eniti vt iu-
ſtitia & æquitas in iudicijs retineatur. Verùm quoniam accidere quoque poteſt vt è
Rep. ſit & publico conducat bono vt ij laudentur qui amplectuntur virtutem ac ſuã
illi operam Reip. ſtrenuè nauant vel etiam pro Patria fortiter cecidere; Contra verò
ij vituperentur aſperiùs qui otio, qui vitijs indulgeant qui denique per improbitatem
aut cõcordiam Patriæ non tam prodeſſe quàm obeſſe ſolent, idcirco præſtat vt Ora-
tor ad hos vel laudandos vel vituperandos eloquentiam interdum ſtilúmque con-
uertat, Ita fit vt in genere quoque demonſtratiuo & verſari & honeſtatem ac turpi-
tudinem ſibi proponere poſſit Orator. Quod ſi per intemperantiam Orationem ac
ſtylum ad ea ornanda vel improbanda referat in quibus vix honeſtas aut turpitudo
ſpectetur vlla, vt ſi vel in formica (quod fecerunt aliqui) celebranda oſtentet eloquẽ-
tiam aut in ignorantia, iniuſtitia laudanda, is non tã Orator quàm Sophiſta haberi ſo-
leat. Et hinc eſt vt M. Tullius affirmauit epidicticon genus ſeu demonſtratiuum ſpre-
tum Curiæ, pulſum foro atque adeo ab Vrbibus exulare iuſſum quòd inutiliter in
eo oſtentaretur eloquentia. Quam rem Plato etiam atque alij indicarunt cum ani-
maduerterent in Panegiricis Rhetores glorioſæ aut queſtus captandi gratia huiuſmo-
di laudationibus & vituperationibus certaſſe & eloquentiam oſtentaſſe. Quapropter
ſi Orator in ijs quæ è Rep. ſunt atripiat demonſtratiuum genus, oppido licebit intel-
ligere honeſtatem in laudando ſpectare & in vituperando turpitudinem. Quod ſi ad
ea ſuam ille deriuet induſtriam quæ aliena ſint a Reip. bono & boni Oratoris munere,
quemadmodum a fine aberrabit propoſitæ honeſtatis & turpitudinis, ſic inter Sophi- 481
ſtas numerandus erit veriùs quàm inter oratores: horum enim eſt ea laudare aut vi-
tuperare quæ cum publico bono coniuncta ſunt. Quanquam obijcias hinc occurri
quidem ijs qui haud ſentiant Oratoris eſſe de qualibet re diſputare, facilè enim con-
cederent Oratorem qui ſuam ille facultatem longiùs quàm par eſt traducat, ac ſum-
matim alia proſequatur, Sophiſtam eſſe effici, ac propterea nil mirum ſi interdum
nec honeſtatem in finis loco habeat, nec turpitudinem. Verùm quid in Ariſtotelis
ſchola, vbi περὶ ἀοδέττου & περὶ ἑκάστου; Sanè dum Orator copioſè diſputet Verbi gra-
tia lacteam viam in aëre gigni & ſimilia Iam fatendum erit finem quoque mutari;
ita vt qui alicui gratuletur verbi gratia de re aliqua fluxa & minùs coniuncta cum
Reipub. bono, gratulationem ſibi pro honeſtate in finis ſtatuet loco: vel in
vniuerſum admirationem aut delectationem. Nam niſi admirationem expe-
ctet aut ſaltem delectet Orator in genere demonſtratiuo oleum & operam perdat.
Et hoc eſt quod ſubindicauit Pop. Rom. dum diceret. Hæc in propoſitis dubita-
tionibus.

Iam

Exagitatur Achillis exẽplũ quaſi minus idoneũ ſit rei propoſita.

Iam verò de Achillis exemplo quo rem, (honeſtatem ſcilicet & turpitudinem eſſe
generis Demonſtratiui finem) illuſtrat Ariſtoteles, cùm ab eo tùm ab Interpreribus
diſſentire cogor. nam fateor quidem maiorem ſibi conciliare laudem qui propria vti-
litate ſpreta honeſtum aggreditur facinus, quemadmodum eleganter apud M. Tul-
lium diſputat Antonius,dum , *Grauiſſima* (inquit) *laus habetur eorum factorum quæ ſuſce-
pta videntur a viris fortibus ſine emolumento ac præmio : quæ verò etiam cum labore & pericu-
lo ipſorum,hæc habent vberrimam copiam ad laudandum*; Sed tamen Achillis exemplum nec
rationi eſt conſentaneum nec quadrat inſtituto,cum re uera nec periculum mortém-
ue ſubierit Patrocli conſeruandi cauſa,ſiue vt Patroclo opitularetur quemadmodum
ait Ariſtoteles, (quî enim ei opituletur qui iamdiu extinctus fuerat) nec rurſus (huc
enim facilè confugiat quiſpiam) vindictæ ſtudio & cupiditate. quod illius hono-
ris tuendi gratia , niſi apud Barbaros , qui vindictam , qualis qualis ea ſit , in laude po-
482 nunt, ad iuſtam laudem non pertinebat : præſertim quia Hector æquo certamine ac
ſtrenuè in primis Patroclum ſuperauerat : ita vt Achilles poſſet ſibi quidem aliquid
laudis vindicare ex Hectoris cæde (iuſto enim bello decertabar) Patroclo honorem
reſtituere, ſi tamẽ eum amiſiſſet, nullo modo. Denique viciſſe Hectorem glorioſum
videri poterit (etſi crudeliter multa & intemperanter geſſit Achilles ac ſęuitiæ pleniſ-
ſima quæ totam hanc fœdarint laudem) ſed vltionis cauſa illum necaſſe nequaquam
in laude ponendum eſt.Sed Ariſtoteles quoniam diſputat hîc populariter, popularem
atque adeò barbaram quandam exiſtimationem ſequitur. Itaque commodiùs vſur-
paſſet vel Codri, vel Alceſtis, vel Piladis & Oreſtis exempla quemadmodum nos Re-
gulis,Murij, Torquati, ſimiliúmque facta & exempla vſurpamus, in quibus non bar-
baricus faſtus ſed virtus enituit . quare mirum eſt Platonem quoque Achillis factum
celebraſſe : præſertim verò cum irâ, quam Socrates tantopere damnare ſolet,nõ pru-
dentia ad Patroclum vlciſcendum, ſeu veriùs ad Hectorem occidendum , raperetur .
Sed & Plato in conuiuio loquitur populariter. Et ſanè Phædri perſona,hoc eſt adole-
ſcentis , cui Amorem laudanti non inuenuſtè talis affingitur & ſententia (nam idcir-
co etiam poëtica vſurpat multa) & rerum commemoratio. In Apologia quoque au-
ditorum exiſtimationem ac peruulgatam de Achille opinionem ſequitur Oratoris
more. Itaque in III. de Rep. vbi ex propria perſona , hoc eſt grauiter, diſputat, Achil-
lis & ſæuitiam & auaritiam damnat , ſiue Homerum qui hæc de Achille protuliſſet,
coarguit ; de cæde , quaſi vero glorioſa ſit habenda & laudanda ne verbum quidem .
& tamen,cum interim quemadmodum multa reprehendebat in Homero, ita quæ ſi-
bi probarentur cõmendaret, ſaltẽ in cæde ipſa Achillis factum laudare debuiſſet vbi
tam magnifica illud prædicatione (id quod in Apologia ſuſpiceris) dignum exiſtimaſ-
ſet . Iam verò quoniam diximus de ſingulorum generum & partibus & tempore &
fine ; expectet fortaſſe quiſpiam vt de affectione dicamus quæ ſingulis item generi-
bus eſt propoſita . Tametſi enim noſſe debet Orator totam affectionum varietatem
483 pertractare,atque illas tum excitandi, tum ſedandi rationem didiciſſe, verũtamen op-
portunè id eſt faciendum & pro vt poſtulat ſuaſio vel diſſuaſio , alios accuſatio vel de-
fenſio, alios denique laudatio & vituperatio , hos & cognitos habere & pro dignitate
permiſcere poſſe debeat bonus Orator . Verùm quoniam id non tam ab Ariſtotele
attingitur in præſens,quàm a M. Tullio atque alijs cum propoſitorum generum par-
tibus,tempore & fine coniungitur & permiſcetur, ipſe quidem ne longum faciam, ſic
breuiſſimè ſtatuo . Deliberationi propoſitæ affectiones ſunt, ſpes & reformidatio: illa
ſi ſuadeas, hæc ſi diſſuadeas . cum enim bono aliquod ſuaſioni propoſitum ſit vt inde
excitentur auditores,malum diſſuaſioni vt illud refugiant, illinc ſpem, hinc timorem
auditoribus inijcias neceſſe eſt: In iudicijs verò ſæuitia eſt excitanda ſi accuſes; clemẽ-
tia ſi defendas . etſi opportunè quoque cadat in accuſando ſi ad indignationem pro-
uoces iudicem aduerſus reum, eidémque inuidiam conſles: contra verò in defenden-
do cum clementia beneuolentiam excites . Denique in Demonſtratiuo quoniam hoc
tempore iudicium ferendum eſt nullum , nihilque diſceptandum, aut certè de elo-
quentia & facultate Oratoris quoquomodo dumtaxat iudicandum, admiratio & de-
lectatio excitãda erit . Sic enim tuam auditoribus induſtriam probaueris & eloquen-
tiam . Hæc de cuiuſque generis propoſitis affectionibus .

Additur Quartum: quod pertinet ad affectus ſingulis generibus itẽ propoſitos.

PARTICVLA LXV.

Φανερὸν δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι ἀνάγκη περὶ τούτων ἔχειν πρῶτον προτάσεις. τὰ γὰρ τεκμήρια, καὶ τὰ εἰκότα, καὶ τὰ σημεῖα, προτάσεις εἰσὶ ῥητορικαί. ὅλως μὲν γὰρ συλλογισμὸς, ἐκ προτάσεών ἐστι. τὸ δ᾽ ἐνθύμημα, συλλογισμός ἐστι, συνεστηκὼς ἐκ τῶν εἰρημένων προτάσεων. ἐπεὶ δὲ οὔτε πραχθῆναι οἷόν τε οὔτε πραχθήσεσθαι τὰ ἀδύνατα, ἀλλὰ τὰ δυνατά. οὐδὲ τὰ μὴ γινόμενα ἢ μὴ ἐσόμενα οὐχ οἷόν τε, τὰ μὲν πεπρᾶχθαι, τὰ δὲ πραχθήσεσθαι, ἀναγκαῖον καὶ τῷ συμβουλεύοντι, καὶ τῷ δικαζομένῳ, καὶ τῷ ἐπιδεικτικῷ, ἔχειν προτάσεις περὶ δυνατοῦ καὶ ἀδυνάτου. καὶ εἰ γέγονεν ἢ 484
μὴ, καὶ εἰ ἔσται ἢ μή. ἔτι δὲ ἐπεὶ ἅπαντες καὶ ἐπαινοῦντες, καὶ ψέγοντες, καὶ προτρέποντες, καὶ ἀποτρέποντες, καὶ κατηγοροῦντες, καὶ ἀπολογούμενοι, οὐ μόνον τὰ εἰρημένα δεικνύναι πειρῶνται, ἀλλὰ καὶ ὅτι μέγα ἢ μικρὸν, ἢ τὸ ἀγαθὸν, ἢ τὸ κακὸν, ἢ τὸ καλὸν, ἢ τὸ αἰσχρὸν, ἢ τὸ δίκαιον, ἢ τὸ ἄδικον, ἢ καθ᾽ αὑτὰ λέγοντες, ἢ πρὸς ἄλληλα ἀντιπαραβάλλοντες, δῆλον, ὅτι δέοι ἂν καὶ περὶ μεγέθους καὶ σμικρότητος, καὶ τοῦ μείζονος καὶ τοῦ ἐλάττονος, προτάσεις ἔχειν, καὶ καθόλου καὶ περὶ ἑκάστου. οἷον, τί μεῖζον ἀγαθὸν ἢ ἔλαττον, ἢ ἀδίκημα ἢ δικαίωμα. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων.

Apparet autem ex ijs, quæ dicta ſunt, neceſſe eſſe, de his vt habeantur priùs propoſitiones. Tecmiria enim, & veriſimilia & ſigna propoſitiones ſunt oratoriæ. Etenim omnino ſyllogiſmus ex propoſitionibus conſtat: enthymema verò ſyllogiſmus eſt, conſtitutus ex ijs, quæ dictæ ſunt, propoſitionibus. Et quoniam fieri non poteſt, vt facta ſint, neque vt in futurum fiant, quæ fieri non poſſunt, ſed quæ poſſunt; neque ea quæ non facta ſunt, nec erunt, fieri poteſt, vt facta ſint neque, vt in futurum fiant: neceſſarium eſt tùm deliberanti, tùm iudicia tractanti, tùm demonſtratiuo habere propoſitiones de eo, quod fieri, & non fieri poteſt; & an factum ſit, nec ne: & an erit, nec ne. Præterea verò, quoniam omnes tùm qui laudant, & qui vituperant, tùm qui ſuadent, & qui diſſuadent, tùm qui accuſant, & qui defendunt, non ſolùm, quæ dicta ſunt demonſtrare conantur, ſed etiam rem magnam eſſe, vel paruam eam, quæ eſt vel bona, vel mala, vel honeſta, vel turpis, vel iuſta, vel iniuſta, ſiue per ſe dicant, ſiue inuicem ex altera parte comparent; manifeſtum eſt, oportere etiam de magno, & paruo, & maiori, & minori propoſitiones habere, tùm in vniuerſum, tùm de vnaquaque re, vt quódnam ſit maius bonum vel minus, aut iniuria, vel ius, & ſimiliter de alijs.

Riccobonus.

485

Perſpicuum eſt autem ex ijs, quæ dicta ſunt, non aliter hæc tractari poſſe; niſi quis primò eorum propoſitiones habuerit. Propoſitiones verò Rhetorum ſunt propria rerum nota, veriſimilia, & ſigna: nam omnis ſyllogiſmus ex propoſitionibus conſtatur: enthymema verò ſyllogiſmus quidam eſt, qui conſtat ex prædictis rhetorum propoſitionibus. Sed quoniam, quæ naturam habent huiuſmodi, vt fieri non poſſint, ea neque iam poſſunt eſſe facta, neque in poſterum fieri poterunt, cum tantùm ea fiant, quæ fieri poſſunt, & quia, quæ vel nondum fuerunt, vel nunquam futura ſunt, fieri non poteſt, vt aut iam ſint facta, aut poſtea fiant: ideo neceſſe eſt, vt, qui conſulit, & qui in iudicio, & qui in demonſtratiuo genere verſatur, propoſitiones habeat, de eo, quod fieri poteſt, aut non poteſt, & vtrum res facta ſit an non facta, & vtrum futura ſit, an non futura. Præterea cùm omnes qui laudant & vituperant, & qui ſuadent & diſſuadent. qui accuſant & defendunt, non ſolum prædicta

Maioragius.

demon-

demonſtrare conentur, ſed etiam id, de quo agunt, vel magnum, vel paruum eſſe, ſiue bonum ſit, ſiue malum, ſiue honeſtum, ſiue turpe, ſiue aquum ſiue iniquum, aut per ſe conſideratum, aut aliorum comparatione: perſpicuum eſt, eos etiam oportere de magnitudine & paruitate rerum, & de maiori & minori propoſitiones habere, atque illas & generatim, & ſigillatim; vt quod maius bonum aut minus, quod maius peccatum, aut meritum, & de alijs eodem modo.

EX dictis perſpicuum eſſe monet neceſſarium planè eſſe περὶ τούτων horũ
487 inquam, propoſitiones parare & in promptu habere. Sed quorum obſecro? aut quas res ſignificat dum ait περὶ τούτων, eas res intelligit quę ſint
vel vtiles & detrimentoſæ, vel iuſtæ & iniuſtæ, vel honeſtę, ac turpes, parandæ ſunt enim propoſitiones quibus de iſtis appoſitè argumentari liceat illúdue conſtet eſſe & hoc vtile aut inutile, iuſtum aut iniuſtũ, honeſtum aut turpe. Sed cur ex dictis id conſtare ait? Ea de cauſa ex dictis quòd enthymematis confandis, quę tanquam arma ſunt Oratori propoſita, propoſitiones ſunt neceſſariæ. & idcirco ſtatim enthymematũ gratia quinquepartitò diſtribuit propoſitiones quæ tripartito iſti cauſarum generi eiuſque partibus & finibus tum vniuerſim tum ſigillatim accomodatę ſint. Itaque primùm docet quas appellet propoſitiones Rhetorũ propias, atque ait eſſe tecmiria, veriſimilia, ſigna: quæ tamen communia ſunt generibus omnibus: ita vt enthymemata in quolibet genere ex iſtis veluti fontibus deriuẽtur. Ex quo fit vt hæc propoſitionum genera cum communia tum propria quodammodo appellentur: propria Rhetoris, communia omnibus generibus. Sed & eodem modo communes propoſitiones quaſdam ſecundo loco ſtatuit: nimirũ de ijs quæ fieri poſſunt aut non poſſunt vel facta ſunt aut non facta vel futura aut nõ futura: ex quibus ſanè propoſitionibus. licet primæ ac tertiæ maximè coniunctæ videri poſſint cum deliberatiuo, ſecundæ cum iudiciali, tamen Authore Ariſtotele cuique ſeruiunt. Niſi tamen dicamus res quæ fieri poſſunt aut non poſſunt, ſeu futuras aut nõ futuras, reuera ſigillatim ſeruire deliberatiuo; factas, aut non factas tum iudiciali tum demõſtratiuo: nam res quæ præſentes dicuntur & demonſtratiuo tribuũtur factas eſſe docuimus, licet certa quadam ratione præſentes cenſeantur. Sed tamẽ quoniam in cauſis ſæpè miſcẽtur tempora & fines, in primis verò in iudiciali & deliberatiuo laus aſſumitur & vituperatio nihil prohibeat propoſitiones iſtas ferè ſine diſcrimine cuique generi attribuere, cum vſui paſſim eſſe cuique ſoleant. Et eodem modo ijſdem conueniunt propoſitiones, tum magni & parui, tum maioris & minoris. ſiue enim bona vel mala, ſiue
488 honeſta vel turpia, ſiue iuſta vel iniuſta tractentur, neceſſe eſt de magno & paruo, & maiori ac minori propoſitiones habere: idque tum vniuerſim, tum ſigillatim in vnaquaque re: ac ſigillatim rurſus tum præciſè & per ſe, tum comparatè. Sic enim fiet vt probare liceat num aliquid ſit magnũ vel paruũ, bonum vel malum aut etiam maius vel minus bonũ, & ita de reliquis. Interim tamẽ dubitari poteſt cur propoſitiones iſtę cenſeantur tripartiti iſtius generis atque adeò Oratoris propriæ. An non aliæ quoque artes atque doctrinæ tecmirijs vtuntur interdum & ex veriſimili ac ſignis ducunt argumenta? Ducunt quidem; ſed tamen id obiter faciunt ac neceſſitate potiùs quàm pro inſtituto & voluntate. Philoſophi enim eſt rerum cauſas indagare ac proferre: cũ enim ſcientiam ſibi paret quę in cauſarum cognitione conſiſtit, cauſas perquirat neceſſe eſt. Itaque ſi quando vel ſignis vel coniecturis vtatur aut etiam ab effectu ratiocinetur, id facit vel rei difficultate & obſcuritate vel ingenij imbecillitate adductus nõ ex inſtituto. Orator contra quippe qui & apud vulgarem multitudinem verba facit & humanis rebus diſceptandis accerſitur quæ ambiguæ ſunt requirẽdę, quàm vel effectus & ſigna aut veriſimilia ſpectanda. Itaque princeps eius ratiocinatio eſt tecmirion; hoc enim quantumuis certum ſit ab effectu ducitur & ſigno. Quanquam quoniam tecmirion perrarò occurrit, veriſimile & commune ſignum proponitur, vnde ratiocinetur. quod ſi ne hæc quidem interdum occurrant, ſaltem propoſitiones ex ijs quæ fieri poſſunt arripiat oportet, vt vel minimũ oſtendat rẽ nõ ex ijs eſſe quæ fieri nequeunt: & ideò pulcherrimo ordine progreditur Ariſtoteles in argumentorum ſeu propoſitionum vi & natura pro dignitate explicanda & ordinanda. Quibus non inopportunè argumenta

Quinque propoſitionum genera quæ tribus propoſitis generibus cauſarum conueniant.

Dubitatur

Reſpondetur.

ſubnectit

Digitized by Google

ſubnectit quæ de magno & paruo ſeu maiore vel minore aut etiam de rebus honeſtis aut turpibus & huiuſmodi alijs ſe ſe offerunt, cum ſint cuique generi, præſertim ad amplificandum aut extenuandum, accommodata.

PARTICVLA LXVI.

ΠΕρὶ ὧν οὖν μὲν ἐξ ἀνάγκης δεῖ λαβεῖν τὰς προτάσεις, εἴρηται. μετὰ δὲ ταῦτα διαι-
ρετέον ἰδίᾳ, περὶ ἑκάστου τούτων. οἷον, περὶ ὧν συμβουλή, καὶ περὶ ὧν οἱ ἐπιδεικτι- 489
κοὶ λόγοι. τρίτον δὲ, περὶ ὧν αἱ δίκαι.

AC de quibus quidem neceſſariò oportet aſſumere propoſitiones, dictum eſt. Poſt hæc verò diſtinguendum eſt ſeparatim vnumquodque horum, vt de quibus deliberatio fit: & de quibus demonſtratiuæ orationes, tertiò autem, de quibus iudicia. *Riccobonus.*

SEd hactenus dictum eſt, quarum rerum propoſitiones ſibi parare Oratorem neceſſe ſit. deinceps verò de vnoquoque genere ſeparatim dicemus: vt quæ ſint ea, ex quibus deliberatio conficitur, & ex quibus orationes demonſtratiuæ; tertiò verò de quibus eſt iudicium. *Maioragius.*

Quæ modò expoſuit, colligit: ac dicenda proponit.

CVm propoſitiones tripartito generi communes propoſuerit, Tranſitione vtitur qua tum colligit dicta, propoſitiones ſcilicet iſtas fuiſſe explicatas; tum dicenda proponit; nimirum de vnoquoque genere ſigillatim eſſe dicendum. Vbi ordinem quoque ſtatuit rerum dicendarum. Quapropter iam de generibus ſingulis (inquit) agatur: ac primò ea declarentur de quibus eſt deliberatio: mox de quibus demonſtratiuę exiſtant Orationes. ad extremum de quibus iudicia. nam licet iudicia ſunt magis propria Oratoris & proximè attingunt deliberationes, quæ tamen in genus deliberatiuum cõueniunt, in demonſtratiuum (id quod ſuo conſtabit loco) magis conueniunt. Quanquam illud interim dubitet quiſpiam, cur Ariſtoteles, hoc propoſitiones & argumẽta proferat ordine: nam vel a proprijs ſingulorum generum erat progrediendum ad ea quæ communia ſunt tribus generibus, atque inde tandem ad communiſſima quæ in Topicis continentur & Oratori cum Dialectico atque alijs, ſi placet, ſunt communia; vel è contrario a communiſſimis ad propria per intermedia & generibus illis communia. & tamen ab ijs incipit, mox de proprijs agit, tum demum in ſecundo libro de Topicis & communiſſimis verba facit. Sed fortaſſe hunc ſeruauit ordinem: nimirum vt priùs de ijs ageret quæ in arte Rhetorica ſunt collocata: quæ quoniam alia ſunt communia tripartito illi generi, alia propria ſingulorum, ſic explicauit & communia, priùs prout poſtulabat ratio, tum propria ſit proſequutus. Tametſi quoniam hæc argumẽta & propoſitiones aliquando minùs ſuppetunt Oratori, ad ea tandem confugiendum putauit quæ extrinſecus aſſumuntur & communiſſima videri ſolent. Quanquam enim hæc Oratoria dicantur & Dialectica, (ſyllogiſmos enim Dialecticos & Oratorios appellauit eos qui dicuntur ex Topicis) communia tamen ſunt & omnibus expoſita vt propterea Oratoria dici videantur & Dialectica quia Orator & Dialecticus maximè communibus argumentis ac topicis (probabilitatem enim paſſim, deſuerint. alioquin Oratorij ſyllogiſmi meritò dicantur ij qui ex propoſitionibus cõſtent tripartito illi generi vel vniuerſim vel ſigillatim accommodatis. 490 *lib. 2. o. 2. in fin.*

PAR-

CAPVT IV.

PARTICVLA LXVII.

ΠΡῶτον μὲν οὖν ληπτέον, περὶ ποῖα ἀγαθὰ ἢ κακὰ, ὁ συμβουλεύει. ἐπειδὴ, οὐ περὶ ἅπαντα, ἀλλ' ὅσα ἐνδέχεται καὶ γενέσθαι καὶ μή. ὅσα δὲ ἐξ ἀνάγκης ἢ ἔστιν ἢ ἔσται ἢ ἀδύνατον εἶναι ἢ γενέσθαι, περὶ δὲ τούτων οὐκ ἔστι συμβουλή.

Riccobonus. AC primùm quidem ſumendum eſt, cuiuſmodi in bonis, aut malis, is, qui deliberat, verſetur: quoniam non in omnibus ſed in ijs quæcunque contingit & fieri,& non fieri. Quæcunque verò ex neceſſitate vel ſunt,vel erunt,vel non poſſunt eſſe vel fieri, de his non eſt deliberatio.

Maioragius. *AT primò quidem videndum eſt,in quibus bonis aut malis verſetur is,qui delirat: neque enim verſetur in omnibus; ſed in eis tantùm quæ naturam eam habent,vt & fieri & non fieri poſſint. Quæcumque verò neceſſaria, vel iam ſunt, vel poſt hac erunt, vel quæ fieri non poteſt, vt, aut nunc ſint, aut aliquando fiant; de ijs ſanè deliberatio non eſt.*

REquirendum proponit quale ſit bonum ſuaſioni aut malum diſſuaſioni propoſitum. & rectè. nam licet ſuaſioni bonum, diſſuaſioni malum, propoſitum ſit, non tamen quodcunque ſiue bonum, ſiue malum ſub conſultationem,ac proinde ſub ſuaſionem,vel diſſuaſionem cadit. Etenim de bono quod aſſequi haud liceat, & ſit ἀδύνατον, nihil eſt quod
491 conſultemus aut deliberemus. quamuis enim immortalitas verbi cauſa videri poſſit optima,tamen quoniam ex ijs eſt quæ mortalibus ægris haud conuenit, nemo,niſi deliret,de illa aſſequenda conſultet aut deliberet. Eodémque modo de malo quod vitari nequeat, conſultationem ineat nemo: quis enim de morte penitus declinanda conſilium capiat cum ἀδύνατον ſit, illam effugere? Idem dicendum eſt de ijs quæ ſunt neceſſaria. Quid eſt enim quod aliquis de ſenectute ab humana vita repellenda conſultet cum ſit naturalis ac neceſſaria? aut cur de ſummo bono deliberet, cum naturaliter & neceſſariò expectatur? atque hinc eſt vt conſultatio non ſit niſi de ijs quę cõducunt ad finem (finis enim ipſe, qui eſt ſummum bonum, neceſſariò expetitur) nec rerum naturalium aut quæ ſunt neceſſariæ, aut ex ijs quæ fieri nequeunt. Quæ igitur erunt quæ ſub conſultationem cadunt ac deliberationem? Ea ſanè quæ contingunt ſeu vario modo cadere poſſunt, ac ſummatim quæ naturam habent vt fieri & non fieri ſoleant. Cum enim nec ἀδύνατα quæ inquam fieri nequeunt, nec ἀναγκαῖα ſeu neceſſaria, in deliberationem veniant, ſupereſt vt περὶ τῶν ἐνδεχομένων de ijs inquam quæ contingunt, ſiue ἃ ἐνδέχεται καὶ γενέσθαι καὶ μὴ ſiue contingunt fieri & non fieri (ſic enim loquitur Ariſtoteles) incidat deliberandi occaſio. Quanquam neque de omnibus quæ aliter euenire poſſunt aut fieri & non fieri ſolent deliberatur, ſed de certo horum genere & ideò pergit.

DE GENERE. Deliberatiuo tã præcipit ſigillatim. Primò autem docet quæ ad hoc genus bona aut mala non pertineant.

PARTICVLA LXVIII

ΟΥ̓δὲ δὴ περὶ τῶν ἐνδεχομένων ἁπάντων. ἔστι γὰρ καὶ γίγνεσθαι καὶ μὴ.
περὶ ὧν οὐδὲν πρὸ ἔργου τὸ συμβουλεύειν., ἀλλὰ δῆλον, ὅτι περὶ ὅσων ἐστὶ τὸ
492 βουλεύσασθαι. τοιαῦτα δ' ἐστὶν ὅσα πέφυκεν ἀνάγεσθαι εἰς ἡμᾶς, καὶ ὧν ἡ ἀρχὴ τῆς γενέσεως ἐφ' ἡμῖν ἐστί. μέχρι γὰρ τούτου σκοποῦμεν, ἕως ἂν εὕρωμεν, εἰ ἡμῖν δυνατὰ ἢ ἀδύνατα πρᾶξαι.

Iam

IAm verò nec de ijs, quæ fieri contingit, omnibus (ſunt enim etiam natura quædam, & quæ a fortuna fiunt, bona, quæ contingit fieri, & non fieri, de quibus non præſtat deliberare) ſed de ijs certè, quæcunque cadunt ſub conſultationem. Eiuſmodi verò ſunt, quæcunque referri ad nos poſſunt, & quorum principium, vt oriuntur, a nobis pendet. Nam vſque eò conſideramus, donec inueniamus, poſſimúsne nos ea, an non poſſimus agere. *Riccobonus.*

NEque tamen de omnibus, quæ contingere ſolent, eſt deliberatio: cum aliqua vel a natura, vel a fortuna bona ſint, quæ aut contingere, aut non contingere poſſunt; de quibus nemo deliberare poteſt. Sed planum eſt in ijs eſſe deliberationem, de quibus conſultamus. ea uerò ſunt, quæ ad nos tantum referri poſſunt, & quorum principium agendi in noſtro arbitrio, poteſt atque ſitum eſt. nam uſque eo conſultando procedimus, donec inuenerimus, utrum a nobis ea fieri, an non fieri poſſint. *Maioragius.*

Docet quæ pertineant: atque hæc eſſe quæ cõtingũt, ſed non omnia & quæ.

IGitur lex vniuerſo rerum quæ contingunt veluti campo, remouet deliberationem eorum quæ tum a Natura tum a fortuna contingunt, ſeu contingere dicuntur, bona; quandoquidem nemo ſanæ mentis deliberet de filio procreando qui ingenioſus ſit ac memor; nemo qui venuſtus ore ſit ac vultu: aut etiam qui ſonora voce vtatur ac firmis lateribus, vnde optimè ad eloquentiam ſit conſtitutus: neque rurſus deliberet de vento, pluuia, grandine, a ſuo agro arcenda. nam licet hæc omnia ex ijs ſint quæ fieri & non fieri ſolent, a Natura tamen proficiſcũtur, ac propterea cum non ſint poſita in hominis poteſtate, deliberandi non incidit locus. Sed & nemo deliberat de filio procreando qui ex inopinato theſauros offendat, aut inſtituatur hæres, ac ſummatim 493
proſperè gerat omnia. Nam etſi hæc quoque ex ijs ſunt quæ contingunt, a fortuna tamen (vt humano more loquar cum Ariſtotele) cõtingunt, nec in deliberationem veniunt. Quæ igitur ſunt de quibus licet nobis deliberare? Ea (inquit Ariſtoteles) de quibus conſultamus. ac præclarè. nam deliberationem & electionem ſemper præcurrit (tacitè ſaltem ac poteſtate) & anteuertit conſultatio: ita vt a conſultatione ad electionem & deliberationem progrediamur. Ita fit vt deliberatio ſit eorum quæ ad nos referuntur, & ita referuntur, vt initium & poteſtas eius rei agẽdæ de qua deliberatur, ſeu gerendæ in noſtra ſit poteſtate: alioquin demens videri poſſit qui de re deliberet aut deliberandi ſuſcipiat munus, quæ ab eo effici nullo modo poſſit. Ita demum deliberationem a Neceſſitate, Natura, Fortuna ad Mentem refert Ariſtoteles: ſiue, vt me planiùs explicem, ab ijs quæ a Neceſſitate, Natura, Fortuna efficiuntur, ad ea quæ a nobis mente & prudentia geruntur & adminiſtrantur. ita tamen vt deliberatio ſit rerum quæ non ſolùm mente & prudentia poſſint adminiſtrari, ſed tandem eligi ac deliberari.

PARTICVLA LXIX.

ΚΑθέκαστον μὲν οὖν ἀκριβῶς διαριθμήσασθαι καὶ διαλαβεῖν εἰς εἴδη περὶ ὧν εἰώθασι χρηματίζειν, ἔτι δ᾽ ὅσον ἐνδέχεται περὶ αὐτῶν διορίσαι κατὰ τὴν ἀλήθειαν, οὐ δεῖ κατὰ τὸν παρόντα καιρὸν ζητεῖν, διὰ τὸ μήτε τῆς ῥητορικῆς εἶναι τέχνης, ἀλλ᾽ ἐμφρονεστέρας καὶ μᾶλλον ἀληθινῆς.

AC vt ſingula quidem exactè enumerentur, & ea digerantur in formas, de quibus ſoliti ſunt ſtatuere, præterea verò, vt quantum fieri poteſt, de ipſis diſputetur ex veritate, non oportet in præſentia quærere: propterea quod id non eſt Rhetoricæ artis, ſed prudentioris ac verioris. *Riccobonus.*

Singula

Maiora gius.

Singula igitur diligenter enumerare, atque in ſpecies degerere, de quibus homi-
494 *nes ſtatuere ſolent, & ea quantum fieri poßit, ex veritate perpendere, nihil opus*
eſt in præſentia neque enim hoc Rhetoricæ artis officium eſt; ſed alterius, quæ diligen
tiùs, & accuratiùs veritatem inueſtiget.

QVoniam accuratè docuerat quod rerum genus ſub deliberationem ca-
deret, potuiſſet quiſpiam requirere vt genus hoc vniuerſum in ſuas par-
tes tribueret, diligentérque ſingulorum partium vim declararet: vt ſci-
licet de ijs conſtaret planiùs de quibus incidere poſſet deliberandi oc-
caſio. monet igitur Ariſtoteles nihil eſſe quod expectemus vt hunc la-
botem ſuſcipiat, nam id non Rhetoricæ artis munus eſt, ſed ἐμφρονεστέρας
καὶ μᾶλλον ἀληθινῆς, prudentioris ac magis veræ: quibus verbis Politicam, Ciuilem ſcien-
tiam inquam, videtur deſignare. Politico enim quippe qui in Reipublicæ ſpecula reſi-
det, ſpectanda ſunt diligenter ea de quibus conſultandi ac deliberandi oriri poſſit occa-
ſio: Neque ſolùm hæc circumſpicere & obſeruare omnia, verùm etiam accuratiſſimè
complecti ac perſequi. Itaque totum hoc argumentum perſequi dicitur Ariſtoteles
in lib. III. de Moribus. cum enim ex libris de Moribus & Politicis ciuilis ſcientia con-
ſtat, quid prohibet quominus iure Ariſtoteles horum rerum tractationem Politico at-
tribuunt, quantumuis in libris de Moribus contineretur? præſertim verò quia quæ in
Politicis habentur, legum ferè cauſa tractantur, quas in Ethicorum fine eorum ſaltem
gratia ſubijciendas ac perſequendas monet qui non ſine pœna & legibus moralibus
præceptis obtemperarent. Vt propterea libri de Moribus, quoniam ad hos diriguntur
leges, hac etiam de cauſa Politici ſeu ciuiles dici poſſint. At enim quæ ſunt obſecro quę
in propoſito tertio libro Moralium afferuntur quæ ad conſultationem deliberationẽ-
que pertineant? Ea, inquiunt, nonnulli, quæ habentur in III. illius libri capite. Et ſanè
ibi docet Ariſtoteles neceſſaria vel fortuita nõ pertinere ad deliberationem ſed huma-
na: nec humana omnia; ſed ea tantùm quæ ſub actionem cadunt & ſunt in noſtra pote-
ſtate, ita vt non ad Naturam, Neceſſitatem, Fortunam, verùm ad hominis Mentem &
prudentiam referantur: atque hinc fieri vt nec de ijs conſultemus quæ certis doctrinis
atque artibus continentur, cum hæc eodem modo eueniunt, non verò aliter atque ali-
495 ter contingant. conſultationis enim materia ſunt res dubię quæ nec plurimum habeãt
fortunæ (in ijs enim minimum conſilij) nec multum firmitatis, nam in his ſuperuaca-
nea eſt conſultatio. tametſi artes, vt minùs habent conſtantiæ & firmitatis quàm do-
ctrinæ atque ſcientię, minùs difficilem interdum admittunt conſultationem. inprimis
verò non de fine eſt deliberatio ſed de ijs quæ pertinent ad finem, & ancipitem habent
electionem. hæc & id genus alia eo in loco. Quamquam, vt verè fatear, omnino credi-
derim Ariſtotelem, Interpretum pace, non huc ſpectaſſe cum diceret ἐμφρονεστέρας τέχ-
νης eſſe de ijs agere, ſed potiùs ſi forte hæc in Ciuili ſcientia tractari iubet, innuetur in
poſteriorem ciuilis doctrinæ partem in qua præſtat Remp. & ciuitatem informare, &
quæ illi in dies procuranda bona, quæ arcenda mala, oſtendere, eadémque pro ſingulis,
etiam politiæ formis indicare. itaque Politicæ prudentię eſt vniuerſim ſaltem & per ge-
nera diſtribuere & in ordinem digerere ea de quibus oriri poteſt deliberandi occaſio.
Tametſi quoniam in propoſito Ethicorum loco, nihil minùs quàm ad has deſcendit
formas; id quoque dubitationem habet, quî poſterioris Ciuilis ſciẽtiæ partis ea ſit per-
cenſere, cum non tam de rebus conſulendis agat, quàm præcepta proferat quibus ho-
mines in ciuili vita benè ac beatè viuere poſſint. Quid multa? iam iam eorum nobis
ſpecimen dabit Ariſtoteles, quæ deliberatione ac propterea conſultatione indigent: at-
que hæc, vt maiora proferat, ſtatuet eſſe pacem, bellum, vectigalia, annonam, leges: &
tamen nuſquam hæc in Ethicis enumerantur, & ad genus aliquod redigũtur, tantùm
abeſt vt ea planè omnia quæ in conſultationem cadunt, ab Ariſtotele ibi digerantur
commonſtrentúrque in Politicis. Neque eſt cur eò confugiamus vt dicamus hoſce li-
bros eſſe imperfectos ac deſiderari multa. Nam ſat ſcio id a multis obſeruari ac nõ ob-
ſcuris inditijs & argumentis confirmari. Quin hac de cauſa ſunt qui tam græcè tum
latinè Ariſtoteles Politicam expleuerint, libros abdentes aliquos. Sed tamen vbi con-
496 ceſſero reuera hoc opus eſſe imperfectum ac deſiderari multa, illud pernegabo, Poli-
tici eſſe

Digreditur vt ea nũqua in deliberationẽ cadũt longã enumerationẽ, quippe politici propriã declinet.

tici eſſe dum Remp. informat ac Ciuitatem, mala illa & bona ad certos gradus redigere. Neque enim is eſt Politicus qui Oratori ſeruiat, ac propterea quæ vel bona vel mala conſultationi locum offerant referat in capita. Quorſum igitur ſic loquitur Ariſtoteles? ſic loquitur, quia ſi cui demandandum ſit hoc munus, vel ſi a quopiam hoc munus pro dignitate impleri poſſit, is ſit Politicus. Ipſe enim & de legibus paſſim verba facit, & de regione ac finibus quibus ciuitas ſit conſtituenda, & de pecunijs colligendis, de bello item & pace déque huiuſmodi alijs multis de quibus Oratori deliberandi & cõſultandi incidere poteſt locus. Quæ tamen non per genera declarantur, aut ad genera & capita reuocantur, multóque minùs, vt hinc Oratori in deliberatiuo genere ſeruiatur; ſed ſparſim Ciuilis inſtitutionis gratia præcipiuntur. Ita vt ſi quando hæc ad genera ſint reuocanda, nemo aptiùs id efficere poſſit quàm Politicus quin vnus Politicus, id præſtare valeat. Quare non ſtatuit Ariſtoteles hæc a Politico præſtari; ſed ſi præſtanda ſint, Politico certè eſſe demandanda aut præſtanda, quoniam ex Ciuili prudentia pendent ac certiorem cognitionem requirunt quàm Rhetorica præcepta. Quod ſi in Ariſtotelis Politicis id planè factum haud inuenias, nil fortaſſe mirum, cum multa deeſſe plerique exiſtiment. tametſi quædam indicari non eſt quod inficiamur: dum enim ea commonſtrat quæ varijs politiæ formis proſunt obſuntue ſeu prouidenda ſunt, hinc multa colligas licet de quibus cõſultandi ac deliberãdi incidit occaſio. præſertim verò de legibus de quibus paſſim, de alimẽtis, artibus, armis, pecunijs, rebus diuinis, iudicijs, de quibus capite X. libro VII. Quanquam dum hæc pauciſſimis attingit, & verò ex quinque illis præcipuis videri poteſt prætermiſiſſe aliqua, cuiuſmodi ſunt cuſtodia regionis, importanda & exportanda, tutiùs ſit ſtatuere, non tam voluiſſe vt Politicus ea omnia in ciuili doctrina diſponat per genera de quibus incidit deliberandi occaſio (nõ enim ad deliberationes ſed vniuerſim ad gubernationẽ ſtudiũ refert Politicus) quàm exiſtimaſſe id, ſi faciendum ſit, eius eſſe qui politicis præceptis ſit imbutus. Hic enim multò meliùs id præſtet quàm Orator. Quapropter ſiue has rernm conſultandarum & deliberandarum formas attigerit Ariſtoteles in Politicis ſiue potiùs prætererit, vix vt initia quædam obiecerit vnde quoquomodo percipiam a nobis poſſint certum eſt 497
Politici eſſe non Rhetoris eas explorare, digerere, explicare, ſi alicuius ea explicare proprium ſit.

PARTICVLA LXX.

Πολλῷ δὲ πλείω δεδόσθαι καὶ νῦν αὐτῇ τῶν οἰκείων θεωρημάτων. ὅπερ γὰρ καὶ πρότερον εἰρηκότες τυγχάνομεν, ἀληθές ἐστιν ὅτι ἡ ῥητορική, σύγκειται μὲν, ἔκ τε τῆς ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς. ὅμοια δ' ἐστὶ τὰ μὲν, τῇ διαλεκτικῇ. τὰ δὲ, τοῖς σοφιστικοῖς λόγοις. ὅσῳ δ' ἄν τις ἢ τlὼ διαλεκτικlὼ ἢ ταύτlω μὴ καθάπερ ἂν δυνάμεις, ἀλλ' ἐπιστήμας πειρᾶται κατασκευάζειν, λήσεται τlὼ φύσιν αὐτῶν ἀφανίσας, τῷ μεταβαίνειν ἐπισκευάζων εἰς ἐπιστήμας ὑποκειμένων τινῶν πραγμάτων, ἀλλὰ μὴ μόνον λόγων. ὅμως δὲ ὅσα πρὸ ἔργου μέν ἐστι διελεῖν, ἔτι δ' ὑπολείπει σκέψιν τῇ πολιτικῇ ἐπιστήμῃ, εἴπομεν καὶ νῦν.

ET quia multò pluta data ſunt etiam nunc ipſi, quàm propriæ poſtulent contemplationes. Quod enim etiam priùs diximus, verùm eſt, Rhetoricam cõ- Riccobonus.
poſitam eſſe tum ex Analytica ſcientia, tũ ex Politica, quæ in moribus verſatur: ſimilẽ verò eſſe partim Dialecticæ, partim Sophiſticis ſermonibus. Quòd ſi quis vel Dialecticam, vel hanc non tanquam facultatẽ, ſed ſcientias conetur inſtruere, latenter naturam ipſarum demolietur, eo quòd tranſeat concinnans in ſcientias ſubiectarum quarundam rerum, ſed non ſolummodo rationum. Verumtamen quæcunque melius eſt, vt explicentur, ac præterea relinquunt meditatio- 498
nem, Politicæ ſcientiæ, dicamus etiam nunc.

Maioragius.

TAntum verò abeſt, vt aliquid Rhetoricæ detrahamus; vt etiam ei longè plures præceptiones concedamus, quàm reuera concedi debeant. Quod enim antea diximus verum eſt; nempe Rhetoricam ex Analytica ſcientia, ex parte ciuilis facultatis, quæ in moribus verſatur, eſſe conflatam. Similis eſt autem partim quidem Dialecticæ, partim verò Sophiſticis diſputationibus. Quod ſi quis vel Dialecticam, vel hanc artem, non tamquam facultates, ſed tanquam ſcientias, exquiſitiùs tractare voluerit; imprudens earum naturam penitus euertet eo, quòd illas ornandi ſtudio captus, tranſeat in ſcientias: quæ iam res aliquas certas, in quibus verſentur, ſubiectas habent, non autem rationes & argumenta tantùm. Verum nos quæ vtilitatem adferant huic arti, in præſentia pertractemus, ita tamen vt exquiſitam eorum explicationem ciuili ſcientiæ relinquamus.

Digreſſione itē docet ſe amplis adhuc finibus circūſcribere Rhetoricæ cāpum, atque eos qui Rhetoricā cū Politica confunderent & ad perfectam ſcientiā reuocare niterentur, perſtringit

POtuiſſet quiſpiam demirari aut conqueri quòd Ariſtoteles hūc ſubterfugeret laborem eúmque inſimulare, quaſi verò non nihil detraheret Rhetoricæ facultati quæ ab authore amplificāda eſſet potiùs, quàm extenuanda: Quid enim ſi Rhetores cæteri rerum deliberādarum formas & ſeriem totam explicaſſent? certè Gorgias & Rhetores qui non tam Oratores quàm Politici appellari vellent, ad hæc deſcendiſſe veriſimile videri poteſt. Vt omittam M. Tullium in primo de Oratore ſub Craſſi perſona ad Oratorem reuocare quæ de vita & moribus diſputātur. Quintilianum verò non reuocate modò ſed Oratoris efficere propria, quaſi verò Philoſophi ab Oratore ea ſint mutuati. Ex quo effici videretur Rhetoris eſſe ea perſequi & accuratè perſequi. Sed Ariſtoteles inde Oeconomiam tuetur ſuam, ac diluit calumniam, quòd ſat fuerit a ſe nihil Rheto-
499 ricæ detractum ex ijs quæ illi conueniunt; ſed potiùs multò cōceſſiſſe plura quàm propriæ poſtulent Rhetoricæ rationes. Et ſanè non ſolùm permulta ex Analyticis & Dialecticis huc reuocauit, multa etiam ex Ciuili facultate, præſertim cū fidem ex moribus & virtutibus & affectibus ducendam ſignificauit quorum cauſa ſecundum librū conflauit) verùm etiam interim iuſſit argumenta ex rebus ac doctrinis & artibus decerpi omnibus (dum tamen nō egrediantur probabilitatis fines) quibus tertiū quoque fidei genus quod ex rebus ducitur & enthymemati ſeruit, copiosè parari poſſit. certè quę de bello, pace, beata vita, & huiuſmodi alijs diſputat, ad primum fidei genus pertinent. tametſi quoniām hæc ſubijcientur, ea tātùm breuiter vniuersímque commemorat Ariſtoteles ad calumniam eluendam quæ conſtituta ſunt antea; nimirū ſe Rhetoricam ex Analytica & ciuili facultate quæ moribus continentur, conflauiſſe: ita vt Dialecticæ quoque & Sophiſticæ imaginē referat, cum Sophiſtici quoque vſus illi concedatur dū quæ veriſimili reſperſa ſunt falſa, illi conceſſa ſint. Et quoniam accuſationis & calūniæ altera pars illa erat, eum accuratā huiuſmodi rerum ſubterfugere diſputationem, cum dixerit non eſſe huius operis res ad veritatis normā expendere, addit eum qui vel Dialecticā vel Rhetoricā non tāquam facultates ſed tanquam ἐπιστήμας ſeu ſciētias aſtruat & vſurpet (ſi tamē id re ipſa perficere liceat) clam earum naturam demoliri, quòd eas ex facultatibus in ſciētias cōuertat. qui enim certis eas pręceptis, & exquiſitis inſtruat non amplius facultates quaſdā eſſe ſinat ad fidē faciēdam idoneas quaéque faciliorem ſternant viā, ſed certis illas initijs expleat vnde certa cognitio gignatur quod non facultatis eſt, ſed ſcientiæ. Ex hoc verò loco colligitur etiā quid nomine facultatis intelligat Ariſtoteles. nā ſi ea facultati eſſet ſubiecta notio, in cōtrarias partes diſputare (quā tamē laudem Dialecticæ & Rhetoricæ non inuidet) ægrè intelligeretur facultates corrumpi vbi exploratis inſtruerentur rationibus. cùm tamen vbi ſumamus ſcientiā eſſe eā quæ exploratis vtitur argumētis, & eſſe habitū animi, eúmque conſtātem, quemadmodum ſapientia, mens, prudētia, & ars; alias verò cognitiones minùs firmas nō eſſe habitus, &
500 propterea non ſcientias ſed facultates quaſdā appellandas, quia facilitatem tātùm præſtant non creditudinē (vt ita dixerim) facilè intelligat Rhetoricā & Dialecticā hoc nomine dici facultates quia non ſunt habitus certi ſed ne habitus quidem ſed facultates, quæ æque facilitatem tantùm præbeant non exploratas rationes. ita fieret vt qui nitatur eas efficere ſcientias & habitus, has corrūpat facultates & in ſciētias cōuertere nitatur, Sed ſint iſthæc Ariſtoteles. Verùm cur nō ſaltē ad veriſimilis imaginē illa attingat quæ

Quid facultatis nomine intelligat Ariſtoteles.

indigent conſultatione? Ego verò hoc conſilium attingam, inquit. Itaque concludit ſe iſthæc tractaturum, non tamen exquiſitè, id enim Politico eſſe relinquendũ ſed vt probabiliter explicet quæ vſui eſſe poſſint inſtituto. ita quidem ſibi aperit cãpum vnde ſic in ea excurrat quæ maximè indigẽt deliberatione; vt exquiſitam eorum tractationem ſe Politicis relicturum profiteatur, ac Rhetoris fines vix quicquam egrediatur.

PARTICVLA LXXI.

Σχεδὸν γὰρ, περὶ ὧν βουλεύονται πάντες, καὶ περὶ ἃ ἀγορεύουσιν οἱ συμβουλεύοντες, τὰ μέγιστα τυγχάνει πέντε τὸν ἀριθμὸν ὄντα. ταῦτα δ' ἐστὶ, περί τε πόρων, καὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης. ἔτι δὲ, περὶ φυλακῆς τῆς χώρας, καὶ τῶν εἰσαγομένων καὶ ἐξαγομένων, καὶ νομοθεσίας.

Riccobonus.

FErme enim, de quibus conſultant omnes, & de quibus concionantur illi, qui 501
deliberant, res maximæ ſunt quinque numero. Atque hæ ſunt, de apparationibus pecuniarum, & bello, & pace: Præterea verò de cuſtodia regionis, & ijs, quæ importantur, & exportantur & legumlatione.

Maioragius.

REs igitur maximæ, de quibus omnes ferè conſultant, & de quibus deliberantes in concione ſententiam dicunt, quinque numero ſunt; hoc eſt, de vectigalibus, de bello & pace, de cuſtodia regionis, de ijs quæ importantur & exportantur, de ferendis legibus.

Quæ maximè in deliberationem cadunt, & omniũ maxima videri ſolent, quinquepartitò diſtribuit.

ENumerat ea quæ maxima viderentur Inter res de quibus conſultatur ac deliberatur, vt ſcilicet illuſtre quoddã prębeat ſpecimen eorũ quę cum a Politico ſpectari ſolẽt vt Rempublicã rectè adminiſtret, tũ Oratori in primis ſunt reputãda vt conſilium explicatè dare & in deliberatiuo genere pro dignitate verſari queat. qui enim de rebus maximis & grauiſſimis cõmodè diſputauerit ad ſuadendũ vel diſſuadendũ, is non incommodè ad reliquarum ſuaſionẽ diſſuaſionémue deſcẽdat quinque igitur ex ijs enumerantur quæ maxima videri debent deliberaturis; nimirum vectigalia ſeu apparatio pecuniarum: bellum & pax: cuſtodia regionis: ea quæ importãtur & exportantur: & legũ ferendarũ ratio, ſiuę latio legum. de quibus ſingulis iam iam diſputabimus Ariſtotelẽ ſequentes.

CONTROVERSIA XXXVI. Num Vectigalia & cætera, quæ ĩter res maximas recẽſet Ariſto teles, talia cẽſẽda ſint.

Interim tamen illud dubitet quiſpiã, num iſthæc res maximè in hoc genere ſint habendæ: nam apud Ethnicos Senatus & de religione deliberabat quæ ſine dubio cæteris omnibus præſtat, & de augurijs & ſupplicationibus ſtatuebat. fœdera etiam & amicitiæ magni momenti ſunt. idem dixerim de Magiſtratibus: idẽ de artium ſtudijs quæ Politici eſt obſeruare diligenter, & quę artes publico bono conducunt, retineãtur, 502
quę obſint, arceãtur: de nuptijs quoque, de liberorũ educatione, déque huiuſmodi alijs incidit deliberãdi occaſio quæ nõ minùs è Republica ſunt quàm quæ exportantur vel importantur. aut vectigalia; hæc enim & ſunt quæ florẽtiſſimis populis ignota fuerũt diu: & ſine quibus Respublicę & Regna diu floruiſſe cõpertum eſt. vt omittã ſordida eſſe ac digna vt inter res viles non inter res maximas numerentur, idémque de ijs dixerim quæ exportantur & cõportantur: pleraque enim ad mercimonia pertinent ac ſordidos queſtus, aut etiã delicijs veriùs & luxui ſeruiũt quàm Reip. ſaluti ac dignitati; ita vt perpauca ad res maximas poſſint reuocari. Sed tamẽ hæc (vt de primis, dicã priùs) nõ facilè deliberationi offerunt locũ: cum vbi ſemel legibus ſancita ſint, rata eſſe ſoleant. quòd ſi varientur interdũ, ſub legũ tutela eſſe adhuc ſolent, ita vt ad leges reuocari poſſint. ſiquidẽ optimę leges primo diuinum cultum ac religionem tueri debent: tum ea curare quæ ad Magiſtratus, ad iuſtitiæ adminiſtrationẽ & contractus quos Iurecõſulti vocant, pertinent ad publicum bonum, quĩ cum nuptiæ, liberorũ educatio. optimæ artes, & cætera quę cõmemorauimus ſunt coniunctiſſima. Et quanquam nihil prohibet quominùs de vectigalibus etiã, déque rebus exportãdis & cõportandis lex extet, ſiue in legũ latione de illis habeatur ratio, imò verò lege etiã multa concludi poſſunt quæ ad pacẽ pertinẽt & bellũ & Ciuitatis cuſtodiã, veruntamẽ id non facilè accidit vt legibus conclu-

cõcludantur,ob mirã horũ omniũ tum varietatẽ & multitudinẽ,tũ incõſtantiã & mutationẽ ac proinde in certas adminiſtrationis opportunitates,præſtat de ijs in dies cõſultare ac deliberare: ita fit vt tũ vectigaliũ rerũmque exportandarũ comportandarũmue tum maximè belli,pacis, cuſtodiæque ratio,prudentiæ & conſilio tranſmittatur Principis aut Reipub.illius: nil mirum igitur ſi hæ inter res conſultandas,quippe maximæ
503 numerentur: cum cætera quæ interim afferebantur quaſi parllis momenti aut maioris,ſub legibus contineantur ferè.Ita fit vt Religione excepta, quæ tamen ad legum lationem ſed diuinam & ſacram pertineret ſi deliberãdi locus incideret,nil fortaſſe cum illis quæ enumerat conferri poſſit. Nam quod obijciebatur de vectigalibus inde refellitur quod præſens vitæ ratio illis omnino egeat atque ita egeat vt ornamenta pacis ac præſidia belli cenſeantur. Ita ſanè quantum vilia tantum neceſſaria videri poſſunt. Tametſi nec vilia omnino videri debent vbi conuenienter exigantur & ad publicum bonum referantur. Nam, quicquid olim rudi ſeculo acciderit in quo politiæ ratio ignota erat aut confuſa ita vt aliquando vectigalia ipſa ignorarent, nunc publico ſplendori ac ſaluti ſeruiunt. Sed de vectigalibus copiosè non multò poſt. Quod verò de rebus exportandis aut comportandis obijciebatur, verè Ariſtotelis ſententiam non tam labefactat quàm confirmat. Etenim quæ ſunt neceſſaria ad vitam maximi momenti habenda ſunt: atque idem dixerim de ijs quæ paci tuendæ aut bello adminiſtrando neceſſaria ſint vel opportuna. Quòd ſi quædam ad luxum pertinent & delicias nec opportunitatem habent, ea de cauſa maximè pertinent ad conſultationem vt arceantur longiùs ac prohibeantur ne eneruent Ciues. Quæ quoniam plurima ſunt, egent ſine dubio aſſidua conſultatione & cura præſertim ob temporis varietatem. De qua item re infra opportuniùs.

PARTICVLA LXXII.

Ω῞Στε περὶ μὲν πόρων, τὸν μέλλοντα συμβουλεύσειν, δέοι ἂν προσόδους τῆς πό-
λεως εἰδέναι, τίνες καὶ πόσαι, ὅπως εἴ τέ τις παραλείπεται, προστεθῇ, καὶ εἴ τις
504 ἐλάττων, αὐξηθῇ. ἔτι δὲ τὰς δαπάνας τῆς πόλεως ἁπάσας, ὅπως εἴ τις περίεργος,
ἀφαιρεθῇ, καὶ εἴ τις μείζων, ἐλάττων γένηται. οὐ γὰρ μόνον πρὸς τὰ ὑπάρχοντα προσι-
θέντες πλουσιώτεροι γίνονται, ἀλλὰ καὶ ἀφαιροῦντες τῶν δαπανημάτων. ταῦτα δ' οὐ
μόνον ἐκ τῆς περὶ τὰ ἴδια ἐμπειρίας ἐνδέχεται συνορᾶν, ἀλλ' ἀναγκαῖον καὶ
τῶν παρὰ τοῖς ἄλλοις εὑρημένων ἱστορικὸν εἶναι πρὸς τὴν περὶ τούτου συμβουλήν.

Riccobonus. QVare de apparationibus pecuniarum qui deliberaturus fuerit, cum oportebat reditus ciuitatis ſcire,qui,& quanti ſint,vt ſi quis deſit, adiungatur: & ſi quis minor ſit,augeatur. Prætereà verò ſumptus ciuitatis omnes, vt ſi quis maior ſit,minor efficiatur. Non enim ſolùm ad ea, quæ adſunt,adiungendo ditiores fiunt, ſed etiam detrahendo de ſumptibus. Atque hæc non ſolùm ex rerum priuatarum experientia contingit contueri, ſed neceſſarium eſt, eorum, quæ alij inuenerũt,hiſtoricum eſſe ad eam,quæ de his habetur,deliberationem.

Maioragius. *ITaque ſi quis de vectigalibus benè conſulturus eſt, eum redditus ciuitatis noſſe oportet, quot qualèsue ſint: vt ſi quis negligentia relictus ſit, adiungatur, & ſi quis minor eſt quàm confici poſſit, augeatur. Prætereà publicos ciuitatis ſumptus noſſe debet: vt ſi quis ſupernacaneus eſt, adimatur, & ſi quis maior eſt quàm conueniat, minuatur. Non enim ſolùm bona amplificando ditiores euadunt homines, ſed etiam ſumptus detrahendo. Hæc autem non tantum ex propriarum rerum ſcientia poſſunt intelligi: ſed etiam hiſtoriarum peritum eſſe oportet, qui bene de his rebus conſulturus ſit; vt ſciat quomodo aliæ nationes, ad hanc rem idoneas rationes inuenerint.*

De vectigalibus, ſeu parādis pecunijs agit primo loco.

DE vectigalibus, quoniam hæc primo propoſuerat loco, agit primùm,
docétque breuiter quæ expendere ac noſſe oporteat Oratorem qui de 505
ijs aptè ſit conſulturus. quatuor verò ſunt. primùm quot quæ ſue
ſint cenſus ſeu reditus Ciuitatis: idque vt ſi quis per incogitantiam re-
lictus ſit, addatur: ſi quis etiam ſit minor quàm par eſſet, augeatur. Ac
profectò ſi Vrbs aut Regio ſit portuoſa verbi gratia, quidni portoriũ
imponatur, ſi nondum fuerit impoſitum? aut cur non augeatur, ſi ſit longè exiguum
& vile? Alterum eſt vt è contrario ſumptus reputet: nimirum vt adimat ſuperuacaneos, minuat immoderatos; quandoquidem cenſus & vectigalia & in vniuersùm diuitiæ non in amplificatione ſolùm augentur verùm etiam ſumptuũ detractione. vt enim
in familia magnum vectigal eſt parſimonia ac magnum patrimonium frugalitas, eodémque modo non eſſe emacem, non bibacem, non edacem in magno lucro ponendum eſt, ita in Rep. ſumptuum quaſi amputatio ac diminutio rei ſeruit augendæ: nec in
ludis aut theatris, aut etiam in conuiuijs publicam erogare pecuniam, magnum vectigal eſt ac patrimonium, ita vt in lucro ponendum ſit. Tertium eſt vt eiuſmodi cognitionem ex rei quoque familiaris tractatione hauriat. nam iiſdem ferè artibus publicus
cenſus augetur & conſeruatur quibus priuatus. & ſanè quemadmodum Domus eſt
exigua veluti Vrbs, Vrbs contra domus ampliſſima, ita qui frugaliter domum, hoc eſt
minorem Vrbem, adminiſtrauerit, frugaliter etiam adminiſtrabit maiorem. Itaque ſapienter, vt ſemper ſolet Apoſtolus eum in Eccleſia publicæ gubernationi præficiendũ
iudicauit qui domui ſuæ cum laude præfuiſſet. Poſtremum eſt vt ad hiſtoriam aut rerum geſtarum monumenta quoque confugiat, vt ſcilicet exempla obſeruet quibus
reliquæ nationes publicum vectigal & ſenſum auxerint; nam eodem fermè modo vrbi
proſpicies tuæ. Ac rectè. cum enim pecuniæ ac vectigalia maximum & bello & pace
vſum afferant Reipublicæ, nullum fermè hiſtoriam offendas, tam ieiunam, quæ non
aliqua tibi ad pecunias cogendas exempla ſuppeditet inter quæ (vt ſpecimen extet aliquod) illud pulcherrimum eſt quod a multis factitatum legimus. Sæpè enim accidit 506
vt cum aliquæ vrbes vel annonę caritate vel belli periculis premerentur, nec pecuniæ
preſto eſſent quibus vel annonam inemerent, vel milites conſcriberent ac ſummatim
periculis imminentibus proſpicerent iuſſerint vt fœminæ manuum armillas, torques
aureos denique argentea ornamenta omnia in publicum deferrent, viri etiam argẽtea
vaſa omnia comportarent; ita quidem pecunia conflata eſt vnde cõmeatus miles, annona comparata ſunt ac periculis conſultum eſt ſatis. Hæc ſummatim Ariſtoteles.

CONTROVERSIA XXXVII. NVM merò tãti æſtimantur vectigalia ab Ariſtotele.

At enim (vt ad dubitationẽ paulò ante prætermiſſam redeamus) quid tu vectigalia
tanti æſtimas Ariſtoteles, atque inter res maximas enumeras, & primo loco enumeras?
an nõ tractatio vectigalium ſordida eſt, quæque publicanis hoc eſt illiberalibus ac ſordidis hominibus iniũgeretur? certè Liberatori noſtro illud probro dabant Iudæi quòd
cum publicanis verſaretur: ij enim non modò illiberales ac ſordidi, verùm etiã profani
ac ſcelesti, vno verbo fex hominum, habebantur. Imò verò tanti momenti ſunt vectigalia vt M. Tullius affirmare audeat eſſe pacis ornamenta, belli ſubſidia, Reipublicæ
Imperiíque firmamentum: quaſi verò fieri nullo modo poſſit vt Reſpublica nõ multis
ac magnis incõmodis prematur quę nullis aut exiguis vectigalibus munita ſit: tantùm
abeſt vt domi foriſque magna virtutis relinquere valeat monumenta: & ideo cauſa vectigalium & publicanorum Imperij cauſa dicebantur. Quin etiam apud Romanos publicani ijdem erãt equites Romani: quorum tamen ordinem M. Tullius in Maniliana
multis laudibus ornat, ita vt ne illud quidem affirmare dubitet, eſſe cæterorum ordinum fundamentum. Quamuis enim plebeis vterentur adminiſtris qui vectigalia exigerent, ipſi tamen & prædiuites & honorati erant, & non in Vrbe ſolùm, verùm etiam
toto Romano Imperio florebant. Ita vt cum Hieroſolymis Matthæus eſſet Princeps 507
Publicanorum ac diues, & tamen nullius apud Hebræos eſſet exiſtimationis, fortaſſe
id contigerit vel quia Tyberij tempore, quoniam Reip. dignitas ceciderat, Publicanorum quoque & Romanorum equitũ authoritas labefactata eſſet, (tametſi Tyberius
Romæ hunc ordinem coluiſſe fertur) ac propterea exteri etiam, talis enim erat Matthæus, inter Publicanos eſſent recepti qui ſordidi viderentur: vel quia Hebræi Ethnicos, quippe Idolorũ cultores, vt peccatores ſic profanos & inglorios reputabãt. Etſi. n.
alioquin florerẽt diuitijs ac nobilitate, inter iniquos tñ numerabãtur. ꝓſertim verò q̃a
Hebræi

Digitized by Google

Hebræi cenſebant Dei populum, niſi per iniquitatem a profano populo non potuiſſe tributarium effici: ita vt hac quoque de cauſa Romanos immortali odio proſequerentur, a quibus etiam hac maximè de cauſa ſæpè defecerunt, donec a Tito illorum Vrbs ac templum ſolo æquata ſunt. Sed redeo ad Ariſtotelem. qui ſanè quoniam eò rem adduxit vt vectigalia pecuniæque apparatus inter res maximas ac primo loco numerarit, illud etiam effeciſſe viſus eſt, quod multi dictitant pecunias rerum ferè omniũ eſſe caput, inprimis verò belli ſummam in pecunijs ferè eſſe poſitam & collocatã. id igitur lubet ad propoſitam controuerſiam reuocare & accurariùs diſputare. Ac primùm (vt totam hanc ſententiam confirmem) duo ſunt Reipublicæ Imperijque præſidia & firmamenta. præmium & pœna: his perinde ac ſuis Mundus cardinibus regitur ac ſuſtinetur publica adminiſtratio. quòd ſi pecuniæ deſint ac vectigalia; nec pœnas ſontibus irrogare valeas, quæ niſi adminiſtris ac multo interdum milite irrogari nequeunt, nec

Pecunias eſſe belli & rerũ agendarum veluti neruos. Probatur multis.

508 præmia quæ fermè ſumptuoſa ſunt, dilargiri. Atque huc recidit res vniuerſa ſi quis amorem ac timorem ſeu beneuolentiam & metum imperij cenſeat fundamenta. Metus enim ſeu timor incuti nequit vbi pecuniæ deſint quibus alantur ſatellites ac milites ad exules, graſſatores, hoſtes puniendos ac reprimendos. Beneuolentia quoque vix ac ne vix quidem concilietur vbi nulla ſint meritis præmia atque virtuti. Eòdem item res tandem reuoluitur, ſi, quod alij exiſtimant, Reipublicæ præſidia ſint conſiliũ & pecunia. præſertim verò quia conſilium caduci inſtar floris areſcat vbi auro atque pecunijs tanquam humore & calore non nutriatur & foueatur. Itaque non immeritò cum neruis cõferuntur pecuniæ, ac vectigalia ſigillatim a M. Tullio Reip. & alijs belli dicũtur nerui; vt enim homo ſine neruis cõſiſtere aut ambulare nequit, ægrè etiam reliqua obire corporis munera, ita ſine pecunijs Reipublicæ Regniue authoritas ac dignitas nequit cõſiſtere: proindéque res graues ad exitum perduci haud poſſunt. bellum enim & res magnificæ in expenſis & ſumptibus maximè ſunt poſitæ & collocatæ. Quin etiã nõ modò neruos belli, verùm etiam Reipublicæ & Imperij præſidium, vt dicebam, & firmamentum pecunias appellant multi. quaſi verò pecunia ſuppeditet omnia; arma, cõmeatus, milites, claſſem, quicquid denique ad Reipublicæ ac vitæ tum ſalutem tum ornamentum ac delicias attinet. Rem lepidam ac facetam commemorabo: ſed quę tamẽ inſtituto ſeruiat non mediocriter. Superiotibus annis cum Vrbs Patauina in ſumma verſaretur annonæ inopia & caritate, ita vt ne tantillum quidem frumenti aut panis efferre liceret, Germanus quidam prædiues publico oſtiario ſuſcitanti, num in arca quam per baiulũ diſceſſurus efferret, panis quidquam ſeruaret, aſſeruari annuit, tum adminiſtri auidè aperire, ſcrutari, euoluere omnia. cum verò nil tale deprehenderent, ſéque irriſos crederent, acerbè in Germanum inuehunt. Tum Ille magna nummorum

I.
II.
III.
IV.

509 aureorum vi quæ in arca ſeruaretur oſtenſa & effuſa quid ipſi a me vos deluſos cẽſetis? hîc panis latet, vinum, veſtes, equi, ſcortum etiam ipſum, denique omnia, & acutè. nam omnia parãtur pecunijs. Atque id quidem ex Ariſtotele ipſo (ne ab illo digredi videar) diſcere licet, qui in hoc ipſo quem explanamus Rhetoricę commẽrario, πάντα (inquit) ὤνια τῷ πλούτῳ, omnia diuitijs ſeu pecunijs venalia. Quin Horatius ad res quoque diuinas diuitiarum traducit imperium cum canat

V.

Vbi multis item auri vis declaratur.

Diuina humanáque pulchris
Diuitijs parent.

quî cum Tibullus concinit eleganter dum ait;

Munera crede mihi, placant hominésque Deósque:
Placatur donis Iuppiter ipſe datis.

nam Iouem (quoniam mentionem de illo fecimus) dici in auream pluuiã conuerſum quòd auro tãdem fœminæ pudicitiam expugnaret, facilè intelligitur. Porrò Philippus Rex Macedonum cum ab Oraculo ſuſcitaretur quî tandem ex ſuſcepto bello victoriã referret, ſi argenteis haſtis (reſpondit illud) certaueris. cuius Oraculi vim perſenſit quidem Philippus & coluit. nam deinde auro non minùs quàm armis expugnare Vrbes ſtuduit. itaque illud etiam ſæpè habebat in ore, Nullum eſſe tam munitum oppidum quod expugnari non poſſet dummodo aſellus onuſtus auro eò poſſet ingredi. & huc planè ſpectauit M. Tullius dum ſcriberet; Caſtella etiam pecunijs deijci ac nihil eſſe tã munitum quod non pecunia expugnaretur, præſertim ſi aſello pateret aditus. neque aliò ſpectabat Demoſthenes cum ſuis illud ſæpè obtruderet ciuibus Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ

ἀνεὺ τούτων ἀδύν ἐςὶ γενέσθαι τῶν δεόντων, pecunijs ſanè eſt opus: & ſine his nihil perficitur ex his quæ oporteat.

Econtrario diſſeritur non eſſe tã. tam in pecunijs vim collocandam.
Contra tamē certum eſt ante generalem eluuionem ea ferè omnia fuiſſe agitata &
peracta quæ doni foriſque agitantur in præſens, & tamen nullus adhuc erat pecuniarū 510
vſus, nulla argenti æſtimatio. Quin poſt diluuium longo ſeculorum decurſu & bella &
cætera huiuſmodi munera expedita ſunt ſine pecunijs; ita vt Aſſyriorum Monarchia
inprimis extiterit quæ pecunijs non vteretur. Et ſanè ſi ſine pecunijs nec reſpirare lice-
I. ret nec vitam traducere, rectè humana præſidia in his collocarentur: ſed cum nihil mi-
II. nùs ſuſpicari liceat; qui in ſine pecunijs Spiritum ducat, alatur, augeatur, ſobolē gignat,
III. amicitiam colat & cœtus conſtituat, vnde vitæ ſatis proſpiciat, temerè tanta pecunijs
IV. tribuitur vis. quid? vulgarunt quidem viri politici hominis conſilio & prudentia con-
ſtitutas eſſe hominum ſocietates; ſuadent Oratores id eloquentiæ acceptum eſſe refe-
rendum: venditant Poëtæ id cantus ſuauitate effectum eſſe, ita vt hinc fabula extiterit
qua Orpheus cantus ſuauitate Thebarū muros extruxiſſe dicitur, alij denique ſapien-
tes docent ab initio propagatas ſocietates, vel potiùs indigentia retentas ac ſimilitudi-
ne, coniunctione, officiorum neceſſitudine amicitias & cœtus confirmatos, atque hinc
artes ac ſexcēta commoda mortalibus extitiſſe; auro id effectum ſuſpicatus eſt nemo.
V. Itaque Natura ingenerauit quidem in homine ſocietatis appetitionem, vt amicitiam
coleret, & ſocietates & cœtus adamaret, vnde officiorum atque operum extitit com-
municatio qua bene beatéque degerent mortales, auri certè cupiditatem ac pecuniæ
ſitim non ingenerauit, tantum abeſt vt vectigalia illis commonſtrarit quibus collige-
ret pecunias, & tamen ſi ex his hominum penderet bonum; Nouerca non Mater fuiſ-
ſet Natura, quod niſi temerè non affirmetur. Adde quod vectigalia odioſa ſunt ac ſæ-
pius populorum animos a Regibus abalienant magis quàm certo ſint præſidio. Itaque 511
VI. ſatius videri poteſt Ciuium amore ſeptum eſſe & populorum beneuolentia, virtutis
etiam & probitatis ſplendore & authoritate ornatum quàm armis & auro. Præſertim
VII. verò quia ſtrenui Duces aliqui poſterioribus quoque ſeculis bella confecerunt fœli-
citer ſine pecunijs. nam qui bellica prudentia floret, is alienis agris, atque opibus, no-
uit exercitum alere atque adeò Imperium augere. Hæc contra pecunias.

Quid ſit ſentiēdum.
Sed clauſula hæc ſit cum & ſine pecunijs & bella geſta ſint & ædificatæ Vrbes, Mo-
narchiæ ipſæ comparatæ, nihil prohibere quominus & bellum, & res maximæ peragi
poſſint ſine pecunijs, ſed tamen cum hoc tempore vſu receptum ſit; vt omnia ferè pa-
rentur non rerum permutatione vt olim, ſed pecunijs & emptione ac venditione, non
facile eſſe quod ſuccedat: magna enim in negotijs atque commercijs facta eſt variatio.
Denique ijs fortaſſe quorum longè ac latè patet Imperium contingat vt ſine pecunijs
bella & res arduas peragant fœliciter. cum enim varijs populis imperent, quidni proſ-
perè res gerant, vbi populorum beneuolentia ſepti ſint & inſtructi? præſertim verò
cum ij omnia ſuppeditare valeant quę ad bellum & res arduas ac magnificas pertinent
obeundas. Neque enim eſt quod inficiemur Ciuium ac populorum beneuolentiam,
ac virtutem inprimis atque prudentiam, magni æſtimandam in rebus gerendis omni-
bus, pecuniámque ipſam ſine prudentia obeſſe magis quàm prodeſſe: tantùm abeſt
vt vna pecunia perficiat omnia. Quamuis vbi quis anguſtæ imperet regioni, mi-
nùs commodè omnino ſine pecuniis & munimentis dominatum tueri
poſſit. Qui tamen & prudentia ſit inſtructus & ciuium atque ideò
multorum populorum ſtudiis ſeptus & amplis vectigali- 512
busatque pecuniis, adde etiam, ſi placet, firmis ar-
cibus ac præſidiis munitus; hic vno
minor erit Ioue.

PAR.

PARTICVLA LXXIII.

Περὶ δὲ πολέμου καὶ εἰρήνης, τὴν δύναμιν εἰδέναι τῆς πόλεως, ὁπόση τε ὑπάρχει ἤδη καὶ πόσην ἐνδέχεται ὑπάρξαι. καὶ ποία τις ἥτε ὑπάρχουσά ἐστι, καὶ ἥτις ἐνδέχεται προσγενέσθαι. ἔτι δὲ πολέμους πῶς καὶ τίνας πεπολέμηκεν, οὐ μόνον δὲ τῆς οἰκείας πόλεως, ἀλλὰ καὶ τῶν ὁμόρων. ταῦτα ἀναγκαῖον εἰδέναι. ἢ καὶ πρὸς οὓς ἐπίδοξον πολεμεῖν. ὅπως πρὸς μὲν τοὺς κρείττονας εἰρηνεύηται, πρὸς δὲ τοὺς ἥττους ἐπ' αὐτοῖς ᾖ τὸ πολεμεῖν. καὶ τὰς δυνάμεις, πότερον ὅμοιαι ἢ ἀνόμοιαι. ἔστι γὰρ καὶ ταύτῃ πλεονεκτεῖν ἢ ἐλαττοῦσθαι. ἀναγκαῖον δὲ καὶ πρὸς ταῦτα μὴ μόνον τοὺς οἰκείους πολέμους τεθεωρηκέναι, ἀλλὰ καὶ τοὺς τῶν ἄλλων, πῶς ἀποβαίνουσιν. ἀπὸ γὰρ τῶν ὁμοίων, τὰ ὅμοια γίγνεσθαι πέφυκεν.

Riccobonus. AT de bello, & pace facultatem ſcire ciuitatis, & quanta iam adſit, & quanta contingat adeſſe, & qualis ſit ea, quæ habeatur, & quæ poſſit adiungi. Præterea verò bella quomodo, & quæ geſſerit, ac non ſolùm propriæ ciuitatis, ſed etiam finitimorum. hæc ipſa neceſſarium eſt ſcire, vel etiam, quibuſcum glorioſum eſt bellare, vt cum potentioribus quidem pax exerceatur, cum minoribus verò in ipſorum arbitrio ſit bellare, & facultates, vtrum ſimiles, an diſſimiles. Conſiſtit enim etiam in hac parte, vt plus poſſideamus, aut inferiores ſimus. Neceſſarium verò eſt harum quoque rerum cauſſa non ſolùm propria bella animaduertiſſe ſed etiam aliorum, quem euentum habuerint. Nam vt ex ſimilibus fiant, ſimilia naturam habent.

Maioragius. *QVi verò de bello & pace conſulturus eſt, copias ciuitatis noſſe debet, & quæ paratæ iam ſunt, & quæ parari poſſint: qualéſque ſint & illæ quæ ſunt in promptu, & illæ quæ præterea poſſint adiungi. Quin etiam quæ bella geſſerit, & quo exitu. Neque tantùm propria ciuitatis bella, ſed etiam finitimarum ciuitatum expendere opus eſt, & præterea vires eorum contra quos bellum fore exiſtimatur: vt cum potentioribus pax habeatur; cum inferioribus, in eorum, quibus conſilium datur, arbitrio ſit, vtrum bellum gerere velint. Copias quoque ſpectare oportet, vtrum ſimiles ſint, an diſſimiles. nam hac de cauſa ſæpè contingit, vel ſuperiores in bello, vel inferiores eſſe. Præter hæc etiam opus eſt, non tantùm ſuæ Reipublicæ bella, ſed aliorum etiam populorum animaduertere; & quem exitum illa habuerint, ſpectare: nam è ſimilibus rebus, ſimilia euenire conſueuerunt.*

513 QVemadmodum bellum ac pacem ſecundo numerauit loco, ita de ijs (quanquam de pace nil ſigillatim) ſecundo loco diſputat. Multa verò ſpectari iubet Oratori vt in his vel certè in bello commodè ad ſuaſionem deſcendat aut diſſuaſionem. I. vt bellicam ciuitatis vim & facultatem expendat: ita ſcilicet vt quot ei paratæ ſint copiæ aut parari poſſint; qualéſque rurſus ſint illæ quæ ſiue in promptu ſunt, ſiue cogi & parari poſſunt, non negligenter animaduertat, & rectè. nam vt prudenter conſilium dicat, plurimum intereſt obſeruare quot qualéſque ſint aut eſſe poſſint; in primis verò num copiæ illæ ex veteranis & exercitatis an ex tyronibus & imperitis militibus conſtent: num ſpectata ſit iſtorum fides atque voluntas; ac ſummatim quàm multæ & quàm robuſtæ aut infimæ ſint, & quantum illis ſit confidendum. Sic M. Tullius in Philippicis copiarum tum multitudinem tum virtutem hinc inde æſtimat dum bellum ſuadet in Antonium. Idem dixerim ſi Ariſtoteles per δύναμιν quam ſpectari iubet, non ſolùm militis ſed cæterarum quoque rerum, vt armorum, cõmeatus, equitum,

Comment. LXXIII. De Bello & Pace. Quæ ſpectãda bellum ſuadenti.

I.

tum, claſſis, munitionum, rationem habeat: atque hæc etiam, vt par eſt, non ſecùs
ac militis vires æſtimari iubeat, quæ item M. Tullius & in Philippicis & in Oratione
II. pro lege Manilia perpendit diligenter. II. qua ratione dimicarit ea ciuitas, quæ bella
geſſerit, & quo euentu. quid enim ſi in præſens mutata ſit rerum conditio ac ſtatus,
ita vt vel maioribus vel minoribus copijs ac viribus certandum ſit? Sanè iudicium &
conſilium nonnihil varietur neceſſe eſt. idem dixerim ſi antea peditatu, nunc equita-
tu ſit certandũ; vel nauali pugna, non terrẽſtri; vel aperto marte congrediendum, non
intra mœnia continendus miles; & ſi quid huiuſmodi. denique bella ante acta indices
videri poſſint futurorum: aut certè coniecturæ vtrunque & conſilio offerunt locum,
præſertim ſi cum iiſdem hoſtibus ſit dimicandum. itaque M. Tullius in Oratione pro
lege Manilia dilig ẽter æſtimat quo exercitu antea tum a Sylla tum a Murena tum de- 514
nique a Lucullo aduerſus Mitridatem & Tigranem pugnatum ſit; vt ſcilicet conie-
III. ctare liceat quid ſperandũ vbi Pompeius eidem bello præficiatur. III. ſpectanda quo-
que finitima populorum bella: ſiue enim tibi contra iſtos ſit bellum ſuſcipiendum,
ſiue cum iiſdem arma iungere moliaris ac vires, videndum eſt quæ & quanta eorum
ſit potentia. adde finitimarum ciuitarum bella ſpectari, quòd eorum proſperitate aut
calamitate cautior factus, tuis rebus proſpicere poſſis, atque ex proſpero vel infelici
aliorum euentu pericula declinare opportunitateſque capere, ac ſummatim rei benæ
gerendæ rationem explorare, præſertim ſi illi bellica floreant laude. Sic apud Liuium
Romanos videas paſſim ex finitimorum populorum quibúſcum ſocietatem inimi-
IV. citiáſue exercerent, bellis, deliberandi occaſionem arripuiſſe. IV. vires eorũ æſtiman-
das contra quos bellum mediteris: vt intelligas quibúſcum pugnare ſit glorioſum,
ſeu num ſpem victoriæ concipere poſſis. ita enim fiet vt cum potentioribus pacem
conſtituere, cum inferioribus bellum ſuſcipere, tutiùs deliberes. Sic M. Tullius ciuile
bellum quod Reipublicæ nomine a Pompeio geſtum eſt contra Cæſarem, diſſuaſit,
quòd intelligeret nec glorioſum eſſe tale bellum ſuſcipere, nec tutum, ſed pacem etſi
V. non æquiſſimis retinendam conditionibus. V. ſpectandum quoque eſſe num copiæ
ſimiles ſint vel diſſimiles. nam re uera quæ diſſimiles ſint copiæ, difficiliùs coëant &
concordiam retineant: itaque id vel maximè Annibali datum eſt laudi, quòd cũ eius
milites religione, linguis, moribus magnopere diſſiderent, mira fuit exercitus concor-
VI. dia. VI. vniuerſim etiam aliorum populorum bella cognoſcere intereſſe plurimum,
& quem exitum habuerint animaduertere: vt ſcilicet præſentibus rebus cum præte-
ritis comparatis, & ſimilibus cum ſimilibus collatis, ſententiam commodiùs dicere 515
valeas. itaque hiſtoriarũ, quæ bellicis ferè continentur; cognitio eſt Oratori neceſſa-
ria vt prudenter & copioſè ſententiam explicet ſuam. Hæc de bello & pace noſter au-
Adduntur multa. thor: etſi comprehenſim ille quidem, ita ut nobis fuerint dilatanda. Quapropter ve-
rendum eſt ne in tam graui argumento illud Ariſtotili obijciat quiſpiam, quòd cum
de pace nihil de bello etiam ſtrictim ac perpauca, præceperit, in re hac grauiſſima eius
exareſcat oratio. Ipſe igitur, quantumuis Ariſtotelis induſtriam non reprehendo, cũ
breuiloquentiæ ſtudeat vbi aliarum artium quaſi campos attingit, aliqua tamen de
pace pro tenuitate mea ſubijciam. Quanquam cum nos interim pace ſic fruamur, ac
ſuauiſſimis illius fructibus, præſertim verò doctrinarum ſtudijs atque ingenuis arti-
bus, oblectemur, vt tamen belli tubam audiamus, quæ claſſicum canit ac ciues ad ar-
ma & Martis artes incendit, de bello etiam pauca quædam erunt differenda. Dicam
igitur priùs de Pace, ac rationem indicabo qua ad eam amplectendam retinendám-
que cohortandi ſint Ciues. Tum contra, docebo quibus agendum ſit de bello, vbi tan
dem ſuadendum eſſe videatur. Quod dum breuiter facio, vos quæſo auditores pro
ſingulari humanitate veſtra diligenter, quod cępiſtis, attendite.

De pace. Ergo qui ſuis Ciuibus pacem ſuadebit Orator, is priùs in memoriam illis reuoca-
I. bit, Pacis nomen eſſe iucundiſſimum, ac mortalium aures atque animos mirificè ob-
lectare & capere: cum tamen belli mentio percellat animum ac terreat. & hinc eſt
vt Hebræi cum ſibi occurrerent, alia ſalutatione vterẽtur nulla quàm Pacem (ſcialon
illi) ſibi mutuò deprecantes. contra verò vbi malum optarent alteri, bellum illi in pri-
mis imprecabantur. Nec multò aliter Latini. Itaque Dido apud Poëtam, cum dira 516
imprecaretur Aeneæ, a bello initium duxit, bello etiam augurium concluſit.

At bello audacis populi vexatus & armis,

Finibus

Finibus extorris, complexu auulſus Iûli,
Auxilium imploret, videátque indigna ſuorum
Funera: —— ac tandem
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus vltor,
Qui face Dardanios ferróque ſequare colonos.
Nunc, olim, quocunque dabunt ſe tempore vires,
Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis; pugnent ipsíque nepotes.

Sic inquam Dido in Aeneam quem iam maximè oderat. Commemorabit inſuper no- II.
ſter Orator, Pacis imaginem eſſe pulcherrimam: quaéque, ſi oculis cerni poſſet, incre-
dibiles ſui amores excitaret, atque adeò nos ad eam amplectendam impelleret ac ra-
peret. Cum belli tamen imago trux ſit & fera, quaéque ſtatim preterreat oculos atque
horrore perfundat animos

—— Furor impius intus
Saua ſedet ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, furit horridus ore cruento,

Canit Latinus Poëta. Quod ſi talem horrorem ac tantum incutit dum carcere pre-
mitur & ferreis cathenis constringitur, quid exiſtimandum erit vbi carceribus fractis,
excuſsíſque cathenis, baccetur, ac furorem exerat ſuum? Sed & pacis fructus dulciſſi- III.
mos ac ſuauiſſimos eſſe oſtendet Orator, commoda maxima, vtilitates plurimas. Si-
quidem ea præſente florent agri, patent Regiones, tuta ſunt maria, denique & agri-
cultura exercetur, & mercatura, & nauigatio: quæ tamen omnia abſente pace, ſqua-
lent, ac belli incendijs prohibentur, vaſtantur, abſumuntur. Quanquam illud præci-
puum & maximum, quòd in Vrbibus ingenuæ diſciplinæ retinentur atque optimæ IV.
517 artes coluntur, quibus ad benè ac beatè viuendum contendimus. Hinc enim fit vt le-
ges non arma dominentur, iuſtitia placidiſſimè administretur, ius ſuum vnicuique
tribuatur: quæ tamen præſente bello optanda magis ſunt quàm ſperanda: hoc enim
aduentante, ac belli tuba altiùs perſonante, ſilent & conquieſcunt doctrinæ, contice-
ſcũt leges, Iuſtitia ſæpè peregrinari cogitur & exulare; ita vt perturbentur omnia, om-
nia in ſqualore iaceant ac ſitu. Itaque illud affirmarim Pacem Victoriæ ipſi antepo- V.
nendam eſſe, ac longè anteponendam. Etenim Victoriæ ſæpè aſſecla eſt iniuſtitia: co-
mes eſt turpitudo; ſæpè cruenta eſt tota, at tuo etiam interdum reſperſa ſanguine: cũ
tamen Pax ſit candida, innocens, ac ſummis vbique laudibus celebretur. Quid? an non VI.
triumphi quos tanti faciunt mortales, ipſi quoque iniurias habent ſæpè maximas, &
inuidiæ ſunt pleniſſimi? ſic ſanè. Cum tamen pax æquitatis ſit plena, ac fermè extra in-
uidiæ aleam ſita ſit & collocata, & ſanè qui tantoperè exoptantur triumphi, ij morta-
les ad calamitatẽ ſæpè impellunt. id quod ex Annibalis, Scipionis, Themiſtoclis, alio-
rúmque multorum triumphis compertum eſt, cum hinc illis exilium & calamitas
ſit conſecuta. Denique, vt paucis multa cõplectar, ea eſt Pax qua nil mortalibus ama- VII.
bilius, optatius, iucundius a Deo immortali conceſſum eſt. Id quod priſci Poëtæ qui
ijdem erant ſapientes, fabula, ſed nobili illa quidem quaéque veritatem mirificè præ-
ferat, declararunt. Diſſidium ab Heroicis vſque temporibus inter Neptunum & Pal-
ladem ſubortum eſt. Cum enim in Attica Vrbs magnifica extructa eſſet, huic quiſ-
518 que nomen imponere cupiebat. Cum igitur Neptunus & Pallas diſſiderent, cauſa ad
Deoſ delata eſt. Hi igitur concilio coacto, réque diligenter agitata, tandem decreue-
runt vt qui rem aliquam proferret mortalibus vtiliorem, is Atticæ Vrbi nomen impo-
neret. Tum Neptunus exultans ac lætus, Tridente littus percuſſit vnde equus repen-
tè extitit. Hic igitur, quippe bellator, vtiliſſimus primùm viſus eſt, ac mortalibus ad
victoriam aptiſſimus, ita vt plerique iam pro Neptuno ſtare viderentur. Cum ecce ti-
bi Pallas, quippe quæ Iouis cerebro, hoc eſt ſapientia, ſata erat & propagata, de pace
cogitans, atque hanc maximè omnium mortalibus vtilem eſſe perſpiciens, iuſſit vt
terra oliuam proferret: quæ cum virentibus ramis ac maturis oleis onuſta apparuiſ-
ſet, ac pro pacis ſymbolo atque indice agnita eſſet, continuò Dijs mirificè probata eſt.
Itaque ſtatim pro Pallade ſententiam dixerunt mira conſenſione, atque huic, vt Vrbi
nomen pro arbitratu imponeret, conceſſerunt: quæ propterea Athenas de ſuo nomi-
ne (Ἀθήνη enim Græcè nuncupatur Pallas Minerua) Atticam vrbem appellauit. Hæc
fabula;

ſabula; ſed veritatis pleniſſima: ſignificarunt enim priſci illi ſapientes pacem eſſe rerũ
omnium optimam: bellum contra non bellum. Ita vt pax optanda nobis ſit vel ma-
ximè, retinenda, ac toto pectore amplectenda. Hæc habui, quæ de pace commemora-
rem vt ſpecimen aliquod præberem eorum quibus ad pacem cohortari is debeat cui
in Senatu ciues ad Pacem ſint excitandi.

De Bello. Nunc de bello: Dum igitur Oratori illud ſit propoſitum vt ſuis ille Ciuibus ſuadeat
bellum, atque illos ad arma incendat capienda, illud principiò faciendum putarim;
I. vt nimirum ſic de bello verba faciat, vt nunquam pacis deponat cogitationem: nun-
quam non eius commoda & vtilitates æſtimet ac recordetur: quin has Principi, has 519
Reipublicæ, reuocet in memoriam, vt bellum vno pacis ſtudio atque amore ſuſcipia-
tur. Neque enim per ſe expetendum eſt bellum aut eligendum, ſed pacis gratia & ad
pacem denique parandam ac retinendam. Hæc enim ſub belli Clypeo degit aliquan-
do, ita vt pacis ſtudia ſub bellicarum artium tutela poſita ſint, atque aræ, foci, penates,
vxores, Liberi, fortunæ, libertas, Patria, vita ipſa, ſub Martis haſta ac tutela cõquieſcat.
Quapropter Principi qui bellum inſtituat, bonus gubernator ac nauta imitãdus erit.
Hic enim ſic inter ſyrtes nauigat & ſcopulos, ac truci pelago committit ratem, vt de
portu perpetuò cogitet, atque illuc velis remiſque contendat. Sic Rex aut Princeps,
ita belli aleam ſubibit, vt pacem perpetuò experat, pacis fructus perpetuò meditetur.
denique efficiet vt omnes ſentiant ſe arma eo ſolùm cõſilio ſuſcepiſſe vt pacem eámque
II. tutiſſimam aſſequatur. Quanquam illud etiam cauebit diligenter vt adſit iuſtitia:
ſeu, quoad eius fieri poſſit, abſit iniuſtitia. Nam etſi victus diſcedas ac re malè geſta,
inde tamen ſolaberis animum ac ſuſtentabis, quòd pro Iuſtitia pugnaueris: quod ſi
etiam cecideris, pro victoria iuſtitiæ conſcientia erit tibi. Veriſſimè enim dici poteſt,
æquitatem ac iuſtitiam deſcendentibus ſolatium afferre maximum. Contra verò vbi
iniuſtè pugnes, etiam ſi victor diſcedas, iniuſtitiæ conſcientia, ac turpitudinis memo-
ria excruciabit & exulcerabit animum tuum: ita quidem tum heſternorum vitupe-
ratione, tum flagitij conſcientia cruciaberis. Quocirca prouidendum eſt diligenter vt
pro Religione, pro Patria, pro libertate, vno verbo pro iuſtitia & honeſtate dimices. 520
Ex quo etiam fiet vt inter arma ac prælia augeri animum ſentias atque alacritatem,
quin ſpem etiam victoriæ. Cum tamen vbi æquitas abſit, animum minui ſenties at-
que alacritatem ſtatim atque ad arma ventum ſit in timorem conuerti. Quis enim
alacer extremo periculo ſe ſe obijciat ac morti, quem iniuſtitiæ conſcientia exagitet ac
III. turpitudo? Iam verò illud etiam cauebis, vt abſit temeritas. vt enim truci te cõmit-
tas pelago, ac fragili rate nauigans, naufragij periculo te obijcias, facilè: vt te naufragio
ſubtrahas ac tempeſtati, in portúmque remigres pro arbitratu, difficillimum. Itaque
ne bellum temerè ſuſcipias, hoc eſt imparatus, aut viribus multò inferior, prouiden-
IV. dum eſt diligenter. Ad hæc etſi adſit Iuſtitia, abſit temeritas, adhuc circumſpicienda
ſunt multa, recogitanda, expendenda, nec ſemel atque iterum modò, ſed tertiò &
quartò ac ferè ad nauſeam; vſque adeò incertus eſt belli exitus, & ex inopinatis pen-
det euẽtibus & periculis. quæ tamen quoquomodo perſentias oportet & anteuertas.
τῦ πολέμυ παράλογον (inquit Thucydides) *ὅσον ἐςὶ πρὶν ἐν αὐτῷ γενέσθαι, προσδιαγνῶθι, ante-
quam bellum ſuſcipias, recogita quantum habet alea & inopinati*. & rectè. nam quemadmo-
dum noſter ait Tragicus.

Licet omne tecum Græciæ robur trahas,
Licet arma longè miles ac latè explicet,
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.

V. Quod ſi vel neceſſitas vel ratio poſtulet vt ad bellum ſit properandum, de optimo ſta-
Quatuor in Belli Duce requirẽda, nimirum. rim Duce cogitabis. In quo præſtat quatuor illas Imperatorias virtutes ſeu conditio-
nes requirere, quas in Cn. Pompeio tantopere celebrauit M. Tullius: nimirũ rei mili-
taris prudentiam, fortitudinem, authoritatem, fœlicitatem. Prudentiam rei militaris;
Prudentiã rei militaris. quia conſilio non minùs quàm gladio decertandum eſt. Fortitudinem, quia licet to- 521
gata prudentia non magnopere indigeat corporis fortitudine, ea tamen non rarò in-
diget armata. Duci enim gladio etiam & corporis viribus decertandum eſt aliquãdo;
Fortitudinem. præſertim vbi exemplo ad pugnam reuocandus ac languens excitandus ſit miles. Ta-
metſi vt fortitudo in Duce ad animum refertur in primis, ob animi tolerantiam &
cõſtantiam fortitudo in primis requiritur in ſummo Duce. Denique cum animi tum
corporis

corporis fortitudinem (etſi animi in primis) adminiſtram comitémque requirit militaris prudentia: ac propterea Pallas, etſi conſilio ac ſapientia excelleret maximè, armata etiam incedebat, armáque gerebat: nimirum vt intelligamus prudentiam armis, arma item prudentia, gaudere comitémque requirere. Authoritatem, quia vbi hæc deſideretur, tutius ſit faſces ſubmittere, atque adeò obtemperare, quàm præeſſe & imperare. alioquin deerit obedientia, ac proinde res præpoſterè agantur neceſſe eſt. *Authoritatem.*
Fœlicitatem, quia vbi quædam fœlicitatis opinio militum occupauerit pectus, ſpes tuis atque animus, aduerſarijs metus ac terror, accedat. Hæ ſunt quæ in Imperatore virtutes quoad eius fieri poſſit, requiruntur. Nam ſi obijcias præſente fœlicitate reliquas virtutes minùs eſſe neceſſarias, quin contemni poſſe; illud reſpondebo, fœlicitatem, etſi videri poſſit extrinſecùs aduentare, & à fortuna (id quod multi ſtultè crediderunt) prouenire, veruntamen parari quoque induſtria. plerunque enim ſuæ quiſ-
522 que eſt fortunæ faber, ſeu potiùs fœlicitatis aut proſperitatis author vel adminiſter: ita ut qui præſtet rei militaris prudentia & fortitudine, hunc & authoritas & fœlicitas denique ſæpiſſimè comitetur. *Felicitatē.* *Dubitatur. Reſpondetur.*

At enim quibus artibus rei militaris prudentia primùm, tum cæteræ illæ virtutes comparantur? Multis profectò, ſed his maximè. Aſſidua hiſtoriarum lectione & rerum geſtarum meditatione. Ducum ac militum qui rei militaris prudentia floreant, conſuetudine. Aemulatione præterea & imitatione. Hiſtoriarum lectione quidem, quia rerum geſtarum exempla, ſunt exempla gerendarum, ac res præteritæ ſunt futurarum indices & internunciæ. Hac cogitatione Alexander Macedo Xenophontem lectitabat. Itaque Eunapius affirmare non dubitauit, Alexandrum quantus fuit, totũ ferè ex Xenophontis ſpacijs (id quod de ſe Cicero affirmat in Platonem intuens & Ariſtotelem) & aſſidua lectione extitiſſe. *Itaque Magnus Alexander* (inquit Eunapius) *Magnus nunquam fuiſſet, niſi Xenophon etiam magnus extitiſſet.* Intelligebat enim ex Xenophontis, hoc eſt optimi Hiſtorici, veluti ſpacijs extitiſſe Alexandrum. Ducum optimorum conſuetudine; quia & ſpectatione & percunctatione militarem prudentiam haurire ei liceat qui talis Ducis conſortio gaudeat. Quapropter Romani illud ſemper curarunt vt apud optimos Duces militiæ ponerent tyrocinia. Annibal etiam ex militari Patentis aliorumque diſciplina a teneris annis profecit. Quod ſi cum huiuſmodi conſuetudine hiſtoriæ lectionem coniunxeris, breuiùs ſanè profeceris, atque animũ, ad bellicam prudentiam informaueris altiùs, certè Lucullus cum ab Vrbe, tyro planè ac rei militaris inſcius diſcederet in Aſiámque contenderet, lectione hiſtoriarum, (ſi M. Tullio credimus) & percunctatione in itinere tantùm profecit vt in Aſia ſcientiſſimus dux peruenerit. Aemulatione, nam hæc alit artes; hæc induſtriam acuit mirifi-
523 cè: hæc labores, vigilias, ſtudia producit ad diuturnitatem. ſic Themiſtocles cum bellicam Milciadis æmularetur gloriam ac triumphos, eum non modò æquauit ſed longo interuallo ſuperauit. ſic Alexander Macedo Achillis excitatus præconio famã ad Indos vſque vnà cum Imperio extendit vel potiùs ſyderibus terminauit. ſic Philopemenes Alexandrum æmulatus, militari virtute mirificè floruit. nam Africanum, Pompeium, Cęſarem, eũdem Alexandrum fuiſſe æmulatos, atque inde parem gloriã retuliſſe, ignorat nemo. Meemethus etiam Turcharum Imperator qui multas Prouincias Turcico addidit Imperio ac militari claruit laude, Alexandri imitator fuit & æmulator: ita vt eius hiſtoriam libentiſſimè peruolutaret. id quod ſuperiore ſeculo Scanderbego quoque accidit magno illi Epirotarum Duci: vt enim Alexandri gerebat nomen, ita gloriam armis æmulatus eſt ac facta: ita vt in impari campo (intra anguſtos namque fines eum cohibuit ſors) parem quodammodo fœlicitatem expreſſerit; vſque adeo frequẽtibus prælijs ac victorijs fuit Turcis ſuperior. Denique quod de Alexandro ſcribitur nullam Vrbem oppugnaſſe quam non expugnarit, nullũ prælium iniuiſſe, nullum bellum ſuſcepiſſe, vnde non victor redierit, de Scanderbego ferè affirmare licet, cui vtinam maioribus copijs ac viribus certare licuiſſet ac Turcarum conatus frangere. nam fortaſſe minus eſſet quod Orientis tyrannum pertimeſceret Chriſtianus populus. *Quib. præſidijs coparentur propoſita virtutes.* *I. Præſidiũ.* *II.* *III.*

Vſu poſtremùm & exercitatione. ſiquidem militaris ſcientia niſi vſus acceſſerit ac tractatio, rarò perfecta fit ac tuta. Itaque legimus Lyrum atque alios multos antequã bellum attingerent, venatione curſu, paleſtra, vno verbo exercitationibus varijs ſe ſe exercuiſſe,

exercuiſſe, ſub dio etiam noctes egiſſe ac ſummatim tolerãtia animum, incommodis
ac laboribus corporis exercuiſſe, vt paratiores atque inſtructiores ad bellum deſcen- 524
derent. Quanquam eiuſmodi exercitationum vmbratiles pugnæ ſunt ferè caput: qua-
propter legimus etiam Philopemenem vbi a ſole ad vmbram rediret & bellandi tem-
pus expectaret, perpetuis exercitationibus ſe ſe ac milites contriuiſſe: quotidie enim
equites ac pedites caſtrametationem docebat, quando ſigna conferenda, quando ſub-
ſiſtendum, quando migrandum, quî vitandæ inſidiæ, qui inferendæ, quomodo oppor-
tunitates & locorum & temporum captandæ, ſic de aquatione, frumentatione, déque
militaribus operibus illos inſtituebat, vt cum ad bellum deſcenderent, vix quidquam
laboris aut contentionis augeretur: nec tam ex vmbra in ſolem prodire quàm in
perpetuo bello verſari viderentur. Atque hæc de bello, ac ſigillatim de Duce: etſi re-
uera non minùs quàm militię neceſſaria prætermiſit Ariſtoteles.

Venio ad Pacem in qua ſanè miretur facilè quiſpiam, atque adeò requirat Ariſtote-
lis induſtriam, cum de pace nihil præcipiat vnde Orator eam perinde ac bellum ſua-
deat commodè. Et quidem cum pax ſit bello quam longiſſimè anteponenda & per ſe
(quod de bello affirmari nequit) expetenda, poſtulabat ratio vt tali tantóque bono
videndo ac retinendo rationem commonſtraret mortalibus: præſertim verò cum in-
ter Græcos degeret quos ambitio potiùs quàm ratio ad bellum ſolicitaret in dies. An
igitur id prætermiſit quòd pax per ſe ſatis ſuam præſtantiã ac decus oſtẽderet ac vel tu
Ariſtoteles Oratori ſuppeditares eius ſuadendæ rationem? An potius quia Oratori
hanc ſuaſuro ea plurimum ſeruire poſſent quæ de bello dicta ſunt quaſi verò mutatis
modis conſilium de hac quoque explicare poſſit ſuum? ita fortaſſe: vbi enim ea de-
ſint quæ bello ſuadẽdo iudicauit aut neceſſaria aut opportuna, præſtet ſanè pacem ſua- 525
dere, ac mutatis modis auditores ad hanc cohortari. Sed quicquid ſit lubet pauca
quædam ſigillatim attingere, vt pro dignitate pacem quoque ſuadeat bonus Orator.
Principio igitur commemorabit Orator pacis nomen eſſe dulciſſimum, ita vt eius
mentio animos allicere ſoleat ac reficere: Eius imaginem eſſe pulcherrimam; ſi enim
oculis cerni poſſet, non poſſet non incredibiles amores excitare, atque adeò omnes in
ſui amorem ſtudiúmque conuertere, eiuſdem fructus eſſe cum ſuauiſſimos, tum opti-
mos & ſalutares. Siquidem huius præſentia agri, domus, liberi, penates, fortunæ, Ciues
florent; hæc vt dicam breui, domi foríſque vtilitates vitæ ſuppeditat omnes, quas ta-
men belli euertit incendium & abſumit. Addet hac duce in Vrbibus optimas artes &
ingenuas diſciplinas retineri, quibus inſtituuntur mortales ad benè beatéque viuen-
dum, quæ tamen belli tuba audita conticeſcunt omnes & arcentur longiùs. his addet
honeſtam pacẽ victorijs ac triumphis ipſis anteponendam: victoria enim ſæpè cruen-
ta eſt ac tuo etiam reſperſa ſanguine: triumphus inuidiæ plenus, interdum etiam in-
iurias habet aut infamiam. pax contra æquitatis plena & innocens. denique nil a Deo
immortali mortalibus tributum eſt aut optatius aut vtilius aut iucundius. itaque di-
gnus eſt qui omnium ore celebretur ac ſummam ingenij laudem conſequatur qui
Palladem Neptuno, oleam equo, hoc eſt pacem bello nobili illo elogio anteponendã
declarauerit. cum enim de nomine Athenis ſeu Atticæ Vrbi quæ iam iam ædificata
eſſet, imponendo certarent mutuo Neptunus ac Pallas, Dij (inquit ille) decreuerunt,
vt qui rem mortalibus magis ſalutarem adinueniret, is nomen Athenis imponeret. tũ 526
Neptunus cum tridente excuſo percuſiſſet littus vnde repentè bellator extitit equus,
rem ſe omniũ vtiliſſimã inueniſſe ratus eſt. Sed ecce tibi Pallas oleã protulit, ac pacife-
ræ oliuæ ramũ protendit qua pax commendaretur ac bello anteponeretur. ex quo fa-
ctum eſt vt Dij pro Pallade iudicarint, atque illi, quaſi rem omnium optimam inue-
niſſet, Athenis nomen imponendum cenſuerint. hæc de pace. quam licebit etiam a
contrario mirificè commendare, nam belli incommoda & detrimenta in promptu
ſunt: ita vt bellum verè non bellum, ne dicam belluis potiùs quàm homine ac ratio-
nis compote ciuilique animante dignum, videri poſſit. Quanquam illud etiam ad-
det, omnino conſulendum vt pax quo ad eius fieri poſſit ſit honeſta, tuta, diuturna,
quin vbi ciuile immineat bellum ad ſítue ſeditio, etiam cum aliqua dignitatis diminu-
tione retinendum eſſe. certè M. Tullius ciuilè Cæſaris ac Pompeij bellum, pace, etſi
minùs honeſtis atque adeò iniquis conditionibus conſtitueretur, abolendum, iudi-
cauit ac Senatui omni contentione prædicauit. His omnibus illud non ægrè ad-
diderim

didetim pacem tum demum melioribus conditionibus conſtitui, cum bellicæ vires & apparatus retinentur, ſub clypeo enim pax interdum paratur commodiùs.

PARTICVLA LXXIV.

ἜΤι δὲ περὶ φυλακῆς τῆς χώρας μὴ λανθάνειν, πῶς φυλάττεται, ἀλλὰ καὶ τὸ πλῆθος εἰδέναι τῆς φυλακῆς, καὶ τὸ εἶδος, καὶ τοὺς τόπους τῶν φυλακτηρίων. τοῦτο δ' ἀδύνατον, μὴ ἔμπειρον ὄντα τῆς χώρας. ἵν' εἴτ' ἐλάττων ἡ φυλακὴ προστεθῇ, καὶ εἴ τις περίεργος, ἀφαιρεθῇ. καὶ τοὺς ἐπιτηδείους τόπους τηρῶσι μᾶλλον.

Riccobonus. 527 PRætetea verò de cuſtodia regionis non latere, quomodo cuſtodiatur: ſed & multitudinem ſcite cuſtodiæ, & formam, & loca præſidiorum. Hoc autem eſſe non poteſt, niſi quis ſit peritus regionis, vt ſi minor ſit cuſtodia, augeatur, & ſi qua ſit ſuperuacanea, tollatur, & opportuna loca ſeruentur magis.

Maioragius. *DE cuſtodia Regionis qui dicturus eſt, ſcire debet, qua ratione cuſtodiri poſſit, & quot ei rei copiæ qualeſque ſint neceſſariæ, præterea locos, vbi præſidia ſint collocanda: quæ, niſi ſit peritus regionis, ſcire non poterit. Atque hæc ideo noſcenda ſunt, vt ſi minor ſit quàm oporteat, augeatur cuſtodia, ſi qua redundans, auferatur, & ad locos magis opportunos traducatur.*

DE regionis cuſtodia verba facit ſed breuiter. iubet igitur primùm vt Orator de hac dicturus, nouerit qua ratione regio cuſtodienda ſit. ſiue enim ſigillatim de regione loquatur de qua conſultatur, ſiue vniuerſim, vt ſuſpicor, quia velit regionum cuſtodiendarum rationem antea huic cognitam eſſe debere ſatis conſtat regionis cuſtodiendæ rationem atque notitiam poſtulaſſe in Oratore ac rectè. quî enim Orator ſuam hac in re interponat ſententiam, niſi regionis cuſtodiendæ artem atque rationem perſpexerit? Tum verò ſeu declaraturus quæ ſpectanda ſint vt Regionis cuſto- *De Cuſtodia Regionis.*
528 diendæ rationem intelligat; & quod præceperat aſſequatur, ſeu certè oſtenſurus quid ſigillatim adhuc explorandum & cognoſcendum ſit de regione ipſa, de qua conſultatur, vbi vniuerſim cuſtodiæ ratio ſit cognita (id enim ea verba indicāt ἀλλὰ καὶ τὸ πλῆθος εἰδέναι) iubet rurſus tria obſeruari. Vnum eſt, quot copiæ ſint ad cuſtodiam adhibendæ, alterum quæ cuſtodiæ ratio ac forma ſit ſeruanda: tertium loca in quibus maximè præſidia ſint collocanda. hoc autem (quod ſcilicet ad tripartitam iſtam rerum varietatem vel certè tantùm ad loca pertinet) noſſe haud poſſit qui Regionis de qua cuſtodienda conſultatur, non ſit peritus, ita vt eam ſi fieri poſſit, oculis ipſis diligenter luſtrauerit, ac ſitum & præſidii opportunitatem cognouerit, vt præſidia militum & augeantur, minuantúrque prout oportet & opportunis quæque locis vtilitérque diſponantur. Hæc Ariſtoteles. Hic verò lubet de more pauca quædam afferre quibus cuſtodiæ ratio explanetur paulo latiùs. Ergo Vrbis, ſeu Regionis cuſtodiam Principi aut Reipublicæ neceſſariam nemo non intelligit. turpe enim eſt a maioribus accepiſſe opulentam vrbem, aut Regnum, nec de eius cuſtodia cogitare. idem dixe-
529 rim ſi quis ſua induſtria Regnum aut Vrbem ſibi parauerit, cuſtodiam verò, quaſi non magni momenti ſit, negligat. nam vt ait Poëta ille

Non minor eſt virtus quàm quærere, parta tueri.

S Pyrrus

Pyrrus Epirotarum Rex ideo laudatur quòd quas oppugnaret Vrbes, facilè expugna-
ret: ideóque reprehenditur quòd per iniuriam eas amitteret. quod ſanè ſuperiore ſæ-
culo & laudi, & vitio tributum eſt ſtrenuæ genti (nomen non neceſſe eſt proferre)
quæ Italiam ferè totam bellica virtute ſibi ſubiecerit, breui etiam ob deſidiam ami-
ſerit. Longè aliter factitarunt qui in eodem dominatu ſucceſſerunt: ſiquidem partim
ob naturalem vigilantiam, parſimoniam, calliditatem, partim eorum exemplo edo-
cti, in excubijs & cuſtodia ſunt toti. Pompeius verò quantum tribueret cuſtodiæ, do-
cet M. Tullius, cum *Siciliam* (inquit) *adijt, Africam explorauit, inde Sardiniam cum Claſſe
venit nondum tempeſtiuo ad nauigandum mari, atque hæc tria frumentaria ſubſidia Reipublicæ
firmiſſimis præſidijs claſſibúſque muniuit. inde ſe, cum Italiam recepiſſet, duabus Hiſpanijs &
Gallia Ciſalpina præſidijs ac Nauibus confirmata, miſſis item in oram Illyrici maris, & in Acha-
iam omnémque Græciam nauibus, Italiæ duo Maria maximis claſſibus, firmiſſimíſque præſidijs
adornauit*. Ex quibus intelligitur cuſtodiæ ſtudium tanquam belli fundamentū Pom-
peio viſum eſſe, cum, niſi Populi Romani Prouincijs quæ hoſtium paterent incurſui,
atque ijs præſertim, vnde res frumentaria, miles, claſſis compararetur, in tuto poſitis,
non deſcenderit ad bellum. Itaque minùs mirari ſoleo Platonem in ſua Republica
tanti feciſſe cuſtodes, vt in eorum capite Reipublicæ ſalus niti videatur tota. Cum igi-
tur tanti æſtimanda ſit cuſtodia, quatuor reputabit Orator vt expeditum habeat con-
ſilium. Primum eſt Regi vel Principi corporis cuſtodes non negligendos. ij enim cùm
authoritate addunt & decus, tùm ſeditionibus ac tyrannidi occaſionem magna ex
parte præcidunt: nam qui viderit tutum caput, non facilè vrbi occupandæ aut Re-
gioni adijciat animum. contra verò vbi viderit caput appeti poſſe atque proſterni, oc-
cupandi ſubibit cogitatio. Sanè vbi Amulius cuſtodes capiti adhibuiſſet ſuo, Romu-
lus ac Remus non facilè illum obtruncaſſent, atque Arce, Vrbe, Regno potiti eſſent.
Contra verò Marcus Tullius ea ratione Catilinam Reipublicæ inſultantem, atque 530
Vrbem Romanúmque Imperium occupare molientem, repreſſit, quòd cuſtodes
corpori adhibuit, quibus illum excluſit. cum enim Catilina M. Tullium, quippe Con-
ſulem ac Reipublicæ caput ad necem deſignaſſet primùm, cuſtodum illorum præſi-
dio, cùm a ſuo capite, tùm a Republica & Vrbe, depulit percuſſores. Quamquam
præſtabit etiam Ciuium beneuolentia ſeptum eſſe, quorum cuſtodia multò eſt tu-
tior, quàm externorum militum. illi enim ſæpè venales ſunt, ita vt Prætoriani vno
eodémque die tres Imperatores continenter renuntiarint, & trucidarint: quod de
Ciuibus, quos tibi beneuolentia deuinxeris ægrè ſuſpiceris. itaque nil mirum ſi ty-
rannus qui illud vſurparet, *Oderint dum metuant*, tandem exclamauerit ſe amicorum
inopia interire. ſatius igitur fuiſſet, vt diligi maluiſſet, quàm metui, ne ſerò ſaperet.
Valet etiam ad cuſtodiam, præſertim diſſitæ Regionis, colonias ducere: quod Roma-
ni ſtatim atque Imperium propagari cęptum eſt, factitarunt. itaque Marcus Tullius, *Orat. cō tra Rull.*
Maiores noſtri (inquit) *colonias idoneis in locis contra ſuſpicionem periculi collocabant, vt*
non oppida Italiæ, ſed propugnacula Impeɪj eſſe viderentur. ob id etiam ab eodem Narbo *Ora pro*
colonia, dicitur ſpecula Populi Romani ac propugnaculum Gallis oppoſitum & *font.*
obiectum. atque hinc factum eſt vt adhuc Europa tota tam multæ ac variæ Roma-
norum coloniæ numerentur. Sed poſterioribus ſæculis arces ad cuſtodiā comparatæ
ſunt frequentes, ita vt noſtra hac tempeſtate quot ferè Vrbes, tot arces: aliqui etiam
militum præſidia in ſtationibus, quaſi colonias collocant, tum arcibus, tum hiſce præ
ſidijs Vrbes, præſertim ſi in ditionis finibus poſitæ ſint; munientes. atque hæc ſunt
quæ ad cuſtodiam conferre poterunt. Tametſi præſtat eâdem de cauſa, propter loca,
peditatum, equitatum, claſſem, ſi quæ ſit, comeatum, agnoſcere & obſeruare, &
quo genere militum vtendum ſit, circumſpicere, ne externis vtaris ſi præſidas tuis;
externorum quoque delectum habeas, ſi his ſit vtendum, non enim par in omnibus
eſt fides, vigilantia, fortitudo. Vt omittam authoritatem Principis ac militaris pru- 531
dentiæ opinionem referre plurimum, vt non modò vigilās, ſed vigilantiſſimus habea-
ris. Nam qui venditant in vrbibus ſerendas aut fouendas diſsentiones quaſdam in-
ter primarias familias aliquas, vt ſe mutuò obſeruent, ac pro te vigilent, nec æquum
nec cōmodum, præſertim vbi externus timeri poſſit hoſtis, videri debet. certè Roma-
notū Imperiū ob Plebis & Optimatū aut ēt Tribunorū, Senatorúmque diſcordiā, diu

laborauit, foraſſe etiam Romana Reſpublica inde euerſa eſt. quod enim Marius & Sylla, hoc eſt factionum illarum principes, tentarunt, id Pompeius & Cæſar eorum ſectatores cum Reipublicæ excidio perfecerunt. ita ut ſatius ſit Ciues, cùm inter ſe, tùm cum Principe de beneuolentia decertare.

PARTICVLA LXXV.

Ἔτι δὲ περὶ τροφῆς, πόση δαπάνη ἱκανὴ τῇ πόλει, καὶ ποία ἡ αὐτόθι τε γιγνομένη καὶ εἰσαγώγιμος. καὶ τίνων τ' ἐξαγωγῆς δέονται, καὶ τίνων εἰσαγωγῆς ἵνα πρὸς τούτους καὶ συνθῆκαι καὶ συμβολαὶ γίνωνται. πρὸς δύο γὰρ φυλάττειν ἀναγκαῖον ἀνεγκλήτους τοὺς πολίτας. πρός τε τοὺς κρείττους, καὶ πρὸς τοὺς εἰς ταῦτα χρησίμους, εἰς δ' ἀσφάλειαν μὲν, πάντα μὲν ταῦτα ἀναγκαῖα δύνασθαι θεωρεῖν.

Riccobonus. CVm de re cibaria quantus ſumptus ſit ſatis ciuitati, & quanta ſit ea, quæ ibi naſcitur, & ea quæ importatur, & quarum rerum exportatione indigeant, & quarum importatione, vt cum iis, qui ad has ſunt vtiles, conuentiones, & pactiones fiant. Apud duo enim hominum genera cuſtodire neceſſe eſt culpa carentes ciues, tùm apud potentiores, tùm apud eos, qui ad has res vtiles ſunt. Ad ſecuritatem autem omnia quidem hæc neceſſe eſt proſpicere poſſe.

Maioragius. *DE annona videndum erit quanta qualiſue ſufficere poſſit Ciuitati, & cuius generis ſit ea, quæ ibi naſcitur & quæ aliunde importatur, & quæ ſint res eæ, quas exportare, & quas importare oporteat, vt conuentiones & pactiones cum eis fiant quibuſcum opus eſt. Duo ſunt enim hominum genera quos obſeruare neceſſe eſt ne a ciuibus offendantur, nempe qui potentiores ſunt, & qui rebus ſuppeditandis vtiles eſſe poſſunt. Hæc omnia ſubtiliter videndi facultatem habeat oportet, qui de Ciuitatis ſecuritate conſulturus eſt.*

532 OBſeruari iubet qualis, quantáque ſuffiecere poſſit Annona ſiue copia alimentorum (περὶ τροφῆς eſt apud Ariſtotelem, hoc eſt de re Cibaria) quæ regioni alendæ ſunt neceſſaria: ac propterea videndum quæ ibi naſcantur, quæue conuehenda ſint, ſimúlque quarum rerum exportatione quarum importatione indigeat. Vt ambigat facilè quiſpiam num id quod poſtremò commemorat, vniuerſim ſit intelligendum, ita vt tandem, ne longum faciat, ſtatuat reputanda quæ exportare oporteat vel importare, quæcunque illa ſint, an verò ſigillatim, annonæ ſcilicet gratia reputari velit quæ ſint vel exportanda vel importanda. Et quidem cum ita ad quartum hoc caput aggrediatur, vt quid antea dixerat in deliberationibus de rebus exportandis & comportandis conſultandi locum ſe ſe offerre, hîc dicat Ἔτι δὲ περὶ τροφῆς videri poſſit rem totam ad annonam ſeu rem cibariam reuocare. Ita ſanè quod paulò ante generali nomine propoſuerat, ſtatuens de rebus importandis & exportandis conſultandum, hîc ad annonam referret totum. Etſi enim in Vrbes ac Regiones, arma, equi, veſtes, & ſexcenta huiuſmodi alia ſolent importari, aut etiam ex iiſdem exportari, & in alias Regiones deferri, in præſens tamen annonæ finibus res concluderetur vniuerſa. Quanquam neque de Annona, ſeu περὶ τροφῆς ac re cibaria præciperet ea omnia, quæ dici poſſunt, (de hac enim multa & Agricultura, & mercatura, & medicina docere poteſt ac præcipere, quæ neque a ciuili facultate ſpernuntur: ita vt Ariſtoteles lib. I. & VI. politicorum attingat quædam ac phyſiologiæ nonnulla etiam committat) ſed ea tantùm quæ Vrbi muniendæ vniuerſim obſeruanda ſint. Veruntamen magnopere vereor ne

poſtrema illa verba vniuerſim de rebus exportandis & importandis intelligenda ſint:
quaſi verò iuberet vt tum de annona ac re cibaria (eſt enim præcipui momenti) ac
propterea de ijs quæ ibi naſcuntur aut eò aliunde conuehuntur habita fuerit ratio,
tum ad cætera quoque mentem adijciat Orator quæ oporteat exportare aut impor-
tare. Ne longum enim faciat minutè omnia enumerans quæ importare oporteat aut 533
exportare, id ſummatim concludit ac præcipit. Et ſanè cum iam antea propoſitio la-
tè pateret ad res quæ exportandæ aut comportaudæ eſſent, ratio poſtulabat vt hic ge-
neratim etiam de ijſdem præciperet, vel certè vbi cibaria commemoraſſet: quippe
præcipuam partem, reliqua ſaltem vniuerſim tractari reuocaret in mentem. Quæ
ſententia inde confirmatur quia ſi in annonæ gratiam ea ſubieciſſet verba, exportan-
darum rerum temerè mentionem feciſſet cum ad Vrbem annona muniendam im-
portandæ res pertineant, non exportandæ. Adde quod arma etiam atque alia multa
ſunt Vrbi neceſſaria: ita vt vbi conceſſum fuerit annonam primum obtinere locum,
arma, veſtes, & ſi quid huiuſmodi non ſint contemnenda. Ita fit vt a re Cibaria ince-
perit quòd maximè omnium ſit neceſſaria ac propterea de annona primò cogitandū.
Alioquin alia etiam quæ importare aut exportare oporteat obſeruari iubet. Itaque
non ægrè conceſſerim Ariſtotelem importandarum rerum nomine ea ſignificare
quæ ad delicias pertinent aut ſola ornamenta: nam inquit, ea quæ oporteat ſigni-
ficans: quod eſt res ſuperuacaneas exportandas: neceſſarias & opportunas impor-
tandas. Igitur de Annona primùm agit ac præcipit ſeu duo ſpectari iubet ei cui de An-
nona ſit deliberandum: nimirum tum quæ & qualis (vt dicere cœperam) ſufficere
poſſit, tum quæ vel in Regione naſcatur, aut aliunde ſit importanda. Itaque ait pri-
mum quæ annona, quòd cum alimenti & annonæ nomine contineantur multa &
vero ex multis, varijs parari poſſit, videndum ſit quæ Verbi aut Regioni illi conue-
niant. Certè Ariſtoteles lib. 1. Politicorum cap. 5. docet ex venatu, piſcatu ſed in pri-
mis a terra victum parari. Ait quod, vt ne ſuo per ſe cibario parentur, multò minùs
exigua, quæque non ſint ſatis. Addit ſecundò videndum quæ gignat regio, quæ
aliunde inuehenda, quod nulla regio ſit tam ſterilis quæ non aliquid ſuppeditet, planè
omnia. Quare ægregiè Virgilius videndum monebat —— *Quid quaque ferat regio* 534
quid ferre recuſet: ſi quidem Hîc degentes &c. vſque equarum ? Scio a Plinio indi-
cam palmam celebrari quòd multa ſuppeditet tuendæ vitæ. Scio recèns palmam in
nouis regionibus inuentam quæ cibum, veſtes, ligna, oleum, medicamenta, quic-
quid denique ad vitam alendam pertinet, ſuppeditet. Sed hoc perrarum: ita vt pru-
denti Oratori ſpectandum quid gignat regio, quibus indigeat, rara vero ad cætera de-
ſcendi iubet quæ oporteat tum exportare vt ſi quæſtus inde colligatur ſeu ea quip-
pe ſuperflua in neceſſaria commutentur aut quæ vſui eſſe ſolent & vero deſint, im-
portentur. Et hac de cauſa iubet vt conuentiones ac pactiones cum ijs, qui huic rei
ſint idonei, inſtituantur. Et per hanc occaſionem docet duo eſſe hominum genera,
quos vereri oportet, & ne offendamus diligenter cauere; nimirum & potentiores
(potentis enim ira plurimum nocere poteſt:) ita vt nec leo, nec qui multum poteſt,
ſit irritandus, neque brachia contra torrentem tuto derigas & qui rebus ſuppeditan-
dis idonei ſint pactionibúſque & commercijs peragendis. ſi quidem niſi præſto ſint ij
ac nobis faueant in rei frumentariæ ac cibariæ aliarúmque rerum penuriam nos ad-
ducere poſſunt. Et hæc ſanè omnia accuratè obſeruari iubet, cum ab eo qui de Vrbe
cuſtodienda conſilium daturus ſit, tum a Ciuibus, qui Rempublicam gubernant, in
vniuerſum, Hæc Ariſtoteles. Quibus illuſtrandis illud mihi occurrit, plurimum
intereſſe ſiue maritima ſit Vrbs, ſiue a mari abſit longè: ac rurſus num fluminibus
nauigationi idoneis interluatur; nam maris, aut fluminis ſublata opportunitate,
multa ſunt, quæ difficilè aut comportentur, aut exportentur: vt propterea quid lo-
cus & opportunitas poſtulet, & quibus artibus ac præſidijs vſi ſint anteacto tempore,
præſtet animaduertere. Et ſanè olim Romæ, cum innumeram & liberorum & ſer-
uorum aleret multitudinē, vix ac ne vix quidem annona ſuppeditari potuiſſet, quæ ex
Sicilia, Sardinia, Aprica cōuehebatur, niſi & mari fuiſſet proxima, aut Tyberis nauiga-
tioni fuiſſet idoneus. Id quod accidit hoc tēpore tū Genuæ, quæ ſteriles fermè habet
agros, tùm Venetijs, quæ agro ferè carent omni. His enim Vrbibus, tum maris, tum 535
fluminum (id quod Venetijs euenit in primis) opportunitas tantam annonæ ſuppe-
ditat

ditat vim, vt ſæpè ſupra vberrimas ac fertiliſſimas Italię Vrbes, ac Regiones abundent; alijs etiam interdum aliquam annonæ ſuppeditent partem. Qua tamen in re plurimū refert Magiſtratus qui huic rei præſit, diligentia: quod & Romæ olim cernere licuit, & Venetijs in præſens licèt animaduertere, vbi Aediles cereales annonæ præfecti creātur & cibaria copiosè parantur. Ita vt, tum maris & fluminum opportunitas, tū eorum qui annonæ præſunt integritas & diligentia ſit neceſſaria. His verò illud vniuerſim de rebus comportandis, & exportandis addiderim plurimum referre, vt ex illiberalibus artibus vnæ illæ retineantur in Vrbe quæ tum rebus neceſſarijs ſubminiſtrandis, tum pecuniæ inprimis ab externis parandæ & colligendæ, ſeruiant. qui enim, aut nullas artes colunt, aut eas colunt vnde multum pecuniæ aliò tranſmittitur, refertur parum, malè conſulunt Vrbis commodo & ſaluti. Denique Plato qui quæ artes ad delicias pertinent ad luxum, arceri iubet, frugales ac neceſſarias retineri, mihi quidem optimè ſtatuere viſus eſt. Nam hominis quoque parſimonia quemadmodum ab aliquibus cenſetur magnum vectigal, aut amplus cenſus, ita poſſe appellari tutam annonam, non eſt quod dubitemus; quandoquidem, vt hæc edacitate, ac bibacitate diſſipatur facilè, ita edacitate, ac bibacitate depulſa, ſobrietatéque retenta mediocris annona fit ampliſſima. Hæc in præſenti particula in qua tamen extrema, illud eſt adhùc obſeruandum; ea verba, *εἰς δὲ ἀσφάλειαν μὲν, πάντα μὲν ταῦτα ἀναγκαῖα δύνασθαι θεωρεῖν. Hoc eſt, ad ſecuritatem autem omnia quidem hæc neceſſe eſt poſſe perſpicere*; perperam explicari a Maioragio dum ſic ſcribit. *Quatuor illa quæ hactenus numerauit ita implicita ſunt & cohærent inter ſe vt vix diuelli poſſint, neque enim ſine vectigalibus & pecunijs ius ſuum obtinere Ciuitas poteſt. ſed ſi eis abundauerit, & bellum commodè gerere & regionem præſidijs bene firmare, & annonæ copiam habere facilè poterit*, Quam ſententiām hauſit ex Victorio, qui
536 eadem verba explicans, *Intelligit* (inquit) *cuncta quæ ſupra expoſuit. neque enim ſine pecunijs tueri ius ſuum Ciuitas poteſt, neque ſine reliquis tribus*; perperam inquam explicatur locus, ita ut *τὰ πάντα* ad quatuor illa, nimirum ad vectigalia, pacem, & bellum, cuſtodiam Ciuitatis, annonam referantur. Cum enim quinque propoſuiſſet res maximas de quibus Oratori eſſet conſultandum, ratio poſtulabat vt tum demum iuberet, vt Orator illas omnes perſpiceret cum eas explicaſſet omnes, non autem quatuor explicatis id iuberet, tum proferret, & explanaret quintam, & ideo ſtatim atque declarauit quintam concludit Ariſtoteles. *Res igitur maximæ, quarum cognitionem, eum habere oportet, qui benè conſulturus ſit, hæ ferè ſunt*. Igitur ne aut alieno loco aut bis vno ferè eodémque in loco id iubeat, fatendum eſt ea verba. *Ad ſecuritatem autem omnia quidem hæc neceſſe eſt poſſe perſpicere*, pertinere ad ea omnia, quæ interim commemorauerat & animaduerti iuſſerat tum de annona; (quanta ſcilicet Annona eſſet Ciuitati neceſſaria: quanta eſſet illa quæ ibi naſceretur: quāta & qualis comportanda) tum denique quæ inde exportare aut eò comportare oporteret. Hæc inquam ſunt, quæ hoc in loco obſeruari iubet ac perſpici, ita vt ſigillatim loquatur adhùc de annona & rebus exportandis aut comportandis non de quatuor illis rebus omnibus: hoc enim (vt par eſt) fauet paulò poſt cum illa abſoluerit omnia. Nam quod ait Victorius non modò annonam verùm etiam pecunias eſſe neceſſarias ad Ciuitatem tuendam, efficeret, ea verba. *Ad ſecuritatem autem hæc omnia neceſſe eſt poſſe perſpicere*, de legibus etiam, quoniam tuendæ Ciuitati ſunt neceſſariæ, hic proferri, & tamen cum de ijs nondum diſſeruerit, vel ipſo Victorio fatente, leges non comprehenduntur his verbis. Ergo iubet quidem Ariſtoteles vt Orator, cui ſecuritas Vrbis eſt procuranda, ea omnia perſpiciat de Annona & de rebus exportandis & comportandis quia ijs neglectis ægrè poſſit rectè ac illa conſultare; ſed tamen non prohibet quin adhuc alia ſint, quæ ad Ciuitatis ſecuritatem pertineant; Ita vt vterque iſte interpres hoc in loco grauiter deceptus ſit.

PARTICVLA LXXVI.

OΥ'κ ἐλάχιϛον δὲ περὶ νομοθεσίας ἐπαΐειν. ἐν γὰρ τοῖς νόμοις ἐϛὶν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως.

Riccobonus.

SEd non minimum eſt legum lationem intelligere. In legibus enim conſiſtit ſalus ciuitatis.

Maioragius.

SEd illud non parui ponderis eſt, ferendarum legum rationem intelligere. cum in legibus poſita ſit totius ciuitatis ſalus.

De Legib.

AD leges poſtremò deſcendit loco, vt ſi de legibus ferendis ſit deliberandum, conſilium pro dignitate dare poſſit Orator. Vbi ea fortaſſe de cauſa poſtremò loco agit de legibus, quòd ſentiat eſſe rem maximè omniũ quas commemorauerat præcipuam & neceſſariam, ac propterea huic diſputationi egregium veluti colophonem imponere cupiat. Ac rectè: leges enim in Ciuili ſocietate ſunt veluti prora & puppis. Sed de legum vi ac dignitate vberiùs paulò poſt. Nunc ad Ariſtotelem. Principiò igitur monet non exigui momenti eſſe ac ponderis ferendarum legum actionem percepiſſe, idque ea de cauſa quòd in legibus poſita ſit totius Ciuitatis ſalus, atque hinc efficit Oratori qui de ferendis legibus ſententiam dicturus ſit, tria neceſſariò eſſe ſpectanda. Primum quot ſint Politiæ formæ. Alterum, quæ res & quales ſingulis cõducant formis. Poſtremum quæ ſint è contrario quibus ſuaptè labefactentur ſingulæ Reipublicæ formæ, & euertantur, idque ſiue ea ſint ipſius Politiæ propria ſiue contraria, ſed de tribus ijs, quæ cognoſci iubet Ariſtoteles, in particula ſequenti. Nunc quod attinet ad præſentem con- 538
trouerſiã excitare iubet ac requirere Num & qua ratione repoſita ſit in legibus Reipublicæ ſalus. Et quidem magnopere optaſſem vt quoniam in re pulcherrima verſamur atque grauiſſima, quæque delibetanti magnopere ſpectanda eſt, de tota hac legũ vi nos explicatiùs admonuiſſet, nimirum vt re verà conſtaret in eis poſitam eſſe Reipublicæ ſalutem. nam certum eſt Draconis leges nil minùs quàm ſalutares fuiſſe, cum pleniſſimæ eſſent ſæuitiæ, ac propterea ſanguine ſcriptæ dicerentur & exaratæ. Itaque a Solona ſtatim atque Draconi in Athenienſes Reip. adminiſtratione ſucceſſiſſet, quippe pernicioſæ, abrogatæ ſunt. Lacedæmonum quoque leges tum laſciuiæ ac turpitudini ſeruiebant aliquæ, tum maximè cum pace pugnabant. ſiquidem non tam pax illis erat propoſita, & iuſtum ac moderatum imperium, quàm finiũ Imperiique propagatio & bellica virtus. Quapropter a multis, ſed in primis ab Ariſtotele, reprehenduntur, quod cum omnia ad Imperij amplificationem referrent, a veto fine, qui eſt pax & tranquillitas, aberrarent. Agrariam quoque legem atque huiuſmodi alias multas ingentes Vrbi turbas peperiſſe, atque adeò Graccanas leges euerſionis illi initium fuiſſe, compertum eſt. Denique ſi quis hiſtoriarum euoluat monumenta, ac Regnum multorum artificium exploret in condendis legibus, ſentiet multas corradendæ pecuniæ ſtatutas eſſe alias ad magnificentiam oſtentandam aut etiam ad populorum potentiam labefactandam & minuendam, eſſe latas: ſed & quaſdam ab ignoratione eſſe profectas, ita vt inter ſe haud conſentiant, qu in ſæpè contentionibus, ac forenſium controuerſijs fomitem miniſtrare ac ſummatim ſæpè nec honeſtatem ſpectare nec ſalutem, compertum eſt. Vt omittam legum multitudinem interdum talem eſſe, ac tantam, vt hinc Plato corruptorum morum ac malæ adminiſtrationis conie- 539
cturam ducat: tantum abeſt vt ſalutem Reipublicæ continere fateatur. Et hinc eſt, vt leges ſæpè videri ſoleant non tam hauſtæ a Natura, ſiue hominum mentibus vnà cum Iuſtitia veluti ſeminibus inſitæ & ingeneratæ, quàm tumultuaria quadam ratione inter mortales exortæ: quòd ſcilicet Principes ac Magiſtratus, eas tulerint ac ſancierint pro arbitratu. ſæpè etiam per ſpeciem dirimendi lites & controuerſias, aut publicum bonum procurandi, tanquam laqueos tetendetint aliorum fortunis.

CONTROVERSIA XXXVIII Num & qua ratione in legibus poſita ſit Reipublicæ ſalus.

Quid

Reſpondetur ac docetur Qui tādem leges ſint ſalutares.

Quid eſt igitur quod Ariſtoteles tam facilè ſtatuit in legibus ſalutem Ciuitatis poſitā, & collocatam eſſe? Sed fateamur id quod eſt: nimirum leges tum demum fore Ciuitati ſalutares, cum re vera ſiue cum ratione & æquitate, ſiue cum Natura & Diuina lege, conſentiant. Nam lex humana tum demum legis meretur nomen, tum diuinę reſpondet legi a qua deriuet oportet. Atque ideo lex dicitur a Numine tracta ratio qua honeſta imperentur, prohibentúrque contraria. Et eiuſmodi leges iurè ac meritò dicerētur continere Reipublicæ ſalutem quā planè ſpectare debet legislator. Legi enim humanæ ſalus, mortalium atque tranquillitas ſeu pax & benè beatèque viuēdi ratio in finis loco propoſita eſt. Itaque M. Tullius in III. de Legibus. Salus (inquit) Populi ſuprema lex eſto, & in XI. Philippica ea cenſet eſſe legitima quæ Reipublicę ſunt ſalutaria. Denique cum mortales, vt a vitijs auocet excitétque ad virtutem, maximè dúbium eſſe poteſt, quin ſit Ciuitatis tum forma, perfectio, tum decus & ornamentum, ac propterea eius ſalus ducenda ſit, & hinc eſt vt a quibuſdam cum neruis &c. Quanquam ſi quis paulò explicatiùs rationes audire cupiat quibus conſtet in bonis legibus ſitam eſſe Reip. ſalutem, rem nō grauatè proſequar. Ergo tribus rationibus videor mihi ſuadere poſſe, ac demonſtrare in bonis & iuſtis legibus poſitam eſſe Reipublicę ſalutem. Prima eſt, quia
540 dum lex cuique hominum ordini fines præſcribit & munera, hinc Ciuitatis ſalus exiſtit & ſplendor. Nam quemadmodum Natura Elementis ac cæteris corporibus fines præſcripſit, ac munera, quibus retentis & conſeruatis, Vniuerſitatis, quæ ampliſſima quædā Vrbs eſt, optima perſeuerat conſtitutio; ita etiam Vrbs, quæ eſt minor vniuerſitas; tum demum floret, cum ſuum munus, ſuóſque fines tuētur omnes. Atque id etiā eſt corporis humani ſanitate deprehendi poteſt. nam homo, quippe paruus Mundus, tum demum valet optimè, cum eius corporis humores & elementa, perindeatque in maiore Mundo intra debitos fines Natura retinet, aut parum egredi ſinit, ac denique facultates ſingulę ſuum munus aptè & conſentienter obeunt. Atque idem confirmare liceret exemplo, vel potiùs ſimili, tum Gubernatoris, tum Ducis, tum animæ, tum Solis, tum Aurigæ. quod enim eſt Gubernator in Naui, Dux ſiue Imperator in Exercitu anima in corpore, Sol in mundo, Auriga in Curru, id eſt lex in Republica, & hominum cœtu. Ita ſanè quam illi, curruì, Mundo, corpori, exercitui, Naui ſalutem afferre ſolent, hanc leges afferunt Ciuitatibus. Altera eſt, quia lex præmijs continetur ac pœnis, non ſecus ac Mundus duobus cardinibus & polis. ita fit vt præmijs, tum bonos ornet, tum ſegnes excitet: malos contra ac deſides pœnis coërceat, ac ſummatim, ne mala gerantur, bona verò, & iuſta fiant, prouideat: in quibus Reipublicę ac mortalium ſalus eſt collocata: dum enim a vitijs maliſque recedimus, virtutes ac bona ſectamur, ad ſalutem nihil eſt quod requiratur. Et quanquā præmia non facilè reſpondent pœnis, ita ut mulctentur quidem ſontes & mali (tametſi nō omnes planè, prēſertim robuſtiores, quibus leges tanquam aranearum telæ ſunt) boni ægrè præmia conſequantur (nam lęduntur
541 a robuſtioribus ſæpè, tantùm abeſt vt afficiantur præmijs) ſecus tamen accidit vbi non modò leges, verùm etiam adminiſtri ſint optimi: horum enim eſt proſpicere, vt ſuum ſit virtuti præmium. Quod ſi quis non facilè ſentiat, ita vt ei pœnæ ceruicibus imminere, præmia vbique deliteſcere videantur, iam Mundus etiam ita nobis eſt diſpoſitus, vt vnus tantùm appareat polus, ſcilicet vnde truces erumpunt Boreæ flatus; alter penitus deliteſcat: Denique, vt non omnibus ſed perpaucis ſphæra eſt recta, ac proinde perpauci vtrunque ſpectant polum, ita mortalibus nō omnibus, ſed pauciſſimis æquè prēmium ac pœnæ obijciātur. Poſtrema ratio eſt quia leges mortalibus imponūtur, quòd perpauci ſint, qui honeſtatis aculeos ſentiant ac virtutis: contra verò plerique omnes ſe impuris voluptatibus, quę eſca malorum ſunt, & immoderatis cupiditatibus a recto ſenſim abduci patiantur. nam alioquin (id quod diſputat Ariſtoteles in libro X. Moralium extremo) nullus eſſet legum vſus, nec de ijs ferendis cogitandum. qui verò honeſtatis aculeos haud ſentiunt, atque impuris cupiditatibus ducuntur, indomiti equi inſtar ſunt, vel deſides, ita vt pœna & præmio tanquam calcaribus hinc inde ſint excitādi & impellendi, vel præcipites, qui præterea pœnis item ac præmijs tanquam pœnis ſint cohibendi. Quapropter quemadmodum calcaria, & frena dirigunt equum, ita vt domitore duce ſæpè generoſus inde euadat, ſic homo pœnis dirigatur & præmijs, quibus à legislatore & moderatore optimo ad moderationem & honeſtatem, ac beatam denique vitam, traducitur. Hæc ſunt quibus ſuaderi poteſt in bonis legibus ſitā eſſe Rei-

Iam probatur in bonis legibus poſitam eſſe Reipublicæ ſalutem. I.

II.

III.

publicæ

publicæ ſalutem. Tametſi non eſſet quod inſiciemur, magnopere optādum vt quales ſint leges, tales ſint Iudices, & Magiſtratus: ac propterea optimæ leges in optimos indicant adminiſtros. lex enim quantumuis optima, eſt tanquam ſilēs magiſtratus: & ideo ſine probi adminiſtratoris opera minus authoritatis habet, efficacitatiſque: quin illud Zaleuci ſiue Anacarſidis ſæpe continget, vt quaſi araneæarum tela, a potentibus perſringantur verendúmque affirmare audeant leges ijs compoſitas eſſe qui non præſtent potentia, ac propterea ijs eſſe timendas, qui quod ſibi tantùm ſatis ſit ſurripuerint qui contra tantum rapuiſſent, quantum permultis eſſe poſſet ſatis, ijs timendum nihil. Neceſſe igitur eſt vt boni & conſtantis Iudicis & Magiſtratus, qui eſt veluti lex loquens, auelat induſtria, ſic etiam mortalibus vtilitatem afferet maximam. Denique ſi Iuriſconſultus eam rectè explicet, Magiſtratus eiuſdem vim ac legiſlatoris voluntatē exequatur, Rex ac Princeps eandem conſtanter tueatur, ciuibus ad bene beatéque viuendum Dux erit optima. Nunc dicamus de ijs quæ pertinent ad formas Reipublicæ quas iubet Ariſtoteles explorari. 542

Vt tamen bonæ leges ſint ſalutares probum magiſtratum requiri: alioquin tacere leges.

PARTICVLA LXXVIII.

Ὥστ' ἀναγκαῖον εἰδέναι, πόσα τέ ἐϛι πολιτειῶν εἴδη, καὶ ποῖα συμφέρει ἑκάϛῃ, καὶ ὑπὸ τίνων φθείρεσθαι πέφυκαι, καὶ οἰκείων τῆς πολιτείας καὶ ἀναντίων.

QVare neceſſarium eſt ſcire, quot ſint Rerum publicarum formæ, & quæ proſint cuique, & a quibus vt corrumpantur, naturam habeant, tùm proprijs ciuitatis, tùm contrarijs.

Riccobonus.

ITaque ſcire neceſſe eſt, quot ſint Rerum publicarum genera; & quæ cuique generi proſint, & quæ interitum adferant. ſiue illa Reipublicæ propria ſint, ſiue altera, & ei contraria.

Maioragius.

De Reip. formis.

VT Orator ferendarum legum notitiam aſſequi, & in conſilio dando ſententiam explicare, poſſit appoſitè, neceſſarium iudicat Ariſtoteles vt ipſe Orator nouerit quot ſint Politiæ ſiue ciuilis gubernationis formæ, & quæ res vnicuique Politiæ vel conferant, vel obſint & interim afferant: idque ſiue ſint Reipublicæ propriæ, ſiue alienæ & contrariæ. Diſputat verò Plato de Politiæ varietate ac differentijs in Ciuilis & Ariſtoteles libro tertio Politicorum capite V. vbi ſanè eam faciunt tripartitam, idque ea de cauſa, quòd vel vnus, vel plures, vel omne gubernent. Quòd ſi rectè, hoc eſt ad publicam vtilitatem ſpectantes, oritur vel Regnum, ſi ſcilicet vnus, vel Ariſtocratia, dum ſcilicet plures; vel Politia, dum videlicet omnes gubernent. Contra verò, ſi iniquè regnant ij, & propriam vtilitatem quærentes, oritur tyrannis, oligarchia, democratia. 543

Vbi, & quas ſtatuat Ariſtoteles Politiæ formas.

Quo in loco (vt de nominibus dicam aliquid prius tum de re) obſeruandum eſt Politiæ nomen, & generale eſſe, ac propterea omnes publicę adminiſtrationis formas cōtinere; & rurſum eſſe priuatum, ac ſignificare ſolam gubernationem, quę ciuibus omnibus eſt communis: communis inquam omnibus, quia omnibus ad Magiſtratus patet aditus, ac ſumma poteſtas in vniuersùm ſit apud omnes. Quare quemadmodum hiſtoriæ nomen eſt modò generale, & continet etiam Annales, Commentarios, Origines, Diaria, & ſi quid huiuſmodi, modo his opppnitur, & pleniorem tantùm rerum geſtarum ſignificat narrationem; vt quæ rurſus apud Cæſarem Gallia modò latiſſimè patet, ita vt tripartitò diſtribuatur; modò certam eius indicat partem quam colerent Celtæ, ſi apud Ariſtotelem Politia. At verò Ariſtocratia ſi item vim vocis ſpectemus, ſignificat optimorum dominatū; ſed tamen Ariſtoteli illud gubernationis genus valet in quo Magiſtratus optimis diſtribuūtur ijs ſcilicet qui ſcientia & prudentia excellūt, legum diſciplinam cuſtodiunt ac ſeruant. Regnum autē, quam vim habeat, nō neceſſe eſt com-

De huiuſmodi formarū nominibus eprius de nomine Politiæ.

De Ariſtocratia.

De Regno.

Digitized by Google

eſt commemorate: & ſi illud non ab re fuerit indicare, Monarchiam quæ vnius ſignifi-
cat dominatum, in Regnum, Tyrrannidem, quia ſcilicet Dominus iuſtè, aut iniuſtè re-
gnet, diſtribui. Tametſi enim Tyrānus priſcis temporibus idem eſſet qui Rex, Monar-
cha etiam cæteris dominis excludendis inuentus eſt, vſus tamen obtinuit, vt Regnum
544 in bonam, Tyrannis in malam, partem vſurpetur: Monarchia vtrunque dominatum
complectatur: etſi hæc quaque cum Regno ſæpè cōfunditur, & in bonam partem ac-
cipitur. Hæc de Regno, Ariſtocratia, Politia, vnde recta exiſtit gubernatio. Iam verò
Oligarchia (vt prauæ quoque gubernationis formas attingā) ſi vim vocis ſpectemus, *De Oligarchia.*
ſignificat paucorum dominatum, ſed tamen Ariſtoteli valet gubernationē in qua non
vnus, aut omnes, ſed pauci quidam potentes gubernant: ita tamen, vt pro libidine, con-
tra quàm in Ariſtocratia, gubernent, atque ad propriam vtilitatem referant omnia &
quanquam non me latet Ariſtotelem aliquando Oligarchię nomine eam gubernatio-
nem deſignare, in qua ex cenſu Magiſtratus deligerentur: veruntamen quia ij qui cēſu
a diuitijs abundant, ſolent eſſe pauci: Oligarchia nomen inuenit horum gubernatio.
Denique Democratia (de Tyrannide enim ex dictis conſtat ſatis) valet populi domina- *De Democratia.*
tum, licet tunc ſolùm cum ita regit populus, vt legibus non obtemperet, Democratia
exiſtere dicitur: quę propterea inter corruptas formas numeratur: nam vbi legibus ob-
temperet, proprio nomine Politia gignitur, quam inter rectas formas & adminiſtra-
tiones numerauimus, ſed de tota harū gubernationum varietate copioſiùs fortaſſe in
capite VIII. vbi eas enumerat Ariſtoteles. Nūc de re ipſa agamus: ac dominatuum, ſeu *De re ipſa agitur, ac prius Ariſtotelis ſententia oppugnatur.*
gubernationum varietas, quàm rectè conſtituta ſit ab Ariſtotele, exploremur. Et ſanè
variæ ſe ſe aduerſus Ariſtotelem obijciunt dubitationes: Ac primùm. Quid ſi in recta
adminiſtratione (eorum ſcilicet, qui publicam vtilitatem quærunt) gubernent, pauci
quidem, ſed pauperes? an non eodem iure quarta hinc exiſtet recta gubernationis for-
ma? ſi enim ea de cauſa quod pauci, ſed diuites ac nobiles, rectè gubernent, gubernatio- I.
nis forma conſtituitur Ariſtocratia, ſanè cum rectè gubernēt pauci ac pauperes, noua
hinc exiſtet forma rectæ gubernationis alioqn nihil intereſt ſiue pauperes, ſiue diuites.
Quod ſi dicas, Ariſtocratiæ fundamentū eſſe, vt qui gubernant, ſint optimi; quod verò
nobiles ſint, ac potentes nihil intereſſe, ſolúmque ea de cauſa interdum nobilibus &
545 potentibus tribui ab Ariſtotele Ariſtocratiam, quia plerunque contingit, vt pauci illi
optimi, qui gubernant, ſint optimates, & potētes; iam præterquam quod temerè diui-
tes ad Ariſtocratię vim, & naturam conſtituendam, ac declarandā adhibeantur, ſi fortè
pauci iſti, qui rectè gubernēt, ſint pauperes, pauperes & ad Ariſtocratiam, & ad Politiā
(ita tamen vt augeatur numerus) pertinebunt quin ſi multi gubernent (multi, inquā,
nō pauci) ſed diuites, vel etiam optimi, quinta hinc exiſtet rectæ gubernationis forma.
Quid eſt enim cur gubernationibus diſtinguendis conſtituendíſue paucos adhibeas,
& tamen multos, aut plurimos eidem conſtituendæ, aut diſtinguendæ valere neges?
Sic ſanè quinque eſſent rectæ gubernationis formæ: totidémque in praua non diſſimi-
li proportione, & via notari ac ſtatui poſſent.

Quin etiam longiùs producetur numerus ſi non modò ſimplicium, verùm etiam II.
mixtarum formarum habeatur ratio: cuius tamen habendā eſſe, cum extent, inficiari
haud licet. ſanè Poloniæ Regnum, ac fermè Veneta Reſpublica, Regis ſeu Principis, &
optimatū, authoritate regitur. A quo ſanè gubernationis genere non longiſſimè abeſt
Galliæ & Hiſpaniæ Regnum: cum pleraque conſiliariorum principúmque virorum
egeant conſenſione, & approbatione. Eodémque modo ex Regia, & poteſtate popula-
ri poteſt adminiſtratio conſtare: vt ſi Rex nihil, niſi approbante populo, ſancire poſſit:
aut populus viciſſim nihil, niſi Rege, aut Principe probante, decernere valeat. Ex quo
fit vt ex optimatibus quoque, & populo, quod olim Romæ contingit, extare poſſit
gubernatio. Ita quidem ſeptem, aut etiam, ſi quę modò ex Regia Ariſtocratica, Politi-
ca, exiſtere poſſit adminiſtratio, octo, quin ſi prauas ſpectes, ſexdecim, fortaſſe etiam
mutatis vicibus multò plures, gubernationis formæ, non tres tantùm, aut ſex erunt af-
ferendæ. Quanquam illud maiorem habet dubitationem: quî ſcilicet, vel pro varietate
546 ciuilis gubernationis variandæ ſint leges, vel aliquæ huic proſint, obſint illi, & è con- III. & IV.
trario. Etenim iuſtitia eſt omnibus propoſita, quæ vt per ſe eſt externa & conſtans, nō
videtur pro varietate ciuilis ſtatus varianda, ſed vbique eádem colenda & retinenda. Et
ideo videmus tam in Regno quàm in Ariſtocratia, vel in Politia requiri, vt ne quis al-
terum

Digitized by Google

terum lędat: vt ius ſuum vnicuique tribuatur, vt fides, pacta, iuſiurandum ſeruetur, parentes colantur, amicitia ſyncerè & integrè traducatur, & id genus alia. Itaque vix, ac ne vix quidem concipi poteſt, aut variandas eſſe leges pro ciuilis ſtatus forma, aut quę
V. leges vni proſint, obſint alteri. Ad extremum qui tandem res quædam ex ijs quæ obſunt Politiæ, aut alteri adminiſtrationis formæ, ſunt eius propriæ: quædam alienæ? aut quæ proſunt, quæúe interitū afferunt? ſic dubitet aliquis aduerſus Ariſtotelem in re
Reſpondetur. propoſita. Verùm enim verò, tametſi ea dilucidaſſe nobis interim magno eſſe poſſint vſui, fatendum eſt tamen non huius eſſe loci, aut facultatis ſed Ciuilis ſcientiæ. Et ideo conſultandus eſſet diligenter Ariſtoteles ipſe tum in libro III. Politicorum, quod attinet ad varias gubernationis formas, tum in quarto & quinto quod attinet ad reliqua: atque ibidem audiendi eſſent etiam explanatores, præſertim ij qui hæc non quaſi per tranſennam attingunt, ſi qui ſunt, ſed æſtimant, ac diſſerunt accuratè. Tametſi, ne interim vos ieiunos relinquam, aut ad dubitandum potiùs, quàm ad dubitationes tollendas, fictus videar, aliquid, tum vniuerſim dicam; tum ad ſingula. Igitur ſic ſtatuo. Reuera vnica eſt optima Reipublicæ, ſeu gubernationis forma, nimirum Monarchia: neque enim perfectus ordo, qui tamen gubernationi eſt neceſſarius, conſeruari ſatis po- 547
teſt, niſi vnicum ac ſummum ſit gubernationis principiū, quemadmodū ex Ciuili ſciētia ſatis cōſtat. ex quo fit, vt formæ cæteræ, prout ab imitatione huius magis, minúsue recedunt, magis, minúsue abſint a perfecta. Sed tamen illud quoque fatendū eſt, poſſe in homine periclitari perfectū hoc genus adminiſtrationis, vel propter Regis inſcitiam & imprudentiam, aut imbecillitatem, vel propter Imperij magnitudinem, quæ ſuperet humanas vires, & mortalis prouidentiam. Quanquam enim in Deo propter admirabilem ſapientiam ſummámque potentiam, eiuſdémque immortalitatem non poſſit non eſſe optimum; in homine, quippe labori ac morti obnoxio, anguſtaéque prouidētiæ infœliciter cadere ſolet. Ita quidem vbi moderatis non ampliſſimis (inquam) finibus contineatur Regnum, nec deſit Regi par Regno prudentia, & facultas, Regia adminiſtratio eſt optima. Quod ſi latiùs manet Regnum, ac ſummatim Regis facultas non ſit par, gubernationem optimatum, quoniam virtutem ijs ineſſe ſumimus, aut certè (vt ordo ſeruetur) rectiùs gubernationem ex Rege, & optimatibus mixtam, cenſemus inprimis conſiſtere, ſic ſanè popularis, dum tamen legibus nititur, & obtemperat (nam alioquin vitioſa ſit & præpoſtera) in ſecundis conſiſtet, ſiue in tertijs. Quæ cū ita ſint, iam licet dubitationibus ſatisfacere; ac primùm nō ideo Ariſtocratia diuitibus
Ad I. & potentibus attribuitur, quòd diuitiæ potiùs ac potentia, quàm virtus, & publicæ vtilitatis ſtudium, in eis requiratur: ſed tamen per diuitias ac potentiam deſcribuntur interdum, quia optimates fermè diuites, ac potentes eſſe ſolent. ita quidem non temerè ij, diuites, inquam, & nobiles Ariſtocratiæ ij gubernent, & ſemper virtus ijs ineſſe (alioquin enim, non tam re, quàm nomine eſſet Ariſtocratia) in certis ponatur, ita vt nobiles, & potentes virtute præditos cum Ariſtotele intelligamus. ſic ſanè nihil eſt, quod paucos ac pauperes cū virtute proferamus vnde quarta exiſtat gubernationis forma, 548
quæ enim paſſim habet conſuetudo, ea interim politicis formis deſignandis vſurpamus. Omnino enim videtur Ariſtoteles in Politicis tres tantùm rectas adminiſtrationes conſtituere quia ſic paſſim vſu venire ſoleat. Cum enim multitudo paupertati ſit paſſim obnoxia, & ignobilitati, potentes contra, & diuites cum nobiles tum pauci eſſe ſoleant, politia eſt pauperibus, vel maximè & ignobilibus, Ariſtocratia ex paucis ac nobilibus conflari ſolet. Et ideo non debemus, vel politiam ex diuitibus, aut nobilibus, vel Ariſtocratiam ex paucioribus conſtituere. Atque idem dixerim de Oligarchia & Democratia. Quæ cum ita ſint, neque rurſus pauci, aut multo temerè adhibentur formarum varietati deſignādæ. tametſi enim virtus item in multis, perinde atque in paucis, ſit cauſa bonæ gubernationis, non eorum qui gubernant paucitas aut multitudo; tamen, quoniam in multis ægrè ſapientiam ac virtutem inuenias, (popularem enim ſtatum ideo rectum facimus quia legibus obtemperet, non quia eius multitudo probitate & ſapientia excellat) paucos potiùs quàm multos Ariſtocratię deſignandę adhibemus. alioquin vbi fortè multi excellerent virtute ex ijs, qui gubernarent haud cunctandum eſſet hos ad Ariſtocratiam reuocare. Vt omittam vbi Regio dominatui, ſiue rectum velis, ſiue corruptum, vnum adhibueris (quod ſanè rectè feceris) cohęrenter paucos quoſdam, ſeu aliquos Ariſtocratiæ, aut Oligarchiæ adhiberi: plurimos, ſiue omnes

Politico,

Politico, ſeu Democratico. Ex quo ſanè fit, vt neque neceſſe habeam nouas rectę gu-
bernationis formas inducere, quod fortè multi diuites, aut pauci ijquè pauperes in re-
cta gubernatione virtute poſſint excellere, ac rectè adminiſtrare: neque in prauis for-
549 mis eadem propoſitione numerum augere. Ex quibus fit vt formæ iſtæ ſimplices non
tam facilè ſint permiſcendæ, atque ad nouas formas referendæ. Tametſi alioquin mix- Ad II.
tas formas extare omnino fatemur: quemadmodum mirificè variari poſſe non inficia-
mur. Quod ſi etiam re ipſa miſceantur (nam miſceri poſſe Ariſtoteles docet alibi) fa-
tendum eſt hîc ſimplices illum formas ſpectaſſe tantùm: ídque, tum quia hæ per ſe ſo-
lent exiſtere tum quia aliarum ſunt fundamẽtum, tum quia hæ tres erant in promptu
apud Græcos, apud quos Macedones Monarchiam, Lacedemones Ariſtocratiam, A-
thenienſes Politiam ſectabantur. Quanquam ſi quis dixerit Ariſtocratiam eſſe poſitã
in paucis iiſque diuitibus, ſeu potentibus, ſed virtute præſtantibus; Politiam in multis
non virtute præditis, ſed egenis fermè, ac legum imperio obtẽperantibus, & hinc fieri
vt nequeant rectæ formæ ſimplices augeri (idémque dixerim de duabus oppoſitis for-
mis, quarum prima poſita eſt in paucis virtute expertibus, poſterior in multis legum
imperium cõtemnentibus) equidem interim non pugnabo. nam licet nihil prohibet,
quo minus phyſicè (vt ita dixerim) poſſint variari, tum pauci illi, tum multi, re tamen
ipſa, ac moraliter (vt ſic rurſus loquar) ægrè omnino variãtur: illi enim diuites, hi pau-
peres, eſſe ſolent ex communi vſu. Sed ſint iſta. Verùm quî fit vt quædam obſint quæ- Ad III.
dam proſint pro politicarum formarum varietate? aut cur pro hac varietate variandæ & IV.
ſunt leges? Difficilis percunctatio. præſertim quia aliò ſtatim deflectit Ariſtoteles, rem
ſine explicatu relinquens, Interpretes verò ſilent altiùs. Sed tamen, ne res omnino prę-
tereatur, obſeruandum primò Ariſtotelem dum ait Oratori cognoſcendum ποῖα συμ-
φέρει ἑκάστῃ, καὶ ὑπὸ τίνων φθείρεσθαι πέφυκε, reuera per ποῖα (ſi vim vocis exiſtimemus) non
leges intelligere, quaſi verò aliquæ leges proſint, aliquæ obſint pro gubernationum
varietate; ſed quæ res vel proſint vel obſint. Quamuis nil prohibet quo minus ſub hi-
550 ſce rebus facilè contineantur leges quædã quæ pro illarum varietate formarum, pro-
deſſe aut obeſſe poſſint: quin eo conſilio præcipit Ariſtoteles vt quæ dictis formis pro-
ſint res aut obſint agnoſcat Orator, vt leges ſalutares ſuadeat, diſſuadeat contrarias: ex
quo efficitur vt tacitè ſumere videatur fieri poſſe vt quæ leges interim vni proſint gu-
bernationis generi, interdum obſint alteri. Obſeruandum præterea haud abſurdè dici
ab Ariſtotele res quaſdam prodeſſe vni gubernationis formæ quæ noceant alteri, ſi ei-
3.Pol. et 1.Rhet. c.8. ſed i primus 4. pol. c.1. in fine.
dem concedamus formarum iſtarum finem (id quod alibi ſcribit Ariſtoteles) eſſe di-
uerſum: ac propterea Regiæ adminiſtrationis finem eſſe Regni, Ariſtocraticæ legum,
Politicæ libertatis, cuſtodiam. Quid enim prohibet quo minùs aliquid vni obſit fini,
quod proſit alteri? Ita quidem cum Ariſtoteles in hos fines intueatur, dum aliquid pro-
deſſe vni affirmat quod obſit alteri, tota diſputatio ad propoſitam finium varietatem
eſſet reuocanda: in primiſque diſceptandum num iſta finium varietas ſit admittenda
cum in Ariſtocratia quoque & Politia regionis ac dominatus cuſtodia nõ ſecus atque
in Regno in finis loco haberi videatur. Ex quo fieret vt tum ſtatus controuerſiæ mu-
tandus eſſet, tum longiùs quàm locus hic patiatur producenda diſputatio. Itaque ar-
gumento ſat ſit reſpondiſſe, nil prohibere quo minùs variatis legibus aut rebus quæ
huic vel illi adminiſtrationis generi prodeſſe vel obeſſe cenſeantur, in omnibus adhuc
(quod Ariſtoteles idem monet in Politicis) ſpectetur Iuſtitia & cõſeruetur. ſiquidem
ea iuſtitiæ pars quæ diſtributiua dicitur, quæque in qualibet gubernationis forma re-
tinenda, & non æquè retinenda, in ijs eſt varianda: ex quo fit vt leges quoque variandæ
ſint. Hæc ad III. & IV. quibus rurſus aliquid dicetur in octauo huius libri capite in quo
551 ad politiarum varietatem rurſus nos reuocat Ariſtoteles. Venio ad poſtremum. De
quo ſanè, quoniam fortaſſe paulò difficiliùs videri poterat (quî enim a proprijs cor-
rumpatur non ſecus quàm a controuerſiis) quædam è veſtigio nobis ſubijcit Ariſto-
teles ſic pergens.

PARTICVLA LXXVIII.

ΛΕ΄γω δὲ τὸ ὑπὸ οἰκείων φθείρεσθαι, ὅτι ἔξω τῆς βελτίςης πολιτείας, αἱ ἄλλαι πᾶσαι καὶ ἀνιέμεναι καὶ ἐπιτεινάμεναι, φθείρονται. οἷον, δημοκρατία οὐ μόνον ἀνιεμένη, ἀσθενεςέρα γίνεται, ὥςε τέλος ἥξει εἰς ὀλιγαρχίαν, ἀλλὰ καὶ ἐπιτεινομένη σφόδρα. ὥσπερ καὶ ἡ γρυπότης καὶ ἡ σιμότης, οὐ μόνον ἀνιέμενα ἔρχεται εἰς τὸ μέσον, ἀλλὰ καὶ σφόδρα γρυπὰ γινόμενα ἢ σιμὰ οὕτω διατίθεσαι, ὥςε μηδὲ μυκτῆρα δοκεῖν εἶναι.

DIco autem a proprijs corrumpi, quia præter optimam Rempublicam aliæ omnes tùm ſi remittantur, tùm ſi intendantur, corrumpuntur; quemadmodum Democratia non ſolùm ſi remittatur, debilior fit, vt tandem perueniat ad Oligarchiam, ſed etiam ſi intendatur nimis, vt & grypitas, & ſimitas non ſolùm ſi remittantur, perueniunt ad medium, ſed etiam ſi nimis grypa fiant, vel ſima, ita diſponunt, vt ne nares quidem videantur eſſe. *Riccobonus.*

DIco autem a proprijs Rempublicam euerti, quoniam vno excepto optimo ciuitatis ſtatu, reliquæ omnes Reſpublicæ & cum remittuntur, & cum afferuntur, intereunt. Vt popularis ſtatus non ſolùm remiſſus fit imbecilior, & tandem in paucorum dominatum delabitur; ſed etiam ſi vehementer efferatur, interit. Quemadmodum vitia prauitatéſque naſi, qui vel grypus vel ſimus ſit, non tantum remiſſa ad mediam rectámque formam veniunt, ſed etiam vehementer auctæ; vt ſi valde ſit 552
grypus, aut ſimus naſus, eò tandem perueniat, vt ne naſi quidem formam naſus habere videatur. *Maioragius.*

NOn declarat quæ proſint, ſed quæ obſint Politijs, eáſque corrumpant. Quin etiam etſi dixerat tum a proprijs corrumpi tum a cōtrarijs, declarat tantùm quomodo a proprijs, quomodo a cōtrarijs ne verbum quidem. Ait igitur Politiam ſeu ſtatum aliquem Reipublicæ, excepto optimo, a proprijs rebus corrumpi, cum ſiue remittuntur ſiue intenduntur. Fac enim Democratia hoc eſt popularis ſtatus ac dominatus, remittatur & minuatur, ita vt ex multitudine quæ gubernet (hoc enim eſt proprium Democratiæ) ad paucitatem redigatur, ita vt pauci gubernent ac dominentur; iam imbecillus fiet atque adeò corrumpitur in Oligarchiam ſeu paucorum dominatum delabens. Quod ſi è contrario ſic intendatur & augeatur, vt imperare omnes velint, nemo ſubijci & obtemperare, iam a proprijs item corrumpetur. Ita quidem Democratia a proprijs ſiue nimis augeatur & intendatur, ſiue nimis debilitetur & remittatur, interimetur. Quam rem totam ſimili Ariſtoteles explicat copioſè: quod tamen proferam, ſi priùs quaſdam dubitationes eáſque graues propoſuero, ac, ſi quo modo valeam, explanauero. Ac primum quidem cum dixerit ſeu arripuerit politiā ſeu ciuilem ſtatum
Dubitatur. aut etiā publicam gubernationem (politiæ namque nomen interim vſurpat pro quo-
I. cunque gubernationis genere ſeu quacunque dominatus forma) a quibuſdā iuuari, a
quibuſdam corrumpi, cur obſecro nil de ijs a quibus iuuatur, cum de ijs dicat a quibus
corrumpitur? an non præſtat Oratorem ea quoque noſſe quibus iuuetur vt ſalutare
II. conſilium det? Deinde cum ait quamlibet politiam, excepta optima, a proprijs contra-
riíſue corrumpi, quam quæſo optimam vocat politiam? Ad hęc quî fit vt optimus ſta-
III. tus, qualis qualis ille ſit a proprijs corrumpi nequeat, ſed a contrarijs tantùm, cū cæteri 553
vtrinque labefactari poſſint ac deijci? quin etiā cum priùs dicat corrumpi a proprijs ac
IV. domeſticis ſi remittantur aut intendantur, quæ obſecro ſunt propriæ ac domeſticæ res
quæ intenduntur aut remittuntur? vel quid eſt intendi aut remitti? nam & multitudinē

ac nu-

ac numerum, & vires authoritatémque & id genus alia intelligere poſſumus. Huc ac-
cedit quod percipitur quidem quo modo Democratia corrumpatur, vel certè in quā
formam commutetur per remiſſionem: nam in Oligarchiam conuertitur. Sed in quā
formā vertatur per intēſionem, id verò reticetur atque obſcurū inprimis videri poteſt;
cum enim in Democratia poteſtas ſit populi vniuerſi, concipi nequit quî intendatur.
Hæc explicanda in propoſita Particula. Quod igitur pertinet ad primum, fortaſſe dicē- *Reſpondetur.*
dum eſt nil de ijs dixiſſe Ariſtotelē quibus iuuatur quæque politiæ forma, quod ea ſint *Ad I.*
in promptu: quæ enim cum iuſtitia & æquitate cōſentiunt maximè, hęc a natura veluti
expreſſa ſunt ſiue humanis mentibus indita, ac propterea cognitioni ſunt obuia. Tale
eſt vt ius ſuum cuique tribuatur, fures & ſicarij puniantur, præſentes virtute honoren-
tur, & (vt dicam paucis) præmia & pœnæ iuſtè diſtribuantur & inferantur: his enim po
litiæ iuuantur omnes. Quod ſi vrgeas, Ariſtotelem dum ait καὶ τὰ ἴδια συμφέρει ἑκάστῃ, in-
nuere non quæ vniuerſim proſunt omnibus, qualia ſunt quæ recenſebantur & in prō-
ptu eſſe dicebantur, ſed quædā quę propria ſint huius vel illius dominatus, & hinc non
illi Politiæ prodeſſe ſolent, & quę hęc requirit hoc tempore; itaut cum non ſint in prō-
ptu, eſſent proferenda, profectò non ſatis conſtat illud...... hāc habere vim: quod ſi etiā
habeat, intelligere poſſumus poſſeſſionem verbi gratia honorúmque paritatem, aut
iuris dicendi poteſtatem, & id genus alia, quæ re vera proſunt vni vt Politiæ, obſunt al-
teri vt Ariſtocratię. Sed de hac re fortaſſe in capite VIII. copioſiùs: pręſertim verò quia
554 inter politiæ formas aliquæ prauæ ſunt, nec fortaſſe ijs iuuatur quibus probæ: itaque
Ariſtoteles viam quoque ac rationem oſtendit qua tyrannis conſeruetur: itaut quæ
omnibus prodeſſe & in promptu eſſe dicebantur, non ſint ad rem (in tyrannide enim
præſertim ſæua vix ac ne vix quidē ius ſuum cuique tribuitur) ſed quæ virtute propria
ſunt oporteat requirere. Itaque ſatius eſt interim cōcedere hæc diſſimulari ab Ariſto-
tele quòd tum aliena tum contraria; ſolúmque indicantur propria quod multò minùs
in promptu ſint, ſeu maximè omniū obſcura videri poſſint. Dum verò quęritur quàm *Ad II.*
appellet optimam politiam, non eſt quod accepta ſententia diſcedamus: conſentiunt
enim hoc in loco Interpretes Monarchiam ſeu regiam gubernationē intelligi: & iurè
cum Ariſtoteles regium ſtatum (quicquid de Ariſtocratia aliquando differat) ſentiat
eſſe optimum. Quapropter cum eo qui aliter hac de re in Politicis ſtatuit interpretes
non moror in præſentia. Verū dum Interpretes hanc Ariſtotelis de optimo ſtatu cōfir-
māt ſentētiā, illud peruelim explicaſſent ꝙ eſt difficilius, quî optimus hic ſtatus hoc eſt *Ad III.*
regius, a proprijs corrumpi nequeat: quid enim ſi Rex ſit improbus, aut imprudens,
aut vecors? an non hinc euerſioni aperietur aditus? aut quis neget id a proprijs proueni-
re? Crediderim tamen regium ſtatum a proprijs corrumpi non poſſe quòd diſcordias
ac ſeditiones intelligat hoc in loco: diſcordia & ſeditio inter plures oritur non ei, qui
vnus imperet, conuenit. Hāc verò eſſe germanam Ariſtotelis ſententiam inde colligo
quòd Ariſtoteles in lib. V. Polit. cap. 1. declarans quî Ariſtocratia aut Politia corrumpi
poſſit a proprijs, ad diſcordias confugit & ſeditiones. Et iurè: igitur, ait cæteras formas
cęteris corrūpi poſſe: nam cæteri ſtatus quippe q ex multis hominibus cōſtituūtur di-
555 ſcordijs agitari poſſunt ac ſeditionibus Regius non item. Iam verò per intenſionem & *Ad IV.*
remiſſionem intelligis fortaſsè eorum ciuium numerum ac multitudinem ex quibus
ſtatus illi variè conſtant, huc enim referri poſſe videtur naſi, ſimi, grypíque exemplum
quo rem illuſtrat Ariſtoteles vt iam iam conſtabit. Quāquam tutius ſit poteſtatem &
authoritatem intelligere: atque hanc dum nimis intenditur & remittitur corruptionis
cauſam facere: certè potētia cum ſimili propoſitio ſequatur mirificè congruit. Quod
ſi percipi haud poſſit quî per intenſionē corrumpatur Democratia (nam id perſpicuū *Ad V.*
eſt quidem in Oligarchia Ariſtocratia; in Politia verò & Democratia nullo modo)
iam multitudine relicta cōfugiamus ad facultatem: hęc enim ſtatis temporibus quod
pertinet ad magiſtratus & iuris dicendi authoritatē in paucis reſidet: atque hanc vſur-
pare ſibi quiſque poteſt ita vt intendi videatur. Etſi enim in vniuerſum dominatus po-
pularis communis eſt quia omnibus patet aditus ad Magiſtratus quod tamen in Ari-
ſtocratia & Oligarchia ſecus accidit, ita vt ſumma poteſtas nullius ſit propria ac per-
petua, ſtatis tamen temporibus certi quique ex populo adminiſtrant. Ita vt augeri &
intendi in Democratia quoque poſſit authoritas.

PARTICVLA LXXIX.

Χρήσιμον δὲ πρὸς τὰς νομοθεσίας, τὸ μὴ μόνον ἐπαΐειν τίς πολιτεία συμφέρει ἐκ τῶν παρεληλυθότων θεωροῦντι. ἀλλὰ καὶ τὰς παρὰ τοῖς ἄλλοις εἰδέναι, αἱ ποῖαι τοῖς ποίοις ἁρμόττουσιν, ὥς τε δῆλον, ὅτι πρὸς μὲν τὴν νομοθεσίαν, αἱ τῆς γῆς περίοδοι χρήσιμοι. ἐντεῦθεν γὰρ λαβεῖν ἐστι τοὺς τῶν ἐθνῶν νόμους. πρὸς δὲ τὰς πολιτικὰς συμβολὰς, αἱ τῶν περὶ τὰς πράξεις γραφάντων ἱστορίαι. 556

Vtile verò eſt ad legũ lationes, non ſolum intelligere quæ Reſpublica proſit, cum ex præteritis aliquis contemplatur, ſed etiam quæ ſunt apud alios ſcire, quales qualibus congruant. Quare manifeſtum eſt, ad legum lationẽ terræ peregrinationes vtiles eſſe. Hinc enim accipere licet gentium leges: ad ciuiles verò deliberationes, eorum, qui de actionibus ſcribunt, hiſtorias. *Riccobonus.*

Illud autem in ferendis legibus vtiliſſimum eſt, non ſolùm aduertere & conſiderare, quis nam Reip. ſtatus ante acto tempore profuerit; ſed etiam apud exteras nationes, quæ Reipublicæ ſpecies, quibus hominibus conueniant. Itaque perſpicuum eſt ad legum ferendarum ſcientiam plurimum conducere terrarum peragrationem, in qua multarum gentium inſtituta, legéſque licet agnoſcere. At verò in conſilijs publicis hiſtoriarum & antiquitatis cognitio mirificè vtilis eſt. *Maioragius.*

Multa etſi breuiter in memoriam reuocauerat Ariſtoteles Oratori cui de ferendis legibus ſententia in Senatu dicenda ſit: quæ eò magis æſtimãda ſunt quòd in illis tacitè prouocat ad Politicos libros in quibus ea fermè omnia non minùs ſubtiliter quàm copiosè diſputãtur quæ hic Oratori cognoſcendæ eſſe teſtatur. Veruntamen duo adhuc ſubijcit ac commemorat quę plurimũ prodeſſe poſſint vbi item de ferendis legibus agendum ſit. Vnum eſt vt diligenter animaduertat Orator quæ gubernationis forma ante acto tempore profuerit ſuæ ciuitati. Alterum eſt in vniuersũm exploret quæ gubernationis forma apud cæteras nationes ijs aut illis profuerit hominibus aut conueniẽs ſit. Ita quidem priùs propriæ ciuitatis anteactam Politiam ſpectari iubet: nam ea verba quæ ſubijciuntur ἀλλὰ καὶ τὰς παρὰ τοῖς ἄλλοις, ſatis indicant ſuperiora illa verba τίς πολιτεία συμφέρει, ad propriam ciuitatem referri; ita vt tum domeſticas tum externas adminiſtrationes formas ac rationes obſeruari velit. Et ſanè domeſticam anteactam tamen, ſi profuerit, ac ſalutaris viſa fuerit, noſſe intereſt plurimũ, vt ſi opus ſit eadem inſtituta in Vrbem reuocemus, in primis verò ſi adhuc vigeant cõſeruemus. Vt enim in humano corpore, ſi valeat, nihil mouendum, ita etiam in publica adminiſtratione, pręſens ſi profuerit anteacto quoque tempore, retinẽda eſt diligenter, ſed & vtiliter (vt alterum explicemus) in exteras gẽtes animum intendat Orator vt inſtituta cum inſtitutis, leges cum legibus, mores cum moribus, ſtudia cum ſtudijs, vires denique ſitum, regionem, cum viribus, ſitu, regione, conferens diſcat quæ nobis item cõueniant ac prodeſſe poſſint. ſanè ſi noſtra Vrbs ac Regio maritima ſit verbi gratia & portuoſa, plurimum conferet exploraſſe, externas gentes quæ in maritima item ac portuoſa regione floreant, & obſeruaſſe quibus inſtitutis vtentes floreant. Idémque dixerim de cæteris quæ conferri iubebam; præſertim verò de inſtitutis ac legibus. Hæc ſunt quæ itẽ Oratori in memoriam reuocat Ariſtoteles. Ex quibus duo adhuc colligit, quorum primũ de ferendis legibus conſultanti vtiliſſimum accidere poſſit, alterum & in huiuſmodi conſultationibus & in toto deliberatiuo genere publicíſque deliberationibus paſſim conferre videat.

Duo adhuc ĩ memoriã Oratori reuocat Ariſtoteles.

I.

557

I. Primum eſt terrarum peregrinatio: haſce enim peregrinationes ferẽdis legibus ait eſſe perutiles, idque ea de cauſa quòd multarum gentium inſtituta ac leges cognoſcantur. Sanè hac maximè de cauſa legiſlatores optimos, præcipuè verò Solonem, Pythagoram, ac Platonem conſtat peregrinatos eſſe, ac multa vtiliter ex exterarum gentium inſtitutis retuliſſe. Alterum eſt hiſtoriam &

II. antiquitatis cognitio: hanc enim ait paſſim in publicis deliberationibus vtilem eſſe:

vtilem eſſe:ita vt poſtremum hoc præceptũ non modò legislationis gratia, verùm etiã
558 eorũ omniũ quæ ad parandas pecunias, ad bellum & pacẽ, ad regionis cuſtodiã, ad res
cõparandas, & exportãdas, pertinẽt, ſit referendũ. Et ideò ait πρὸς τὰς πολιτικὰς συμϐολὰς
conferre. Ita quidem appoſitè hanc perorabit partem quemadmodũ conſtabit in pro- *Iam duæ*
xima particula. Interim duo cogor paulò prolixiùs explicare atque adeò ad cõtrouer- *excitantur*
ſiã reuocare. Vnũ eſt vtrũ re vera vtile ſit peregrinari atque exterarũ gentium mores *Controuer-*
legéſque obſeruare. Alterũ num hiſtoriarũ cognitio tot ac tantas habeat opportunita- *ſiæ.*
tes vt publicis conſultationibus omnibus ſeruiat. Dicamus autẽ primũ de primo. Ac I.
profectò multis ac magnis de cauſis ſuſpiceris temerè id ab Ariſtotele enũciatũ fuiſſe II.
de peregrinatione. Etenim impar eſt hominũ ætas Terrarũ amplitudini, nec tot tantiſ- *CONTRO-*
que regionibus (innumeræ ſunt enim propemodũ & in immenſum excurrunt) pera- *VERSIA*
grandis ac perluſtrandis ſatis eſſe poteſt; præſertim verò quia homo, niſi adulta atque *XXXIX.*
adeò matura ætate, vtiliter gentiũ mores & inſtituta indagare ac propterea peregrina- *Vtrum præ-*
ri, haud poſſit. Vt propterea priùs obrepat ſenectus quàm vel minimã eorũ inſtituto- *ſtet peregri-*
rũ partẽ agnoſcas; tantũ abeſt vt & in Patriã redire valeas, & patriæ inſtituendæ, quæ di- *nari, ac mũ-*
diceris, adhibere. Deinde quis nõ ſentiat linguarum varietatẽ obeſſe quò minùs liceat *di regiones*
Terrarũ orbẽ peragrare ac varios gentiũ mores variáſque leges percipere? Certè cum *peragrare.*
pro regionibus ferè ſingulis ſermo varietur, fieri nullo modo poteſt vt quis in pere- *Quæ huiuſ-*
grinationis curſu tam ingentẽ linguarũ varietatẽ perdiſcat quibus leges illæ aut inſti- *modi pere-*
tuta continentur. Ad hæc periculorũ & grauitas & multitudo talis eſt ac tanta vt ter- *grinationẽ*
rarum peregrinatio impedimẽto ſit maximo: & quidẽ tot ſeſe terra marique obijciũt *diſſuadeãt.*
pericula, tot inquã ſicarij, latrones, pyratæ occurrunt, tã facilè tempeſtates, flumina, I.
559 imbres, frigora, æſtus, feræ veluti bellum gerunt terrarũ ſpatia peragrãtibus, vt in me- II.
dijs ſpacijs vitã amittas potiùs quàm ex peregrinatione iſta euadas incolumis. Denique III.
propoſita impedimẽta ac pericula maiora ſunt quàm vt ea liceat cogitatione cõplecti;
tantũ abeſt vt humana imbecillitate poſſint ſuperari. Iã verò mitto ingentes ſumptus IV.
quos vix ditiſſimi ſed ne ditiſſimi quidẽ, tolerare poſſint. Si enim tecũ pecuniã deſeras
(ſi tamen tanta pecunia vis deferri poſſit quãta ſuppetat terrarũ orbem peregrinanti)
ruinam tibi oppidò ſeruas ac mortẽ. Siquidem vbi ſemel in ſicarios incidas & graſſato-
res (quod tamẽ paſſim euenire ſolet, præſertim apud barbaros) actũ eſt de auro ac pere-
grinatione, de vita ipſa. Nã vt in longinquis regionibus & ignotis pecuniæ tibi aliunde
ſuppeditentur, fieri nullomodo poteſt. Mitto etiã labores ingẽtes ac viarũ tędia quibus V.
robuſti quique frãguntur ac debilitantur: quibus ſi quando acceſſerit ægrotatio, mors
facilè conſequatur. Hæc inquam & id genus alia prætermitto, quibus tamen cordatus
quiſque longiùs deterreatur vt mortẽ tanti ſibi emendam ſentiat: verè enim aſperiora
ſunt ac duriora ꝙ vt ea liceat humana imbecillitate ſuperare, tantũ abeſt vt bona rei be-
nè gerẽdæ ac perficiẽdæ ſpe ſuſtẽtari homo poſſit. Sed hæc mitto inani atque illud ex- VI.
pendo quod ferè caput videri debet. Etenim nemini dubium eſſe poteſt quin ex pere-
grinatione mali contrahantur mores: cũ ex gentiũ colluuione Barbarorũ præ cõſuetu-
dine non poſſit non vitioſitas aliqua contrahi ac labes. Sanè Licurgus legislator ſapiẽ-
tiſſimus ea planè de cauſa Spartanis prohibuit Terrarũ peregrinationem quòd ſentiret
peregrinis moribus fœdari animũ & ad intemperantiam propelli. Et eâdem de cauſa
560 peregrinos etiam (ſi Plutarcho credamus) a ſuo Regno arcebat longiùs ne illorum cõ-
ſuetudine Lacedemones deprauarentur. Atque hinc planè factum eſt vt tum Plato tũ
Ariſtoteles Vrbem quam beatam optarent a mari ac portu non nihil abeſſe vellent ne
ciues peregrinorum commercio haurirent malos mores. Nã de Catone hoc eſt opti-
mo illo Politiæ magiſtro, nihil attinet dicere. Certũ eſt enim ſæpè exclamare ac patres
in Senatu admonuiſſe priſcã Romanorũ diſciplinam viriléſque mores iam ob Aſiatica
cõmercia aboluiſſe & ob peregrinos mores parſimonię ac frugalitati; delitias, luxum,
ebrietatẽ ſucceſſiſſe. Et ſanè cum Regia inſtita ac Monarchiæ leges quantumuis opti- VII.
mæ, minùs conferant optimatũ adminiſtrationi aut Reipublicę, quî fieri poteſt vt lon-
ginquarum gentium & Barbarorum inſtituta & mores qui cum Pace ac Virtute pu-
gnare ſolent, vtiliter cum noſtris inſtitutis ac moribus coniungantur? Quin etiam ea VIII.
eſt inſtitutorum varietas ac legum diſſimilitudo vt licet alioquin non improbæ ſint
ægrè conſpirent & coaleſcant ad optimã alicuius Reipublicæ gubernationẽ (vt enim
vinum ex varijs liquoribus aut vinis etſi generoſis alioquin, permixtũ, minùs laudatur,
ſtomacho etiam minùs eſt ſalutare; ſic leges & inſtituta Reipublicæ ex diſſimilibus gẽ-

Digitized by Google

IX. tibus ac Politijs deriuata vix ac ne vix quidem ſalutaria noſtræ ſint politiæ. Neque verò
mihi objiciat quiſpiã Vlyſſis prudentiã ex peregrinatione deriuata aut etiã Græcorum
Poetarũ Principem ſatis indicaſſe ex peregrinatione, quoniã gentium mores & inſtitu-
ta obſeruare licet, prudentiã parari ac ſapientiã, indéque fieri vt tanquã ex ciuilis ſapiẽ-
tię mercatura in Patriã remigrare liceat; quandoquidẽ facilius fuit, id de Vlyſſe fingere
aut prędicare quàm ſit ſolida conſtantíque ratione hoc docere. Quotus enim quiſque 561
eſt qui nõ intelligat & experiatur accurata hiſtoriarũ lectione, ciuiliúmque præcepto-
rum ſtudio ac meditatione, multò verò magis ciuiliũ negotiorum tractatione admini-
ſtrationéque Reip. plus & prudẽtiæ & virtutis ac ſapiẽtię colligi & hauriri quàm ex pe-
regrinatione? ſane peregrinãtibus res pręſentes tantũ, eaéque veluti per transennã ac tu
multuaria fermè ratione ſe ſe offerũt. Ac hiſtoria anteactæ ætatis vniuerſæ mores, leges,
inſtitata veluti in Theatrũ refert, quę per ocium ſpectare & expendere poſſis: ita vt pe-
regrinationis opportunitas cũ hiſtoriæ vtilitate & opportunitate conferri nullo modo
poſſit. Quod ſi tales ac tãtas vtilitates affert antiquitatis cognitio, quid obſecro ſtatuen-
dum ſit vbi quis ab ſapientis Senatoris latere nunquam diſcedat, eius hauriat præcepta
eiuſdẽ conſilijs adiutus ciuilia negotia attingat, ſensímque vſu fiat prudentior & expe-
rientia? Nã vbi ciuile ſtudiũ ac Politicas doctrinas cũ vſu coniunxeris & cũ vſu inſuper
ac doctrina Antiquitatis exẽpla, ac tuæ præſertim vrbis euentus cõiungas, profectò cur
peregrinationẽ adames nequã habeas. Quapropter minimè mirum Platonẽ, Sophiſtas
eo nominę reprehendiſſe quòd cũ varias paſſim peragrarent Vrbes ac nuſquã res ciui-
les tractarent & adminiſtratent, politiæ magiſtri haberi & appellari vellent. Itaque ma-
X. gnopere verendũ eſt ne peregrinationis cupiditas eorũ occupet animos qui ciuilis indu
ſtriæ atque adeò virtutis expertes ſunt, ac per ignauiã ocio languent. Certè Pythagoras
(id quod Plutarchus retulit) affirmare nõ dubitauit, ijs facilè peregrinationẽ arridere
quibus domi cum laude verſari atque in Vrbem cum ciuium vtilitate verſari haud cõ-
tingeret. Quid? cũ Peregrinatio, vt magnus & Patrię amator & ciuilis prudentię cultor 562
ait M. Tullius, ijs obſcura ſit ac ſordida, quorum induſtria in patria poteſt eſſe illuſtris,
quis non ſentiat eos tantũ peregrinandi ſtudio incendi quorũ induſtria & virtus domi
florere haud poſſit? Id quod maximè omniũ is declarauit qui Apollinis oraculo ſapiẽ-
tiſſimus habitus eſt Socrates. is enim inde gloriatur maximè quòd ex Vrbe niſi militię
ac Patriæ iuuandæ gratia, pedẽ extuliſſet nunquã. Intelligebat enim homines a Natura
Vrbibus fuiſſe attributos, vt Patriæ ſaluti inuigilaret nec eius cuſtodiã vnquã deſere-
ret. Vt enim humanus animus a Deo ĩ corpore tãquã in ſtatione collocatur, itaut inde
iniuſſo migrare haud liceat, ſic ciui Vrbs colẽda eſt & in ea tanquã in cuſtodia perma-
nendũ. Denique vt miles turpiter eam ſtationẽ aut cuſtodiã deſerat in qua fuerit a ſuo
Duce collocatus; ſic Patriã turpiter is deſerat, qui peregrinetur. Quocirca nõ poſſum
nõ Socratis reſponſum illud celebrare. Cum. n. conquereretur quiſpiam ꝙ ex peregri-
natione nihil cepiſſet vtilitatis. Non immeritò (ſubiecit Socrates) id tibi accidit: tecũ. n.
peregrinabatis. Ita quidẽ dum ab alijs laudatur Socrates quod Philoſophiã è cęlo deuo
caſſet atque in Vrbes introduxiſſet (à uenoſa enim aſtrorũ contẽplatione ad ciuile ſtu-
diũ & patrię charitatẽ ſuos ille auditores reuocauerat) iure quidẽ laudetur: ſed cũ pe-
regrinationẽ contemnendã ſtatuit atque Vrbis cuſtodiæ inhærendũ patriaéque ſaluti
inuigilãdũ, id verò immortali pręconio dignũ eſt. Veriſſimè. n. dici poteſt perbreue hoc
vitæ ſpatiũ ab ingenuis viris liberalibus diſciplinis eſſe potiùs tribuendũ atque amico-
rũ, Patriæ, Principis vtilitati & commodis ſalutique trãſmittendũ, q̃ curioſiùs huc illuc
vagandũ. Ciuium igitur noſtrorum ſocietatẽ colamus, ab Senum prudentiſſimorum
latere nunquã diſcedamus, antiquitatis monumenta diligenter euoluamus ac politica
præcepta meditemur diligenter ijs animũ imbuentes; maiorũ quoque noſtrorum vir-
tutem æmulemur, nos patriæ deuouẽtes, & in eius curã ac ſalutem pro virili parte no-
ſtra incumbentes. Ita enim fiet vt peregrinandi libido arceatur longiùs ac magno cum 563
Reipublicæ bono arceatur. Hæc habui quæ aduerſus Ariſtotelẽ diſputarẽ dũ peregri-
nationẽ probare viſus eſt. Tametſi ne ipſe quidẽ fortaſſe illam probauit: quandoquidẽ
τῆς γῆς περιόδους Oratori reuocat in memoriam commentarios facilè intelligens qui-
bus corografia atque Vrbium deſcriptiones vnà cum legibus & inſtitutis contine-
rentur. Certum eſt enim Ariſtotelis tempore libros extitiſſe in quibus de ritu Orbis
Terrarum déque Regnorum atque Vrbium inſtitutis diſſerebatur; itaut nobis mirifi-
cè non obeſſe ſed fauere videatur. Iam verò poſtularet ratio vt quaſi velum conuer-

tentes,

tentes, contrariam nauigationem inſtitueremus in qua pro Ariſtotele, cui nobis pa-
trocinandum eſt, remis velíſque decertarem. Id quod libenter efficerem, niſi pro eius
ſententia decertaſſem in Italicis diſputationibus: quas literatum monumentis conſi-
gnaui. Illud potiùs faciendum eſſet in præſens vt rem definiremus & conſtitueremus.
Etſi enim ibi multis, ac (ni magnopere quidem fallor) magnis argumētis vtrinque pu-
gnatum eſt, quin ad extremùm prudentium virorum iudicio cōmiſſa eſt Cōtrouerſię
iudicatio; res tamen ne hîc quidem ſicco pede omnino prætereūda eſſet. Sic igitur ſta-
tuo. Eum qui totius Terrarum Orbis ſuſcipiat peregrinationē hunc temerè & impru-
denter facere: impar eſt enim humanæ vitæ & breuitati & fragilitati talis & tanta per-
uagatio: ita vt nec ſibi nec patriæ conſulat qui eam moliatur. Quod ſi moderata pere-
grinatione contentus ſit, è qua tanquam ex bonorum morum ciuiliſque prudentiæ
564 mercatura ſibi patriaéque prodeſſe poſſit, quid ni peregrinetur? Certè finitimorū Re-
gum & Principum atque Europæ in primis & Chriſtiani Orbis Prouincias luſtraſſe,
commodè tibi & Reipublicæ accidet. Nam eiuſmodi Principum vires, potentiam, in-
ſtituta, amicitias & affinitates exploraſſe, fines etiam terrarúmque ac marium tractus
vias vnde militi ac mercatori pateat aditus & huiuſmodi alia cognouiſſe ad tuę Reipu-
blicæ Regimen conducat plurimū. Atque hoc planè conſilio ac moderatione in Aegy
ptum peregrinatos inuenias Solonem, Pythagoram, Tatechem, Architam, Platonem,
atque alios prudentiſſimos viros; qui propterea quæ ab alijs didiciſſent pleraque in ſuā
Rempublicam retulerunt. Id quod de Licurgo in primis legimus. Vt Homerū ſileam,
Orpheum atque alios multos qui ea quoque de cauſa viſi ſunt Vlyſſem, Iaſonē, Aeneā
huc illuc iactaſſe ac detuliſſe vt ij gentium inde mores perdiſcerent ac prudentiā com-
pararent. præſertim verò quia inter incommoda & pericula altiùs pararur prudētia:
itaque oculatus teſtis centum auritis anteferendus eſt. Quapropter ſapienter ij Princi-
pes qui apud exteros Reges Legatos alunt: vt cum amicitiam ac fędus, affinitatem quo-
que, ſi commodè cadat, cum illis ineant, tum mercimoniæ ac militiæ rationes perſpi-
ciant ac tueantur, tum in primis cur vt potentiam……conſilia quæque quoad eius fie-
ri poſſit explorent. Hæc de prima Controuerſia.

CONTROVERSIA XI.

Nunc verò ad alteram Controuerſiam: in qua ſanè quæſitum eſt NVM Hiſtoriæ
antiquitatíſque cognitio tot habeat vtilitates quot indicat Ariſtoteles: ſignificat enim
Oratori, pręſertim in Deliberatiuo genere, prodeſſe plurimùm: ac propterea illi facien-
dum, vt dum de pace & bello, de pecunijs parādis, de legibus, de cuſtodia regionis, vno
verbo, de rebus ciuilibus deliberatur, in antiquitatis exēpla mentem cogitationémque
565 defigat vel maximè. Et tamen id ſuas habet dubitationes atque illas ſanè grauiſſimas. Si
enim Oratori hiſtorias euoluenti honeſta paſſim exempla occurrerent quaéque cum
dignitate vſurpari poſſent, eſſent cur hiſtorias ille diu noctúque peruolutaret; atque il-
larum exemplis cōciones inſtrueret. quibus Ciues affatim doceret ac delectaret atque
in primis iuuaret. Verùm cum hiſtoriæ Ciuium diſcordijs ac ſeditionibus refertę ſint,
& ſexcenta populorū narrent ſcelera, verendum eſt ne hinc ad diſcordias & ſeditiones
ac ſummatim ad ſcelera inſtruamur & inſtigemur. Et quidem cum tanta ſit mortaliū
peruicacia atque peruerſitas, vix vt ex moralibus Philoſophorū præceptis, quæ tamen
vniuerſam virtutum continent varietatē, aliquid capiat vtilitatis, quid ex hiſtorijs con-
tinget quæ præclaris honeſtíſque factis perpaucis, multis contra ambitione, fraude, ſę-
uitiáque pleniſſimis continentur? an fortè Romuli parricidia, Tarquinij arrogantia,
atque ſuperbia Appij, Claudij ſtupra, Syllæ ac Marij vtriuſque crudelitatem ex Hiſto
rijs ad Ciuium memoriā reuocaſſe præſtet? num commemoraſſe Vitellios, Aquilios,
Græcos, Piſones, Lentulos, Catilinas, Patriæ tyrannidem effectaſſe, Cæſares etiam occu
paſſe: num Caligulam, Neronem Commodum, Heliogabalum, fœda illa humani ge-
neris porrenta, Imperium turpiſſimè & crudeliſſimè adminiſtraſſe, aut hos alióſque
multos cædibus & ſanguine Vrbes ſæpiſſimè compleuiſſe? Quid eſt igitur cur Ariſto-
teles hiſtoriæ ſtudium tantopere Oratori cōmendet ſuo? quid cur in publicis delibera-
tionibus antiquitatis cōmemorationē probet ac laudet? Acutè. Sed tamē illud quoque
eſt reputandū, mortales ſexcētis calamitatibus eſſe obnoxios, & aduerſus illas nullum
humanæ vitę ſtatū aut perfugiū ſatis munitū eſſe ac tutū. Itaque ijs ſolū cautiùs degere
566 licet ꝙ mala ipſa ac pericula diligēter proſpexere quæ tāquā ſcopulos declinent ꝓ virili.
Decet igitur hominem non virtutibus modò ac bonis, verùm etiam vitijs ac malis

Quid ſit ſentiendū. — *Num antiquitatis cognitio tam multas habeat vtilitates, & cōſultationi maximè ſeruiat.* — *Contraria ſententia ſuadetur.* — *Defenditur tamen Ariſtotelis ſententia.*

auditione aſſueſcere, ac gentium diſcordias, inſidias, ſeditiones, bellá cognoſcere, vt cautionem inde ac prudentiã ſibi paret in dies & colligat. Vt enim mare ſirtibus plenum ac periculis ingredienti, plurimũ confert ea priùs indagaſſe & agnouiſſe vt facilius ea declinet ſic præſtat nos vitæ huius vitia & mala, infames quaſi ſcopulos, repoſuiſſe animo vt ea vitemus commodiùs. Huc accedit, quod flagitia Hiſtorico, niſi feram ille induſtriam requiri velit, tali ac tanta moderatione & cautione ſunt commemoranda vt prodeſſe quidem poſſint, obeſſe certè non poſſint. Faciendum eſt enim Hiſtorico vt mortales ſentiant ſe ex flagitijs non modo apud præſentes ſed etiam apud poſteros infamiæ contrahere labem. *Eſt locus in Carcere* (inquit Saluſtius) *quod Tullianum appellatur. In eum locum poſtquam demiſſus eſt Lentulus, Iudices rerum capitalium laqueo gulam fregere. Ita ille Patricius ex gente Clariſſima Corneliorum, qui Conſulare imperium Romæ habuerat, dignũ moribus factiſque ſuis exitum inuenit.* Hæc Saluſtius: quibus tale tantúmque flagitium ac parricidium ſic commemorauit vt infamiam terrendis mortalibus ſubiecerit grauiſſimam. Tacitus etiam cum Tiberij ac Senatus in Cremutium narraret crudelitatem. *Quo magis ſocordiam* (inquit) *eorum irridere libet qui præſenti potentia credunt extingui poſſe etiam ſequentis æui memoriam. Nam contra, punitis ingenijs gliſcit authoritas. Neque aliud externi Reges aut qui eâdem ſæuitia vſi ſunt, niſi dedecus ſibi atque alijs gloriam peperere.* Sic Tacitus vt ne nos lateat talem flagitiorum cõmemorationem nobis prodeſſe. Cum enim 567
mortales infamiæ terreantur metu, non poſſunt non ab eorum imitatione abhorrere quos tranſfigi ſentiunt ignominiæ telo. Huc accedit quòd eodem tempore illos non modò ignominiæ verùm etiam ſupplicij, quo ſontes affectos vident, exagitat timor. Rarò enim ſentias flagitioſum hominem ac perditum in graue ſupplicium hoc eſt debitã flagitijs mercedem (id quod de Lentulo commemorauimus) non incidiſſe. Itaque legimus Tiberium ingenti animi cruciatu, in ſolitudine quaſi feram, abſumptum, aut etiam veneno interemptum: Caligulam & Domitianum hoſtili manu trucidatos, Neronem propria confoſſum, Commodum a Palæſtrita præfocatum, Heliogabalum iugulatum in Tyberímque proiectum. Nam Vitellios, Aquilios, Graccos, Melium, Piſonem, Catilinam, Cæſarem enecatos, Saturninum, Sertorium (ne hos prętercam) Manlium, Antonium alióſque ſeditioſos ciues plurimos ac perduelles, exitum flagitijs dignum inueniſſe, Syllam quoque pediculari morbo diu multúmque afflictatum, tandẽ ingenti vi ſanguinis effuſa, miſerandum in modum expiraſſe. Ita quidem ſupplicium ſcelus excepiſſe ab hiſtoricis ipſis vtiliter didicimus. Ex quibus etiam cognitum eſt Romulum a Patribus diſcerptum, Tarquinium exilij mœrore conſumptum. Appium ac ſocios chatenis carcetéque conſumptos, Marium Patrem in amentiam incidiſſe ac laterum dolore interijſſe, fratrẽ oculis, manibus cruribúſque defoſſis ac dilaceratis, per ſingula membra cruciatus retuliſſe, filium (ne hunc prætereamus) ſibi necem conſciuiſſe. Quę cum ita ſint, tutò ſanè liceat nobis omnigena rerum exempla ex hiſtorijs deriuare: iure item liceat Ariſtoteli hiſtorię ſtudium Oratori in deliberationibus vel maximè commendare. Atque hinc eſt vt magnus Ariſtoteleæ doctrinæ æſtimator & cultor, idémque rerum ciuilium ſcientiſſimus, Cicero, hiſtoriæ tractationem Oratori paſſim reuocet in memoriam, *Cognoſcat Orator* (inquit magnus hic Rhetor ac Senator) *rerum geſtarum & memoriæ veteris ordinem, maximè ſcilicet noſtræ Ciuitatis: ſed & imperioſorum populorum & regum illuſtrium: quem laborem nobis Attici noſtri leuauit labor: qui conſeruatis notatiſque temporibus, nihil cum illuſtre prætermitteret, annorum ſeptingentorum memoriam vno libro colligauit.* Sic M. Tullius. & paulò poſt, *Neſcire autem quid antea quàm natus ſis acciderit, id eſt, ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis, niſi memoria rerum geſtarum cum ſuperiorum ætate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis exemplorũmque prolatio ſumma cum delectatione & authoritatem orationi differt & fidem.* Itaque hoc præceptum diligenter coluit ſemper; exemplis quæ paſſim ex rerum antiquitate arripit, conciones inſtruens. Tametſi enim ratiocinationibus vtitur ſæpè ita vt enthymematicus quoque dici poſſit, exemplis tamen mirificè delectatur, ita vt potiore iure dici poſſit paradigmaticus. Quapropter vt bellum contra Mitridatem Pompeio committendum ſuadeat, repetit ex rerum geſtarum memoria quæ a Sylla primùm, tum a Murena, mox a Lucullo, denique a Glabrione, aut etiam toto hoc temporis decurſu a Mitridate & Tigrane, aduerſus populum Romanum geſta eſſent. Eodémque modo vt Catilinæ conflet inuidiam, repetit ex antiquitate quæ ſiue C. Seruilio Ahalæ contra

In lib. d. hiſt par. 227. loco citato.

Sp. Me-

Sp.Melium nouis rebus ſtudentem, ſiue a P.Scipione & L.Opimio contra Graccos &
568 M.Fuluium ſeditioſos ciues, ſiue a C. Mario contra L. Saturninum & C.Seruilium
Prætores Reipublicæ inſidiantes, geſta fuiſſent. Idem in Oratione ad Quirites: vbi ſuũ
in patriam reditum cum P.Popilij, Q.Metelli, C.Marij reditu confert. *Tanta* (inquit)
pag.228. *in ipſo beneficio eſt magnitudo, vt eam complecti oratione non poſſim: tum in ſtudijs veſtris tan-*
ta animorum declarata eſt voluntas, vt non ſolùm calamitatem mihi detraxiſſe ſed etiam dignita-
tem auxiſſe videamini. non enim pro meo reditu vt pro P.Pompilij nobiliſſimi hominis adoleſcen-
tes filij, & multi præterea cognati atque affines deprecati ſunt: non vt pro Q.Metello clariſſimo
viro iam ſpectata ætate filius; non L.Dalmatius conſularis ſumma authoritate vir; non Q.Metel-
lus Cenſorius, non eorum liberi; non Q.Metellus Nepos, qui tum conſulatum petebat; non ſororum
filij Luculli, Seruilij, Scipiones: permulti enim tum Metelli, aut Metellorum liberi pro Q.Metelli
reditu vobis ac patribus veſtris ſupplicauerunt; Quod ſi ipſius ſumma dignitas maximæque res
geſtæ non ſatis valerent; tamen filij pietas, propinquorum preces, adoleſcentium ſqualor, maiorũ
natu lacrymæ Populi Romani mouere potuerunt. Nam C.Marij qui poſt illos veteres clariſſimos
conſulares, veſtra patrúmque memoria, tertius ante me conſularis ſubijt indigniſſimam fortunam
præſtantiſſima ſua gloria, diſſimilis fuit ratio, non enim ille deprecatione rediit ſed in diſſenſu ci-
uium exercitu ſe armiſque reuocauit. Me autem nudum a propinquis, nulla cognatione munitum,
nullo armorum ac tumultus metu, C.Piſonis generi mei diuina quædam & inaudita authoritas at-
que virtus fratriſque mei miſerrimi atque optimi, quotidianæ lacrymæ ſordéſque lugubres a vobis
deprecatæ ſunt. Sic M.Tullius. Atque huc ſpectant quæ præclarè item ex vetuſtatis mo-
pag.229. numentis commemorat pro Milone. *Negant* (inquit) *intueri lucem fas eſſe ei qui a ſe ho-*
minem occiſum eſſe fateatur. In qua tandem Vrbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea
qua primum iudicium de capite vidit M.Horatij fortiſſimi viri: qui nondum liberâ ciuitate, tamen
Populi Romani comitijs liberatus eſt, cum ſua manu ſororem interfectam eſſe fateretur. an eſt
quiſquam qui hoc ignoret cum de homine occiſo quæratur, aut negari ſolere omnino eſſe factum, aut
rectè ac iure factum eſſe, defendi? niſi verò exiſtimatis dementem P.Africanum fuiſſe; qui cum a
C.Carbone Tribuno pl. in concione ſeditioſè interrogaretur, quid de Ti.Gracchi morte ſentiret, re-
ſpondit, iurè cæſum videri, neque enim poſſet aut Ahala ille Seruilius, aut P.Naſica, aut L.Opi-
mius, aut C.Marius aut me Conſule Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos ciues interfici nefas
eſſet. Hæc rurſus Cicero. Neque verò ea ſunt prætermittenda quæ in Maniliana item
pag.229 repetit ex antiquitate dum ſic Pop.Rom. alloquitur. *Maiores veſtri ſæpè mercatoribus ac*
nauiculatoribus iniurioſiùs tractatis, bella geſſerunt: vos tot ciuium Romanorum millibus vno
569 *nuncio atque vno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? Legati quòd erant appellati ſu-*
perbiùs, Corinthum patres veſtri totius Græciæ lumen extinctum eſſe voluerunt: vos eum regem
inultum eſſe patiemini, qui Legatum Populi Romani conſularem vinculis ac verberibus atque om-
ni ſupplicio excruciato necauit? Illi libertatem ciuium Romanorum imminutam non tulerunt. vos
vitam ereptam negligetis? vis legationis verbo violatum, illi perſecuti ſunt: vos Legatum Pop.
Rom. omni ſupplicio interfectum inultum relinquetis? & paulò poſt. *Si propter ſocios nulla ipſi*
iniuria laceſſiti maiores veſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella geſſe-
runt. quanto vos ſtudio conuenit iniurijs prouocatos ſociorum ſalutem, vnà cum imperij veſtri di-
gnitate defendere? Sed priùs me deficiet dies quàm vel minorem eorum exemplorum
partem recenſeam quæ ex hiſtorijs deriuat M.Tullius. Vt propterea exiſtimem ea
quoque de cauſa Hiſtoriæ ſcribendæ munus Oratori detuliſſe, quòd animaduerteret
neminem vtiliùs eiuſmodi laborem ſuſcipere poſſe. Iam verò immenſi penè operis
eſſet eas quoque vtilitates percenſere quas Oratori item extra Curiam ac deliberatio-
nes atque adeò in reliqua vita afferre poteſt cognitio antiquitatis. Ac profectò nihil
eſt quod dubitemus & rerum ciuilium ſtudium & regionum peregrinationem & pu-
blicorum negotiorum tractationem, non nihil conferre poſſe ad prudentiam inſti-
tuendámque vitam: ſed tamen cum hiſtoriæ ſtudio & vtilitate ægrè conferri poſſint.
Etenim veriſſimè affirmari poteſt mortalium ſucceſſionem atque humanarum rerũ
ſeriem eſſe Dramatici inſtar ſpectaculi, quod tamen non ternis aut quaternis horis, vt
Comœdijs accidit, aut etiam vnius aut alterius diei curſu abſoluatur, ſed diuturno tẽ-
pore atque adeò in æuum producatur. Ex quo fit vt huic ſpectaculo propter miram
diuturnitatem ac longitudinem nemo omni ex parte intereſſe poſſit, quin potiùs in
tanta vitæ breuitate vix alicuius ſcenæ partem, eámque, exiguam, ſpectet. Quocirca
nec experientia, nec peregrinatio nec ciuilis prudentia, niſi exiguam ſpectaculi partem

nobis

nobis commonſtret, ſed planè ieiunos relinquat. Accedat igitur hiſtoriarum ſtudium vnde nobis vniuerſi æui explicetur ſpectaculum. vna enim hiſtoriæ lectione ſpectaculum integrum obſerues. Ita demum Tragœdiam & Comœdiam, conquieſcens ac ſine periculo, quin magna tum voluptate, excipias integram, atque vberrimos inde fructus percipias. Quapropter præclarè Liuius. *Illud* (inquit) *eſt præcipuè in hac cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi tuæque Reipublicæ quod imitere capias. inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites*; & Diodorus (ſiue quiſquis ſit Author) *Nihil vtilius* (inquit) *iucundiúſque cogitari poteſt, quàm in humana vitæ theatro quod hiſtoria partibus omnibus mirè inſtructum habet, ſedentem periculis aliorum, ſine ſuo periculo cautum ſapientémque fieri: exempla capere omnigena quæ ad vſum tuum in qualibet re traducas. Cúmque maximorum hominum de ſummis rebus maximis conſilijs interfueris, id quod cupidiſſimè homines auemus, eorundem etiam euentibus intereſſe, & quod per anguſtiam vitæ hominum impoſſibile ſit alioquin, ſecula tota memoriæ coniungere, maximorum imperiorum auſpicia, progreſſus & finem videre: malorum ſeu priuatorum ſeu publicorum* 570
cauſas liquidè cognoſceret in omni ardua magnáque re, qui ante te periclitetur, qui in diſcrimine te præcedat, habere, nec uſquam experimento certo deſtitui. ac ut in ſumma è retroactis (quod proprium ſapientis uiri officium eſt) futura in omnes euentus perſpicere, præſentia iudicare. Hæc Liuius. Quæ cum ita ſint, iurè profectò Hiſtoria a M. Tullio ac ſapientibus viris appellatur prudentiæ mater, ac vitæ magiſtra: iurè cum ſpeculo comparatur in quo vitam moréſque ad alienam vitam ac mores componas: nec tuam modò ſed alienam quoque cum ad aliorum inſtitutionem referri poſſit. Denique quicquid ſiue publicè ſiue priuatim agas, commodè ac prudenter agas Duce Hiſtoria. De qua re plura dicerem niſi de hiſtoriæ vtilitate copioſiùs egiſſem atque adeò intégrum librum litterarum monumentis conſignaſſem. Cum enim cætera quæ ad hiſtoriæ naturam cognoſcendam, aut etiam hanc pro dignitate ſcribendam intelligentérue euoluendam tribus libris complexus ſim, quartum item ijs adieci in quo demõſtraui quales & quantas publicè priuatímque afferat vtilitates cognitio antiquitatis, & quantopere in quolibet vitæ genere ad mores vitámque inſtituendam prodeſſe queat. Tu igitur, ſi placet; eum librum æqui bonique conſulito, atque illud etiam intelliges iurè ab Ariſtotele Oratori commendari ſtudium antiquitatis,

PARTICVLA LXXX.

Ἅπαντα δὲ ταῦτα, πολιτικῆς ἀλλ' οὐ ῥητορικῆς ἔργον ἐστί. περὶ ὧν μὲν ἂν ἔχειν δεῖ τὸν μέλλοντα συμβουλεύειν, τὰ μέγιστα τοσαῦτ' ἐστίν. ἐξ ὧν δὲ δεῖ καὶ περὶ τούτων καὶ περὶ τῶν ἄλλων προτρέπειν ἢ ἀποτρέπειν, λέγωμεν πάλιν.

OMnia autem hæc Politicæ, ſed non Rhetoricæ munus ſunt. Ac quæ quidem tenere oportet eum qui liberaturus eſt, maxima, tam multa ſunt. Ex quibus verò oporteat tum de his, tum de alijs ſuadere, aut diſſuadere, dicamus rurſus. Riccobonus.

SEd hæc omnia videre, ciuilis ſcientiæ non autem Rhetoricæ proprium officium eſt. Res igitur maximæ, quarum cognitionem eum habere oportet, qui benè conſulturus ſit, hæ ferè ſunt. deinceps verò dicamus, quo modo vel ex his ipſis vel ex alijs quæ in deliberationem cadunt, & ad ſuadendum & ad diſſuadendum argumenta ducere poſſimus. Maioragius.

QVemadmodum ea quæ Oratori conſultandi locum vel maximè obijcerent, ſic enumerauerat vt moneret ac fateretur non Rhetoris ſed Politici eſſe illa percenſere ac dignoſcere, ita in præſentia, cum ex illis quædam attigerit curſim, non pauca de ijſdem præceperit, rurſus (vt ſcilicet ſibi liceat receptui canere) nobis reuocat in memoriã Ciuilis ſcientiæ non Rhetoricæ munus eſſe ea perſequi omnia. Atque hinc occaſionem arripit perorandi ea quæ Oratori interim cõmendabat, dum in Deliberatiuo

verſaretur

verſaretur genere. Idque ea de cauſa quia Oratorem, cui pro dignitate in deliberatione verſandum ſit, noſſe oporteat, hæc eſſe præcipua & maxima. Atque hinc tranſitione vtens, ad ea ſe ſe confert ex quibus ſuaſio & diſſuaſio ducenda ſit, ſubdens, *Ex quibus autem oportet, & de his & de alijs ſuadere aut diſſuadere, dicamus rurſus*. Vbi quoniam ſuaſionis ac diſſuaſionis materiam ac veluti campum nobis oſtendit (oſtendit enim quæ maximè cadunt in deliberationem) nunc de ratione agendum ſtatuit qua ea tractanda ſint, ſiue ſuadenda ſint ſiue diſſuadenda. Et ideo in ſequenti capite, re altiùs repetita, docebit qua ratione argumenta ſint ex rebus haurienda, quò intendenda, vt aptè ſuadere liceat ac diſſuadere. Hæc de quarto capite.

CAPVT V.

PARTICVLA LXXXI.

571 Σχεδὸν δὲ καὶ ἰδίᾳ ἑκάστῳ, καὶ κοινῇ πᾶσι σκοπός τίς ἐστιν, οὗ στοχαζόμενοι, καὶ αἱροῦνται, καὶ φεύγουσι. καὶ τοῦτ' ἐστὶν ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν, ἡ εὐδαιμονία, καὶ τὰ μόρια αὐτῆς.

Riccobonus. FErmè autem & priuatim cuique, tùm communiter omnibus ſcopus quidam eſt, quem ſpectantes & eligunt & fugiunt. Iſque eſt, vt ſummatim dicam, cum fælicitas tùm quæ ſunt ipſius.

Maioragius. *EſT autem & priuatim ſingulis, & publicè ferè omnibus finis quidam propoſitus, ad quem aciem mentis dirigentes, omnia vel expetunt, vel fugiunt: atque vt in ſumma dicam ea eſt fœlicitas, & partes eius.*

ΠΕρὶ τῆς εὐδαιμονίας, hoc eſt de fœlicitate, vel, ſi mauis, de beata vita, diſputationem inſtituit in hoc quinto capite Ariſtoteles. Id quod demiretur facilè quiſpiam: etenim beatæ vitæ cognitio ac tractatio ad ciuilẽ ſcientiam pertinet: & ideo in libris de moribus copioſiſſimè & accuratiſſimè explicatur hoc argumentum. Huc accedit quòd ſi quæ hactenus ex morali Philoſophia ſe ſe obtulerunt quæ Oratori inſeruirent, in ijs ad ciuilem ſcientiam nos reiecit. Quod ſi etiam interdum ex ciuili Philoſophia huc retulit aliquid, hoc vſque adeò parcè delibauit, vt ad fontem potiùs digitum intendere quàm inde haurire viſus ſit. Quid eſt igitur cur non in præſens etiam nos reuocat ad libros de moribus, aut quam breuiſſimè tantùm attingit vel potiùs delibat aliquid, ſed copioſiſſimè hoc proſequitur argumentum? Verùm enimuero admirationem deponere licebit ac dubitationem omnem, ſi in memoriam reuocemus nihil prohibere quo minus vnum idémque argumentum a varijs facultatibus explanetur, dum tamen non vno eodémque conſilio ſed vario id fiat, & ad diuerſum finem tractatio referatur. Itaque de oratione & Grammaticus, & Poëta, & Rhetor & alij agunt: idque iurè; cum diuerſo conſilio, & varium finem vſúmue ſpectantes, id faciant. ita quidem & Phyſicus & Medicus in corpore humano verſatur: ſic Phyſicus rurſus & Aſtrologus cœleſtia corpora eorumdémque motus contemplantur. Quare cum a Morali per ſe tractetur beatitudo, a Rhetore ſuaſionis gratia & ad deliberatiuum genus reuocetur, id verò nullo modo culpandum eſt. Huc accedit quòd plurimùm intereſt ſiue paulò ſubtiliùs aliquid & data opera explicetur, ſiue populariter & ad vulgarem fermè intelligentiam, quemadmodum reuera accidit in præſentia. tametſi enim non paucis diſputat hoc in loco nec negligenter; accuratiſſimè tamẽ & copioſiſſimè rem proſequitur in morali ſcientia. Denique cæteræ artes & facultates ſingulæ certam materiam habent quam tractant, quæque certis finibus continentur: ſola Rhetorica & Dialectica certa caret materia ac certis finibus: ita vt ſuo iure in alienos campos pedem inferre eóſque peragrare poſſit, dummodo non ſubtiliter & accuratè ſed pingui ferè

Comment. LXXX.

ARGVMENTVM Quinti huius capitis.

Dubitatur. I.

Reſpondetur.

572 (margin, beside "ſe tractetur beatitudo")

nobis commonſtret, ſed planè ieiunos relinquat. Accedat igitur hiſtoriarum ſtudium vnde nobis vniuerſi æui explicetur ſpectaculum. vna enim hiſtoriæ lectione ſpectaculum integrum obſerues. Ita demum Tragœdiam & Comœdiam, conquieſcens ac ſine periculo, quin magna tum voluptate, excipias integram, atque vberrimos inde fructus percipias. Quapropter præclarè Liuius. *Illud* (inquit) *eſt præcipuè in hac cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi tuæque Reipublicæ quod imitere capias. inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites*; & Diodorus (ſiue quiſquis ſit Author) *Nihil vtilius* (inquit) *iucundiúſque cogitari poteſt, quàm in humana vitæ theatro quod hiſtoria partibus omnibus mirè inſtructum habet, ſedentem periculis aliorum, ſine ſuo periculo cautum ſapientémque fieri: exempla capere omnigena quæ ad vſum tuum in qualibet re traducas. Cúmque maximorum hominum de ſummis rebus maximis conſilijs interfueris, id quod cupidiſſimè homines auemus, eorundem etiam euentibus intereſſe, & quod per anguſtiam vitæ hominum impoſſibile ſit alioquin, ſecula tota memoriæ coniungere, maximorum imperiorum auſpicia, progreſſus & finem videre: malorum ſeu priuatorum ſeu publicorum* 570
cauſas liquidè cognoſceres in omni ardua magnáque re, qui ante te periclitetur, qui in diſcrimine te præcedat, habere, nec vſquam experimento certo deſtitui. ac ut in ſumma è retroactis (quod proprium ſapientis uiri officium eſt) futura in omnes euentus perſpicere, præſentia iudicare. Hæc Liuius. Quæ cum ita ſint, iurè profectò Hiſtoria a M. Tullio ac ſapientibus viris appellatur prudentiæ mater, ac vitæ magiſtra: iurè cum ſpeculo comparatur in quo vitam moréſque ad alienam vitam ac mores componas: nec tuam modò ſed alienam quoque cum ad aliorum inſtitutionem referri poſſit. Denique quicquid ſiue publicè ſiue priuatim agas, commodè ac prudenter agas Duce Hiſtoria. De qua re plura dicerem niſi de hiſtoriæ vtilitate copioſiùs egiſſem atque adeò integrum librum litterarum monumentis conſignaſſem. Cum enim cætera quæ ad hiſtoriæ naturam cognoſcendam, aut etiam hanc pro dignitate ſcribendam intelligentérue euoluendam tribus libris complexus ſim, quartum item ijs adieci in quo demõſtraui quales & quantas publicè priuatímque afferat vtilitates cognitio antiquitatis, & quantopere in quolibet vitæ genere ad mores vitámque inſtituendam prodeſſe queat. Tu igitur, ſi placet, eum librum æqui boníque conſulito, atque illud etiam intelliges iurè ab Ariſtotele Oratori commendari ſtudium antiquitatis.

PARTICVLA LXXX.

Ἅπαντα δὲ ταῦτα, πολιτικῆς ἀλλ' οὐ ῥητορικῆς ἔργον ἐστί. περὶ ὧν μὲν οὖν ἔχειν δεῖ τὸν μέλλοντα συμβουλεύειν, τὰ μέγιστα τοσαῦτά ἐστιν. ἐξ ὧν δὲ δεῖ καὶ περὶ τούτων καὶ περὶ τῶν ἄλλων προτρέπειν ἢ ἀποτρέπειν, λέγωμεν πάλιν.

Omnia autem hæc Politicæ, ſed non Rhetoricæ munus ſunt. Ac quæ quidem tenere oportet eum qui liberaturus eſt, maxima, tam multa ſunt. Ex quibus verò oporteat tum de his, tum de alijs ſuadere, aut diſſuadere, dicamus rurſus. Riccobonus.

Sed hæc omnia videre, ciuilis ſcientiæ non autem Rhetoricæ proprium officium eſt. Res igitur maximæ, quarum cognitionem eum habere oportet, qui benè conſulturus ſit, hæ ferè ſunt. deinceps verò dicamus, quo modo vel ex his ipſis vel ex alijs quæ in deliberationem cadunt, & ad ſuadendum & ad diſſuadendum argumenta ducere poſſimus. Maioragius.

Qvemadmodum ea quæ Oratori conſultandi locum vel maximè obijcerent, ſic enumerauerat vt moneret ac fateretur non Rhetoris ſed Politici eſſe illa percenſere ac dignoſcere, ita in præſentia, cum ex illis quædam attigerit curſim, non pauca de ijſdem præceperit, rurſus (vt ſcilicet ſibi liceat receptui canere) nobis reuocat in memoriã Ciuilis ſcientiæ non Rhetoricæ munus eſſe ea perſequi omnia. Atque hinc occaſionem arripit perorandi ea quæ Oratori interim cõmendabat, dum in Deliberatiuo

verſaretur

verſaretur genere. Idque ea de cauſa quia Oratorem, cui pro dignitate in deliberatione verſandum ſit, noſſe oporteat, hæc eſſe præcipua & maxima. Atque hinc tranſitione vtens, ad ea ſe ſe confert ex quibus ſuaſio & diſſuaſio ducenda ſit, ſubdens, *Ex quibus autem oportet, & de his & de alijs ſuadere aut diſſuadere, dicamus rurſus.* Vbi quoniam ſuaſionis ac diſſuaſionis materiam ac veluti campum nobis oſtendit (oſtendit enim quæ maximè cadunt in deliberationem) nunc de ratione agendum ſtatuit qua ea tractanda ſint, ſiue ſuadenda ſint ſiue diſſuadenda. Et ideo in ſequenti capite, re altiùs repetita, docebit qua ratione argumenta ſint ex rebus haurienda, quò intendenda, vt aptè ſuadere liceat ac diſſuadere. Hæc de quarto capite.

CAPVT V.

PARTICVLA LXXXI.

571 Σχεδὸν δὲ καὶ ἰδίᾳ ἑκάστῳ, καὶ κοινῇ πᾶσι σκοπός τίς ἐστιν, οὗ στοχαζόμενοι, καὶ αἱροῦνται, καὶ φεύγουσι. καὶ τοῦτ' ἐστὶν ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν, ἡ εὐδαιμονία, καὶ τὰ μόρια αὐτῆς.

Riccobonus. FErmè autem & priuatim cuique, tùm communiter omnibus ſcopus quidam eſt, quem ſpectantes & eligunt & fugiunt. Iſque eſt, vt ſummatim dicam, cum fœlicitas tùm quæ ſunt ipſius.

Maioragius. *EST autem & priuatim ſingulis, & publicè ferè omnibus finis quidam propoſitus, ad quem aciem mentis dirigentes, omnia vel expetunt, vel fugiunt: atque vt in ſumma dicam ea eſt fœlicitas, & partes eius.*

Περὶ τῆς εὐδαιμονίας, hoc eſt de fœlicitate, vel, ſi mauis, de beata vita, diſputationem inſtituit in hoc quinto capite Ariſtoteles. Id quod demiretur facilè quiſpiam: etenim beatæ vitæ cognitio ac tractatio ad ciuilē ſcientiam pertinet: & ideo in libris de moribus copioſiſſimè & accuratiſſimè explicatur hoc argumentum. Huc accedit quòd ſi quæ hactenus ex morali Philoſophia ſe ſe obtulerunt quæ Oratori inſeruirent, in ijs ad ciuilem ſcientiam nos reiecit. Quod ſi etiam interdum ex ciuili Philoſophia huc retulit aliquid, hoc vſque adeò parcè delibauit, vt ad fontem potiùs digitum intendere quàm inde haurire viſus ſit. Quid eſt igitur cur non in præſens etiam nos reuocat ad libros de moribus, aut quam breuiſſimè tantùm attingit vel potiùs delibat aliquid, ſed copioſiſſimè hoc proſequitur argumentum? Verùm enimuero admirationem deponere licebit ac dubitationem omnem, ſi in memoriam reuocemus nihil prohibere quo minus vnum idémque argumentum a variis facultatibus explanetur, dum tamen non vno eodémque conſilio ſed vario id fiat, & ad diuerſum finem tractatio referatur. Itaque de oratione & Grammaticus, & Poëta, & Rhetor & alii agunt: idque iurè; cum diuerſo conſilio, & varium finem vſúmue ſpectantes, id faciant. ita quidem & Phyſicus & Medicus in corpore humano verſatur: ſic Phyſicus rurſus & Aſtrologus cœleſtia corpora eorumdémque motus contemplantur. Quare cum a Morali per

Comment. LXXX.
ARGVMENTVM Quinti huius capitis.
Dubitatur. I.
Reſpondetur.

572 ſe tractetur beatitudo, a Rhetore ſuaſionis gratia & ad deliberatiuum genus reuocetur, id verò nullo modo culpandum eſt. Huc accedit quòd plurimùm intereſt ſiue paulò ſubtiliùs aliquid & data opera explicetur, ſiue populariter & ad vulgarem fermè intelligentiam, quemadmodum reuera accidit in præſentia. tametſi enim non paucis diſputat hoc in loco nec negligenter; accuratiſſimè tamē & copioſiſſimè rem proſequitur in morali ſcientia. Denique cæteræ artes & facultates ſingulæ certam materiam habent quam tractant, quæque certis finibus continentur: ſola Rhetorica & Dialectica certa caret materia ac certis finibus: ita vt ſuo iure in alienos campos pedem inferre eóſque peragrare poſſit, dummodo non ſubtiliter & accuratè ſed pingui

ferè

ferè minerua & populariter id faciat. Vt propterea iure optimo licuerit Ariſtoteli de beatitudine verba facere. Nam de ea & alterius gratia, nimirum ſuaſionis & generis deliberatiui cauſa, diſputari tum ex capite quarto extremo tum ex hoc conſtat ſatis. Populariter etiam & craſſo filo rem explicandam, iam iam docebit. Rhetoricam demum nullam habere certam materiam, proindeque in alienos campos pedem inferre poſſe, dum tamen populariter rem agat, hactenus teſtatus eſt Ariſtoteles ſæpè. At

Dubitatur. II.

enim ſint iſthæc; verùm docendum eſſet opportunè id feciſſe, ita vt hic locus hanc planè diſputationem requireret. Rectè. Sed opportunè id fieri inde conſtat, quòd etſi

Reſpondetur.

ſuaſio & diſſuaſio non in beatitudine ſiue vltimo fine poſita eſt (hæc enim naturaliter expetitur & neceſſariò, ita vt conſilium & ſuaſionem ſuſtineat nullam) ijs tamen adhibetur quæ ad finem ſeu beatitudinem aſſequendam pertinent: hæc enim, quoniam varia ſunt, conſilio, diſceptatione, ſuaſione, electione indigent. Ita fit vt cum mortales, quippe ſummi boni appetẽtes, in ijs explorandis verſentur quibus paratur, atque hęc publicè priuatimque requiri ac diſceptari ſoleant, hîc maximè Oratoris deſideretur 573
induſtria: qui quæ beatitudinem ac bonum expetenti conducunt, ſuadeat: quæ obſunt, diſſuadeat. Vt propterea & beatitatis vim ac naturam, & eius partes, & quibus paretur, conſeruetur, augeatur, noſſe debeat bonus Orator, vt appoſitè de ijs, quibus paratur, agere poſſit, ac propterea aptè ſuadere vel diſſuadere, ac ſummatim pro dignitate in genere deliberatiuo verſari. Ita quidem & iurè & opportunè de beata vita

Tripartita huius capitis diſtributio.

diſſerit Ariſtoteles hoc tempore. Tria verò præſtat in primis in hoc capite: nam docet primùm εὐδαιμονίαν ſeu beatam vitam eſſe omninò concedendam: tum quid ſit requirit: ad extremùm de illius partibus diſputat copiosè. Nunc de primo agamus, ſi tamẽ vnum antea fuerit declaratum quod de nomine haud inutiliter obſeruetur. Ergo dum

Num Εὐδαιμονία de qua hic diſſerit Ariſtoteles, rectè fœlicitatis nomine efferatur.

περὶ τῆς εὐδαιμονίας diſſerit Ariſtoteles tum hîc tum in libris de moribus, eam Peripatetici fœlicitatis nomine efferunt paſſim, cum tamen fœlicitas reuera apud Ciceronem atque optimos Latinitatis Authores proſperitatem ferè ſignificet ac bonam fortunã illam quam non virtute induſtriáque parari, ſed extrinſecus aduentare, arbitrabantur. Itaque fœliciter nauigare, apud M. Tullium eſt ſecundis ventis ac proſperè nauigare: fœliciter decertare, eſt proſpero euentu decertare. Quapropter fœlicitatem (inquit M. Tullius) optare quiſque poteſt & de alio prædicare, de ſe præſtare non poteſt. quam rem ideò pronunciauit, quia fœlicitas (ſi ei credimus) a bona fortuna vel certè diuinitus immitteretur, non propria induſtria & virtute pararetur. Ex quo fit vt fœlicitas reuera εὐτυχίαν valeat, non εὐδαιμονίαν: εὐδαιμονία verò beatitudinis ſeu beatitatis

vide infra in par. 103. ad init. in orat. pro lege Manil.

vel etiam beatæ vitæ nomine ſit efferenda, & hac de cauſa conceſſit quidem Ariſtoteles ad εὐδαιμονίαν requiri etiam proſperitatem ac bonam fortunam, ita vt præter virtu- 574
tem & alia corporis bona, fortunæ quoque bona pertineant ad εὐδαιμονίαν: affirmauit etiam aliquos ſic εὐδαιμονίαν in fortunam retuliſſe, vt ſuſpicati ſint idem eſſe; at εὐτυχίαν ſeu bonam fortunam pro εὐδαιμονίᾳ & beatitudine ipſe vſurpauit nuſquam; quin ab illa conſtanter diſterminauit ſemper: vix enim aliquam beatæ vitæ particulam eſſe voluit. Quanquam ne a recepta Peripateticorum conſuetudine omnino abhorrere videar, fœlicitatis quoque nomen vſurpabo interdum non grauatè: præſertim verò quia aliqui, nec peſſimi authores, inter latinos, fœlicitatem pro beatitudine terere non dubitarunt. Quin Latinorum Poetarum Princeps dum caneret,

Fælix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,

Fœlicitatis nomen pro beatitudine vſurpare a viris quibuſdam eruditis iudicatur. Tametſi Virgilius, vt ego quidem ſuſpicor; non inde planè aliquem reputat fœlicem quòd rerum cauſas cognouiſſet atque excelleret ſapientia, ſed quia diuinitus aut a bona fortuna ei ſe ſe facultas obtuliſſet & opportunitas vnde rerum cauſas cognoſcere potuiſſet (hæc enim paucis tributa eſt: cum alijs ingenium, alijs otium, alijs voluntas atque propenſio, alijs valetudo, alijs Doctores a Natura Fortunáque, vt opinabantur, denegetur: & ideo ait, qui potuit) indéque rerum cauſis cognitis adeptus eſſet ſapientiam: quæ tamen beatitudinem facit non fœlicitatem: ſicut opportunitas illa & facultas in fœlicitatis habetur loco. Ita ſanè Virgilius a germana fœlicitatis notione, quã in Cicerone obſeruauimus, vix ac ne vix quidem diſcederet. Certè Horatius cum de
ſapiente (quamquam non me latet ad virum moderatum quique ſua ſorte conten- 575
tus ſit, poſſe referri quod referam) illud caneret.

Nil

Nil admirari propè res eſt vna Numici,
Solaque, quæ poſſit facere, aut ſeruare beatum;

eum planè beatum iudicauit appellauitque, non fœlicem. Sed iam de re ipſa agamus; & quod primo loco propoſuimus, explicemus. Ergo cum ſuſpicari poſſet aliquis ne fœlicitas ſeu beatitudo eſſet merum commentum ac ſomnium, aut etiam obſcurior eſſet quàm vt percipi poſſet, docet tum eſſe concedendam, tum eius vim ac naturam percipi poſſe. Ait igitur & priuatim ſingulis & publicè atque communiter omnibus ſcopum aliquem ac finem eſſe propoſitum in quem intendentes animum, eligerent aut quod huic obeſſet fugerent. Atque hoc (inquit) vt ſummatim dicam, eſt beatitudo & partes eius. Quaſi diceret, fieri non poſſe vt quoniam mortalibus omnibus inſitum eſt a Natura vt finem ac proindè bonũ ſibi ſemper in rebus gerendis proponant, atque ob id optimum expetant, otioſa ſit hæc appetitio: cum turpe ſit exiſtimare Naturam temerè hanc vniuerſo hominum generi ingeneraſſe cupiditatem. Ex quo fit, vt quoniam hunc planè vltimum finem ac ſummum bonum quod expetimus, intelligimus beatitudinis nomine, & beatitudo ſit concedenda, & eius vis ac natura percipi ac teneri poſſit. Ita quidem beatitudinem eſſe ſtatuit Ariſtoteles ne videatur temerè eius vim & naturam requirere: ſiue quid ſit peruestigare, dum, an ſit nondũ conſtaret ſatis. Ac profectò cum Ariſtoteles tum in libris de moribus tum hoc in loco eam beatitudinem requirat quæ in humanum genus in hac vita cadere poſſit, quæ eſt ſummum illud bonum cuius capax eſt hominis conditio & ſtatus, nihil prohiber quo minus propoſitum bonum in fœlicitatis ſeu beatitatis loco habeatur. Ait verò σχεδὸν,

Iam Explicatur conſilium Ariſtotelis in hoc loco, & ſentẽtia vniuerſa.

576 *fermè*, inquam, vel quia dementes & pueri vix ac ne vix quidẽ eiuſmodi finem ac bonum ſibi proponunt: vel quia in rebus gerendis hic finis non æquè ſpectatur ab omnibus, quin ab aliquibus tam procul ſpectatur vt ne ſpectari quidem videatur. Etenim ſic Rex & Princeps in bello ſuſcipiendo de Regni vrbiſue tranquillitate cogitat comparanda & beata vita, vt huc planè bellum ipſum referat: Dux verò ſeu Imperator qui de Victoria cogitat & huc conatus dirigit omnes, Regni beatitudinem ſpectat minùs proximè: minùs adhuc & minùs priuatus Eques; longè minùs qui frenum ſtruit: minimè omnium qui ferrum effodit: ita vt hic de illa vix quid quam cogitare videatur. Quamquam ſi quis dixerit σχεδὸν fuiſſe appoſitum, quòd aliqua etiam fiant ab homine naturaliter ac propterea neceſſariò, proindeque nullo modo eligantur & ad finem illum dirigantur, tantum abeſt vt per ſe fiant vnius beatitudinis gratia, is mea quidem ſententia non aberarit. Iurè autem ait ὡς ἐν τύπῳ εἰπεῖν, hoc eſt, *vt ſummatim dicam*; nã dum ſtatuit vltimum finem ac ſummum bonum quem oſtendit hominibus eſſe propoſitum & ab omnibus expeti, eſſe ipſam beatitudinem & eius partes, non ſolùm efficit beatitudinem reperiri, & an ſit docet, verùm etiam quid ſit declarar. quanquam hoc poſterius generatim facit, non apertè & explicatè. Ita enim conſtituit beatitudinem eſſe vltimum finem & ſummum bonum, vt quis ſit vltimus hic finis, quod ſummum hoc bonum, ac proinde quæ planè & in quo poſita ſit beatitudo, quæue illius ſint partes, ſigillatim non oſtenderit. Et ideo in particula, quæ inſequentem conſequetur, quid ſit explicabit: in altera verò, vt de eâdem planiùs conſtet, eius partes recenſebit, quas ſubinde in alijs multis declarabit copioſè.

Cur dicat fermè.

Cur dicat, vt ſummatim dicam.

PARTICVLA LXXXII.

577 ὯΣ τε παραδείγματος χάριν λάβωμεν, τί ἐστιν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἡ εὐδαιμονία, καὶ ἐκ τίνων τὰ μόρια ταύτης. περὶ γὰρ ταύτης καὶ τῶν εἰς ταύτην συντεινόντων, καὶ τῶν ἐναντίων ταύτῃ αἵ τε προτροπαὶ καὶ ἀποτροπαὶ πᾶσιν εἰσί. τὰ μὲν γὰρ παρασκευάζοντα ταύτην, ἢ τῶν μορίων τι, ἢ μεῖζον ἀντ' ἐλάττονος ποιοῦντα δεῖ πράττειν. τὰ δὲ φθείροντα, ἢ ἐμποδίζοντα, ἢ τὰ ἐναντία ποιοῦντα, μὴ πράττειν.

Riccobonus. QVare exempli gratia ſumamus, quid ſit, vt ſimpliciter dicam, fœlicitas, & ex quibus particulæ ipſius ſint. Nam de hac, & de ijs quæ contraria huic ſunt tùm ſuaſiones, tùm diſſuaſiones omnibus ſunt. Quæ enim parant hãc,

vel

vel particularum aliquam, vel maiorem ex minore efficiunt, oportet agere. Quæ verò corrumpunt, vel impediunt, vel contra efficiunt non agere.

Maioragius.

QVare ſumamus, exempli gratia, non ſubtiliter quidem, ſed ſimpliciter, quid fœlicitas eſt, & ex quibus conſtent eius partes. de hac enim, & de ijs quæ ad hanc referuntur, & de contrarijs huic, omnes ſuaſiones, & diſſuaſiones eſſe ſolent: quæ enim fœlicitatem efficere poſſunt, aut aliquam eius partem, aut ex minore maiorem, ea ſunt amplectenda; quæ verò illam vel corrumpunt, vel impediunt, vel contraria ſunt, omnino ſunt fugienda.

Comment. LXXXI. Iam beatitudinis definitionē afferre, paratíq; docetque qualis ſit requirēda. In primis verò eius partes eſſe afferendas & cur.

CVm conſtet beatam vitam non eſſe merum commentum ac nomen, 578
ſed rem aliquam habere ſubiectam, nimirum id quod ab omnibus expetitur; nunc vt de eius vi & natura planiùs conſtet, requirendum eſt diligenter quid planè ſit, & quæ ſint eius partes. Quanquam cum in Oratoria palæſtra verſemur vbi res non ſubtiliter, id quod faciunt Philoſophi, ſed populariter ac ſimpliciùs ſunt pertractandæ, ſanè populariter declaranda erit beatitudinis natura, ac pingui minerua pertexendæ erunt eius partes. Hæc Ariſtoteles. Qui ſanè, quoniam in capite IV. extremo dixerat ſe docuiſſe quæ in deliberationem cadunt, ſiue ad ſuaſionem diſſuaſionémue pertinent, ac propterea iam dicendum quibus argumentis id aſſequi atque adeò ſuadere aut diſſuadere oporteat, ſtatímque de fœlicitate agere cœpiſſet potiùs quàm cur de illa ageret, explanaſſet (quod tamen vt de ordine conſtaret, omnino faciendum videbatur) nunc occaſione arrepta id, antequam ad fœlicitatis definitiones aggrediatur, præſtat diligenter. Igitur vbi monuit iam de beatitudine quid ſit, déque eius partibus diſſerendū, *De hac enim* (ſubdit, vt ne lateat ratio) *& de ijs quæ ad hanc referuntur, & de contrarijs, ſuaſiones ſunt ac diſſuaſiones. Si quidem ea ſunt a nobis agenda & amplectenda quæ beatitudinem gignere valent, aut aliquam eius partem, aut etiam illam augere*: ac rectè. nam cum eam & acquirere, & acquiſitam conſeruare, ac, ſi poſſit, augere cupiamus, ſine dubio quæ ad hæc conferre poſſunt, ſuadenda ſunt: quemadmodum è contrario quæ illa vel corrumpunt, vel labefactant, vel impediunt, ac ſummatim illi aduerſantur, diſſuadenda ſunt.

Dubitatur.

Hîc tamen dubitatur: nam dum ait ſuaſionem de ijs eſſe quæ ad fœlicitatem referuntur, egregiè ſtatuit: ac eſſe etiam περὶ ταύτης, de ipſa inquā fœlicitate, id verò tā eſt falſum quàm quod falſiſſimum: quandoquidem cum neceſſariò expetatur, ſuaſionem expectar nullam.

Reſpondetur.

Ego verò, dum explanatores hanc, etſi in promptu ſit, diſſimulant dubitationem, crediderim Ariſtotelem dixiſſe de fœlicitate eſſe ſuaſionem, quia 579
licet ea quæ ad finem & beatitudinem referuntur, primò ac propriè ad ſuaſionem pertineant, finis neceſſariò expetatur, tamen cum ea quæ ad finem referuntur, fœlicitatis cauſa ſuadeanrur auditoribus, fœlicitas etiam quoquo modo, nimirum ſecundaria quadam ratione (vt ita dixerim) & propter ea quibus paratur, ſuaderi videatur. Adde quòd inertes ciues interdum perinde torpent ac ſi fœlicitatem haud appeterent, vel certè longè minùs appeterent quàm par eſt. Ex quo fit vt ad hanc ſeriò ardentérque appetendam excitari & ſuaſione adduci & poſſint & debeant. Denique dum ait Ariſtoteles προτροπαὶ καὶ ἀποτροπαὶ, omnes de ijs ſunt, intelligit fortaſſe non tam ſuaſiones & diſſuaſiones, quàm conciones ipſas quæ a ſuaſione & diſſuaſione inuenerunt nomen. ex quo fit vt eiuſmodi conciones & de beatitudine & de ijs quibus paratur, eſſe ſoleant: de beatitudine quia ciuilis hæc beatitudo tanquam ſcopus cōmemoratur & oſtētatur: de ijs quibus beatitudo paratur, quia ad hæc omnino pertinet ſuaſio. Ex quo etiam fieret vt interpretes a quibus προτροπαὶ καὶ ἀποτροπαὶ vertunrur ſuaſiones & diſſuaſiones, rectiùs vertiſſent quæ ad ſuadendum aut diſſuadendum inſtituuntur cōciones, vel certè (quod explanatorum erat) omnino monere debuiſſent, Conciones ipſas intelligendas. Sanè Maioragius qui hunc locum ſic vertit. De hac enim (fœlicitatem intelligit) & de ijs quæ ad hanc referunrur, & de contrarijs huic, omnes ſunt ſuaſiones & diſſuaſiones, ſaltem in Commentario admonere debuiſſet προτροπὰς καὶ ἀποτροπὰς hoc in loco valere Cōciones ipſas quæ ad ſuadendū aut diſſuadendū cōparatæ eſſent.

PARTICVLA LXXXIII.

580 Ἔστω δὴ εὐδαιμονία, εὐπραξία μετὰ ἀρετῆς, ἢ αὐτάρκεια ζωῆς, ἢ ὁ βίος μετὰ ἀσφαλείας ἥδιστος, ἢ εὐθένεια κτημάτων καὶ σωμάτων μετὰ δυνάμεως φυλακτικῆς τούτων. σχεδὸν γὰρ τούτων ἓν, ἢ πλείω τὴν εὐδαιμονίαν ὁμολογοῦσιν εἶναι ἅπαντες.

Riccobonus. SIt igitur fęlicitas bene ſe habens actio cum virtute; vel ſuâ ſorte contenta vita: vel vita cum ſecuritate iucundiſſima: vel bona conſtitutio poſſeſſionū, & corporum cum facultate, quæ conſeruet & efficiat hæc. Fermè enim ex his vnum, vel plura fęlicitatem confitentur eſſe omnes.

Maioragius. *POnamus igitur fęlicitatem eſſe vitæ proſperitatem cum virtute coniunctam. Vel poſſeſſionem earum rerum quibus vita contenta ſit. Vel vitam cum ſecuritate iucundiſſimam. Vel bonum, firmumque ſtatum poſſeſſionum, & corporum, cum facultate cuſtodiendi atque amplificandi. Omnes enim ferè confitentur fœlicitatem aut vnum horum aut ſimul eſſe.*

QVatuor affert beatitudinis definitiones vel potiùs deſcriptiones. neque enim ex interioribus philoſophorum ſpatijs ſed ex communi quodam ac trito hominum ſenſu ſunt deriuata, ita vt eſſe populares, & quales Oratoria exigit palæſtra, non ſit dubitandum. Ergo prima quæ beatitudinem definit εὐπραξίαν, hoc eſt bonam & cōmodam vitam ſeu proſperam, quaéque ſecundis veluti ventis vtatur, ſine dubio communem & vulgarem hominum ſenſum exprimit. tametſi dum addit *μετὰ ἀρετῆς, cum virtute,* *Comment. LXXXII. IV. Afferūtur & explicātur Beatitudinis Definitiones.*
581 ſapientum quoque habet rationem, qui virtutem, ídque nec vulgo repugnante, ad eam requirunt. Ita quidem Ariſtoteles interim nec Stoicorum ſententiam refert, *I. Definitio.* qui vna virtute fœlicitatem concludebant: (hæc enim Stoicorum ſententia tum per ſe infirma eſt, cum vir præditus virtute in cruciatibus non poſſit eſſe beatus, tum apud vulgus quod fermè alloquitur Orator, abſurdiſſima videri poteſt) nec Platonis opinionem exprimit, qui omnibus vitæ bonis ſed virtute in primis conflat fœlicitatē: nec ſuam planè affert: cum in libro primo de moribus præter proſperitatem & virtutem alia requirat bona, virtutémque ipſam vitæ proſperitati non comitem adiungat, vt in præſens, ſed præficiat. Itaque non ſatis video qua ratione εὐπραξία verè (quod aliqui exiſtimarunt) ijs omnibus vitæ bonis reſpondeat, quæ in primo de moribus vltra virtutem requiruntur in beata vita; præſertim verò quia ibi omnino requirit vt ſemper ex habitu virtutis operetur atque ex prudentiæ præſcripto, ídque in perfecta vita, hoc eſt omnibus fortunæ & corporis & animi bonis inſtructus altiùs, quæ hîc nō agnoſcuntur. Quid plura? cum ſibi non ſubtiliter ſed populariter definiendam vel potiùs adumbrandam propoſuerit beatitudinem, quis hac cenſeat accuratiſſimam illam & operoſiſſimam definitionem contineri quam in ciuili philoſophia ſi non Mathematicorum acribologia, ea tamen, quam ciuilis ſcientia patitur, induſtria expreſſit? Vt propterea his omnibus de cauſis ab ijs diſſentiam qui primam hanc deſcriptionem eandem cum illa faciunt quæ in primo libro moralium profertur; tantum abeſt vt dum hîc ſcribitur beatitudinem eſſe proſperam vitam cum virtute, altera quoque beatitudo illuc conferatur quæ, vt in poſtremo libro de moribus ſcribitur, in contemplatione & ſapientia poſita eſt. Certè Ariſtoteles eiuſmodi beatitudinem cum ea quæ in actione poſita eſt (huius definitionem attulimus paulò ante) non facilè copulauit: *cap. 4.* quin huic amicos, diuitias, liberos, & id genus alia iudicauit neceſſaria, quæ tamen diſſociauit ab altera. Denique ibi virum beatum in ſocietate, hîc in ſolitudine, conſtituit. Et quamuis non inficior Ariſtotelem in libro primo ſignificare beatum haberi conſueuiſſe illum qui benè viueret ſeu benè ageret, id tamen ex communi quodam ſen-

ſu ac generatim expoſuit, cum tamen paulò poſt rem ſigillatim & ex proprio ſenſu reuocauerit ad operationem præſtantiſſimam in vita perfecta, docens oportere vt ex habitu virtutis imò omnium virtutum operetur, idque prudentia ſemper duce, & bonis tum corporis (vt dicebam) tum fortunæ comitibus ac tanquam aſſeclis & administris. Vt propterea popularis habenda ſit prima hæc fœlicitatis deſcriptio.

II. Venio ad ſecundam: in qua beatitudo dicitur αὐτάρχεια, id quod ſatis ſit vitæ, ſiue (vt ſignificantiùs, etſi minùs latè, loquar) ſufficientia vitæ. Et quidem ſi extra Rhetorum curricula hanc propoſuiſſet, liceret eam, etſi preſſam, extollere, quaſi verò ſignificet eam eſſe beatitudinem quæ in ſe ipſa ea habeat omnia quæ ad benè beatéque viuendum requiri poſſunt: qua ratione Deus in XII. diuinæ philoſophiæ libro dicitur habere in ſe id quod eſt optimum & quæ ad benè beatéque viuendum pertinent, ita vt αὐταρχος deſcribatur. Sed quoniam hîc communi more ac modo loquitur Ariſtoteles & populariter, par eſt huiuſmodi vita αὐτάρχειαν, & ſufficientiam de vita illa intelligere quæ ſua ſorte contenta eſt. Quanquam, quoniam Natura paucis contenta eſt ad tuendam vitam, neque mortales paſſim tenui hac veluti ſupellectile beatum inſtruunt ſed copioſa, crediderim, vitæ αὐτάρχειαν ea ſignificare Ariſtoteli hoc tempore quæ abundè copioſéque ſuppeditet illa omnia quæ ſibi ſuiſque ad benè iucundéque viuendum vulgò accommodata videri ſolent. Denique hæc deſcriptio, vt eſt breuis ac preſſa, ſi dilatetur, cum illa vtcumque cōiungi poſſet quam 583
retulimus ex primo moralium, ita vt omnem illam bonorum varietatem quoquomodo comprehendat. Sed tamen, quoniam æſtimanda eſt iuſtiùs, ad viram quæ res accommodatas ſuppeditet, ita vt cùm tranquillitate & iucunditate degere liceat, αὐτάρχεια referatur. Quæ ſanè vita neque virtutis expers eſt concipienda: tum quia ſine virtute vix illa iucunditas & tranquillitas eſſe poteſt, præſertim diuturna: tum quia vulgus etiam virtutem vtcumque æſtimare quin admirari ſolet. Et ideo qui beatum exiſtimant & appellant illum qui ſua ſorte contentus ſit, huic tacitè animi quoque moderationem quandam ac temperantiam attribuunt.

III. Iam verò tertia quoque deſcriptio, in qua beatitudo dicitur βίος μετὰ ἀσφαλείας ἥδιστος, vita cum ſecuritate iucundiſſima, populariter æſtimanda eſt. Etſi enim non facilè impuris voluptatibus ſummam hanc conſtituerint iucunditatem, cum impuræ voluptates nec ſecuritatem habeant, quæ tamen hîc requiritur; neque hominem efficere beatum exiſtimentur, cum ſint homini communes cum belluis, non tamen puriſſimas illas voluptates intelligo quæ vel ex pulcherrimarum rerum cognitione & ſapientia, vel ex præclariſſimis actionibus ac virtute pleniſſimis, oriuntur; ſed potiùs quæ a mortalibus more maiorum appellantur voluptates & iucunditates. Atque hæc vitæ ſanè iucunditas ex commodo ac moderato diuitiarum vſu, atque ex optima valetudine & proſperitate, capitur ac tranquilitate, dum tamen non facilè amitti poſſit, ſed quam patitur hominum ſtatus, habeat firmitatem.

IV. Venio ad poſtremam, in qua beatitudo (inquit) eſt εὐθένεια κτημάτων καὶ σωμάτων 584
μετὰ δυνάμεως φυλακτικῆς τε καὶ πρακτικῆς τούτων, *bona ſtabiliſque conſtitutio poſſeſſionum & corporum cum facultate hæc cuſtodiendi & parandi*. Hæc poſtrema deſcriptio. quam ſanè popularem, & maximè omnium, cenſendam, conſtat ſatis. Nam in rerum copia ſtabilitatéque ponitur: quaſi verò in diuitijs, quæ maximè in poſſeſſionibus ac ſeruis apparent, fœlicitas ſit conſtituenda. Vulgi enim oculi auro maximè atque opibus perſtringuntur: quas, quoniam reuera multas habent opportunitates, per imprudentiam cenſent beatam vitam párere. Id quod pauperes in primis ſentiunt. Nam vt ægroti in ſanitate, obſcuri in honoribus, rudes & illiterati in doctrinis, ſic pauperes in opibus & diuitijs collocant beatitudinem. Neque verò præter firmitudinem poſſeſſionum, requirit etiam firmitudinem & bonam conſtitutionem corporum, in valetudinem illius intuens qui fœlix cenſeatur: ſed potiùs quia poſſeſſionum abundantia omnino exigit vt vir fœlix iumentis, agricolis ac ſeruis inſtructus ſit, iiſque robuſtis ac firmis, quibus poſſeſſiones coli poſſint & cuſtodiri. Quamuis enim valetudo, ſine dubio in eo requiri videatur qui beatus cenſeatur, rectéque proinde canat Flaccus

Valeat poſſeſſor oportet,
Si comparatis rebus benè cogitat vti;

hîc

hîc tamen non huius valetudo atque optima conſtitutio indicatur, ſed hominum ac
cæterorum animalium quibus poſſeſſionum multarum indiget gubernatio & cura.
Certè illud σωμάτων ſatis indicat hæc nil planè eius ſpectare corpus qui fœlix cenſea-
tur. Vt mirum ſit Maioragium id ad corporis ſanitatem referre. Tametſi dum paulò
poſt Maioragius corporum firmitudinem peræquè, & communiter ad animalia re-
fert quibus dominum etiam comprehendit; quaſi verò per corporum firmitudinem,
& eius qui fœlix futurus ſit & ſeruorum & animalium bona conſtitutio corporis in-
585 telligatur; tolerabiliùs & commodiùs diſſerit: Sed fortaſſe non rectè adhuc: nam cor-
pora hoc conſilio ſubieciſſe poſſeſſionibus vix credi poteſt. Ita quidem quoniã olim
poſſeſſiones non in agris ac prædijs ſolùm, verùm etiam in ſeruis & iumentis atque
adminiſtris poſitæ erant, & prædiorum & animantium rationem habet vt cuſtodiri
diuitiæ poſſint, & in hoc populari quodam ſenſu collocat beatitudinem. Hæ ſunt
beatitudinis quas affert deſcriptiones. de quibus concludit omnes ferè confiteri bea-
titudinem eſſe vel vnam ex ijs vel plures ſimul. Et quidem nil prohibet quo minùs
tertiam & quartam coniungamus, poſſeſſionem illam & copiam opum & fortuna-
rum cum ſtabili iucunditate copulantes. quin prima etiam, ſi quis attentiùs æſtimet;
cum ijs iungi poteſt. tametſi tum hanc tum ſecundam tum cæteras ſolitarias quoque
tueri homines ſolent & amplecti.

PARTICVLA LXXXIV.

ΕἸ δὴ ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία τοιοῦτον, ἀνάγκη αὐτῆς εἶναι μέρη εὐγένειαν, πολυφιλίαν, χρηστοφιλίαν, πλοῦτον, εὐτεκνίαν, πολυτεκνίαν, εὐγηρίαν. ἔτι τὰς τοῦ σώματος ἀρετάς. οἷον, ὑγίειαν, κάλλος, ἰσχὺν, μέγεθος δύναμιν ἀγωνιστικὴν, δόξαν, τιμὴν, εὐτυχίαν, ἀρετὴν, ἢ καὶ τὰ μέρη αὐτῆς φρόνησιν, ἀνδρίαν, σωφροσύνην, δικαιοσύνην.

Riccobonus. QVod ſi eſt felicitas eiuſmodi neceſſe eſt ipſius eſſe partes, nobilitatem, multorum amicitiam, bonorum amicitiam, diuitias, bonam prolem, multam prolem, bonam ſenectutem. Deinceps corporis virtutes, vt ſanitatem, pulchritudinem, robur, magnitudinem, facultatem certandi, gloriam, honorem, bonam fortunam, virtutem aut etiam partes ipſius, prudentiam, fortitudinem temperantiam iuſtitiam.

Maioragius. *QVod ſi fælicitas eſt eiuſmodi: neceſſe eſt, eius partes eſſe nobilitatem, gratiã,*
amicitiam proborum hominum, diuitias, bonam prolem, multitudinem filio-
586 *rum, facilem ſenectutem; præterea corporis virtutes; vt bonam valetudinem, pul-*
chritudinem, vires, magnitudinem, certandi robur: quin etiam gloriam, honorem,
proſperam fortunam, virtutem, atque eius partes, prudentiam, fortitudinem, iuſti-
tiam, temperantiam.

Comment. LXXXIII. Partes beatitudinis enumerãtur & explanantur.

QVa ratione efficiat vt ſi huiuſmodi eſt beatitudo, eius partes hæ planè ſint quas hîc recenſet, non facilè eſt quod intelligatur. Tametſi ſatius erit eas percurrere & explanare, tum ad hanc dubitationem redire. Ergo partes enumerat beatitatis quas ad XVI. producit vel potiùs ad vndeuiginti, quemadmodum conſtabit paulò poſt. omnes tamen ad tria bonorum capita reuocantur, nimirum animi, corporis, fortunæ. De qua tamen re poſtea. Nunc prout ab Ariſtotele recenſentur (ſiue

tumultuaria quadam ratione id fiat, ſiue non ſine artificio: nam de hoc etiam poſtea)
eas percuramus. Principio igitur εὐγένειαν ſeu nobilitatem numerat inter partes ſeu
bona quibus conſtat beata vita. Cum enim mortales generis obſcuritatem & igno-
bilitatem moleſtè ferant, fit ſanè vt ægrè quis ſe beatum reputare poſſit qui ſe igno-
bilem ſentiat. Quin ea ſæpè eſt hominum peruerſitas, ut ignobilitatem quàm
vitia cælare malint; interdum etiam (quod turpius eſt) vitia oſtentare gliſcant,
natalium obſcuritatem, quæ culpa caret, mendacijs commentiſque nobilitare ni-
tantur, & hac de cauſa Ariſtoteles lib. 1. Ethicorum capite VIII. ſtatuit ignobi-
lem ad beatam vitam non eſſe idoneum. Haud igitur committendum fuit vt ad
beatitudinem non referretur atque adeò illius pars ſtatueretur nobilitas, quæ ſi ab-
ſit, beatam vitam impedire, ſi adſit, ad eam conferre, plurimùm poſſit. Nam cur 587
eam numeret primo loco, id verò declarabitur non multò poſt, vbi de eius vi & na-
tura diſputabitur. Nunc ſat ſit monuiſſe hanc a maioribus in primis atque paren-
tibus nobis transfundi in ortu ipſo, ita vt reliqua bona quæ beatitudinem efficiunt,
II. anteuertat omnia. Secundo verò loco enumerat πολυφιλίαν, hoc eſt multitudinem
amicorum. hominem enim quippe animal politicum in ciuili vita deſcribit bea-
tum ac populariter beatùm. Cum igitur in ciuili vita qui ſint apud homines gra-
tioſi, & permultos amicos habeant, tutiore verſentur loco, ac non exiguam ſola-
III. tij partem capere poſſint, iurè requirit πολυφιλίαν. Quanquam, quoniam non tam
multitudo quàm probitas requirenda eſt in amicis, ita vt præſtet paucis iiſque bo-
nis amicis vti, quàm multis quorum fides ac virtus obſcura ſit, vel certè quia lon-
giùs præſtat & multis & bonis frui, ideo poſt πολυφιλίαν mox recenſet χρηστοφιλίαν ſeu
bonorum amicitiam, de qua re tota aureus Ciceronis liber de Amicitia legendus
eſt: inde enim licet animaduertere quos vſus & opportunitates, quàm incredibiles
voluptates, habeat vera amicitia: & quantopere conferat ad benè beatéque viuen-
IV. dum. Mox verò, cum minùs commodè ac fœliciter cum illo agatur qui nec ſibi
nec amicis, præſertim bonis, poſſit diuitijs opitulari, ac libertatem & magnificen-
tiam oſtendere, πλοῦτον ſeu diuitias enumerat. Et ſanè in viro prudente, qualem
etiam concedamus oportet beatum virum, diuitiæ multos ac magnos vſus cum pu-
blicè tum priuatim habent ad vitam, ita vt inde non mediocrem beatitatis partem
V.&VI. parare liceat. His quinto loco addit εὐτεκνίαν hoc eſt bonam prolem, ſexto etiam 588
πολυτεκνίαν, multitudinem prolis ac liberorum. Et rectè. Nam cum homo, quan-
tumuis fœlix, mortem ſibi oppetendam ſentiat aliquando, optat (nimirum Natu-
ra ipſa inſtigante) prolem ſuſcipere, cui diuitias, gloriam, nobilitatem tranſmit-
tat, & in qua veluti reuiuiſcere videatur. Ex quo fit vt quemadmodum, ſi prole
careat, minùs fortunatus haberi quis ſoleat, ſic prole ſuſcepta, fœliciùs cum illo
agatur. Tametſi non quælibet proles ad beatam vitam conducit ſed bona: & ideo
non prolem ſed bonam prolem enumerat Ariſtoteles: quæ, ſi multa ſit & nu-
meroſa beatitudinem augeat neceſſe eſt. Et reuera qui diuitijs affluat & bonam
VII. ſuſceperit prolem, is eò erit fœlicior quò plures liberos procrearit. His ſeptimo lo-
co εὐγηρίαν addit, hoc eſt bonam ſenectutem. præclariùs enim cum illo agatur &
fœlicius qui ad ſenectutem eámque bonam deuenerit, vt quoad humana conditio
patiatur, fœlicitas ſit diuturna: præſertim verò quia cum vitæ breuitate ægrè co-
hæret beatitudo. Vt enim non perpauci flores aut hirundines aliquæ Ver efficiunt
ſed multæ, ſic non pauci dies ac perbreuis vitæ curſus, gignit fœlicitatem: ita vt ſene-
ctus requiratur. Quod ſi ſenectus ipſa morbus eſt, ac multis paſſim incommodis
eſt obnoxia, iam hac planè de cauſa non ſenectutem requirit Ariſtoteles, ſed εὐγηρίαν,
hoc eſt bonam & commodam ſenectutem, ita vt adhuc vitam commodè tranſigere
liceat, & ijs bonis frui quæ habet ſenectus. Senectutem enim ſua habere commoda
atque illa præclara egregiè docet Plato in libro I. de Repub. ſed in primis M. Tullius 589
in libro de Senectute, vbi ſtudia & ingenuarum artium ſcientiam vſúmque appellat
arma ſenectutis, àc prudentiam in primis qua ſenex ob rerum experientiam viget, ac
ſibi, amicis, Reip. adiumento eſt maximo.

Iam verò cum ſeptem haſce beatitudinis partes enumeraſſet, mox quaſi hæ nil ad
corpus pertinerent (de qua tamen re poſtea) corporis quoque virtutes ad beatitudi-

nem

Digitized by Google

nem neceſſarias indicauit, nimirum ſanitatem, pulchritudinem, robur, magnitudinem, certandi facultatem, quas ὑγίειαν, κάλλος ἰσχὺν, μέγεθος, δύναμιν ἀγωνιστικὴν vocat. de quibus ſingulis cur & enumerentur, & beatitudinis partes cenſeantur, ex ordine dicendum eſt. Et quidem de ſanitate nihil eſt quòd dubitemus. Vt enim morbus aliorum bonorum vſus & opportunitates minuit aut tollit; ita ſanitas eorundem bonorũ vſus & commoda conſeruat augétque: ita vt quem vſum habent fundamenta in ædificio, hunc ferè habeat in vita & beatitudine ſanitas. Itaque vt is qui ægrotat, ægrè & poſſeſſionibus & diuitijs & amicis atque alijs huiuſmodi bonis frui poteſt; Sic qui optima vtitur valetudine ex iiſdem miras opportunitates capit & voluptates. Quapropter iurè Plutarchus appellat ſanitatem diuinum condimentum: idque ea, ni fallor, de cauſa, quia quemadmodum ſal ſaporem largitur plerìſque epulis quæ alioquin acciderent iniucundæ, ſic valetudo amicorum diuitiarúmque opportunitates reddit periucundas. Atque hoc ſanè condimentum dicitur diuinum, non quia non corporis quoque epulis ſeruiat quæ tamen ſunt fluxæ & caducæ; Sed quia in primis ſeruit animi epulis quæ ſunt ſtabiles & diuinæ: vel certè quia ſanitas non tam humanitus quàm Dei beneficio paratur & conſeruatur. Atque hinc eſt vt qui ægrotant, non te-
590 merè omnino in optima valetudine conſtituant fœlicitatem: Intelligunt enim eſſe fœlicitatis & partem & fundamentum.

Sed & iure poſt ſanitatem numerat κάλλος ſeu pulchritudinem: nam reuera pulchritudo maxima ex parte conſequitur ſanitatem, ita vt ſine illa eſſe non poſſit. Si quidem inter cætera requirit pulchritudo tum quandam humorũ Symmetriam & proportionem, tum optimum colorem, quæ duo ex optima valetudine & bono ſanguine oriuntur. Et hinc eſt vt abſente valetudine, depereat pulchritudo, præſente, refloreſcat. Meritò autem inter beatitudinis partes numeratur pulchritudo: quia per ſe amabilis eſt, imò verò eorum omnium quæ amantur cauſa: pulchritudo enim amorem naturaliter cõciliat. Quapropter Ariſtoteles cum neſcio quis ex eo quæreret cur pulchri homines amentur, cœcorum interrogatio iſta eſt, reſpondit cõtinuò. & acutè. Nemo enim, niſi oculis captus, ſit, non intelligit res pulchras oculos atque animos in ſui amorem allicere & propemodum rapere. Itaque ne illud quidem affirmare dubitauit Ariſtoteles, ad beneuolentiam conciliandam & gratiam plus valere pulchritudinem quàm commendatitiam epiſtolam. Illud tamen ſtatuendum, in viro pulchritudinem non mollem & delicatam requiri qualem in fœminis cernimus, ſed virilem, quæque non tam oculis capiendis valeat, quàm dignitatem conciliet ac maieſtatem: quam ſanè in Alexandro, in Pompeio & in alijs multis floruiſſe legimus. Atque hæc pulchritudo ſi parem referat honeſtatem, ita vt animi pulchritudo certet
591 cum pulchritudine corporis, incredibiles amores excitat, & ad benè beatéque viuendum plurimùm valet.

Iam verò tertio loco profert ἰσχὺν, robur inquam corporis, & iurè. Turpe enim eſſet virum viribus carere, nec ſibi, Vxori, Liberis, Amicis, Patriæ opitulari poſſe, quorum omnium tutelam præſtare debet. Quare quemadmodum turpe ſit hominem ob dementiam non poſſe ſibi ac ſuis conſilio proſpicere, atque rurſus indecorum ſit ob linguæ impedimentum non poſſe ſibi oratione conſulere, ita indecorum ſit ac turpe virum eſſe expertem, quem pro opportunitate ſibi atque alijs præſidio eſſe oporteat. De qua tamen re, ne longum faciam, ea cõſulere licet quæ in I. capite ſcripſimus, vbi de Rhetoricæ vtilitate diſſereret Ariſtoteles. X.

Subijcit quarto loco μέγεθος hoc eſt magnitudinem: quam ad beatam vitam conferre arbitratur. Et ſanè magnitudo reuera cum pulchritudine coniuncta eſt ſi Ariſtotelem audias, qui negat fieri poſſe vt quis ſit pulcher, niſi magnitudine quoque præditus ſit. Etenim paruus homo aut exiguum animal (inquit ille) ſine magnitudine poterit quidem eſſe venuſtum, pulchrum certè non erit. Sed tamen tum quia alij multi arbitrantur poſſe rem quoque paruam eſſe pulchram, ſi in ſuo genere perfecta ſit, ac Plato in primis Cupidinem, etſi puerulum, ſtatuit eſſe pulcherrimum, tum quia mortales paſſim magnitudinem diſtinguunt a pulchritudine, Ariſtoteles etiam hîc tantiſper more maiorum magnitudinem diſſociat a pulchritudine, æquo animo feremus vt hinc magnitudinis, illinc pulchritudinis mentionem fecerit. Inde verò cõ- XI.

 ſtat

ſtat magnitudinem conferre ad beatam vitam, quia cum puſilli neſcio quo pacto pri- 592
mo aſpectu contemnantur, ægrè fœlicem ſe reputet qui perexiguo ſit corpore ac puſillo. Quanquam leuis hæc labes & aſſidua conſuetudine & in primis virtute ac magnitudine animi elui poteſt, ac multis partibus compenſari ac ſuperari. Memini me legere floruiſſe olim inter Chriſtianos virum eximiæ pietatis & charitatis: ſed qui tamen mirè puſillus eſſet ac pygmæum quodammodo exprimeret. Cúmque ob ſanctitatem miraculis etiam clareſceret, magnus ad eum concurſus fiebat eorum qui Dei virum agnoſcere & alloqui cuperent. Ita factum eſt vt magnus quidam Rex ad eum acceſſerit. Cum verò hunc ſibi obuiam procedentem eſſet conſpicatus, quendam animo concepit contemptum ob eius paruitatem. Tum vir Dei huius cogitationem Numine inſpirante perſentiens, illud ſtatim ex pſalmo Regi admonendo vſurpauit. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Quod cum magnus ille Rex audiſſet, ſtatim ad puſilli viri pedes accidit, & contemptum omnem deponens, virum Dei in admiratione habuit. Vt propterea animi magnitudo ac iuſtus facilè compenſare poſſit omnem corporis paruitatem.

XII. Sed iam δύναμις ἀγωνιστικὴ, hoc eſt facultas certandi, proferatur: quam quinto enumerat loco. Hic vero videndum eſt quî non corporis robur repetat Ariſtoteles atque in ταυτολογίαν incidat. Nam certandi facultas pertinere videtur ad corporis robur. Quanquam fateamur id quod eſt. Corporis robur Naturæ acceptum eſt referendum: certandi facultas arti & exercitationi: cenſet enim Ariſtoteles naturale robur 593
corporis arte & exercitatione eſſe excolendum, vt agilitas paretur ac certandi peritia, qua ſeu victoria ſeu præmia reportentur, vnde ad gloriam beatámque vitam contendatur. Et ſanè mitum eſt quantopere olim in vmbratili pugna, vt lucta, curſu, & alijs certaminibus vnde πένταθλοι ſeu quinquertij dicebantur, exercerent ſeſe, idque vt certandi laude florerent, ac præmia in agonibus, victoriam in bello, conſequerentur. Hac igitur de cauſa certandi vim & facultatem tum a corporis robore diſtinguit, tum beatitudini parandæ accommodatam, atque adeò aliquam beatæ vitæ partem conſtare, exiſtimat.

XIII. Nunc de gloria (δόξαν appellat Ariſtoteles) agamus: hanc enim è veſtigio poſt corporis enumerat bona. Gloriæ verò nomine exiſtimationem intelligit ac famam quæ de ſumma alicuius virtute excellentíque bono ſit peruagata, ita vt admirationem quoque conciliet. Multis verò de cauſis inter beatitudinis partes numerat. Ac primùm, quia quemadmodum is qui obſcurus & inglorius degit, vel ignoratur vel contemnitur, ita vt calamitoſus videri quidem poſſit, beatus certè non poſſit; ita qui gloriam adeptus ſit, aditum ſibi aperit ad beatam vitam. Deinde cum nobilitas, quæ tamen non a nobis noſtra induſtria & virtute paratur, ſed a maioribus veluti hæreditario iure tranſmittitur, ad beatam vitam conſerat, atque adeò pars quædam beatitudinis cenſeatur; cur gloria quæ induſtria paratur a nobis & excellenti virtute, non beatæ 594
vitæ pars erit ſtatuenda? Eodémque modo cum externa bona pleraque beatitati ſeruiant, vel potiùs eius cenſeantur partes, quî obſecro non potiore id iure gloriæ tribuatur? certè cum ea bona non noſtris vigilijs ac laboribus acquirantur, ſed interdum ne cogitantibus quidem nobis præſto ſint, haud æquum ſit ea retuliſſe ad fœlicitatem, gloriæ hoc denegaſſe quæ proprio comparatur labore. Nam Gloriam laboris eſſe filiam, is qui maxima cum gloria floruit inter Philoſophos Plato, literis prodidit. Huc accedit quòd gloria ex ijs eſt quæ & per ſe, & vehementer & propemodum neceſſariò expetuntur. Nam vt ait M. Tullius, Trahimur omnes ſtudio laudis: & optimus quiſque gloria ducitur: & Horatius.

—— *Animos mentéſque peruris. Gloria* ——

Id quod Themiſtocleum illud declarauit, dum Milciadis gloria tantopere excitaretur. Atque per ſe vehementérque expetuntur, ad maximum bonum pertinere & beatæ vitæ partem eſſe compertum eſt. Quid quod gloria nos & in huius vitæ breuitate conſolatur, efficítque vt moriendi neceſſitatem æquo animo perferamus, vltrò etiam interdum ſanguinem ac vitam profundamus? qui enim gloriæ metâ attigerit, is intelligit ſe in omnium memoria ſuperſtitem futurum, in qua abſentes ſumus præſentes, & mortui viuimus. Ita fit vt is pro patriæ ſalute, pro Religione, pro amicis & iu-

ſtitia 595

ſtitia oppetere mortem non dubitet, atque alacri animo quam antea horrebat mortem, iubeat, vnde beatus habeatur. Denique gloria præmiorum omnium eſt maxima, ſi Ariſtoteli credimus; ita vt ad beatitatem pertineat vel maximè.

Sequitur τιμὴ honor inquam: de quo nihil eſt quod longiùs faciam; cum enim honor ſit virtutis ſignum & meritorum, quæ de gloria diximus, de honore quoque, modis tãtiſper remiſſis, certa proportione ſtatui poſſunt. Eſt enim honor mediocris quędam gloria: gloria ſummus honor. Illud tantum dicam, hinc cõſtare ſatis aberrare illos qui nobilitate, diuitijs, authoritate ſibi verum honorem vindicare moliuntur. Niſi enim hæc virtute fulciantur, ægrè honorem mereantur: quin etiam ſi virtus omnino abſit, honore indigna ſunt. Itaque ſapienter Romani Honoris Templo niſi ex Virtutis Templo aditum patere noluerunt. XIV.

Succedit εὐτυχία ſeu bona fortuna vel fœlicitas: nam τῇ εὐτυχίᾳ fœlicitatem fermè reſpondere oſtendimus. Ex quo intelligitur fœlicitatem eſſe quidem particulam beatæ vitæ non cum εὐδαιμονίᾳ conuerti & reciprocari. Ad beatitudinem verò pertinere bonam fortunam & proſperitatem ſeu fœlicitatem nemo dubitat qui ciuilem vitam aleæ plenam eſſe animaduertit. Itaque licet cætera adſint bona quæ virtute quoque & induſtria parantur, ſecunda tamen fortuna vel potiùs Dei largitas optanda eſt; qua tum ſanitas & corporis bona pręſto ſint, tum maximè ſuppeditentur vel omnia vel ple-
596 raque ac præcipua quæ extrinſecus aduentant bona. Quin etiam vel in eo ſit fortunatus oportet, vt cum res ſecundæ ac fœlicitas inuidiam conflare ſoleant, huius quoque tela ſine incommodo retundantur. XV.

Ad extremùm ἀρετήν, hoc eſt virtutem, refert, quæ ſit beatitudinis pars altera ita vt XVI.
ſexdecim hactenus beatæ vitæ ſtatuerit partes. Tametſi quoniam mox virtutem quadripartitò diſtribuit, nimirum in φρόνησιν, ἀνδρείαν, σωφροσύνην, δικαιοσύνην, in prudentiam, inquam, Fortitudinem, Temperantiam, Iuſtitiam, vndeviginti tãdem exiſtunt ex Ariſtotele beatitudinis partes: paulò poſt etiam, quoniam alias virtutes multas nõ multò poſt profert Ariſtoteles, cumulus augebitur. Interim verò de his poſtremis beatitudinis partibus quæ virtute continentur, nihil eſt quòd diſputemus in præſens, cum de ijs in capite IX. (nam huc planè reijciet nos Ariſtoteles) dicendum ſit; Illud potiùs requirendum & ad Cõtrouerſiam redigendum videtur, poſtea quam ſingulas beatitudinis *CONTROVERSIA*
partes enumerauimus, & curſim ſaltem explicauimus; Cur Ariſtoteles, hoc eſt qui *XLI.*
methodum tantopere colere ſolet ac rectâ ratione & via diſputare; hoc eas ordine enu *NVM &*
merauerit, qui confuſus videri ſolet ac perturbatus. Nam præterquam quod virtutes *cur pertur-*
quæ ſunt beatitudinis ferè caput ac vertex, ad extremum cõiecit; externa bona partim *bato ordine*
ab initio, partim ad extremum recenſuit. Quanquam illud palmare. Nam cum bonam *percẽſuerit*
597 ſenectute enumeraſſet quæ ſine dubio pertinet ad bona corporis, ſubijciebat iam ſibi *Beatitudi-*
enumerandas corporis virtutes ſeu bona; quaſi verò bona ſenectus ad corporis bona *nis partes.*
non pertineret. Quin etiam cum hæc enumeraret, nimirum valetudinem & id genus I.
alia, cum his gloriam, honorem, bonam fortunam, virtutem eiúſque partes ſine diſcrimine percenſebat, fortunæ animíque bona cum illis coniungens: quaſi verò aut omnia ad bona corporis pertinerent, aut eádem a cæteris ſeiugare (quod de bonis fecerat corporis) & adproprium ordinem reuocare, nihil intereſſet. Quod ſi ordinem tueri ac ſequi cæpit dum bona corporis recenſeret (ſi tamen illum ſequutus eſt ſatis) ſanè eundem multò magis tueri debuiſſet in cæteris, atque adeò ab initio ad finem vſque amplecti & cõſeruare. Neque verò eſt quòd ſtatuas neglexiſſe interim ordinis artificium quòd paulò poſt haſce partes omnes tripartitò eſſet diſtributurus, & alias ad bona animi, alias ad bona corporis, alias ad bona fortunæ reuocaturus, (ſi tamẽ id quoque fecit, de quo fortaſſe infra) nam præterquã quod ne id quidem facile eſt quod intelligatur, cum aliqua bona media potiùs aut ambigua videri poſſint, qui ſexdecim has planè vel vndeuiginti beatitudinis partes ad tres illos ordines reuocaret, huic ſanè aut ordo hîc quoque in eis recenſendis erat cuſtodiendus, aut non oſtentandus in bonis corporis. *Prius tamen oſtenditur reuera perturbato ordine p cenſeri.* II. III. IV. V. VI.

Ergo Maioragius cum haſce numeraret partes, his planè verbis docebat conuenienti *Quid Maioragius.*
Par. 58. col. 1. ratione atque ordine fuiſſe enumeratas. *Videtur Ariſtoteles fœlicitatis partes quadam quaſi congerie numerare, cum tamen id miro quodam ordine faciat: quatuor enim in partes omnia bona*
598 *na diſtinguuntur, & gradus etiam ſuos habent, vt quædam minora bona ſint, quædam maiora. cum enim homo conſtet ex corpore, & animo, neceſſe eſt vt etiam & corporis & animi bona reperiantur.*

periantur. Sed cum animus longè præſtantior ſit corpore, erunt etiã animi bona præſtantiora, quàm
bona corporis. at ea bona quæ ad corpus referuntur, vel extra corpus ſunt, vel in ipſo corpore, atque
ita fiunt duo bonorum genera, quorum tamen ea quæ in ipſo corpore ſunt, præſtant eis quæ ſunt ex-
tra corpus. rurſus quæ ad animum referuntur, aut extra animum, aut in ipſo animo ſunt: ita fiunt
alia duo bonorum genera: quorum ea quæ ſunt in animo, præſtant eis quæ ſunt extra animum. cum
igitur ita diſtincta ſint quatuor bonorum genera, ſubtiliter & ingenioſè Ariſtoteles incipit ab in-
fimo genere, & ad ſupremum ac præſtantiſſimum vſque procedit; nam infimo loco ſunt ea bona quæ
ad corpus quidem referuntur, ſed ſunt extra corpus, quorum ſeptem ſpecies enumerat Ariſtoteles,
hoc eſt nobilitatem, gratiam, amicitiam proborum hominum, diuitias, bonam p olem, multitudi-
nem filiorum, felicem ſenectutem. ſecundo loco ponuntur ea bona quæ ſunt in corpore: quorum ſpecies
quinque numerantur, bona valetudo, pulchritudo, vires, magnitudo, certandi robur. tertio loco po-
nuntur ea bona quæ ad animum quidem referuntur, ſed tamen extra animum ſunt, atque huius ge-
neris tres numerantur ſpecies, gloria, honor, proſpera fortuna. Quarto & ſupremo loco ponuntur 599
animi bona, quæ eſt virtus, & quatuor eius ſpecies, prudentia, fortitudo, iuſtitia, temperantia. hæc
eſt Ariſtotelica bonorum diſtributio, quibus qui præditus fuerit, is verè fœlix ac beatus erit. Sic
Reijcitur. interpres nobilis. qui hac etiam de cauſa ea Ariſtotelis verba, δύναμιν ἀγωνιστικὴν, δόξαν,
vertit *certandi robur, quin etiam gloriam.* vbi præterquamquod minus rectè δύναμιν hic
vertit robur, cum potiùs dexteritatem artémque certandi intelligat Ariſtoteles, illud
quin etiam de ſuo interpoſuit, vt ſi quo modo poſſet, ſeiugaret a bonis corporis cætera
bona, ac ſuæ expoſitioni, quæ alioquin cum Ariſtotelis verbis minùs cõſentiret, patro-
cinaretur. Itaque in propoſito ordine mihi quidem eius induſtria nõ magnopere pro-
batur. nam vt omittam fœlicitatem pro beata vita vſurpare liberiùs, gratiam pro ami-
corum multitudine (acutiùs fortaſſe quàm clarè) vertiſſe, ſanè bonam ſenectutẽ haud
meritò videtur ad externa bona reuocaſſe, vel certè ratio erat afferenda cur ad externa
bona poſſet reuocari. Bonam quoque fortunam ad vnum pertinere animum atque
animi bonum parare, non verò corporis, falſum eſt. gloria etiam & honor, quippe ex-
terna bona (etſi enim virtuti accepta referantur, extrinſecùs tamen aduentant) cum
primis videri poterant numeranda, cum perinde ac boni amici extrinſecùs nos attin-
gant: qui etiam non minùs ad animum quàm ad corpus pertineant. Adde quòd cum
non multò poſt Ariſtoteles partes iſtas tripartitò diſtribuat, nimirum in bona tum ani-
mi, tum corporis, tum fortunæ, quę extrinſeca eam appellat, ac bona hęc ex propoſitis
illis partibus exiſtere doceat, ſatis indicat ſe nihil minùs quàm in argutam iſtam Maio- 600
ragij rationem ſpectaſſe. Alioqui non tam facilè aut eam deſerere aut nouam hanc
proferre debuiſſet. Igitur crediderim ego Ariſtotelem a nobilitate duxiſſe initiũ, quia
Authoris ſententia. hæc prima eſt quæ illi cõtingat quem deſcribit beatum virum. Nobilitas enim (id quod
græcum declarat nomen) veluti ex ſemine traducitur, & cum fętu quoquo modo cõ-
cipitur. & ideo Valerius Max. cum Q. Metellum celebraret, ac mortalium omnium
beatiſſimum prædicaret, inter primas beatitudinis partes quas lõgo ordine obſeruauit
in Metello, egregiam illius conſtituit nobilitatem. Virtutem verò ad extremũ conie-
cit Ariſtoteles quòd hæc niſi longo vſu non paretur, & habitum requirat ac firmitu-
dinem, quæ in tanta virtutum varietate niſi in perfecta immò virili ætate non acquiri-
tur, quin prudentia ſenectuti reſeruatur. Cæteras partes in medium coniecit ſi nõ per-
fecto planè ordine, ac certè leuiter & in pauciſſimis partibus (id quod non multò poſt
demonſtrabitur vbi haſce partes reſumet explicabítque Ariſtoteles) perturbato. Quæ
ſanè res fortaſſe ea de cauſa magno huic methodi cultori accidit in præſentia, quòd in
tam multis partibus recenſendis ſubtiliùs artificium affectare atque adeò oſtentare
nollet: pręſertim verò quòd ſatis eſſet interim monuiſſe huiuſmodi bona ad tria capita
(proferet hæc paulo poſt) eſſe reuocanda omnia. Hæc in præſens vt propoſitæ dubita-
tioni, ſi quomodo poſſim, ſatisfacerem. Tametſi fortaſſe ſatius eſt reſpondere Ariſto-
telis Methodum, in his bonis recenſendis clam Artis, quin Naturæ etiam referre indu-
ſtriam. Ars enim opus rude profert & impolitum, tum paulatim promouet, donec om-
nibus abſoluat numeris: idque Natura etiam in fœtu atque alijs multis oſtendit. Id igi- 601
tur feciſſe viſus eſt Ariſtoteles, qui primo loco numerauit externa bona quę minùs va-
lent ad beatitudinem, ita vt inde rudis adhuc & impolita videri poſſit: tum paulatim
eidem admouit bona corporis, quæ ſine dubio magis propria ſunt & eam promouent
altiùs: tum ad extremùm gloriam, honorem, bonam fortunam quibus magis adhuc ac

magis

magis perficitur:ac tandem virtutem illi adhibuit,vt perfectionem illi & columen imponeret:nam reuera virtus maximè perficit beatitudinem.Ita quidem propoſita dubitatio omni ferè ex parte dilui poteſt. Tametſi vt pleniùs diluatur, illud in memoriam reuocabo,bonam ſenectutẽ inter externa bona interim non grauatè numeraſſe, quòd non tam ſenectutem (hanc enim morbum eſſe vulgatum eſt) quàm commodam ac ſecundam ſenectutem ſpectaret quæ a bona fortuna vel potiùs a Deo tribuitur: ita ut hac planè de cauſa interim bonam ſenectutem inter bona fortunæ recenſens, deinceps ſibi bona corporis enumeranda pronunciarit.Sed hac de re(vt dicere cœperam)diſtinctiùs aliquid & explicatiùs vbi ſingulas haſce beatæ vitæ partes declarat Ariſtoteles.Nã de nominibus quoque ipſis quibus partes iſtæ a Latinis enunciãtur, ſparſim, pro vt occaſio tulerit dicemus aliquid.etſi enim iſtorum vim nominum inueſtigatio cum ad latinitatem, pertinet, tum maximè rerum ipſarum notioni atque adeò naturæ intelligẽdæ plurimum conferre poteſt,ita vt vtilis videri poſſit propria & diſtincta eorum per-
602 ueſtigatio. verumtamen, ne longum faciam, quæ ambiguitatem habere videntur, aut minùs commodè a latinis exprimuntur, ſuo quæque loco declarantur non incommodè.

PARTICVLA LXXXV.

Οὕτω γὰρ ἂν αὐταρκέστατος, εἴη, εἰ ὑπάρχει αὐτῷ, τά τ' ἐν αὐτῷ καὶ τὰ ἐκτὸς ἀγαθά. οὐ γάρ ἐστιν, ἄλλα παρὰ ταῦτα. ἔστι δὲ ἐν αὐτῷ μὲν τὰ περὶ ψυχὴν καὶ τὰ ἐν σώματι. ἔξω δὲ, εὐγένεια, καὶ φίλοι, καὶ χρήματα, καὶ τιμή. ἔτι δὲ προσήκειν οἰόμεθα, δυνάμεις ὑπάρχειν καὶ τύχην. οὕτω γὰρ ἂν ἀσφαλέστατος ὁ βίος εἴη. λάβομεν τοίνυν ὁμοίως, καὶ τούτων ἕκαστον τί ἐστι.

Riccobonus. SIc enim ſua ſorte maximè contentus ſit, ſi adſint ipſi tùm quæ extra bona ſunt. Non enim ſunt alia præter hæc. Ac in ipſo quidem ſunt, quæ in animo, & quæ in corpore ſunt. Extra autem nobilitas, & amici, & pecuniæ, & honor. Præterea verò congruere arbitrantur, vt facultates adſint, & fortuna. Sic enim maximè ſecura vita ſit. Sumamus igitur ſimiliter & horum vnumquodque quid ſit.

Maioragius. *HAc enim ratione nullius rei ad benè, beatèque viuendum indigebit is, cui bona omnia & quæ in eo ſunt, & quæ extrinſecus adueniunt, affatim adfuerint: nam præter hæc, nulla bona ſunt. In ipſo verò ſunt ea, quæ vel in animo ſunt, vel in corpore, extrinſecus adueniunt, vt nobilitas, amici, pecunia, honor, opes etiam atque fortunam adeſſe oportere cenſemus, ſic enim fiet vita ſecuriſſima. Hac igitur ſingula, quid ſint, definiendo aperiemus.*

Cõment. LXXXIV *Beatitudinis partem nullam eſſe prætermiſſam.*

COlligit has planè quas enumerauit, eſſe beatitudinis partes, quia hinc αὐταρκέστατος, iis inquam omnibus quæ ad benè bearéque viuẽdum pertinent, is ſit inſtructus, cui adſint quę tum ineſſe, tum extrinſecus aduentare, dicuntur bona: nam præter hæc alia bona ſunt nulla. Ex quo loco intelligere licet αὐταρκέστατον in præſentia ſignificare non illum qui ſit ſua ſorte contentus, quemadmodum interpretãtur aliqui: ſed qui omnibus bonis inſtructus ſit: alioquin ſententiam non ea ratione confirmaret quia præter bona
603 iſta reperiantur alia nulla. Imò verò plus aliquid ſignificat quàm ex definitione expreſſerit in qua beatitudinem fecit αὐτάρκειαν ζωῆς, ſufficientiam vitæ. Licet enim ea ſufficiẽtia ab Ariſtotele (id quod ſuo loco docuimus) non mediocris omnino cenſeatur, nec paſſim parabilis, ſed quę percommodam atque iucundam, nec ſine virtute ac firmitudine quadam, præſtat vitam, nunc tamen longè perfectiorem intelligit vitæ ſtatum, immò, quãtum ciuilis & actuoſa vita patitur, perfectiſſimum & omnibus numeris abſolutum.

ſolutum. & ideo vocem αὐταρκέστατον vſurpat, qua ſignificantior afferri poterat nulla.
Explicat verò & cōfirmat rem totam, quia huic inſunt bona tum corporis, tum animi,
tum præterea quæ extrinſecus aduenìant, cuiuſmodi eſt nobilitas, amici, pecunia, ho-
nor. Quanquam extrinſecus (inquit) congruere videtur adhuc atque adeò expeti vt
adſint etiam δυνάμεις καὶ τύχη hoc eſt faculiates, & fortuna: quandoquidem hinc vita
Quæ obſtare videantur. iſta ſit ſecuriſſima. Sic Ariſtoteles. Contra quem multa ſunt quæ dubitentur: vt pro-
pterea non immeritò Controuerſiam inſtituere liceat, qua requiratur, NVM interim
dum beatæ vitæ partes tribus concludit generibus, partes omnes agnoſcat, & ad ſuum
I. CONTROVERSIA XLII. quamque genus conuenienter reuocet. Ac profectò illud obſtare videtur primùm,
quòd tum in libris de moribus, tum verò infra in capite nono, plures facit animi virtu-
tes: nam præter Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, Iuſtitiam, enumerat tum
Num beatæ vitæ partes ſatis agnoſcat, & ad ſuum quamque caput cōuenienter reuocet. magnificentiam, magnanimitatem, liberalitatem, manſuetudinem, tum verò ſapien- 604
tiam, quæ item multis partibus continetur. ex quo fit vt nec in ſuperiore particula om-
nia animi bona ac beatæ vitæ partes prout debuit enumerauerit, nec in præſens bona
omnia (quod tamen profitetur) viro beato ineſſe doceat: cum multas magnáſque vir-
tutes prætermiſerit ac reticuerit. Huc accedit quod videtur interim præterire bona ali-
qua non modò animi, vt dicebam, verùm etiam fortunæ, ſeu ex his quæ dicuntur ex-
trinſecus aduenire: ſi quidem paulò ante bona proles & multa proles, quin facilis etiã
Obijcitur verò ſenectus, inter externa bona recenſentur: & tamen hîc reticentur vbi rurſus percenſet
I. expenditque ea quæ extrinſecus accedere debent bona. Poſtremum eſt quia obſcurũ
II. eſt quid per faculiates intelligat quas adhuc ad tuendam beatam vitam requirit. nam
III. qui opes intelligunt, ij in id fermè recidere videntur quod Ariſtoteles πλούτου ſeu diuitia-
rum expreſſit nomine: quas tamen hîc paulò ante viſus eſt exprimere χρημάτων ſeu pe-
cuniarum nomine. Nam ſi dicas potentiam ſignificare & authoritatem, cum hæ ad
conſeruãdam beatitudinem plurimum valeant, præſertim fortuna, quam item requi-
rit; & proſperitate accedente; profectò potentiam & authoritatem haud enumerauc-
rat antea. nam ſi pugnes eas incluſiſſe in alijs partibus beatæ vitæ, iam bis eas require-
ret, cum cæteras partes illas (facilè ſenectute, & bona ac multa prole excepta, quæ nil
minùs quàm facultates iſtas comprehendebant) hîc nobis reuocet in memoriam. De- 605
nique verendum eſt ne rurſus alia duo bona ſeu bonorum initia proferat quæ ad beatã
vitam cenſeat eſſe neceſſaria, nimirum δυνάμεις & τύχην. Nam quicquid tandem his
ſignificet, videtur hæc duo vndeuiginti illis quæ recenſuerat bonis ſeu partibus adiun-
gere: id enim planè ſignificare vidẽtur ea verba, quæ ſubijcit vbi propoſita bona ad tria
capita reuocauit ἔτι δὲ προσήκειν οἰόμεθα δυνάμεις ὑπάρχειν καὶ τύχην, *præterea verò congrue-
re arbitrantur vt facultates adſint & fortuna.* Ita fieret vt tum ab initio erraſſet qui hęc præ-
termiſiſſet: tum ſecum hoc ipſo in loco pugnaret qui dixit alia præter illa non eſſe bo-
na: tum verò noua hæc bona ſiue bonorum cauſas ac principia immeritò reticeret ad
extremum: nam infra vbi declarat ſingulorum bonorum vim & naturam, de his etſi
obſcurè ſatis propoſita eſſent, ne verbum quidem. Hæc in præſenti particula aduerſus
Ariſtotelem. Quibus tamen nitendum eſt ſatisfacere. Primùm igitur non inficior
Reſpondetur Ariſtotelem non idem ſemper de virtutis partibus ſeu virtutum numero pronũciaſſe:
Ad I. îdque vel quia ſatis intelligeret non vnam eſſe ſed longè variam Philoſophorum ſen-
tentiam, ac rem in lubrico verſari; vel quia non vbique oportet hæc pleniùs explicare,
& ad calculum reuocare. Ita quidem hoc in loco quatuor illas morales virtutes nu-
meraſſet de quibus inter omnes conſtaret, quaéque popularem beatitudinem deſcri-
benti & ciuilem, (& ideo crediderim interim ſapientiam diſſimulaſſe) ſufficere vide-
rentur. Cum tamen in libris de moribus accuratiùs eſſent perueſtigandę & ſtatuendę:
in genere quoque demõſtratiuo, quod ex omnium varietate virtutum propoſitiones
ducit & argumenta, vſurpandæ. Quanquam de hac re vberiùs fortaſſe in capite nono,
Ad II. vbi laudationis cauſa alias recenſet virtutes. Iam verò facilè tres illas beatæ vitæ partes 606
diſſimulauit, hoc eſt bonam prolem, multam prolem, facilem ſenectutem, quia ex ijs
quę eiuſdem ordinis ſunt & affines, non difficilè intelligi poſſunt aut in memoriam re-
uocari: facilis enim ſenectus ex bona fortuna, proles ex amicis ſuppleri ſiue intelligi po
Ad III. teſt. Quanquam tutius eſt reſpondere ex bonis iſtis nullum fuiſſe prætermiſſum. Nam
præterquam quod infra vndeuiginti bona illa quæ iam antea numerauit, reſumit om-
nia (virtutes excipio quas in aliũ reijcit locum) & declarat, quod ſatis videri poteſt; hîc

per

per capita partes attingit beatæ vitæ: & ideo bona tum animi tum corporis comprehenſim non ſigillatim commemorat. Quod ſi externa bona pleraque recenſet ſigillatim, id ita facit vt comprehenſim rurſus per δυνάμεις & τύχην, complectatur quæ reticet ſigillatim. Nam re vera græcè εὐτεχνία & πολυτεχνία facultatem & copiam indicat, quemadmodum εὐτυχία & εὐγηρία, copiam item ac facultatem quæ fermè a fortuna ſuppeditatur. Tametſi latinis deſerit ferè tota vis illa nominum. Atque hinc etiam cõſtare poteſt cur δυνάμεις ſeu facultates addiderit. Quanquam illud etiam obſeruandũ, πλοῦτος ſeu diuitias quas inter partes beatæ vitę numerauerat, ab initio, latiſſimè patêre, itaut tũ νομίσματα & χρήματα, ſeu nummos & pecunias (id quod conſtabit paulò poſt)
607 tum δυνάμεις ſeu facultates, quæ agri locorúmque & regionum (docebit hoc etiã Ariſtoteles ipſe non multò poſt) mancipiorum item ac pecudum, ſeu armentorum, copia ac vi continentur, deſignent, ac propterea ad authoritatem & potentiam protendãtur. Ita quidem, etſi verbis vtitur varijs, vt bonorum externorum, præcipuè verò diuitiarum, vim atque vſum indicet in beata vita dum tribus eam bonorum generibus conſtare docet; in ſententia tamen perſeuerat egregiè: ſiquidem bona hæc fortunæ atque adeò bona fortuna ipſa quæ item proſperam ſenectutem afferat, ac bonis corporis opituletur, beatitudini promouendæ, & quantum hominis conditio patitur, conſeruandæ, accommodata eſt. Atque hinc etiam tollitur poſtrema dubitatio: ſi quidem verbis illis *Præterea verò congruere arbitrantur vt facultates adſint & fortuna*; nõ noua bona adduntur aut bonorum principia proferuntur, ſed declaratur qui ea quoque externa bona pertineant ad beatam vitam quæ nos diuitijs & fortuna contineri ac ſignificari oſtendimus, & quantum hominis conditio patiatur conſeruandæ accommodata eſt. Iam verò quoniam de ſingulis quas enumerauit beatitudinis partibus ſibi agendum proponit Ariſtoteles, idque vt conſtet quid ſit vnaquæque, quid de hac re tota diſputet, audiámus. *Ad IV.*

PARTICVLA LXXXVI.

Εὐγένεια μὲν οὖν ἔθνει μὲν καὶ πόλει, τὸ αὐτόχθονας ἢ ἀρχαίους εἶναι, καὶ ἡγεμόνας τοὺς πρώτους ἐπιφανεῖς, καὶ πολλοὺς ἐπιφανεῖς γεγονέναι ἐξ αὐτῶν ἐπὶ τοῖς ζηλουμένοις.

Riccobonus.
608 AC nobilitas quidem genti & ciuitati eſt, ſi indigenæ vel antiqui ſint, & duces primi illuſtres, & multi illuſtres nati ſunt ex ipſis in ijs, quæ cadunt ſub æmulationem.

Maioragius.
NObilitas gentis & ciuitatis ea eſt, ſi ipſa ex ſe ſuos ciues genuit, vel ſaltem vetuſtam originem habuit. Et ſi primi ductores eius illuſtres fuerunt, & ſi multi principes, atque imperatores ex ea nati ſunt, quos æmulari alij ſtudeant.

Comment. LXXXV. De Nobilitate.

DE nobilitate diſſerit, eiúſque naturam & vim inueſtigat, primo loco; idque non immeritò, cum ex omnibus beatitudinis partibus hæc prima contingat homini: quandoquidem cum fœtu quoquo modo concipitur (vt monebam: tametſi de hoc paulò poſt copioſè) & ex ſemine quoquo modo traducitur: id quod fœliciter græca vox indicat, latina minimè. quanquam id opportunitatis habet latina vox, quòd ſi fortè nobilitas non modò ex genere traduci poſſit, verùm etiam, virtute ac rerum geſtarum fama & Principis beneficentia, aut etiam diuitiarum ſplendore, comparari; nobilitatis nomine iſthæc contineri poſſint omnia. cum è contrario εὐγένεια vnam natalium claritatem excipiat. Itaut, niſi pugnes propriam nobilitatis formam hanc eſſe quæ a maioribus ex genere ducitur, cæteras formas eſſe adulterinas aut minùs proprias (de qua re ſuo loco) latinum nomẽ aptius ſit quàm εὐγένεια. Duas verò ſtatuit nobilitatis formas ſeu ſpecies: vnam alicuius gentis totius ſiue Vrbis, alteram priuatæ familiæ, quæque *Duplex Nobilitatis forma.*

propterea

De Prima: quæ publica eſt & quadripartita.

propterea ſingulis hominibus conuenire poteſt. Atque vt de priore dicamus in præ-
ſenti particula,(nam de poſteriore in ſequenti)quatuor publicæ nobilitatis rationes &
cauſas profert: prima eſt, τὸ αὐτόχθονας εἶναι, quia inquam ea gens ſit indigena, quod eſt
ex illa planè Vrbe aut regione orta ſit,non aliunde vnquam originem duxerit. Altera
quòd ſi aliunde aduentarit, ibi ſaltem ſit peruetuſta. Tertia quòd ibi ductores primi 609
I. Genus. fuerint illuſtres. Poſtrema quòd illuſtres item viros plurimos genuerit, qui imitatio-
ne ſint digniſſimi. Vbi ſanè quemadmodum duæ priores nobilitatis formæ ita diſtin-
II. guuntur,vt ſingulæ per ſe nobilitatem conſtituant ac tueantur, ita crediderim illuſtres
III. Duces primos per ſe tertiam verè conſtituere formam: non tanquam ſecundæ, hoc
IV. eſt eorum qui peruetuſti ſunt,conditionẽ proferri:atque idem de quarta dixerim qua
Conferuntur inter ſe & declarantur in vniuerſum. multi illuſtres dicuntur orti iique imitatione digni. Tametſi optarem vt Ariſtoteles
quemadmodum priores duas formas diſtinxit particulá illâ ἤ, ſic duas poſteriores eâ-
dem diſtinxiſſet. Sed ratio dubitationem tollat oportet,cum illuſtres tam tertię formę
ductores fecerit, vnde pendet gentis nobilitas, quàm qui procedente ætate illuſtres ac
digni imitatione habiti ſunt. At profectò gradatim progreditur Ariſtoteles:ac tanquã
naturam ſequitur. Siquidem nobilitas primò tribuitur indigenis, tum peruetuſtis:vt
qui indigenæ eſſe non poſſunt, ſaltem antiquitate nobilitentur. At quid Ariſtoteles,ſi
ea gens quæ nec indigena eſt nec ab heroicis vſque temporibus ſuas tenet ſedes? an vlla
erit nobilitatis aſſequendę ratio?erit(inquit Ariſtoteles)nimirum ſi ij,qui neque in eas
ſedes ab antiquis temporibus deuenerint,ſaltem illuſtres habeãt ductores. Rectè. Sed
quid ſi nec illuſtres quidem ductores habuerint? Saltem (reſpondet Ariſtoteles,)inde
nobiles efficiantur ſi inter eos illuſtres ſint multi atque ijs artibus clari quę imitatione 610
dignæ ſunt. En Ariſtotelem gradatim progredi ac naturam ſequi: ita vt attentiùs æſti-
manti indicet,eos etiam qui nec indigenæ ſint,nec eas ſedes diu coluerint,nobiles tum
demum eſſe cum ductores illuſtres habuerint. Quin vbi fortè ijs caruerint, nobilitari
poſſe vbi illuſtres fuerint arte aliqua æmulatione digna. Ita vt quatuor reuera conſti-
De primo ſigillatim. tuat publicæ nobilitatis formas. Iam verò quod pertinet ad primum, reuera vna Me-
ſopotamia ac ſummatim ea Regio in qua primi mortalium parentes conditi ſunt,hac
gauderet nobilitate. Siquidem inde paulatim propagatum eſt humanum genus, & in
alias Regiones,præſertim poſt generalem eluuionem,traductum. Itaque ij omnes qui
ex Attica terra homines primùm ortos dicunt,quemadmodum Plato in Atlantico &
in Menexeno,Iſocrates in Panegyrico,& rurſus in Panathenaico,Lyſias in funebri cõ-
cione, Demoſthenes in Oratione aduerſus Aeſchinem de ementita legatione, Sopho-
cles in Aiace flagellifero (quanquam hic non αὐτόχθονας ſed χθονίους appellat Athenien-
ſes)M.Tullius in Oratione pro Flacco,explodendi ſunt. Et quidem Plato in Atlantico
de terrarum partibus earúmque diſtributione cum ageret, non dubitauit affirmare
Athenienſes αὐτόχθονας eſſe, atque hoc illis cognomentum proprium tribuere: venti-
tabat enim primos homines in Attica eſſe procreatos,atque hinc in Regiones alias de-
riuatos:ita vt in Attica indigenæ,in regionibus cæteris peregrini,cenſendi eſſent.quam
rem clariùs adhuc,ne dicam audaciùs, confirmauit in Menexeno, vbi, *Prima*, inquit,
Atticæ laus eſt, quod maiorum origo haud peregrina fuit: neque ſucceſſores hos reliquit,velut in- 611
*quilinos nouós que homines ex aduenis genitos,ſed indigenas,ac reuera in patria habitantes viuen-
téſque*. Hæc & id genus alia multa habet Plato in eo loco,cui alludens M.Tullius, *Ad-
ſunt*(inquit)*Athenienſes,vnde humanitas, doctrina,religio,fruges, iura,leges ortæ atque in omnes
terras diſtributæ ſunt*. Et hoc eſt etiam quod ſibi voluit Plato in Timæo dum diceret
ἐκ τῆς γῆς, ex Tellure inquam, Atticós extitiſſe. Quanquàm multò magis explodendi
ſunt ij ac ridendi qui ſe iactarent vel ante Lunam ortos eſſe,quales ſe venditabant Ar-
cades,qui propterea προσεληναῖοι,antelunares inquam; dici vellent. Id quod eleganter
expreſſit Ouidius cum caneret

Ante Iouem genitum terras habuiſſe feruntur
Arcades, & Luna gens prior illa fuit.

Quod tamen non ſeriò docet ille quidem ſed per iocum. nam ideo alibi *Orta prior Luna
de ſe (ſi creditur ipſi)*ait idem de Arcada gente:vbi alios habere teſtes ait nullos. Quapro-
pter vt ij qui obſcuro eſſent genere orti, atque adeò parẽtes proferre haud poſſent,per
contumeliam Terra nati dicebantur(& ideo Euripides γῆς ἆρ' ὑπέφυκα μητρός; Num ſa-
tus Tellure Matre? inquit de homine cui obſcuritas generis obijceretur) ſic Plato è
contrario

Digitized by Google

contrario Atticis ſummæ laudi tribuebat quod ex Terra eſſent procreati. Vbi, ſanè videtur auditione quadam vtcunque percepiſſe primæuum hominis ortum, quemadmodum indicat in Protagora, vbi rurſus ex terra & igne conflat primos homines, & in
612 Ciuili, vbi Terrigenam vocat hominem; tametſi dum rem fabulis inuoluit, & Græcis hanc vnam tribuit laudem, ferendus non eſt. Atque in eâdem naui ſunt alij quidam Græcorum Populi, Authore Strabone, qui ſe primos atque ex terra ortos pugnarent. Ex quo fit vt ne Ariſtoteles quidem interim ſit audiendus dum huic conniuet Græcorum opinioni & commento. Tametſi, quoniam populariter loquitur, & verò alteram cauſam quæ vera eſt, continenter profert, qua priorem vtcunque corripere videtur, minùs ægrè ferendus eſt. De qua re tota, ſi placet, ea conſulas quæ nos ſcripſimus tum
Par. 23. in ſeptimo libro primæ Decadis in Timæum, tum in tertio de Hiſtoria. Interim tamen
pag. 196 de prima hac publicæ nobilitatis forma tria monuiſſe velim. Primum eſt Græcos multa ex Hebræis & Aegyptijs accepiſſe, & pro ſuis (vt ſcilicet inde laudem colligerent) venditaſſe. Itaque Plutarchus multa huiuſmodi commemorat, etſi Græcus alioquin; ſigillatímque ingentem illam eluuionem, arcam, columbam, ad Deucalionem furtim translata eſſe memorat. Nil igitur prohibet quò minùs Plato atque alij ortum hominis ex terra, fama & auditione acceperint, & ad Atticos gloriæ cauſa retulerint. Id quod Promethei quoque fabula indicat de qua alibi. Alterum eſt Platonem ac priſcos illos mortales qui interim terra natos faciunt Atticos, atque hac de cauſa primos proindéque omnium nobiliſſimos cenſeri hos volunt, ſine dubio fama & auditione, percepiſſe, quin a maioribus tanquam per manus accepiſſe, Mundum reuera ortum eſſe,
613 atque ita ortum vt homo initio temporis & ex terra ſit conditus: ſi enim eſſet ſempiternus homo, nec primi, nec medij, nec vltimi reperiantur, tantum abeſt vt ex terra eſſe cœperint. ita vt qui Mundi ſempiternitatem inuehere conati ſunt, cum veteri fama & communi priſcorum ſententia pugnent, quibus, cum proximè ad primæuam ætatem acceſſerint, fidem neſas eſt non habere. Hoc ſecundum. Tertium eſt, tum demum indigenas & αὐτόχθονας nobilitatis exprimere ac retinere decus, cum non ſeruiles ſed ingenuos mores præ ſeferunt, atque honeſtè non turpiter degunt. quis enim indigenas illos inter nobiles numeret, qui vel latrocinijs victitent, ferarúmue more vagētur paſſim, vel (quod non minùs turpe) ob ſegnitiem ſeruiant, & inter mancipia reputentur? vt propterea niſi vita & moribus ingenuitatem referant, vix acne vix quidem in loco nobilium haberi poſſint. Sed de hac re fortaſſe plura paulò poſt. Venio, ad ſecundum publicæ nobilitatis genus: quod ſanè eò tantùm differt a primo, quòd quam primi ob quandam veluti perpetuam antiquitatem, obtinent dignitatem, hanc certa quadam ac definita vetuſtate & antiquitate conſequuntur ſecundi: alioquin cætera ferè paria videri poſſunt: ita vt quæ de primis dicta ſunt, de ſecundis certa quadam analogia & proportione ſtatui poſſint. Ex quo fit vt inter hos eæ gentes inprimis nobiles cenſendæ ſint, quæ ante maximam eluuionem, lōgiùs etiam ac latiùs poſt dictam eluuionem, ſoluerunt Oriente, atque inſulas varias & regiones multas tenuere. vt enim nouus Vr-
614 bis homo, qualis Cicero appellatus eſt a Salluſtio, hinc ignobilis deſignatur, ſic noua gens quæque recēs aliquam incolere cœperit regionem, ignobilis cenſeri ſolet. Quapropter ijs (vt dicebam) qui ſuam originem ad eos reuocant qui primi ab Oriente ſoluerūt, vt ad hos proximè acceſſerunt, maximè omnium hæc debetur nobilitatis laus. Licet non eam merentur quæ debetur indigenis, quales Meſopotamios fuiſſe conſtat. Itaque non facilè audiendi vel Scythæ, vel Phryges, vel vlli alij qui cum aliunde ortum duxerint, aut vix in ſecundis aut in tertijs cōſiſtant, ſe cunctarum gentium vetuſtiſſimos eſſe venditant & profitentur. Sed & ridendi ſunt qui multas annorum miriades comminiſcuntur vt ſe vetuſtiſſimos faciant. De qua item re nos tum in Timæo tum in commentarijs de Hiſtoria diſſeruimus: vbi etiam ſignificauimus quæ gentes poſt indigenas omnium antiquiſſimę cenſendæ ſint, & quantum Gręcis anteceſſerint. Interim illud vnum videretur examinandum; An ſcilicet huiuſmodi antiquitas iurè (quod cenſet Ariſtoteles) pertineat ad nobilitatem. Quid enim ſi vetuſtiſſima ſit, & ab heroicis vſque temporibus ibi conſederit, & tamen aut inuita ſub alterius fuerit dominatu, aut ſaltem nihil præclarè geſſerit, ſed in obſcuro fuerit ſemper? Verùm, mea quidem ſententia, non de illa gente loquitur Ariſtoteles, quæ, vt paulò ante dicere cœperam, verè ſeruiat (cum naturali enim ſeruitute non conſentit nobilitas) ſed de inge-

Tria in primo hoc genere obſeruantur.

I.

II.

III.

De ſecundo ſigillatim.

Vnum explicatur quod de ſecundo hoc genere adhuc quæri poſſe videtur.

pua & ſumatim de illa quæ alioquin omnino libera ſit, aut certè legitimo obtempe-
ret Regi, Hæc enim gens, cæteris paribus, ſemper ijs præſtare iudicabitur, quæ minùs
vetuſtæ ſint. Quod ſi rerum geſtarum floruerit gloria, multo maximè cenſetur nobi-
lis. Atque hinc ſit vt in his duabus prioribus publicæ nobilitatis formis cenſendus ſit 615
Ariſtoteles non tam ſpectaſſe Vrbis & ędificiorum antiquitatem aut magnificentiam
quàm antiquorum virorum ingenuitatem vnde Vrbi & poſteris impertiatur nobili-
tas. Pręclarè enim Temiſtocles Seriphio, reſpōdiſſe fertur, Non hercle ſi ego Seriphius
eſſem, nobilis, nec ſi tu Athenienſis eſſes, clarus vnquam fuiſſes. Quibus verbis ſigni-
cauit patriæ nobilitatem niſi acceſſerit virtus aut ſaltem ingenuitas & morum hone-
ſtas (id enim ſufficere poſſit peruetuſtis gētibus & indigenis; maior virtutis vis in dua-
bus reliquis formis quæ antiquitate carent, requiratur) parum momenti habere. Ari-
ſtoteles etiam cuidam patriæ ſplendorem iactanti, Ne tu (inquit) patriæ ſplendorem
commemores ac iactes; ſed an tali patria dignus ſis, animaduertas, & rectè: non tam
enim locus virtuti, quàm virtus loco, dignitatem adiungit. De qua rę tota legendus eſt
Plutarchus in libello de exilio & in Apophthegmatis, in Themiſtoclis item & Demo-
ſthenis vita; Galenus in exhortatione ad bonas artes & Stobæus in ſermone CCXVII.
& multis ſequentibus, vbi pro Philoſophis, Oratoribus, Poëtis, Hiſtoricis, vno verbo
pro ſacris profaniſque Authoribus eſſe poteſt. Iam verò antequam deueniam ad pri-
uatæ nobilitatis formam, vnum atque alterum quæri poſſit. Primum eſt, an fortè, vbi
alicuius gentis authores ſeu ductores haud multi fuerint, ſed vnus (vt fit) aut paucili-
mi numerentur, nobilitatis expers ſit cenſenda gens illa. Alterum eſt, Num ſi non pri-
mi authores aut duces fuerint illuſtres, ſed alij qui non ſtatim ſed multò poſt floruе- 616
rint, nobilitas genti aut Vrbi ſit tribuenda. His tamen reſpondebimus infra vbi pauca
quædam Ariſtoteleæ ſententiæ vberiùs explicandæ atque adeò nobilitatis vi declaran-
dæ ſubijciemus. Nunc tantùm dicam, nobilitatem non certum veluti momentum
habere aut tanquam in puncto poſitam eſſe, ſed latè patêre ac variam eſſe. Ita fit vt ſi
primi alicuius gentis aut Vrbis authores ducésue nō multi fuerint ſed pauci aut vnus,
minorem Vrbi aut genti afferant nobilitatem, ſed afferant tamen. Idem dixerim de ijs
qui non tam ab gentis vel Vrbis initio quàm progreſſu temporis floruerint, & Vrbem
gentémque nobilitarint: etſi enim non peruetuſta erit nobilitas, in aliquo tamen pre-
cio habenda erit. Quin fieri poteſt vt vnus ac ſeriùs rerum geſtarum magnitudine, ac
virtute ſic excellat vt ingenti ſplendore multos ac vetuſtos duces ſuperet non medio-
criter. Hę ſunt quatuor publicæ nobilitatis formæ. Vbi obſeruandum eſt reuera ſeor-
ſim hiſce quatuor formis ſingulis exprimi communem quandam ac penè vulgarem
nobilitatem: maiorem verò & cumulatiorem eam eſſe quæ gentis antiquitatem & du-
ctorum ſplendorem & multorum virtutem refert: quòd ſi acceſſerit Vrbis ipſius po-
tentia & dignitas, erit cumulatiſſima. Ita fieret vt antiquæ Vrbis ciues, ſi alioquin ſint
nobiles, ijs anteponerentur qui nobiles quidem ſint, ſed a non vetuſta aut præſtanti
ortum duxerint Vrbe. Tametſi quibus contigerit vt cum Vrbis ac patriæ nobilitate
familiæ nobilitas coniuncta ſit, nobilitas tum demum erit maxima cum virtus acceſ- 617
ſerit, nec diuitiæ, eæque honeſtæ defuerint: patriæ tamen nobilitas plurimùm valet &
ad benè beatéque viuendum (huc enim nobilitatem refert Ariſtoteles) momentum
habet non leue. Itaque non malè Simonides nobilis patriæ ſplendorem ac dignitatem
ei conuenire indicauit cui beatè viuendum ſit: id quod Plutarchus etiam com-
memorat in Demoſthenis vita. Atque hinc eſt vt Auguſto qui alioquin per-
beatus ferè videri poterat, patriæ ignobilitas (ex Aricina enim Vrbe
ſiue eius pago ortum duxit) quæ illi obijciebatur: aliquid de-
traxerit: quin Oraculum (teſte Laërtio) hoc vno
Myſonem virum ſapientiſſimum & præ-
clariſſimum reputauit ignobilem
ac multò minùs beatum,
quòd ex obſcuro quo-
dam ortus eſſet
vico.

De poſterioribus publicæ nobilitatis formis, ſeu cauſis, quæritur,
I.
II.
Reſpondetur paucis,

De quatuor propoſitis formis iudicium.

P A R-

PARTICVLA LXXXVII.

Ἴδια δὲ εὐγένεια ἢ ἀπ' ἀνδρῶν ἢ ἀπὸ γυναικῶν καὶ γνησιότης ἀπ' ἀμφοῖν.

Riccobonus. PRiuata verò nobilitas, vel à viris, vel a fœminis eſt, & legitima origo ab vtriſque.

Maioragius. *PRiuata verò nobilitas vel a viris vel a mulieribus pendet; & cum vtrique legitimè coniuncti ſunt.*

Comment. LXXXVI. De altera Nobilitatis forma, quæ priuata appellatur.

DE priuata agit nobilitate, quam certæ alicui familiæ attribuit. Ac priùs
docet vnde originem ducat, tum qua in re (id quod in proxima parti-
cula proſequetur) poſita ſit, ſeu quibus conſtituatur, ac propagetur.
Priùs igitur priuatam nobilitatem vel a viris, ait proficiſci, vel a fœmi-
nis: tametſi γνησιότης ἀπ' ἀμφοῖν, ingenuitas ab vtriſque. quod eſt, ſi in-
618 terpretem nobilem audiamus, dũmodo legitimis nuptijs & conceſſo
matrimonio coniuncti ſint ij a quibus nobilitas hæc deriuatur: quanquam (mea qui-
dem ſentẽtia) ægrè legitimas nuptias exprimat ac requirat Ariſtoteles his verbis. Nam
videtur potiùs medium quendam ſtatum inter ignobilitatem ſeu ſeruitutem & nobi-
litatem ſtatuere, nimirum ingenuitatem: atque hanc nolle niſi ab vtriſque tranſmitti
liberis, ita vt niſi vterque parens ſit ingenuus nobiles non propagentur liberi, ac pro-
pterea, vera & perfecta ingenuitas vtriuſque parentis requirat ingenuitatem. Quaſi
dicat nobilitatem contrahi poſſe ab vno ex parentibus nobili: ita tamen vt ingenuitas
ſit in vtroque: Atque quidem ſi cõtingeret vt ingenuus dici non poſſet ſpurius quiue
ex non legitimis nuptijs oritur efficeretur quidem vt ingenuitas requireret legitimas
parentum nuptias: ſecus ſi ſpurius adhuc poſſit eſſe ingenuus: fortaſſe enim qui ex cla-
ris parentibus, & ſi alioquin citra nuptias oriretur, eſſet ingenuus. Ingenuus enim ſer-
uo videtur opponi aut ad ſummum libertino. Quanquam, quoniam ſpurius nobilis
cenſeri nequit ſatis conſtet, tum demum vel a viro vel a fœmina vel ab vtriſque filio
tranſmitti nobilitatem cum parentes legitimè fuerint copulati: quod interim arripe-
ret Ariſtoteles; non per ea verba, καὶ γνησιότης ἀπ' ἀμφοῖν, deſignaret: his cum verbis in-
genuitatem ſine qua nobilitas eſſe non poteſt, in vtroque parente requirit Ariſtoteles
619 non in vno tantùm exigit ſaltem quemadmodum nobilitatem, denique mancipia in-
fimum tenent nobilitatis vel potiùs ignobilitatis locum, proximè ſuccedunt libertini
qui è veſtigio manumiſſi ſunt: tum qui a mancipijs tertio abſint gradu è libertinis na-
ti, in ingenuos tranſeunt, ſi tamen vterque parens ſit ingenuus & ideo ait Ariſtoteles
ingenuitatem ab vtrisque deriuari non ab vno ex parentibus quemadmodum nobi-
litas, ideo autem ingenuitatis mentionem facit quia eſt fundamentum nobilitatis &
ſine qua nemo ſit nobilis, ſi ſeruus eſt, dixi vnum ex parentibus etiam fœminam ſatis
eſſe ad filij nobilitatem quia ad ingenuitatem tantum requiritur vtriuſque ingenui-
tas. Neque verò mihi obijciat quiſpiã γνησιότητα ſignificare legitimos naturales ſeu le- *Dubitatur*
gitimitatem (ſi ita loqui liceat vt verbum reddatur verbo) ac propterea legitimas nu-
prias iuſtiùs inde intelligi quàm ingenuitatem; nam quid obſecro erat vt diceret Ari-
ſtoteles & legitimitas ab vtriſque? cum enim legitimus eſſe filius nequeat niſi legiti-
mo ſuſceptus thoro, quid obſecro erat quod moneret Ariſtoteles legitimitatem ab
vtroque parente debere illi ineſſe? quaſi verò interdum ab vno deriuari poſſit quem-
admodum dixerat de nobilitate. Vt mirum ſit Interpretes fermè omnes confugere
ad legitimas nuptias vt hũc exponant locum, Maioragium vertere etiam *& cum vtri-
que legitimè coniuncti ſint*. Retineatur igitur ingenuitas ſenſus eſt enim nobilitas ab
vno etiam deriuari poteſt ex parentibus, ingenuitas niſi ab vtroque non cõtrahitur. Et *Reſpondetur. Ad I.*
620 profectò nihil eſt cur inficiamur diſtinctè loqui Ariſtotelem, ita vt vnius ſeu viri ſeu
fœminæ, haud contentus ſit nobilitate, neque enim ſi quod affirmamus ſtatuere vo-
luiſſet, clarioribus & ſignificatioribus verbis vti potuiſſet. Tametſi enim vt legitimo

matrimonio iuncti ſint requirit inſuper, nil tamen prohibet quo minùs, vnius etiam fœminæ, nobilitate contentus ſit. Neque verò quiſquam id in controuerſiam reuocet quòd particula ϗ hoc eſt vel interdum valeat, [tum,] vt cum ſcribit Cicero, cui non licet res ruſticas vel fructus cauſa vel delectationis inuiſere? cujus exempla extant penè innumera) nam præterquam quod non hanc vim apud Græcos habet ϗ (præſertim apud Ariſtotelem qui trito more ac maximè proprio loquitur) ſanè apud latinos etiam geminatæ illæ particulæ eam vim habent vt, ſeorſim quæque ſit capienda. quare rem ruſticam quam tum fructus cauſa inuiſimus tum delectationis: vnius fructus cauſa inuiſere poſſumus; quemadmodum nobilitas ab vno patre poteſt deriuari. Fateamur igitur id quod eſt, Ariſtotelem cenſuiſſe & a viro ſeorſim & a fœmina poſſe nobilitatem traduci. Quare controuerſia potiùs mutanda erit ac requirendũ (id quod paulò poſt faciemus) num ſeorſim, præſertim fœmina, nobilitatem impertiri poſſit: ſiue an nobilitas a ſolo viro, aut quod difficile videtur, a ſola fœmina deriuari ac traduci poſſit. Sed iam Ariſtotelem audiamus qui cum a viro ſeu fœmina nobili traduci dixerit nobilitatem, iam conditiones affert quas cenſet ijs ineſſe oportere quibus traducatur priuata nobilitas; quam ſanè rem perinde ferè ac priorem nobilitatem explicat. 621

PARTICVLA LXXXVIII.

Καὶ ὥσπερ ἐπὶ πόλεως τούς τε πρώτους γνωρίμους ἢ ἐπ' ἀρετῇ, ἢ πλούτῳ, ἢ ἄλλῳ τῷ τῶν τιμωμένων, καὶ πολλοὺς ἐπιφανεῖς ἐκ τοῦ γένους καὶ ἄνδρας, καὶ γυναῖκας, καὶ νέους καὶ πρεσβυτέρους.

Riccobonus. ET vt in ciuitate, ſi primi clari ſint vel in virtute, vel diuitijs vel alia eàrum rerum, quæ honorantur, & multi illuſtres ſint, ex genere tùm viri, tùm mulieres, tùm iuuenes, tùm ſenes.

Maioragius. *ET quemadmodum etiam in ciuitate, cum primi auctores generis clari fuerunt vel virtute, vel diuitijs, vel alia re, quæ in precio apud homines ſit. Et ſi ex familia multi illuſtres fuerunt, & viri, & mulieres, & iuuenes, & ſeniores.*

Coment. LXXXVIII. QVod ſtatuerat de publica ſiue Vrbis gentíſque nobilitate, hoc ratione quadam ac proportione ad priuatam ac familiæ nobilitatem traducit: quod nimirùm familia quoque nobilitetur ſi primi authores clari fuerint: ac rurſus multi in eâdem & viri & mulieres & iuuenes & ſenes floruerint. De quibus ea fermè & dubitari & ſtatui poſſunt quæ de publica nobilitate diſputauimus. Tantiſper enim veluti mutatis modis in priuatam conueniunt quæ de publica dicta ſunt. Illud tantùm dicam Ariſtotelem publicam nobilitatem vniuerſim duxiſſe ab illuſtribus ductoribus aut ijs qui conſecuti eſſent vt digni viderentur æmulatione: cum tamen non declarauerit quibus in rebus & poſita eſſet æmulatio. hîc tamen in priuata planiùs indicat qua in re illuſtres requirat illos & claros. niſi enim virtute aut diuitijs aut alia re ex ijs quæ æſtimantur & honorantur oportere illos eſſe illuſtres. Vbi ſanè illud fortaſſe perturbet aliquem quod profert Ariſtoteles de diuitijs: de qua re item infra. Nunc ſat ſit non eſſe hanc laudem denegandam diuitijs ſi & bonis artibus honeſtáque induſtria paratæ ſint, & verò honeſto ſplendeant vſu. quanquam ſi vetuſtæ quoque maius accedat pondus. Et tamen 622
interim virtus erit diuitiarum veluti ſplendor: cum hac & partæ & ad vnum traductæ ſint. Alioquin ſordeſcant. Hæc de Nobilitate ex Ariſtotele.

Quibus tamen vberiùs ac pro loci huius dignitate explicandis & dilucidandis poſſent addi permulta, atque ea ſanè non iniucunda, ſed inprimis ſcitu digniſſima. Sed tamen ne videar actum agere, ægrè id oneris ſubeo. Nam vt omittam cæteros,

ſanè

ſanè Titaquellus intet Iuriſcōſultos, Frāciſcus Piccolomineus inter Philoſophos, Oſo
rins inter Theologos & Oratores, Scabeus inter Poëtas, vel certè Poëtatum dictis vel
maximè, egregiè argumentum hoc de nobilitate complexi ſunt. Etſi Tiraquellus re-
uera vt vberiùs & prolixiùs, ita admirabili quadam terum copia & eruditione ex tota
ſcriptorum vniuerſitate rem eſt proſecutus. Sed tamen vnum atque alterum fortaſſe
etiam teſtium attingam in quibus videot mihi poſſe adhnc non ſine dignitate verſari;
hæc ſiquidem continent rei ſummam & in qua cardo vertitur Nobilitatis: & tamen
haud ſcio an ab alijs ſatis ttactata fuerint & explicata. Tres itaque Controuerſias expli-
cabimus, ex quibus prima ea ſit Nū ipſa Nobilitas ſic a parentibus in filios, ſiue a maio-
ribus in poſteros tranſmittatur, vt alicui ſiue in ſemine ſiue in ſanguine communice- *CONTRO*
tur, ac ſummatim ipſi fœtui ac proli ingeneretur: vel potiùs vel planè hac communice- *VERSIA*
tur ratione: ſed tantùm accedat extrinſecus aliquid: itaut quemadmodum familiæ co- *XLIII.*
gnomento ac ſtemmatis ſic nobilitate cohoneſtetur aliquis. Altera eſt Num iure etiā *Num nobi*
a ſola matre (id quod exiſtimat Ariſtoteles) cenſenda ſit nobilitas deriuari. Quibus ad *litas tranſ-*
extremum addam an qui in diuitijs collocant nobilitatem audiendi ſint, & (quod facit *mittatur in*
Ariſtoteles) probandi. Primò igitur dicamus de primo. Vbi ſanè in fœtu communicari *fœtu.*
nobilitatem atque ita communicari, vt aliquid in ſemine aut ſanguine tranſmittatur
623 quod in fœtu veluti ingeneretur multis videtur ſuaderi poſſe. Ac primùm, experien- *Probatur*
tia compertum eſt podagram, chiragram, veneream lucem, alióſque morbos multos *multis.*
filijs tranſmitti in ſemine, quin næuos quoque, cicatrices: imò verò ex claudo claudum I.
aliquando, ex ſurdo ſurdum oriri. quis igitur inficias ierit Naturam Parentum morbos
ac luem in fœtum tranſmittere, prçclaras verò dotes, cuiuſmodi eſt ingenuitas aut no-
bilitas, nullo modo? Quod ſi obijcias iſtiuſmodi morbos in corpore excipi, ita vt nil II.
prohibeat hos in ſemine filijs tranſmitti, nobilitatem verò non tam in corpore reſide-
re, quàm ad animum vel certè ad hominem totum pertinete, iam ebrietas ſe ſe offert
aut mulieroſitas, quæ item a parentibus in filijs transfunduntur (etſi enim ebrius ob
immoderatum calorem non facilè generat, vbi tamen calor remiſerit generat paſſim)
& tamen propenſio illa ad vinum aut Venerem deflectit ad animum & in anima exi-
ſtit. id quod multò magis ſtatuatur de cupiditate, de amentia, de furore, quæ tamē, etſi
manent ab anima, a parentibus in fœtu communicantur filijs. cur igitur negemus no-
bilitatem quoque in fœtu (id quod Grçcum nomen indicat) communicari? prçſertim
verò quia ſi Natura vitioſitatem tranſmittit, ac labes, vnde nouerca eſſet dicenda; mul-
tò magis trāſmittere debet præclaras dotes vnde mater cēſenda ſit. Huc accedit quòd
niſi id cōcedatur, metum ſomnium videri poſſet nobilitas: quid enim ſit ex nobilibus III.
maioribus naſci, niſi naſcenti aliquid in ortu aut fœtu communicetur? aut cur filius
alioquin non temerè dicatur aut oriri claro ſemine aut ex optima ſtirpe? Certè niſi
quid in ſemine communicetur, temerè ſanguis, ſtirps, ſemen huc reuocetur. Itaque &
Philoſophi præſertim Politici, & Hiſtorici, maximè verò Iuriſconſulti, nobilitatem ex
genere ducunt: Et ſanè Plato ea de canſa humanos animos atque adeò animationem IV.
624 ipſam contulit cnm metallis, ex quibus impuros quoſdam cernimus, puriſſimos alios,
pleroſque in mediocritate poſitos; quod ab ſui initio pro maiorum ac pro genitorum
conditione contrahant vel claritudinem quandam ac dignitatem vnde nobilitas exiſtit
vel tanquam obſcuritatem ac quandam vilitatem: aut etiam referant mediocritatem.
Ita fieret vt primi auro, poſtremi ſcoriæ & plumbo, medij argento æríque & alijs quæ
mediocritate gaudent, metallis reſpondetent. Id quod in ijs licet clariùs intueri quæ V.
vitam adepta ſunt; cuiuſmodi ſunt ſtirpes, arbores, ac varia belluarum & animantium
genera, quibus ex ſemine in conceptu & fœtu quædam veluti indoles ac generoſitas,
vnde etiam, generoſa ducuntur, vel improbitas ac vitioſitas, vnde adulterinæ appellan-
tut, contingere ſolet. Itaque Ariſtoteles etiam cōſentaneum eſſe dixit vt ex melioribus VI.
3. de Rep. cap. 8. meliores ex deterioribus deteriotes naſcantur homines. Plutarchus verò actiter eos *Ab Autho*
reprehendit qui hanc contemnerent. Angenerandæ (inquit) ſobolis gratia generoſi *ritate.*
Plut. apud St... p. 73 1. f equi & canes emantur: vitium item olearum & teliquarum arborum optima quçque
ſemina deligantur: homini autem nihil ad futuram ſucceſſionem, generis nobilitatem
conferre credatur: ſed tantundem valete ſiue barbaram, ſiue græcam originem? Quin
exiſtimandum latentia quædam principia & ſemina virtutis in generatione liberis cō-
municari, vt Telemacho Vlyſſis, de quo Hometus clariſſimo vocabulo vtens, dixit:

Inſtillata patris virtus tibi: Hæc Plutarchus. Quæ ſanè appoſitè indicauerat: Euripides
cum diceret:

——— *Παισὶ γὰρ κλέος τό δε*
Κάλλιστον, ὅστις ἐκ πατρὸς χρηστοῦ γεγὼς, ex Stob. p.734.m
Εἰς ταυτὸν ἦλθε τοῖς τεκοῦσι τοὺς τρόπους. 625

hoc eſt ——— *Hæc enim liberis eſt gloria*
Pulcherrima, ſi quis bonis parentibus natus,
Moribus eos ſimilibus referat & patriſſet.

Sed elegantiſſimè id expreſſit latinus Lyricus dum caneret,

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in Iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

De qua re aliæ propemodum innumeræ afferri poſſent bonorum teſtificationes authorum. Sed hæc ſatis in præſens.

Contraria Contra tamen illud mirificè pugnat quòd humanus animus non ex ſemine tradu-
ſententia citur, quemadmodum cæterarum animantium aut ſtirpium & arborũ anima. Ex quo
uadetur. fit vt ſtirpes atque arbores aut etiam mutæ animantes ſeminis probitatem vel impro-
I. bitatem exprimere ac referre poſſint, homines certè non poſſint. Et hinc eſt vt homo
omnium ignarus naſcatur & expers conſilij; ita vt eius mens atque animus cum tabu-
la conferri ſoleat in qua nulla reſidet imago & color nullus cum tamen belluæ in ſe-
mine tum generatoris vim quandam hauriant, illiúsque generoſitatem vel improbi-
tatem ac tanquam naturam exprimant, tum anticipatas veluti notitias & cognitionis
ſemina deriuent ex traduce. Itaque & natare ſtatim nouit canis: lupum ſibi inſenſum
agnoſcit ouis: mugitu vitulus: rugitu leunculus, cantu auis affectionem atque appeti-
tionem declarat ſuam: nec pullus a matre tãtiſper aberrat quam ſectatur, ita vt ea qui-
bus quæque animans ad conſeruationem indiget in fœtu quoquo modo anticipata
hauriat ex genitura: a quibus omnibus, quoniam humanus animus non ex ſemine aut
ſanguine traducitur (eſt enim alterius ac multò nobilioris generis) ſed a Deo procrea-
tur, abeſt homo: ac propterea pro naturalibus belluarum appetitionibus & anticipata 626
veluti notitia homini tradita eſt mens & ratio vnde ſibi diuturno ſtudio ac progreſſu
tẽporis comparet omnia: præſertim verò quòd illi aures non modò auditionis verùm
etiam diſciplinæ atque doctrinæ ſunt inſtrumenta: ita vt a parentibus quoque ac cæte-
ris mortalibus erudiri poſſit percommodè. Neque verò affirmauerim illi in ſemine
nullam planè affectionem a parentibus ingenerari (eas enim quæ inhærent in corpore
interdum communicari non inficior) ſed tantum contendo eas quæ in animo reſident
ac mente haud poſſe in ſemine aut ſanguine vno verbo per generationem ac naturali-
ter ingigni. Itaque a parentibus podagram contrahit quidem filius & morbos quoſdã:
ſapientiam verò & doctrinam aut etiã virtutes & vitia quæ electione indigent, nequa-
quam. Ex quibus omnibus conſtare ſatis poteſt perperam ad ſemen & ſanguinem cõ-
fugere illos, qui dictitant nobilitatem quæ ad dignitatem pertinet, & verò ex virtute ac
rebus præclarè geſtis duxit initium a maioribus in ſemine ac fœtu tranſmitti in poſte-
ros. Immo verò ſi id concedatur, ſpurij vel maximè eſſent nobiles vbi a claris parenti-
II. bus orirentur; & tamen ignobiles habentur. contra verò vxorem ignobilem nobilitat
vir clarus ac nobilis, cum tamen non ex uiri ſanguine ſed ignobili parente interdum
III. propagetur. quin etiám neque Principes quempiam nobilitare poſſent, cum nil minus
IV. præſtare valeant quàm vt ſanguinis, quaéque ex ſanguine tranſmitti dicitur; accedat
V. nobilitas. Falsò etiã ſapientia & virtute multò minus diuitijs pararetur aut cõſeruare-
VI. tur nobilitas. Atque hinc etiam fieret vt quæ ignobili iure nobilis nubit vxor, nullo mo
do poſſet nobilitatem amittere ſi in ſemine hanc contraxiſſet: & tamen amitti cum
plerique alij affirmãt, tum Iureconſulti ipſi, qui tamen ex traduce illam deriuant, do-
VII. cent copioſè. Atque huc etiam reuoluitur quod tum de viro tum de vxore imò verò
de quolibet homine iidem ſcribũt dum ob flagitia nobilitatem amitti aiunt. Si enim 627
ingenita eſſet & in genitura ab maioribus hauſta tantillum quidem ne labefactari poſ-
ſet, tantum abeſt vt extingueretur. Vt propterea cum nobilitas & a Principe tribui iu-
rè poſſit, præſertim vbi merita extent ac virtus, & amitti, & ingenuis per adoptionem
commu-

Digitized by Google

communicari, ſatis animaduertere liceat a maioribus non ſecus ac ſtemmata & familiæ ornamenta aut cognomenta deriuari. Atque hinc fit vt homines ad nobilitatem virtute tuendam & augendam intendantur illi quidem vbi maiorum illis nobilitas cõmemoratur & cõmendatur aut eis nobilitatis decus obijcitur; interiores illos, vel igniculos vllis vel ſtimulis qui in ſemine deliteſcant perſentiat nemo. Hæc pro altera ſententia. Quam libenter equidem ſequerer tum quia animi immortalitati plurimùm fauet, cum nobilitas animo etiam conueniat qui nil cum ſemine commune habet, præſertim quod multò ſeriùs infunditur animus quàm ſemen miniſtretur corpori: tum quia hæc ſententia cum Ariſtotelea definitione (ſi quis attentiùs æſtimet) conſentit, in qua nobilitas definitur, Maiorum dignitas quædam: hæc enim per ſe ſatis videri poteſt, extrinſecùs aduentare poſteritati & exteriùs non ſecus atque honor, fama, diuitiæ & id genus alia a maioribus in poſteros trãsferri ac propagari: tum maximè ob rationes pro

VIII.

Quid videatur statuendum.

628 hac ſententia paulò ante allatas: quæ apud me momenti ſunt maximi. Sed tamen quoniam video Iureconſultos affirmare ex traduce deriuari, & hac etiam de cauſa a pleriſque adoptiuis & ijs qui ante parentum nobilitatem geniti eſſent, denegari (quanquam qui hinc non eam ſpurijs velint nolint, concedant ipſi viderint) ſic fortaſsè philoſophari liceat. Quæ ex maioribus aut parentibus ducitur nobilitas, quæque vna hîc in medium affertur ab Ariſtotele, ea hæreditario veluti iure atque adeò ſucceſſione acquiritur. ſucceſſione inquam aut hæreditario iure non quidem ex traduce & ſemine (id enim non multò poſt aduerſus Iureconſultos exploditur vbi aduerſarijs argumentis ſatisfaciemus) ſed quia nobilitas ſeu maiorum dignitas (ſic enim vt dicebam, definitur nobilitas ab Ariſtotele) extrinſecus perinde fermè atque inſignia & ornamenta familiæ cognoménque poſteritati conſignatur. Id quod tum maximè ſtatuendum eſt cum maiores aut parentes a Principe poſt ipſorum filiorum ortum vnà cum filijs nobilitantur: vel ipſi liberi, cum eos ſanguine non attingerent, adoptantur: aut fœmina, ingenua illa quidem ſed haud nobilis, nobili nubit viro. hos enim apud antiquos parẽtis ac viri ſortem ſecutos, compertum eſt. Ita quidem fieret vt hac in re aptiùs ac fœliciùs latini quàm Græci nobilitatis vim expreſſiſſent. Græci enim bonam generationẽ deſignant τὴν εὐγένειαν qua propagationem & genituram ſignificant. Latini verò nobilem ab ea quæ in honeſtis digniſque hominibus apparet claritudo, quæque ab humilibus & obſcuris diſtinguimur, deriuaſſent appellationem. Nam nobilis apud Priſcos gnobilis dicebatur, nobilitas verò gnobilitas; quia ſcilicet notus eſſet ille & obſcuro & ignoto opp[o]neretur: hæc item nota eſſet, atque obſcuritati hominum opponeretur ac vilitati. Sic Plinius in vocis notione inſiſtens, *Artemiſio* (inquit) *aquis calidis nobilis: notior tamen marmore:* vbi ſine dubio nobilis valet notus & clarus. Et huc ſpectat illud M. Tullij pro Flacco, Dubitabitis iudices quin ab hoc ignotiſſimo Phryge nobiliſſimum ciuem

629 vindicetis? Et hinc eſt vt Hippolytus, etſi alioquin Regis filius, ignobilis dicatur a latino Poeta quod in Siluis ignotus degeret ſic enim canit

Lib. 4. cap. 12.

Solus vbi in Siluis Italis ignobilis æuum

Exigeret ——— ignobilis enim ignotum valet.

Ita quidem nobilis quod ob maiorum dignitatem & ſplendorem notus eſſet, quemadmodum ignoto opponebatur, quòd obſcuros haberet parentes, ita & clarus & illuſtris dictus eſt; atque hinc etiam orti nobili genere, claro loco, illuſtri familia, dicuntur nobiles, quemadmodum ignobilis obſcuro loco natus, ignotis ortus parentibus, dicitur. Qui mos ab Hebræis (etſi Natura ferè ipſa & communis vſus id docet) manare potuit, apud quos a ſplendore & claritudine nobiles, ab obſcuritate & tenebris ignobilitas, appellationem ſortita eſt. Atque hos ſanè quos nobiles diximus, generoſos quoque appellari poſſe crediderim. etſi enim Ariſtoteles eum viſus eſt aliquando appellare γενναῖον ſeu generoſum qui non modò a nobilibus maioribus oritur, verùm etiam ab eorum natura non degenerat (atque hac de cauſa generoſitatem ad belluas & plantas traductam ſentias quæ ſui generis exprimunt naturam & probitatem) alij contra generoſum faciunt qui antiqua nobilitate gaudet & vetuſta generis claritate; quaſi verò ea quę haud eſt nobilitas ſed paulò altiores radices egit, generoſitatis nomine exprimatur (& ideo Marius apud Saluſtium, cum ſibi nouitatem obijci audiret; generoſitatem in fortitudine poſitam dicebat; vbi generoſitatem nouæ nobilitati opponi ſeu verius præponi conſueuiſſe indicat Saluſtius) alij aliter generoſitatem comparant cum

630

nobi-

nobilitate; video tamen ab optimis latinitatis authoribus non rarò confundi. Sic M. Tullius mulieri ignotæ generoſam ac nobilem opponit virginem: ſic humilem ortum generoſo collocat è regione: & Ouidius

Quo ruitis generoſa domus? malè creditis hoſti.
Simplex nobilitas perfida tela caue.

Vbi generoſam domum & nobilem vſurpat promiſcuè. atque idem obſeruare licet dum canit de Mercurio,

Eſt quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas, Deus eſt in vtroque parente.
Sed neque materno, quòd ſim generoſior orta.

Et hac de cauſa ſentias ad plantas & belluas traduci nobilitatem, quòd ſcilicet ex bona
ſtirpe ortæ ſint: ita vt quemadmodum apud Græcos γενναῖος & εὐγενὴς confunduntur
non rarò, ita apud latinos generoſitas & nobilitas iurè nonnunquam vſurpentur pro-
miſcuè. Sed commodè fortaſſe dicuntur iſthæc (obijciet quiſpiam) verùm aduerſa-
rijs ſatisfeciſſe opus eſt; ita vt tùm pleniùs cõfirmetur nobilitatem non ex ſemine con-
trahi; tum Iureconſultis ſatisfaciat qui pugnant ac docent ex traduce deriuari. Ergo
Quomodo cõmunicetur nobilitas.
ijs ſatisfacere ac meam altiùs confirmare ſentẽtiam lubet hinc ducto initio. Duo ſunt
(quod rei noſtræ intereſt in præſentia) efficientiæ genera. Vnum naturale penitus ac
propterea neceſſarium; alterum morale quódque a neceſſitate fermè abeſſe ſolet.
Dum enim ignis verbi gratia in lignum agit, ſuum ille calorem in lignum introducit
naturaliter ac neceſſariò atque ex ligno ignem efficit. Contra verò dum Doctor verbi
cauſa candidatum promouet ad lauream, nihil in eo imprimit, nec tam naturaliter aut
neceſſariò quàm conſilio & electione ac proinde liberè agit: ita vt huiuſmodi actio ex 631
voluntate pendeat & exiſtimatione: tametſi vſu, in primis verò legis ſanctione robo-
retur. Atque hinc fit, vt candidatum ad doctoris gradum verè prouehat ille, ac docto-
rem creet atque conſtituat, ſed tamen non naturaliter & Phyſica efficientia illum ef-
ficiat doctorem. Et hoc efficientiæ genus morale dici ſolet: quod & in magiſtratus
creatione, & in filiorum adoptione, & in tabellionis conſtitutione, & in alijs huiuſmo-
di multis vſu venire ſolet; ita vt dominus ac poſſeſſor in quem transferri dominium
dicitur, morali effectione reddatur dominus. Quæ cum ita ſint, iam licet animaduer-
tere propoſitam Ariſtotelis de nobilitate ſententiam moraliter explicari ac defendi
poſſe, Phyſicè certè non poſſe. Quapropter dum obijcitur nobilitatem nullo modo
communicari poſſe fœtui & in ſanguine traduci aut ſemine, quòd alioquin ſpurijs
etiam communicaretur, id verò propoſitam ſententiam euertit funditus ſi Phyſicè
ſeu per naturalem effectionem nobilitas communicari velis; quandoquidem cum nõ
minùs ſpurius quàm legitimus naturaliter ex parentis ſemine procreetur, quid ni ſpu-
rio æquè ac legitimo conferatur nobilitas? Quod ſi fatearis morali effectione cõmu-
nicari nobilitatem, hoc eſt hominum voluntate & exiſtimatione, in primis verò legis
ſanctione & recepta conſuetudine quæ cenſet ac ſtatuit nobilis parentis filios, ſi legiti-
mè procreentur, proprij parentis nobilitatem in generatione participare ac ſibi vin-
dicare, nihil habeas cur ob ſpurios hæreas. Quin morali hac effectione quæ in ſexcen-
tis apparet, poſita & conſtituta omnes nobilitatis vias comprehendas, omnia nobilita-
tis genera tuearis ſiue ab ortu ſiue ex adoptione aut alia ratione deriuẽtur. Nam vxor
ignobilis, vtique viri nobilis acquirit nobilitatem morali effectione; tamen Phyſica,
cui locus nullus eſt, non item. Sic adoptiuus filius a parente nobili nobilitatur mora- 632
li effectione, Phyſicè nullo modo. Sic è cõtrario nobilis fœmina quæ pauperi & igno-
bili nubat, nobilitatem amittere poteſt, ſi tamen eam amittere cenſenda ſit. Eodem
modo Princeps & nobilitare quempiam poteſt, & nobilitate, vbi in Principem pecca-
rit, ſpoliare. Atque hinc fit vt nobilitas in lege, vt dicere cœperam; conſuetudine, pu-
blica & priuata exiſtimatione ſic nitatur, vt ne pater quidem aut vir nobilis poſſit le-
gitimum filium aut vxorem non cenſere nobilem. Atque hac ſanè diſtinctione &
doctrina retenta, percommodè dilui poſſunt aduerſariorum argumenta omnia. Ac
Ad I. primum ſanè (quod ex morbis, cicatricibus, & huiuſmodi alijs dicebatur) inde dilui-
tur quia iſthæc Phyſica inducuntur effectione, ac propterea iurè ex ſemine traduci di-
cuntur, nobilitas morali effectione, ac propterea non ex ſemine ſed hominum arbitrio
Ad II. & exiſtimatione, quæ vſu item ac lege roboratur. Quanquam paulò difficilius videri

poteſt

Digitized by Google

poteſt quod obijciebatur de vinolentis & ebrioſis aut mulieroſis, multóque magis de amentibus aut furioſis. Sed ebrietas & mulieroſitas inde contrahitur & deriuatur quòd a corpore propter contractum patris temperamentum libidinis ac vinolentiæ quaſi fomites & incitamenta exiſtunt vnde homo fit ad libidinem vinúmque procliuis. Ita fit vt quoniam mores & propenſiones ſequuntur fermè temperamẽtum corporis; filios in hac vitioſitate parentes exprimant. Nec multò aliter dicendum eſt de amentia aut furore. Nam humanus animus etſi incorporeus ſit ac nullis per ſe corporis affectionibus obnoxius, tamen inſtrumentis indiget dum in hoc corpore operatur: Quapropter quemadmodum ædificator verbi cauſa, ſi mendoſis vtatur inſtrumentis, mendoſum reddit opus ac monſtruoſum, ita homo, ſi malis ac deprauatis humoribus & organis in functionibus vtatur, deprauatas actiones edit & ad furorem vſque, cum atra bilis phantaſiam & mentis organa perturbet atque peruertat. Deni-
633 que vt ſanus oculus, ſi conſpicilijs prauis ac tortuoſis vtatur tortuoſas ac præpoſteras exercet functiones, ſic mens, etſi alioquin ſyncera, perturbatis organis, præſertim interioribus, peccat in vitæ officijs, ita vt interdum ad demẽtiam furorémue delabatur. Non igitur ab homine in animo contrahitur morbus ex ſemine, ſed in corpore vitioſum temperamentum transfunditur vnde animus vitioſo vtitur inſtrumẽto. Ita quidem nobilitas non in fœtu per ſemen ſed per communem æſtimationem ac legis & conſuetudinis vim participatur. Quæ cum ita ſint, non commentum ac ſomniũ erit *Ad III.* nobilitas, etſi inficiemur ſemine ac ſanguine propagari. nam morali efficientia eam propagari adhuc volumus, atque ita propagari vt hinc omnes nobilitatis formas deriuemus; cum tamen qui ex ſemine illam traducunt, vnam generis nobilitatem, nõ quæ virtute, rebus geſtis, diuitiarum ſplendore, Principis benignitate paratur, retineant. Atque hinc etiam tueri poſſumus Ariſtotelem: nobilitatem enim *Εὐγένειαν* appellat, more maiorum: in ſemine verò tranſmitti non affirmat. Eodémque modo ait, eſſe maiorum dignitatem, quod præcipuum nobilitatis genus illud maximè cenſeatur quod a maioribus tranſmittitur (quali qualitandem ratione tranſmittatur) & communicatur. Qua ratione Iuriſconſultos qui ex traduce ac ſemine deriuant nobilitatem, defendere haud poſſumus. Iam verò ea quæ ſiue ex metallis ſiue ex ſtirpibus, *Ad IV. & V.* plantis, belluis, ducebantur argumenta, friuola ſunt & præpoſtera: ea enim Phyſicè generantur & efficiuntur, ac propterea poſſunt in elementis & ſemine elementorum ac ſeminis probitatem aut vitioſitatem contrahere: ſecus de nobilitate quæ morali efficientia deriuatur; & in hominem vniuerſum, præcipuè verò in animum qui extrinſecus aduenit, inuehitur: non enim ſemine ac ſanguine ſed morali efficientia vi
634 legis & conſuetudinis atque hominum arbitratu inducatur neceſſe eſt. Tametſi per ſemen & ſanguinem deſcribuntur interdum, quaſi in ſemine & ſanguine communicentur, quòd eo fermè tempore quo fœtus ſemine formatur ac ſanguine, exiſtere incipiat, nobilitas illi ac maiorum dignitas aduentare cenſeatur. Neque verò Ariſtoteles *Ad VI.* eo conſilio dixit eſſe conſentaneum vt ex melioribus meliores, ex deterioribus deteriores naſcantur homines quòd probitatem aut improbitatem in ſemine ac fœtu vellet communicari, nam potiùs dixiſſet eſſe neceſſarium, ſi ſeminis habuiſſet rationem; ſed ita locutus eſt quòd cum probitas aut improbitas morum ex temperamento non nihil pendeat, facilè contingeret vt cum filij temperamento ſæpè parentibus eſſent perſimiles, probitatis quoque & improbitatis inde haurirent incitamenta: cum tamen reuera probitas ipſa morum aut improbitas non contrahatur in ſemine. Adde quod plurimum differt nobilitas a moribus: hi enim propter incitamenta & procliuitates magna ex parte ſequuntur temperamentum, ac propterea non rarò moribus filius reſpondet patri: nobilitas contra non ſequitur temperamentum ſed per moralem affectionem comparatur. Ita ſanè dum ait, tum Plutarchus latentia quædam principia & ſemina virtutis in generatione liberis cõmunicari, tum Homerus patris virtutem filijs inſtillari, eſto id de virtute quemadmodum diximus (licet ſæpè etiam contingat aliter) at de nobilitate ſecus accidit. Idem planè dixerim tum Euripidi, tum Flacco: nam de moribus loquuntur & fortitudine, non de nobilitate.

CONTROVERSIA XLIV.

Num opes ac diuitiæ afferãt nobilitatem

635 Venio ad alteram Controuerſiam in qua ſanè quæſitum eſt. Num opes (perplacere enim propoſitum ordinem tantiſper commutare) atque diuitiæ afferre poſſint nobilitatem. Qua in re licet non me fugiat a multis nobilitatem in diuitijs collocari, &

ab

Digitized by Google

ab opibus deriuari; ita vt prædiuitem in principis loco quin regem eſſe affirment, ac (ſi Deo placet) beatum, & vno minorem Ioue (hinc enim illud Flacci

—— omnis enim res

Diuitijs paret: quas qui conſtruxerit, ille

Clarus erit, fortis, iuſtus, ſapiens, etiam Rex.)

licet Ariſtoteles etiam a multis dicatur nobilitatem a diuitiis deriuaſſe, tamen, quoniam niſi bonus vſus accedat; ita vt vſu ſplendeant; ſordidæ ſunt, hæc mihi ſententia non probatur. video enim pecuniæ ſtudium illiberale cenſeri ac ſordidum, ac pecunioſos, niſi ſplendidè, ſiue honeſtè vtantur diuitijs, ſordidos haberi & appellari; ita vt liberalitas veriùs, & animi magnitudo, quæ illarum vſu declaratur, nobilitatem conciliare poſſint, & momentum habere ad beatam vitam, quàm diuitiæ ipſæ. Et eâdem de cauſa vetuſtis etiam diuitijs hanc laudem denegarim niſi honeſto ſplendeant vſu. Quapropter licet plus aliquid tribuerim antiquis diuitijs, quàm nouis, Ariſtoteli etiã conceſſerim antiquas diuitias eſſe minùs inuidioſas, ac melioris conditionis quàm nouas, nunquam tamen conceſſerim aptas eſſe vnde nobilitas adhuc deriuetur; idque etiam ſi bonis artibus partæ ſint. nam qui honeſto aliquo ſtudio, & nobili induſtria eas comparauerit, vt Iuriſconſultus aut Dux, erit quidem cur æſtimetur, ſed non tam ob diuitias, quàm ob induſtriam & virtutem qua illas parauit. Quapropter conceſſerim quidem Ariſtoteli nobilitatem ab antiquis diuitijs & virtute deriuari, ſed tamen illud etiam contendo diuitias ſine virtute obſcuras, cum virtute ſplendidas, eſſe, ita vt a virtute in primis hoc eſt honeſto illarum vſu, manet claritudo. Ac propterea etiam dum ſcribit, neque diuitias, neque bonos, ſed qui vetuſtis diuitijs, aut antiquis bonis orti ſunt nobiles eſſe dicendos, id verò ſi iſthæc, diuitiæ inquam & probitas, coniunctæ ſint, non ægrè conceſſerim: de diuitijs, quæ a probitate ſeiunctæ ſint, nullo modo; nam ſine virtute poſſunt quidem tumorem ac ſuperbiam alere, non nobilitatem gignere. itaque iurè Flaccus 636 *lib.4.Po lit. c.4. & lib.5.*

Licet ſuperbus ambules pecunia

Fortuna non mutat genus

Denique Ariſtoteles hoc in loco in quo diſiunctim loquitur, ac tum a virtute tum a diuitijs maiorum deriuari ait nobilitatem, loquitur de maioribus qui clarauerint diuitijs, quod ſine ſplendido vſu & bono, haud contigerit. Hæc de diuitijs, quas ſine virtute, aut ſordidas & illiberales, aut profuſas ac tumoris plenas, conſtat eſſe. ita vt populariter loquantur ij qui has virtuti è regione collocant, aut a diuitijs perinde atque a virtute nobilitatem ſtatuunt propagati.

CONTROVERSIA XLV. Num ab vna matre communicari poſſit nobilitas.

Quod pertinet ad vxorem, a qua ſi nobilis ſit, filijs nobilitatem ait Ariſtoteles communicari, tametſi vir careat nobilitate, equidem non facilè aſſenſerim. cum enim vir ignobilis non nobilitetur ab vxore nobili (id quod Plutarchus cõnubij præceptis diſſerit luculentè) ægrè videatur ab eâdem filius nobilitari quin etiam cum tanta ſit vis ignobilitatis in viro, vt vxor nobilis quippe quæ viri conditionem ſequitur, ignobilis euadat ſi ignobili copuletur (quod ſanè de Virginea Patritia puella, quæ plebeio nupſit teſtatur Liuius) quî obſecro ignobili viro copulata, ac nobilitate ſpoliata nobilem gignat filium? Imò verò, tametſi vxor ignobili copulata viro paternam retineret nobilitatem, adhuc impoſſibile eſſet quæ liberis nobilitatem communicaret ſuam, cum liberi patris conditionem ſequantur, & eius inſignia cognomẽque (niſi fortè ambitioſiùs aliquis matris cognomentum adamet) & ſtemmata non ſecus ac hæreditatem accipiat. vt propterea cum filius patris ignobilis, haberi ignobilis ſoleat quantumuis nobilis ſit mater, mirum ſit Ariſtotelem in hanc ſententiam deſcendiſſe. quamuis enim non inficior filium, ſi ad paternam nobilitatem matris accedat nobilitas, nobiliorem habendum, vbi tamen paterna nobilitas requiritur, vix ac ne vix quidem inter nobiles perconſeatur. Denique vbi perfecta quædam atque omnibus numeris abſoluta requiratur nobilitas quę in muneribus quibuſdam aut dignitatibus interdum exigitur, ſanè materna quoque eſt neceſſaria; ſed quæ tamen ſine paterna momentum habeat nullum. A matre verò tum demum perfectam hanc nobilitatem aſſequitur filius, cum illa non ſolius viri nobilitatem contraxerit verùm etiam nobili ſanguine orta ſit. ita vt antequam nuberet nobilis cenſeretur. Ac talis ſanè matris nobilitas in ijs requiritur qui vel in Hieroſolymitanum ordinem, vel in 637

ſplendida

638 ſplendida Collegia quædam doctorum cooptantur aut præclara quædam exercent munera prout in multis Vrbibus conſuetudine receptum eſt. Seu excuſari forſitan Tiraq. p. poteſt vtcumque Ariſtoteles, quia & Herodotus (vt nil non a regula deflectit interdum) & Polybius & Plutarchus populos quoſdam enumerant apud quos filij matris 86. originem ſequerentur, atque id fortaſſe quòd maternum genus certiſſimum ſit, paternum poſſit eſſe incertum. id quod apud Hiſpanos quoque introductum fermè audio, apud quos multi matris & inſignia referunt, & cognomentum: denique ſi illud verè enunciatur partus ſequitur ventrem, quidni hac de cauſa poſſe nobilitatem ſequi ventrem, ac maternum genus? Illud tamen in Ariſtotelem vrgeat quiſpiam cur dixerit vel tanquam certum ſumpſerit poſſe aliquem a matre nobilitari, idque licet pater non eſſet nobilis, cum fœmina nobilitatem amittat, cum nupſerit ignobili. Sed cenſuit fœminam nobilem non amittere nobilitatem, quantumuis ignobili nubat viro. quid enim aut aliena culpa aut ſors nubenti adimat nobilitatem quam & ab ortu acceperit, & vitæ honeſtate conſeruarit? Quamquam fieri quoque poteſt vt aliquando fœmina filio tranſmittat nobilitatem, quamuis nupſerit ignobili viro. Si enim illa a parentibus cum nobilitate dominatum acceperit, vt paſſim euenit maribus deficientibus, ac propterea populis, ſiue multi ſint, ſiue pauci, imperet, ſanè hæc filio tranſmittet nobilitatem quantumuis nupſiſſet ignobili. Tametſi fatendum quoque erit virum, quem ad principatum euehit, nobilitare, ita vt talis fœmina & viro & filio communicet nobilitatem. Sed huc haud ſpectauit Ariſtoteles (opinor) dum diſiunctim loqueretur.

PARTICVLA LXXXIX.

639 ΕΥ᾽ τεκνία δὲ καὶ πολυτεκνία, οὐκ ἄδηλα. ἔστι δὲ τῷ κοινῷ μὲν εὐτεκνία, νεότης ἂν ᾖ πολλὴ καὶ ἀγαθή. ἀγαθὴ δὲ κατ᾽ ἀρετὴν σώματος. οἷον μέγεθος, κάλλος, ἰσχὺν, δύναμιν ἀγωνιστικήν. ψυχῆς δὲ, σωφροσύνη καὶ ἀνδρεία, νέου ἀρεταί.

Riccobonus. BOna proles verò, & multa proles, non ſunt incerta. Eſt autem in communi quidẽ bona proles, ſi iuuentus ſit multa, & bona. Bona verò ex virtute corporis, vt magnitudine, pulchritudine, robore, facultate certandi. Quod ad animum attinet temperantia, & fortitudo iuuenis ſunt virtutes.

Maioragius. *BOna verò proles, & multitudo filiorum quid ſit, omnibus notum eſt. Atque in Republica bona proles eſſe intelligitur; cum multi boníque iuuenes in ea fuerint; & bona dicitur vel ex virtute corporis, vt, cum magnitudinem, pulchritudinem, vires, certandi robur habet; vel ex virtute animi; nam temperantia, & fortitudo iuuenis virtutes ſunt.*

QVæ ſecundo & tertio loco ac ſtatim poſt nobilitatem numerauerat bona, nimirum πολυφιλίαν & χρηστοφιλίαν, multorum inquam amicitiam *Explicatur* & bonam amicitiam, in alium locum ac ferè extremũ reijcit, & εὐτεκνίαν *ſentẽtia vniuerſa.* & πολυτεκνίαν (bonam, inquam, prolem & multam prolem) quam V. & VI. poſuerat loco, illis ſubſtituit: idque fortaſſe quia hæc non minùs commodè quàm illa poſt nobilitatem numerari poſſent, & verò perſimilem (quod caput eſt) cum nobilitate haberent explicatum, quemadmodum iam iam conſtabit. Adde quòd liberi nos propiùs ac magis attingunt quàm amici: ita vt meritò de prole prius diſſerat quàm de amicis; cum ad benè beatéque viuendum (ſi Naturam ducem ſequamur) plus aliquid liberi, quàm amici conferre ſoleant. Nam iure multam ac bonam prolem in eo requiri qui perbeatus cenſendus ſit iam antea docuimus. cum enim vndeuiginti illa bona enumerarem, oſtendi orbitatem in ciuili vita calamitoſam videri: contra verò multam ac bonam prolem, in qua quodammodo reuiuiſcimus, ei diuitias, dignitatem ac proſperitatem tranſmittentes, ad beatitudinem referri. At igitur bona proles ac multitudo prolis quid ſit nõ eſſe incertum

640

ſed

Digitized by Google

ſed perſpicuum. Quod monet (opinor) vt ne illorum definitionē aut deſcriptionem requiramus, cum ſat ſit ſubiectam illis nominibus notionem planam eſſe atque perſpicuam. Eò igitur ſeſe conuertit vt potiùs eas diſtribuat bipartitò, nimirum in publicam & priuatam, quemadmodum diſtribuerat nobilitatem. ita vt iam apparere incipiat ſimilem cum nobilitate habere explicatum. Publicè igitur ſiue τῷ κοινῷ in communi bonam prolem eſſe ſtatuit cum multi boníque iuuenes fuerint, in Republica ſcilicet ac Ciuitate. Quibus addit bonam dici propter dotes ſeu virtutes, tum corporis, quas enumerat magnitudinem, pulchritudinem, robur, vim ac facultatem certandi; tum animi, quas ait in iuuene eſſe temperantiam & fortitudinem. Hæc in præſens
Dubitatur. I. Ariſtoteles. Vbi quatuor licet dubitare. Ac primùm quia nobilitatem aliam eſſe publicam, aliam priuatam, compertum eſt: Sed liberos & prolem aliam eſſe publicam, aliam priuatam, quod hic apertè ſtatuit vel tanquam certum arripit Ariſtoteles, vel obſcurum vel turpe videri poteſt. Certè Spartani qui in communi alerent filios ita vt 641
nemo ſciret dignoſcere prolem, Plato etiam qui in ſua Republica eandem ferè ſecutus eſt prolis alendæ inſtituendæque rationem, ab Ariſtotele in Politicis reprehenditur.
II. Deinde quæ bona attribuerat corpori & ſeorſim numerat a bonis fortunæ, nunc rurſus partes facit bonæ prolis quam inter bona fortunæ numerauerat, ita vt hæc bona
III. mirificè confundere videatur huc illuc ea proferens. Huc accedit quod cum duo bona commemoraſſet nimirum, bonam prolem ac multam prolem, ac propterea de vtraque dicendum eſſet tam publica quā priuata, publicè hactenus niſi bonam prolem non declarauit multam prolem prætermittens. Quanquam illud hac in re maiorem parit dubitationem quòd bonam prolem per iuuentutem multam & bonam explicauit, ita vt bona proles partim ſe ipſa, partim re aliena ac longè diuerſa declaretur: bona enim iuuentus recidit in bonam prolem, multa verò ab hac aliena eſt: ita vt explicatio ſit præpoſtera. Poſtremum aliæ quoque iuuenem decent virtutes præter temperantiam & fortitudinem, vt iuſtitia, multò verò magis liberalitas quæ cum iu-
IV. uenis natura multò magis conſentit quàm temperantia. Hæc aduerſus Ariſtotelem in propoſita Particula. Denique tum valetudinem omiſit quæ maximè requiritur in iuuentute ac magis requiritur quàm pulchritudo, tum robur ac fortitudinem iteratò memorat cum rurſus fortitudinem in eadem exigat iuuētute. Sed reſpondeo tamen, 642
Reſpondetur. *Ad I.* publica dicitur bona proles quòd publico vſui, hoc eſt amicis, Reipublicæ ac Patriæ ſeruiat. Neque enim filij ea tantùm de cauſa generantur vt parentibus priuatim ac domui, ſed publicè etiam ciuibus proſint ac patriæ. Itaque præclarè (vt ſæpiſſimè ſolet) M. Tullius, *Non nobis ſolùm nati ſumus, ſed ortus noſtri partem Patria vendicat, partem amici*. Atque hinc ſanè factum eſt vt olim leges plurimùm ijs fauerent qui multam procreaſſent prolem: certè multas prærogatiuas tum apud Græcos tum apud Romanos huiuſmodi parentibus conceſſas legimus. Contra etiam eos mulctatos audias qui vel negligerent matrimonium nec liberis operam darent. de qua re lege Platonem in libro IV. de legibus, Plutarchum in Lyſandro, Gellium libro I. capite VI. & Iuſtinianum libro I. inſtitutionum cap. XXV. vbi eos etiam qui pro patria occubuiſſent liberos, inter filios, quaſi viuerent iuſſit numerari ac parentibus prærogatiuā conſeruare. Ita quidem & honeſta & verò non obſcura videri debet propoſita ſententia. Eo au-
Ad II. tem conſilio ab initio bona illa corporis enumerauerat Ariſtoteles, vt conſtaret quæ corporis bona in eo requirerentur quem perbeatum exiſtimaret: hîc verò eadem rurſus enumerat quòd proli etiam ſint neceſſaria vt bona ſit. Ita quidem conſideratione varia enumerantur iterum atque huc illuc referuntur. Quòd ſi bonam prolem bonæ
Ad III. iuuentutis declarat nomine, iam quoniam proles ætate manat quam latiſſimè, hinc declarat qualem planè optet bonam prolem, atque illam in iuuentute exigit: & verè in primo ſeptennio imbecilla eſt & inutilis: in ſecundo poteſt aliquid vtilitatis afferre ſed exiguam illam quidem: perueniat igitur ad iuuentutem, quæ a tertio ſeptennio ducit initium, ac Reipublicæ multas ac magnas vtilitates afferre poterit. Ac profectò iuuentus eſt flos ætatis, ita vt quem Ver in anno obtinet locum, hic iuuentuti in ætate concedatur. Vnde illud Periclis. tollere iuuentutem ex Vrbe aliud eſſe nihil quàm Ver ex anno præcludere. Qui igitur per bonam prolem iuuētutem bonam interpretatur, florem ac perfectionem prolis acutè non perperam interpretatur. Crediderim tamen omnino librarij vitio factum vt deſideretur καὶ πολυτεκνία, ita vt quemadmodum di- *1. Rhet. c.7. & li. 3. cap. 10* 643

xerat

xerat & εὐτεκνίαν καὶ πολυτεκνίαν ἐν ἰδίᾳ, ita ad vtriuſque boni declarationem pergens ſequatur ἔστι δὲ τῷ κοινῷ μὲν εὐτεκνία καὶ πολυτεκνία: nam cum è veſtigio vtrunque declaretur quemadmodum vtrunque fuerat declarandum & εὐτεκνία in bona iuuentute collocetur, quis non videt vocem illam per incuriam fuiſſe prætermiſſam? ita quidem non confundit explicatum ſed bonam iuuentutem ad bonam prolem, multam iuuentutem ad multam prolem, refert acutè & appoſitè. Ex quo etiam fit vt non minùs multam prolem publicam quàm bonam prolem publicam explicauerit. Nam per εὐτεκνίαν intelligi etiam πολυτεκνίαν (quod aſſeuerat Victorius) faciliùs dici potuit quàm probari: vel certè niſi exemplis confirmetur, atque eodem planè modo locutum Ariſtotelem oſtendatur, cohibenda eſt aſſenſio. Sed de hac voce fortaſſe infra *Ad IV.*
explicatiùs. Ad extremum fateor alias quoque virtutes decere iuuenem & inter has liberalitatem eſſe præcipuam. Nil enim turpius auaritia ac ſordido animo in iuuene. Sed tamen Ariſtoteles eas virtutes commemorat quibus maximè iuuenis tum ſibi prodeſt tum Reipublicæ: Reipublicæ quidem, fortitudinis virtute; ſibi, temperantia vel maximè; cum hinc iuuenilem ætatis æſtum magno cum bono moderetur, gloriam inſuper referens: cum enim temperantia iuueni ob ſanguinis ac iuuentutis æſtũ ſit ardua, fit ſanè vt ſibi imperare ſit præclariſſimum. Ita quidem virtutes magis & arduas & vtiles enumerauit: his contentus quòd in iuuene vniuerſus virtutum chorus
644 optandus ſit magis quàm ſperandus. Adde quod cum temperantia domi, fortitudine foris, prodeſſe poſſit, illam pacis officijs exercens, hanc militiæ, hæ duæ virtutes in iuuene per quam vtiliter requiruntur. Certè Plato Reipublicæ cuſtodem ſic inſtituit in ſua Republica, vt erga hoſtes ferocem ac fortem, in ſuos mitem ac moderatum eſſe velit. Et hac etiam de cauſa geminam in eo naturam requirebat, iracundam ſcilicet ac philoſophicam: illam quòd fortitudinem pareret, hæc quia moderationem ac temperantiam afferret. Hæc ad propoſitas dubitationes. Nam fortitudinem longè differre a corporis robore & facultate certandi, ac propterea non iterari, inde conſtat, quòd fortitudo ſit moralis virtus, & ad animum pertineat, ita vt cum imbecillitate corporis etiam conſentiat: robur corporis nil ad animum & virtutem, ita vt nobis commune ſit cum belluis. denique facultas certandi corporis exercitatione paratur, fortitudo rerum terribilium contemptu, & exercitatione animi. Sed iam ad priuatam εὐτεκνίαν & πολυτεκνίαν deſcendamus.

PARTICVLA XC.

Ἰδίᾳ δὲ εὐτεκνία, καὶ πολυτεκνία τὸ τὰ ἴδια τέκνα πολλὰ καὶ τοιαῦτα εἶναι καὶ θήλεα καὶ ἄρρενα. θηλειῶν δὲ ἀρετὴ σώματος μὲν, κάλλος καὶ μέγεθος. ψυχῆς δὲ, σωφροσύνη, καὶ φιλεργία ἄνευ ἀνελευθερίας. ὁμοίως δὲ καὶ ἰδίᾳ καὶ κοινῇ, καὶ κατ᾽ ἄνδρας καὶ κατὰ γυναῖκας δεῖ ζητεῖν, ἕκαστον ὑπάρχειν τῶν τοιούτων. ὅσοις γὰρ τὰ κατὰ γυναῖκας φαῦλα, ὥσπερ λακεδαιμονίοις, σχεδὸν κατὰ τὸ ἥμισυ οὐκ εὐδαιμονοῦσι.

Riccobonus. PRiuatim autem bona proles, & multa proles eſt, ſi proprij liberi multi ſint, & tales ſint tùm fœminæ, tùm mares. Fœminarum verò virtus eſt, ſi ſpectetur corpus, pulchritudo, & magnitudo; ſi animus, temperantia, & ſtudium operis ſine ſordibus. Similiter autem tùm priuatim, tùm communiter & in viris, & in fœminis oportet quærere, vt vnumquodque inſit ex his. Quibuſcun-
645 que enim quæ ad fœminas pertinent, vitioſa ſunt, vt Lacedæmonijs, fermè ex dimidio non ſunt felices.

PRiuatim autem bona proles, & multitudo filiorum intelligitur; cumque quis mul- Maioragius.
tos, & huiuſmodi virtutibus instructos habet filios, & mares, & fœminas. Fœ-
minarum virtus in corpore, venuſtas, & magnitudo eſt: in animo temperantia, &
ſedulitas, ſtudiúmque ſuorum operum, modo tamen ne incidat in illiberalitatem.
Similiter autem & priuatim & publicè, & in viris & in mulieribus, vt hæc ſingu-
la ſint, ſtudere oportet, nam quæ impudicas habent mulieres, vt Lacedæmonij, di-
midia ferè felicitatis parte carent.

ALterum, priuatum inquam, explicat genus εὐτεκνίας & πολυτεκνίας, bonæ inquam & multæ prolis, quemadmodum priuatam quoque nobilitatem poſt publicam declarauerat. Atque hinc etiam licet coniectare publicam πολυτεκνίαν, in ſuperiore particula non minùs quàm εὐτεκνίαν fuiſſe declaratam; ita vt vox illa deſideretur librarij culpa. Ait igitur priuatim tunc bonam prolem & multam prolem alicui contingere cum & multos habeat liberos & mares ac fœminæ tales ſint; fortaſſe boni, intelligẽs. Niſi enim illud καὶ τοιαῦτα εἶναι, ad ea quæ de probitate dixerat, referas, non habeas vnde doceas bonam prolem fuiſſe oſtenſam. Nam cum diceret priuatim bona proles & multa proles eſt ſi priuati liberi multi ſint, par erat vt doceret quomodo item boni ſint: Et ideo Maioragius illud καὶ τὰ τοιαῦτα vertit *huiuſmodi virtutibus*. Quanquam (vt 646
verè fatear) licenter nimis: verba enim liberiora ſunt relinquenda prout græcè iacent, ſententia deinde ex verbis eruenda in Commentarijs: alioquin non rarò (præſertim in ſubtilioribus abſtruſiſque rebus) tua te fallat ſententia. Id quod ſine dubio in præſens accidit Maioragio: cui enim nitatur vox τοιαῦτα, ſiue ad quæ referatur? ſi enim iam tum dixiſſet ἀγαθὰ, vel quid ſimile, rectè fortaſſe: ſed cum, ἀρετὰς commemoraſſet (ídque multò antea) certè τὰ τοιαῦτα ad virtutes referri haud poſſunt. Itaque vel pro καὶ τὰ τοιαῦτα, licenter reponendũ καὶ ἀγαθὰ (id enim caderet percommodè vt non ſolùm πολυτεκνία verùm etiam εὐτεκνία declararetur) vel certè Ariſtoteles inſiſtit adhuc in πολυτεκνία, pergénſque docet hanc in fœminis etiam requiri, ita ut nil nouandum, ſit, ac verba pro ut iacent exponenda, quaſi diceret καὶ τοιαῦτα, ſcilicet εἶναι πολλὰ, & in fœminis (id quod in publica non attigimus) & in maribus requirimus. Ita quidem virtutem præclatáſque dotes requirit etiam in fœminis. Tametſi quoniam ſtatim potuiſſet quiſpiam ſciſcitari in quo tandem poſitæ ſint præclaræ fœminarum dotes, cum ſatis conſtet nec viri robur ac fortitudinem aut etiam certandi facultatem in illis requiri, docet quas ſiue in corpore ſiue in animo exigat virtutes, aitque fœminarum virtutem in corpore eſſe pulchritudinem & magnitudinem, in animo temperantiam ac φιλοεργίαν, ſtudium operis inquam, ſeu ſedulitatem, ſed ſine
illiberalitate. Vbi magnitudinem ſicturſus requirit in corpore vt eam more maio- 647
rum ſeiungat a pulchritudine; alioquin vbi propriam de pulchritudine refert ſententiam, magnitudinem neceſſariam ſtatuit pulchritudini. Temperantiam verò & honeſtatem ideo requirit in muliere quòd hæc præcipua ſit illius virtus, & ſine qua cæteræ virtutes in fœmina aut nullæ aut ocioſæ videri poſſint. Idem ferè de philoergia ſeu operis ſtudio: nam reuera viri, eſt parare diuitias, fœminæ has tueri & cuſtodire: quanquam eiuſdem quoque eſt induſtriam lanificio aut conſimili opere domi exercere vnde res familiaris non conſeruetur modò ſed augeatur. Quanquam prouidendum eſt ne in ἀνελευθερίας incidat ſeu illiberalitatem. Quod monet (opinor) quia ſat ſciret fœminas, quippe quæ minùs habent caloris ac roboris quàm viri, plus paulò ad illiberalitatem eſſe procliues: nam hac de cauſa ab Euripide muller vocatur auarum hominum genus. Iam verò quoniam eò diſputando perueneꝛat vt in fœminis etiam corporis atque animi virtutem priuatim exegiſſet, hinc occaſione arrepta, monet non priuatim ſolùm verùm etiam publicè intereſſe vt non ſolùm maribus ſed fœminis etiam inſint propoſitæ virtutes. Id quod Lacedæmonijs exprobrat quod pertinet ad mulierum intemperantiam. Cum enim ijs impudicitiam permitterent, fiebat vt ipſi Lacedæmonijs dimidia beatitudi-

nis

nis parte propemodum carerent. Hæc Ariſtoteles in hac particula. In qua ta-
648 men tres ſeſe offerunt dubitationes. Prima eſt cur Ariſtoteles dum priuatam *εὐτεκνίαν* *Dubitatur. I.*
& *πολυτεκνίαν* explicandas proponeret atque has in fœminis etiam exigeret, geminã
illam *εὐτεκνίας* virtutem explicauerit quidem in fœminis, docens quæ ſint in illa vel
corporis vel animi bona: in viro nõ item: Sed in vno *πολυτεκνίαν* declarauerit tantùm. *Reſpondetur.*
Sed breuiloquentiæ ſtudioſus author non explicauit priuatam, *εὐτεκνίαν* in viro quòd
quam publicè deſcripſiſſet, eandem & requireret priuatim, & a nobis ſuppleri vellet.
Quòd ſi multam prolem priuatim quoque deſcribit in viro, id facit vt inde cætera in
maribus ex ordine ſuppleremus, ne eadem ſibi omnia iterare neceſſe eſſet, ſed liceret
ad fœminas properare quod fecit, dotes quas in illis requireret ſubiungens. Nam per
εὐτεκνίαν quam paſſim diſtinguit a polytecnia, hîc *πολυτεκνίαν* quoque deſignare at-
que complecti, ne iuranti quidem Victorio crediderim. neque enim is eſt Ariſtoteles
qui tam licenter improprijs vtatur vocibus, ſed ſignificantes vſurpat ac proprias. vt
omittam vno eodémque in loco, niſi nos decipere voluiſſet, non potuiſſe tam variè
εὐτεκνίαν vſurpare, præſertim vero quia cum ſtatim ab initio monuiſſet iſtarum vocũ
notiones eſſe perſpicuas, eas diuerſa vſurpaſſet ſignificatione, turpe fuiſſet eaſdẽ mox
ferè confundere ac permiſcere: atque eò magis quòd ſupra *εὐτεκνίαν* & *πολυτεκνίαν* pro
duabus beatitudinis partibus recenſuerat. Ita vt quantumuis *εὐτεκνίαν* pro fœcundi-
tate neſcio quomodo vſurpaſſet aliquis, (ſi tamen verè vſquam vſurpauit) non tamen
ſummam verborum proprietatem adamanti Ariſtoteli id ſit tribuendum. Altera eſt *Dubitatur. II.*
num filiorum multitudo ad beatitudinem verè pertineat: quandoquidem legimus
Priamum qui hac de cauſa perbeatus videri poterat, in ſexcentas calamitates incidiſſe,
ac miſerum & calamitoſum deceſſiſſe. Neque eſt quòd probitatem liberis defuiſſe
cauſeris: nam populari more non defuit, præſertim ſi Paridem vnum exceperis. Nec
diſſimilem calamitatem apud Virgilium aut Euandro aut Mezentio attulit fortiſſi-
morum mors filiorum: ſed hanc in primis Phorci attribuas ſi liberorum qui & multi
& fortes fuere, ſtragem viderit. Certè heroicus Poeta noſter inde ad ſummam cala-
mitatem Latinum parentem deduxit, quòd ſub eius oculis quinque generoſi ac ſtre-
nui eius filij a Solimano interfecti ſint. Sed humanam fœlicitatem deſcribit Ariſtote- *Reſpondetur.*
les quæ labefactari poſſit ac minui, interdum etiam euerti funditus, præſertim ſi po-
pulariter æſtimetur. Itaque ſat ſit eum qui populariter beatus ſit, prole multa cumu-
649 landum, ex qua niſi luctuoſus euentus conſequatur, miram capiat ſuauitatẽ. Id quod
feciſſet Priamus niſi Paridis obfuiſſet libido. Hæc tamen proſperitas de Q. Metello
Macedonico prædicatur qui ob ſeptem liberorum fœlicitatem perbeatus viſus eſt
apud Romanos, præſertim verò quia multos filios & conſulares vidit & triumphales,
quemadmodum ſcripſit M. Tullius. tametſi prolixius totam hanc rem proſequitur
Valerius Maximus libro VII. capite II. quem locum quoniam præclarè in Metello ex-
primit quod volumus, deſcribere lubet. Videamus (inquit) quot gradibus beneficio-
rum Q. Metellum a primo originis die, ad vltimum vſque fati tempus nunquam ceſ-
ſante indulgentia, ad ſummum beatæ vitæ cumulum perduxerit. Naſci enim in vrbe
terrarum principe voluit, parentes ei nobiliſſimos dedit: adiecit animi rariſſimas do-
tes, & corporis vires, vt ſufficere laboribus poſſet, vxorem pudicitia & fœcunditate cõ-
ſpicuam conciliauit. Conſulatus decus, imperatoriam poteſtatem, ſpecioſiſſimi triũ-
phi prætextam largita eſt: fecit, vt eodem tempore tres filios conſulares, vnum etiam
cenſorium, duos triumphales, & quartum prætorium videret, vt tres filias nuptui da-
ret, earúmque ſobolem ſinu ſuo exciperet: tot partus, tot incunabula, tot viriles togæ,
tam multæ nuptiales faces, honorum, imperiorum, omnis denique gratulationis
ſumma abundantia, cum interim nullus funus, nullus gemitus, nulla cauſa triſtitiæ.
650 Cœlum contemplare, vix tamen ibi talem ſtatum reperies. quoniam quidem luctus
& dolores, deorum quoque pectoribus, a maximis vatibus aſſignari videmus. Hunc
autem vitæ actum eius conſentaneus finis excepit. Nam Q. Metellum vltimæ ſene-
ctutis ſpacio defunctum, lenique genere mortis, inter oſcula complexúſque chariſſi-
morum pignorum extinctum, filij & generi humeris ſuis per vrbem lato rogo impo-
ſuerunt. Hæc Valerius. Quanquam an audiendus quoque eſſet Gellius ac Plinius.
Sed ne longum faciam tu, illos ſi lubet conſulito. Poſtrema dubitatio eſt, num verè *Dubitatur III.*
Lacænarum mores ij eſſent vt turpitudinem referrent ac libidinem quemadmodum

indicat Ariſtoteles tum hîc tum in libro V. Politicorum capite VII. Nam Plutarchus in Laconicis inſtitutis id alacriter pernegat. Sed tamen Plato Ariſtoteli faueta quoad verbum Ariſtoteles ſententiam tranſtulit ſuam. Plato enim libro V I I. de Legibus cũ de Lacænis loqueretur, Perfectum, inquit, officium a Legislatore eſt requirendum, vt ne mulieres ſinat delicijs diffluere, ac pro duplici ciuitatis fœlicitate, quæ ex maribus & fœminis oritur, reponat ſimplicem. En Platonem Lacedæmonijs ſimplicem beatitatem quam Ariſtoteles appellar, attribuere. Quin id quod de mulierum officio ſcribit irem Ariſtoteles quas iubet temperantiam colere', ac domeſticis operibus ita ſedulas eſſe vt ne illiberales videantur, eo planè in loco a Platone ſtatuantur quas iuber tum impudicitiam vitare ac temperantiam colere, tum per otium curare lanificium ac ſolertem vitam ducere, ita tamen vt abiecta non ſit. Tametſi Plato videtur Virgines ad militiam quoque exercere, quod Ariſtoteli haud placuit.

Reſpondetur.

PARTICVLA XCI.

Πλύτυ δὲ μέρη, νομίσματα, πλῆθος γῆς, χωρίων κτήσεις. ἔτι δὲ ἐπίπλων κτήσεις, καὶ βοσκημάτων καὶ ἀνδραπόδων πλήθει καὶ μεγέθει καὶ κάλλει διαφερόντων. ταῦτα δὲ πάντα, καὶ ἀσφαλῆ καὶ ἐλευθέρια καὶ χρήσιμα χρὴ εἶναι δηλονότι. 651

Diuitiarum partes ſunt, nummi, multitudo terræ, locorum poſſeſſiones, & pecorum & ſeruorum, qui multitudine & magnitudine & pulchritudine excellant. Hæc autem omnia & ſecura & liberalia, & vtilia oportere eſſe manifeſtum eſt. *Riccobonus.*

Diuitiarum partes, ſunt pecunia, prædiorum multitudo, regionum poſſeſſiones; & præterea ſupellectilium copia, & pecudum, & ſeruorum: quæ res multitudine, & magnitudine, & pulchritudine excellant; & omnia ſecura, liberalia, & vtilia ſint. *Maioragius.*

QVarto igitur loco diſputat de diuitijs: quid ni enim hoc faciat, cum eas inter bona numeraſſet quibus continetur beata vita? Ac verè eæ ſunt quibus homo cum ſibi tum amicis ac patriæ opitulatur, ita ut iurè opes etiam dicantur. Quin etiam ciuili vitæ (huius enim deſcribit beatitudinem) diuitiæ non modò ſunt opportunæ ſed neceſſariæ, quẽadmodpm ex ijs conſtare ſatis poteſt quæ iamdiu de pecuniarum apparatu diſputauimus. Quod ſi interdum obeſſe ſolent, ita ut calamiroſæ a multis ac funeſtæ dicantur, id verò non tam diuitijs quàm eorum qui abutuntur aut illas malis artibus parant, improbitati acceptum eſt referendum. Denique hoc pacto etiam ſcientiam, ingenium, eloquentiam culpare poſſis. Quanquam interim virum beatum ſic fingimus vt prudentia quoque ac virtute præditus ſit: ita ut aburi diuitijs nequeat. Quoniam igitur quarto loco eas enumerauerat, & inter fortunæ bona numerauetar, quarto loco & inter fortunæ bona de illis agit. Quanquam eas ibi polyphiliæ & chryſtophiliæ ſubiecerat, hîc eutecniæ & polytecniæ. Quod miretur facilè quiſpiam vel quia non eundem habent cum bona aut multa prole explicatum, vel quia fluxæ ſunt & caducæ, ita ut minùs quàm πολυφιλία aut χρυσοφιλία æſtimandæ & propterea ad poſtremum locum reijciendæ eſſent. Itaque magnopere ſuſpicor Ariſtotelem libenter in dictis bonis repetendis diſſimulaſſe ſtudium atque ordinem variaſſe, quòd videret parum intereſſe priùs ne an poſteriùs declararentur. forſitan etiam prout in mentem recurrebant, in-

ter

Digitized by Google

ter ſcribendum harum' partium naturam declarabat, nec ad ordinem quo propoſi-
tæ eſſent oculum referebat. Et hac fortaſſe de cauſa factum eſt vt cum inter ea bona
numeraret valetudinem, deinde eam prætermiſerit, quod ſanè haud ei contigiſſet ſi
ad ſingula bona prout propoſita fuerant & exarata, oculum mentémque retuliſſet.
Ac profectò ſatis videri debet tria illa bonorum genera, fortunæ, corporis, animi ſic
explicaſſe vt ad ſuum quæque reiecerit genus. Niſi tamen adhuc ordinem inde tuea-
ris quòd cum multa prole cumulaſſet eum qui per beatus futurus eſſet, iam diuitijs
quoque eſſet cumulandus vnde ingentem prolem aleret ac liberaliter ſuſtentaret. Ita
652 quidem quemadmodum iurè nobilitati εὐτεκνίαν & πολυτεκνίαν, ſic his diuitias meritò
ſubiecisſet. Enumerat igitur diuitiarum partes quas ait eſſe numos, multitudinem ter
ræ, locorum poſſeſſiones, ſupellectiles, pecora, denique ſeruos. Vbi tum rebus anima
præditis tum ex partibus diuitias conſlat, ex quibus quædam rurſus immobiles ſunt,
quædam mobiles: inter quas ſerui in primis & mobiles & anima præditi occurrunt.
Atque hanc ſanè doctrinam viſus eſt M. Tullius in II. de Officijs magna ex parte retu-
liſſe & vtrunque diuitiarum genus explicaſſe dum ſic ſcriberet. Quæ ad vitam homi-
num tuendam pertinent, partim ſunt inanimata, vt aurum, argentum, vt ea quæ gi-
gnuntur è terra, vt alia eiuſdem generis; partim animalia quæ habent ſuos impetus
& rerum appetitus. eorum autem alia rationis expertia ſunt, alia ratione vtentia. ex-
pertia rationis ſunt equi, boues, reliquæ pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid
ad hominum vſum atque vitam. Vbi eleganter ac ſcitè diuitias in ea quæ ad vitam
hominum tuendam pertinent, quaſi conuertit, nam huc maximè pertinent: niſi enim
huc primùm referantur ſed ad luxum aut ſuperbiam, vanæ ſunt. Denique earum
ſplendor tum demum probandus eſt cum adhuc honeſta hominum vtilitas retine-
tur. Iam verò Ariſtoteles illud exigit in ſeruis vt multitudine, magnitudine & pulchri
tudine excellant: atque has diuitiarum partes omnes, addit clarum eſſe & ſecuras, &
liberales & vtiles eſſe debere. Hæc in præſenti particula. Nam ſi requiras quî tandem
vtiles ſint aut ſecuræ aut liberales, id verò explicabit Ariſtotiles in particula ſequenti.
Interim cur numos primo loco numeret inter diuitias, haud obſcurum videri debet
ei qui audierit pecuniæ obedire omnia: de qua re diximus ſupra. Tametſi vbi minùs
populariter atque adeò ſubtiliter diſputat Ariſtoteles, numos ægrè refert inter diui-
tias, ſi quidem lege potiùs vnde nomen inuenerunt & vſu quàm natura pertinent ad
humanæ vitæ vſum: vbi enim lex aliter ſtatuat aut conſuetudine receptum ſit, quem-
admodum apud Iaponios atque alios quoſdam, otioſus eſt numus ac vanus. Certè
Ariſtoteles ſic ſentit libro I. Politicorum capite VI. Nam lege inuentum numũ con-
firmat libro VII. Moralium capite I. Illud tamen magnam habet dubitationẽ quòd
653 numus obſignatum metallum ſignificat ac monetam quæ quod ſigno nos admoneat
& obſignata ſit, ſic appellatur. Et tamen infectum aurum aut argentum pertinet ad
diuitias: quæ tamen numi nomine non continentur qui certa figura & ſigno conſla-
tur, quibus infectum caret aurum. pecunia igitur pro numo erat recenſenda & χρή-
ματα primo loco ſtatuenda. Sed tamen cum pecori pecunia ſucceſſiſſet, atque hæc
paulò poſt lege ac Principis voluntate ad numum & monetam reuocata eſſet in per-
mutatione rerum aut emptione, Ariſtoteles populariter rem æſtimauit & ex com-
muni vſu qui factum aurum aut argentũ adhibet emptioni, locutus eſt. Quod ſi obij-
cias adhuc in vſu eſſe ac multò magis fuiſſe Ariſtotelis tempore vt infectum quoque
aurum emptioni aut commutationi quoque adhibeatur, iam, vt Ariſtotelem tuea-
mur, eò confugere poſſumus vt dicamus infectum aurum aut argentum ad ſupelle-
ctilem eſſe reuocandum. Certè Iuriſconſulti monent factum aurum & argentum ſeu
numum & monetam non pertinere ad ſupellectilem: quod argumento eſt non obſi-
gnatum ſeu infectum aurum poſſe & verò debere inter ſupellectilem recenſeri. Sed
ſint iſta. At quî prædiorum ſeu agrorum multitudinem ac regionum poſſeſſionem
diſtinguit? hæc enim in idem videntur recidere. Sed tamen, mea quidem ſententia,
priùs indicat agrorum amplitudinem, mox munita loca vt oppida & ſi quid huiuſ-
modi. Etſi enim χώραν per quàm latè patet, & omnem locorum varietatem ſigni-
ficat Græcis, ita ut mare quoque ac Tartara deſignet, hîc tamen non pro agro & cam-
peſtri regione accipi poteſt aut debet, ſed pro munito loco quemadmodum apud De-
moſthenem pro oppidulo. Itaque libenter intelligam villarum domos aut oppidu-

la, quin Vrbes ac Regna ipſa ita ut ad Terræ quæ & conſita eſſe poteſt & inculta differat χώριον. alioquin ea quæ in Regnis, Vrbibus munitiſque locis conſiſtunt diuitiæ, fuiſſent prætermiſſæ, cætera niſi iumenta & armenta temerè prætermitti, ſentias ab eo qui pecudes hoc eſt minoris momenti belluas commemoret, dubitationem habent nullam. Tametſi pecus quoniam in eo maximè priſcis temporibus diuitiæ poſitæ erant, potuit ſpectari maximè, cæteris belluis diſſimulatis interim quòd vel exigui momenti eſſent, vel certè a nobis pecudum mentione audita ſuppleri commodè. Hæc in præſenti particula. Nam ea verba *multitudine, magnitudine & pulchritudine*, poſſe tum ſigillatim ad ſeruos referri quorum poſtremo mentionem fecerat, & quibus in primis conueniunt, tum pecudibus & cæteris quas enumerauerat diuitiarum partes quibus item analogia quadam & proportione aptari poſſunt, facilè quiſque animaduertat. Iam verò quoniam dixerat hæc debere eſſe vtilia, liberalia, ſecura, idcirco vt intelligamus quî tandem diuitiæ ſint huiuſmodi, ſubijcit è veſtigio. 654

PARTICVLA XCII.

Ἔστι δὲ χρήσιμα μὲν, μᾶλλον τὰ κάρπιμα. ἐλευθέρια δὲ, τὰ πρὸς ἀπόλαυσιν. κάρπιμα δὲ λέγω, ἀφ' ὧν αἱ πρόσοδοι. ἀπολαυστικὰ δὲ ἀφ' ὧν μηδὲν παρὰ τὴν χρῆσιν γίνεται, ὅτι καὶ ἄξιον. ὅρος δὲ, ἀσφαλείας μὲν τὸ ἐνταῦθα καὶ οὕτω κεκτῆσθαι, ὥστ' ἐφ' αὐτῷ εἶναι τὴν χρῆσιν αὐτῶν. τοῦ τε οἰκεῖον εἶναι ἢ μὴ, ὅταν ἐφ' αὐτῷ ἢ ἀπαλλοτριῶσαι. λέγω δὲ ἀπαλλοτρίωσιν, δόσιν καὶ πρᾶσιν. ὅλως δὲ, τὸ πλουτεῖν ἐστὶν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι. καὶ γὰρ ἡ ἐνέργεια ἐστὶ τῶν τοιούτων καὶ ἡ χρῆσις πλοῦτος.

Riccobonus. SVnt vtilia quidem magis fructuoſa. At liberalia, qua ſunt ad voluptatem. Fructuoſa dico a quibus ſunt prouentus. Voluptuaria, a quibus nihil præter vſum fit, quod æſtimandum ſit. Terminus ſecuritatis eſt, eo in loco, & eo modo poſſediſſe, vt in ipſo ſit vſus ipſorum, proprietatis verò vel contra, 655
quando in ipſo eſt alienatio. Voco alienationem, donationem, & uenditionem. Omnino diuitem eſſe conſiſtit, in eo, vt vtatur, magis, quàm in eo, vt poſſederit. Etenim actus talium, & vſus ſunt diuitiæ.

Maiora gius. *DIcuntur autem vtilia ea, qua magis fructuoſa ſunt; liberalia verò, qua animi voluptatiſque gratia poßidentur. fructuoſa illa voco, vnde redditus vectigalſáque capiuntur; voluptaria, è quibus nihil, prater vſum capitur, quod aliquo precio dignum ſit. Securitatis ille finis eſt, vt eo in loco, atque eo modo pradia poßideantur, vt eorum vſus in domini arbitrio ſit. Id verò alicuius proprium eſſe, aut non eſſe dicitur, cum in eius poteſtate eſt alienare: dico autem alienare, donare, & vendere.*

VTilia ſunt (inquit) quæ ſunt magis fructuoſa. Sic verò loquitur quia cum ex ijs quæ ſunt fructuoſa, pleraque ſint etiam iucunda ac voluptaria ac proinde liberalia, tum demum fructuoſa inter vtilia referēda ſunt cum vtilitas præſtat, iucunditas cedit longè. addit liberalia eſſe quæ ſeruiunt voluptati. vbi crediderim hæc quoque tum demum liberalia eſſe cenſenda, cum vel vnam continent voluptatem, fructu carent & vtilitate: vel ſaltem vtilitatem ac fructum habent exiguum. etſi enim fructuoſa & vtilia ægrè ab iucunditate

cunditate ſeparantur, voluptaria tamen & iucunda ſæpè fructus habent nullos, inter-
dum etiam ſumptus afferunt non exiguos. ita quidem liberalia ſunt quæ voluptati ac
genio vel ſolùm vel maximè ſeruiunt. nunc quoniam dixit quæ bona ſint vtilia quæúe
liberalia, poſtularet ſanè ratio vt doceret quæ ſint ſecura. Sed tamen tantiſper ſuper-
ſedet dum declaret quæ ſint fructuoſa, quæúe iucunda & voluptaria. ait igitur, fru-
656 ctuoſa illa voco vnde πρόσοδοι prouentus inquam, exiſtunt: vbi per prouentus intelligit
non fructus modò quales ex agris ac prædijs atque huiuſmodi alijs bonis capiuntur
(latè enim patent) verùm etiam vectigal ac cenſum prout ex portorijs aliíſque multis
capiuntur. ita quidem cum bona vtilia appellaſſet illa quæ ſunt fructuoſa, quid fru-
ctuoſum appellet ſubiecit ne dubitandi vllus ſupereſſet locus. atque idem facit de libe-
ralibus bonis: cum enim dixiſſet tria eſſe voluptaria, voluptaria inquit appello è quibus
præter vſum nihil capitur æſtimatione dignum. quibus declaratis docet tandem quæ
bona ſint ſecura appellanda: ait igitur eos eſſe ſecuritatis fines ſi bona eo in loco atque
eo modo poſſideantur vt tum vſus tum poſſeſſio in domini arbitrio omnino ſit poſi-
ta, ita vt alienare illa poſſit pro arbitratu. Et verè niſi tuto ſint in loco aut propria ſint
(propria verò ſunt cum legitimè poſſideantur) ſecura dici non poſſunt. ideo autem eo
loquendi genere vtitur vt dicat hos duos eſſe terminos ſecuritatis; quòd humanæ res
aleæ ſint pleniſſimæ, ac propterea in diuitiarum poſſeſſione hac maximè ſecuritate cõ-
tenti eſſe debeamus. nam quominus interdùm aliunde labefactentur fieri non poteſt.
Et quoniam quærere potuiſſet quiſpiam quid ſit alienare, reſpondet alienationis no-
mine ſe donationem & venditionem intelligere. Totum verò hunc locum, quoad per-
tinet ad prædia ſeu bona vel fructuoſa vel iucunda, vel ſecura, eleganter expreſſit M.
Tullius in Oratione pro Sex. Roſcio Amerino. At enim quoniam monebas Ariſtoteles
vſu & poſſeſſione diuitias obtineri, quæſo te explica utra ſit diuitiarum magis propriũ
vſúſne an poſſeſſio. reſpondet igitur Ariſtoteles diuitijs vim & naturam in vſu magis
657 quàm in poſſeſſione ſitam eſſe: quandoquidem diuitiarum energia actus inquam ſeu
vis & efficacitas in vſu ſita eſt magis. Hæc Ariſtoteles in hac particula. In qua ſanè mul
ta ſeſe offerunt quæ nutare adhuc & explicatu indigere videantur. Itaque Cõtrouerſia
excitetur, atq; illud quæratur NVM quæ ſtatuta ſũt ab Ariſtotele pro explicatu partiũ
quibus conſtituit diuitias, rectè fuerint conſtituta. Etenim multa ſunt quę aut obſcura
videri poſſunt aut falſa vel etiam pugnare mutuò. Ac primùm cur pulchritudinem in
eis diuitiarum partibus exigat nihil eſt quod dubitemus num & in ſeruis & in iumẽtis
& gregibus, & in prædijs atque oppidis, & in ſupellectile aut agris quin (id quod hæ-
rentem fortè habeat aliquem) in numis etiam requiri poteſt cum hi & adulterini eſſe
poſſint & infracti aut comminuti: ita ut bene percuſſi, integri & ſplendidi requirantur.
Qui enim pecuniæ ſunt amantes ij numorum delectum habent ac faſtidioſi ſunt. Ita-
que, exegítque (inquit Suetonius de Nerone) ingenti faſtidio & acerbitate numum
aſperum, argentum puſtulatum, aurum ad obruſſam. Vbi per numum aſperum illum
intelligit qui non vſu lenis eſſet factus & cõtrectatione, aut in quo notæ abſoleuiſſent;
ſed qui recens eſſet ac propterea aſperitatem præſeferret contrectanti. Et huc ſpectauit
Perſius cum caneret in diuitias.

—— Qui aſper
Vtile numus habet?

CONTROVERSIA XLVI. NVM SATIS ac rectè declarauerit, quæ de partibus ſtatuit diuitiarum.

Sed tamen dubitationem habet quod de multitudine ſtatuit ac magnitudine; id enim,
& propter numos & propter agros ac munita loca, quin in iumento etiam & grege tũ
pecudum tum ſeruorum, propter magnitudinem faceſcit negotium: ſi enim quis hęc
negligat fructu paſſim & bonis a ſordidis adminiſtris priuabitur & latrunculis: ſi curã
ſuſcipiat curarum molem ac moleſtiarum ſubeat neceſſe eſt, quod beatæ obeſt vitæ. I.
Deinde poſſunt quidem propoſitæ diuitiarum partes eſſe ſecuræ & iucũdæ, aut ſecurę II.
& fructuoſæ: ſed vt ſint fructuoſæ & iucundæ ſimul ſeu vtiles & liberales, id verò pu-
658 gnat, cum iucundæ ſint ac liberales quæ carent fructu ſeu nullius æſtimationis fructus
habent: vtiles & fructuoſæ quæ magnos prouentus ac magnas vtilitates habent. Et ta-
men Ariſtoteles ſcribit. Hæc autem omnia & ſecura & liberalia & vtilia oportere eſſe
manifeſtum eſt: quibus verbis hæc omnia ſimul exigit. cũ dicere debuiſſet eſſe vel vtilia
vel liberalia. Quanquam illud maiorem habet dubitationem quod ſcribit domino vt III.
ſecura ſint bona, ſic ea poſſidenda δεῖ τ' ἐφ' αὐτῷ εἶναι τὴν χρῆσιν αὐτῶν. τῦ τοιούτων εἶναι ἢ
μὴ,

Oppugnatur Ariſtotelis doctrina.

μὴ, ὅταν ἐφ' αὐτῷ ᾖ ἀπαλλοτριῶσαι, quod eſt vt in ipſo ſit vſus ipſorum: proprietas verò vel
IV. contra, quando in ipſo ſit alienandi poteſtas. Vbi rectè cadit alienare poſſe ſed nō poſſe
repugnat. denique vt ſit proprium, & non proprium intelligi nullo modo poteſt. Huc
accedit quod qui oppignoret bona aut teſtamenti legitimè nomine illa tranſmittat al-
teri aut perpetuum eorum vſum concedat alicui, ſine dubio abalienare dicitur: & ta-
men Ariſtoteles alienare definit eſſe donare aut vendere. Certè cum tam nummos &
ſupellectilem quàm agros & oppida, vno verbo res mobiles & immobiles quas appel
V. lant reuocauerit ad diuitias, neceſſe eſt vt non ſolùm donatione aut venditione verùm
etiam aliis modis diſtrahi poſſint & alienari. Denique ſi diuitem eſſe in vſu conſiſtit
veriùs quàm in poſſeſſione, prodigus vel maximè eſſet diues. contra verò qui tempera-
Reſpondetur. tè viuitur, diuites minus. Satius igitur erat dixiſſe diuitias in moderato vſu verius quàm
in poſſeſſione poſitas eſſe. Hæc contra Ariſtotelem. Sed reſpondeo tamen. Ac primùm
Ad I. prudentia inprimis eum inſtruxit Ariſtoteles qui perbeatus futurus ſit. Itaque & am-
pliſſima huic cōcedit bona ſeu multitudine & magnitudine eximia, quòd ſentiat poſ-
ſe honeſtè tum ſui filiorúmque, tum amicorum ac patriæ vtilitati proſpicere, ac libe-
ralitatem & munificentiam oſtendere vnde iucunditatem hauriat maximam. Verè 659
enim ac diuinè illud enunciauit Apoſtolus & ex diuino ore acceptum retulit, Beatius
eſſe dare quàm accipere; hinc enim diuinarum beneficentiam ac benignitatem imita-
mur. Quòd ſi huiuſmodi bona propter multitudinem aut magnitudinem ſint prædæ
obnoxia ac periculis ſi deſpiciantur, moleſtias afferant ſi curentur, huc prudentia eſt re-
ferēda quæ modum ac moderationem ijs adhibeat, vt ſemper celſiore ſit animo quàm
vt vel penitus deſpiciat curam vel ſe curis frangi atque obrui patiatur. Præſertim verò
quia ſic multa & magna exigit Ariſtoteles vt non immoderata & immenſa eſſe velit:
Ad II. ſed certis ac moderatis finibus dum tamen exiguos tranſiliant contineri. Iam verò id-
circo iubet vt propoſita bona ſint ſecura, liberalia, vtilia quòd non tam ſigillatim ſpe-
ctet partes ſingulas quaſi velit ſingulis partibus tres conditiones illas ineſſe; quàm di-
uitias vniuerſim quibus tribuit tres illas conditiones, ita tamen vt partes eas capiāt quę
illis cōueniunt. Nam omnino fuit vt quoniam diuitias perbeato deſtinabat viro, eas &
ſecuras & liberales & vtiles ſtatueret vt nulla ex parte beatę vitæ obeſſent aut deeſſent.
Ad III. Ita quidem diuitiis vniuerſim conditiones illæ debentur omnes, partem capiunt pro
opportunitate. Scrupulus verò omnis eximatur ex græcis illis verbis ſi illud εἰ μὴ poſt
ἀπαλλοτριῶσαι legatur; vt ſit ſenſus tunc proprium eſſe cum in domino ſitū ſit alienare
Ad IV. aut nō alienare: nam debet poſſe & alienare & retinere bona pro arbitratu ita vt neque
cogi poſſit vt alienatione conſentiat. Neque verò alienationem donatione & venditio-
ne ita concludit vt non cæteras alienationis formas admittat. Nam quemadmodum
is qui dicitur habere necis & vitæ poteſtatem, omnino habet poteſtatem mulctandi in
ære aut minori ſupplicio corporis, ac propterea dicitur habere merum & mixtum im-
perium; ita qui donare poteſt ac vendere multò magis cenſetur poſſe oppignorare,
Ad V. commodare aut teſtamenti legatiue nomine alteri tranſmittere. Ita vt breuiloquentię 660
ſtudioſiſſimus Ariſtoteles difficiliora commemorauerit quòd hinc faciliora conſtare
poſſint. Ad extremum prodigus nō vtitur ſed abutitur: profundit enim patrimonium
diſſipátque diuitias, non liberaliter impendit. Id verò facit qui prudentia præditus eſt.
Cum igitur Ariſtoteles vſum non abuſum intelligat, iurè in vſu potiùs quàm in poſſeſ-
ſione poſuit diuitias aut diuitem. Quòd ſi dixit ἡ ἐνέργειά ἐστι τῶν τοιούτων, actus eſt pro-
prius horum ita vt actum vniuerſim indicarit qui non minùs prodigo conuenit quàm
liberali & moderato, iam hac de cauſa è veſtigio actum contraxit ad vſum, prohibuitque
abuſum pergens, καὶ ἡ χρῆσις & vſus. Ita quidem videri poteſt Ariſtoteles præclarè
declaraſſe quæ ad diuitiarum partes pertinerent.

PARTICVLA XCIII.

Εὐδοξία δ' ἐστὶ τὸ ὑπὸ πάντων σπουδαῖον ὑπολαμβάνεσθαι, ἢ τοιοῦτόν τι ἔχειν οὗ πάντες ἐφίενται, ἢ οἱ πολλοὶ, ἢ οἱ ἀγαθοὶ, ἢ οἱ φρόνιμοι.

Bona

Riccobonus. BOna fama eſt, ſi quis ab omnibus virtute prædictus exiſtimetur, vel tale aliquid habere, quod omnes appetunt, vel multi, vel boni, vel prudentes.

Maioragius. *BOna exiſtimatio, ex virtute præditum ab omnibus iudicari, vel tale aliquid in ſe habere, quod omnes expetant, aut multi, aut boni viri, aut prudentes.*

ABſoluto diuitiarum explicatu ad bonam famam ſeu bonam exiſtimationem deſcendit quam εὐδοξίαν appellat: & quidem bonam famam pertinere ad fœlicitatem nihil eſt quod dubitemus. Qui inglorij iacēt & obſcuri, ij vel contēnuntur vel ignorantur, ita vt beati cenſeri nullo modo poſſint. Accedat igitur nominis celebritas, qui in inuidia etiam, ſi placet (hæc enim virtutis ac celebritatis ſolet eſſe teſtis) aut denique admiratio, & beatæ vitę patebit locus. Ita ut iurè bonam exiſtimationem ſeu famam ad beatitudinem referat eiúsque vim explicandam ſuſcipiat Ariſtoteles. Iam verò de ordine, cur ſcilicet poſt diuitias de illa diſſerat, nihil dicam: ſatis enim videri poteſt bonā famam ad externa ſeu fortunæ bona pertinere & cum fortunę bonis fuiſſe copulatam.
661 Vt omittam æquum accommodatúmque videri vt cum mortales diuitijs partis gloriam ſibi ac nominis immortalitatem parare cupiāt, poſt diuitiarum explicatum, gloria afferretur in medium ad quam contenderet is qui beatus futurus eſſet. Illud potius eſſet requirendū cur id quod ab initio δόξαν, gloriā inquam, appellauerat dum enumeraret beatitudinis partes, hîc εὐδοξίαν appellet, gloriam quoquomodo in bonam famā conuertens. Sed quemadmodum non eodem quo hæc propoſuit bona explicat ordine (vt ſcilicet artificium minùs oſtentaret rémque breuiùs abſolueret dum prout quęque pars beatitudinis in mentem recurreret, tripartito tamen capiti inhærens explicaret illas) ita tantiſper variare nomina placuit. Quanquam εὐδοξία doxæ notionem vtcunque aperit, ita ut hinc ad gloriæ explicationem ſibi aperiat aditum Ariſtoteles. Sed de hac re paulò poſt copioſiùs. Ait igitur Ariſtoteles εὐδοξίαν, ſeu bonam exiſtimatiónem aut famam in eo eſſe poſitam vt quis ab omnibus virtute præditus cenſeatur, aut tale aliquid habere putetur quod appetant omnes, vel multi, vel boni, vel prudentes. Et ſanè illud in primis bonam conciliat famam atque adeò ad gloriam euehit ſi quis apud reliquum hominum genus aut ſaltem longè ac latè virtute præditus exiſtimetur cuiuſmodi eſſet ſi probitatis ac prudentiæ laude clareret. Quòd ſi non hanc metā contingeret, illud ſaltem bonam famam conciliaret atque aliquam glorię partem afferret ſi aliquid haberet quod expeterent vel omnes vt honeſtarum diuitiarum ſplendorem, vel multi vt rei militaris ſcientiam, vel boni vt prodeſſe omnibus ac de Patria benè mereri, vel denique prudentes vt ciuilem ſcientiam. Qui enim vel ciuili ſcientia ornatus
662 eſſet aut de Patria optimè meritus diceretur aut fortitudine & rei militaris peritia inſtructus aut diuitiarum ſplendore ornatus, is quoque famam ſibi & bonam exiſtimationem pareret proindéque ad gloriam contenderet. Hæc ſunt quæ breuiter de eudoxia noſter Author. Iam verò requirendum eſſet num rectè de eudoxia ſentiat Ariſtoteles & gloria: interim enim εὐδοξία gloriæ reſpondeat & pro gloria vſurpetur neceſſe eſt cum δόξαν ſeu gloriam retuliſſet Ariſtoteles inter beatitudinis partes. Et quidem gloria excellentem quandam virtutis meritorúmque famam eámque longè ac latè peruagatam requirit nec bona fama contenta eſt ſatis. Itaque M. Tullius, gloria, inquit, eſt illuſtris & peruagata multorum & magnorum vel in ſuos Ciues vel in Patriam vel in omne genus hominum fama meritorum. En non quamlibet bonam famam ſed excellentem, peruagatam, quæque in excellenti virtute ac magnis meritis poſita ſit gloriæ nomine ſignificari. Et hac de cauſa Ariſtoteles quoque gloriam æſtimat ex conſentienti approbatione hominum communíque opinione quæ de excellenti probitate ac magnis meritis concepta ſit: quod tamen famę haud tribuas, niſi temerè hæc diſtingui ſentias. Sed quæ de Honore agamus prius: tum Gloriæ, Famæ, Honoris, Laudis affinitatem diſſimilitudinémue declarabimus.

PAR-

Digitized by Google

PARTICVLA CXIV.

Τιμὴ δέ ἐστιν μὲν σημεῖον ἐυεργετικῆς δόξης. τιμῶνται δὲ δικαίως μὲν καὶ μάλιστα οἱ ἐυεργετηκότες. οὐ μὴν ἀλλὰ τιμᾶται καὶ ὁ δυνάμενος ἐυεργετεῖν. ἐυεργεσία δὲ ἡ εἰς σωτηρίαν, καὶ ὅσα αἴτια τοῦ εἶναι, ἢ εἰς πλοῦτον, ἢ εἰς τι τῶν ἄλλων ἀγαθῶν. ὧν μὴ ῥαδία ἡ κτῆσις, ἢ ὅλως ἢ ἐνταῦθα, ἢ ποτέ. πολλοὶ γὰρ διὰ μικρὰ δοκοῦντα, τιμῆς τυγχάνουσιν. ἀλλ᾽ οἱ τρόποι καὶ οἱ καιροὶ αἴτιοι. μέρη δὲ τιμῆς, θυσίαι μνῆμαι ἐν μέτροις καὶ ἄνευ μέτρων, γέρα, τεμένη, προεδρίαι, τάφοι. εἰκόνες, τροφαὶ δημόσιαι. τὰ βαρβαρικὰ, οἷον προσκυνήσεις, καὶ ἐκστάσεις, δῶρα τὰ παρ᾽ ἑκάστοις τίμια. καὶ γὰρ τὸ δῶρόν ἐστι, κτήματος δόσις, καὶ τιμῆς σημεῖον. διὸ καὶ οἱ φιλοχρίματοι, καὶ οἱ φιλότιμοι ἐφίενται αὐτῶν. ἀμφοτέροις γὰρ ἔχει ὧν δέονται. καὶ γὰρ κτῆμά ἐστιν, οὗ ἐφίενται οἱ φιλοχρίματοι, καὶ τεμὴν ἔχει οὗ οἱ φιλότιμοι. 663

Honor eſt ſignum beneficæ opinionis. Honōrantur autem iuſtè quidem, & maximè illi, qui benefecerunt. Veruntamen honoratur etiam qui poteſt benefacere. Beneficium verò eſt vel ad ſalutem, & quæcunque ſunt cauſa cur ſimus, vel ad diuitias vel ad aliquod ex alijs bonis, quorum non facilis eſt poſſeſſio; vel omnino, vel ibi, vel aliquando. multi enim ob illa, quæ parua exiſtimantur, honorem conſequuntur, ſed modi & occaſiones cauſæ ſunt. Partes verò honoris ſunt ſacrificia, monumenta in metris, & ſine metris, præmia, delubra, poſſeſſiones, ſepulchra, ſtatuæ, nutrimenta publica, barbarica, vt adorationes, & exceſſiones, dona apud quoſque honoranda: etenim donum eſt poſſeſſionis donatio & honoris ſignum. Quamobrem & ſtudioſi pecuniæ, & ſtudioſi honoris appetunt ipſa. Vtrique enim inueniunt ea quorum indigent. Etenim poſſeſſio eſt, quam appetūt ſtudioſi pecuniæ, & honorem habent, quem ſtudioſi honoris.

Riccobonus.

Honor autem eſt ſignum gloriæ, ex plurimis in alios meritis comparatæ. Iuſtè verò maximéque honore afficiuntur ij, qui iam beneficia contulerunt: veruntamen etiam ille ſolet honorari, qui alijs benefaciendi facultatem habet. Id autem beneficium honore dignum putatur, vel quod ad ſalutem vitámque tuendam pertinet, vel ad opes; vel ad huiuſmodi bonum aliquod, cuius non ſit facilis adeptio, vel nunquam, vel non eo in loco, vel non eo tempore: multi enim propter res quaſdam, quæ paruæ uidentur, honorem aſſequuntur; ſed id aut propter modum, aut propter occaſionem accidit. Honoris ſpecies ſunt immolationes, monumenta uel carmine uel ſoluta oratione conſcripta, præmia certa, luci, ſuperiores in ſedendo loci, ſepulchra, imagines, & publica cibaria. & quibus barbari utuntur, habitus adorantium, & 664 *conſpectus euitationes, munera quæ apud ſingulas gentes in precio ſunt. Etenim munus eſt poſſeſſionis largitio; & honoris indicium. quo fit ut auari, & ambitioſi munerum ſint appetentes: nam utrique in eis inueniunt quod concupiſcunt: eſt enim in illis utilitas, quam appetunt auari, & honor cui maximè ſtudent ambitioſi.*

Maioragius.

De Honore.

Aptè quidem, explicata gloria, Honoris vim ac naturam declarat: idque vel quia peræquè pertinent ad externa bona: vel quia maximam habent inter ſe affinitatem (ideo enim promiſcuè vſurpantur ſæpè) vel quia Honor (ſi Ariſtoteli vel certè Interpretibus quibuſdam credimus) ſit ſignū gloriæ. Quanquam dum ait Ariſtoteles (atque hinc ad eius ſententiam atque adeò honoris definitionem explanandam aggrediar) honor eſt ſignum ἐυεργετικῆς δόξης, non facilè eſt ſtatuere num per δόξαν intelligat opinionem, an

Quid ſit Honor.

verò

verò gloriam. Ac propterea ſic Victorius. *Quid δόξα valeat (eſt enim anceps verbum) quærendum gloriámne an opinionem.* Quam tamen rem non explicat, niſi tamen, quoniam in poſteriore editione vertit *opinionis*, tandem hanc probauit ſententiam. De qua re agedum obſecro audiamus Riccobonum, qui ſic ſcribit. In honoris definitione ſic Victorius. Quid δόξα valeat (eſt enim anceps verbum) quærendum, gloriámne, an opinionē: & , vtrum hic ſenſus huius partis ſit; Honor eſt ſignum gloriæ comparatæ ex multis, magníſque beneficijs in alios collatis: an hic; Eſt indicium opinionis, quam habent, de benefica eius, quem honorant, natura, qui eum ei tribuunt. Priorem explicationem
665 ſecutus eſt Maioragius, conuertens ſic; Honor eſt ſignum gloriæ ex plurimis in alios meritis comparatæ. cui interpretatione conuenit vetus lectio a Victorio notata, dum obſeruauit in antiquiſſimo libro non δόξης, ſed εὐδοξίας legi. Poſteriorem verò ſenſum idem poſtea probauit Victorius, cum conuertit ſic; Honos eſt indicium opinionis de aliquo, quod pronus ad homines iuuandos ſit. Et Muretus quoque cum ſit; Honor ſignum quidem eſt, eum, cui habetur beneficum haberi. Vtraque tamen interpretatio duriuſcula poteſt videri; vt δόξα εὐεργετικὴ intelligatur vel gloria ex beneficijs comparata, vel opinio, quæ habetur de benefica natura. Nam aliquid dicitur εὐεργετικόν, non quod comparatum eſt ex beneficijs, nec quod habetur de benefica natura; ſed quod benefacit; quemadmodum infra cap. IX. definita eſt virtus δύναμις εὐεργετική, facultas benefica, vel quę benefacit, ac in benefaciendo verſatur. & alibi homines appellati ſunt εὐεργετικοὶ, qui bene faciunt, & ad benefaciendum propenſi ſunt. Quamobrem cogitandum eſt, an tertia recipi poſſit explicatio, vt honor ſit ſignum in honorante, quod ſignificat beneficam opinionem, mentem & animum honorati. ſic enim quoque δόξα videtur accipi. Sic iſte. Mihi tamen Riccoboni ſententia merum videtur commentum. Cur enim duriuſcula videtur Victorij interpretatio, *Eſt ſignum beneficæ opinionis* quod eſt opinionis quam habemus de benefica illius cui defertur honor, voluntate & natura? aut cur ſaltem honor non iurè dicatur ſignum opinionis quæ peruagetur de procliui ac benefica illius cui honorem impendimus, voluntate? Duriuſcula igitur videatur & aliena Maioragij ſententia; nihil enim erat cur εὐεργετικῆς hoc eſt beneficæ apponeretur vbi gloria diceretur: quandoquidem gloria beneficentiam includit & continet: comparatur enim meritis ac beneficijs in mortales collatis itaut iurè dicatur honos ſignum beneficæ opinionis beneficæ glorię non item cum *beneficæ* appoſitio ſit
666 ſuperuacanea, nam εὐεργετικὴ δόξα opinionem de propenſa alicuius voluntate ad benefaciendum Ariſtoteli peræque ſignificare poteſt atque εὐεργετικὸς vir aut εὐεργετικὴ voluntas, eidem ſignificat hominem propenſum ad benefaciendum aut beneficam voluntatem. Sed & inde reijcienda eſt Riccoboniana interpretatio dum adhuc beneficā opinionem iſtam collocat in honorato cum propria ſit honorantis opinio. Sit igitur honor ſignum opinionis quam habemus de benefica illius natura cui honorem impēdimus. Nunc definitione explicata Ariſtotelem audiamus qui tria ſubijcit de honore. Primum eſt qui honorari ſoleant: alterum qualis ſit beneficentia ex qua honoris ſumitur occaſio: poſtremum quæ ſint partes honoris. Et ſanè (quod pertinet ad primum) ſcribit Ariſtoteles honorari iuſtè eos maximè qui benefica in alios cōtulerunt. Et iurè, quandoquidem æquum eſt vt ij honorentur qui beneficam in homines oſtendunt naturam ac propenſionem, multò verò maximè ſi ciues ac patriam beneficijs affecerint. Sic M. Tullio quippe qui Patriam conſeruauerat, ſupplicationes decretæ ſunt qui honor antea togatorum nemini ſed tantùm Imperatoribus impendebatur: & hac de cauſa pater patriæ eſt appellatus. Sic Ariſtogitoni & Harmodio apud Athenienſes aurea ſtatua poſita eſt quòd Tyrannum interfeciſſet ac Patriam in priſtinam libertatem reſtituiſſent. Veruntamen is etiam honorari ſolet qui beneficium conferre poſſit atque adeò benefaciendi habeat facultatem: quod tamen minùs conuenienter fit: & ideo de primis id iuſtè fieri ſignificauit Ariſtoteles: de ſecundis id haud auſus eſt affirmare quin contrariam ſententiam ſibi probari vtcunque indicauit cum ſubijceret οὐ μὴν ἀλλὰ τιμᾶται *veruntamen honoratur*. Id quod egregiè indicauit etiam M. Tullius dum ad Plancū ſcriberet videri ſibi honorem ijs deferendum quorum magna extatent merita: non ijs a quibus beneficium ſperaretur. Ac rectè: id enim lucri & commodi aucupium veriùs quàm virtutis meritorúmque teſtificatio cenſeri debet. Quapropter ſi ij honorentur qui alioquin a beneficentia ſunt penitus alieni, cuiuſmodi ſunt auari, crudeles ac ſordidi qui-

Tria quæruntur de Honore. Explicatur I.

di quidam potentéſque diuites, neceſſitati potiùs quàm æquitati tribuēdum eſt. Nam
vbi honorantur ij quorum non deplorata ſit beneficentię ſpes æquiore id animo eſt fe- 667
Explicatur II. rendum. Hæc de primo. Venio ad ſecundum: de quo ſic ſtatuit Ariſtoteles. Beneficentiæ formæ quinquepartitò variantur: ac prima quidem eſt ſi ſalutem alicui attuleris, vel vt ſit, effeceris. quidni enim in beneficij habeatur loco, ſalutem alicui peperiſſe aut conſeruaſſe, aut denique effeciſſe vt huius lucis vſura perfruatur? Secunda cum alijs ad diuitias vel aliquod bonum, cuius adeptio aut poſſeſſio nō facilem habeat aditum, aperueris viam: cum enim horum adeptio & vitę dignitati conducat; par eſt vt id quoque inter beneficia numeretur. Tertia eſt ſi ὅλως ſatisfeceris & cumulatè. etſi enim interim non ad bonum arduum & magnum alicui aperueris aditum, ſatis ſit perfectè operam præſtitiſſe ac plenā: hinc enim propenſus benefaciendi animus declaratur ſatis. Quarta ſi id effeceris vbi oportet: poſtrema, ſi quando oportet. nam opportuno loco aut tempore aliquid commodè, etſi alioquin mediocris, attuliſſe, auget beneficium & gratiam. Et ideo ſubdit Ariſtoteles, multos ob res etiam exiguas honore adeptos eſſe quòd modus & opportunitas id effecerit. Hæc de ſecundo. Vbi totam hanc beneficiorum varietatem exemplis illuſtrare ſuperſedeo, quòd egregiè id præſtiterit Maioragius. Itaque obſeruabo potiùs pauca quędam vnde Ariſtotelis ſententia magis adhuc & magis illuſtretur. Ac primò quas refert beneficentiæ formas, refert quidem eo conſilio vt conſtet iis honorem deberi qui huius generis conferant beneficia: nam ideo cōcludit vſu veniſſe vt multi ob exigua quoque beneficia, dum tamen opportunè ceciderint, honores adepti ſint. Sed tamen verbis illis εὐεργεσία δ᾽ ἢ εἰς σωτηρίαν, quibus ad beneficentiæ formas enarrādas deſcendit, nil de honore quo illi digni ſint. Vt propterea Maioragius
qui verba iſta ſic vertit, *Id autē beneficum honoris dignum putatur, vel quod ad ſalutem vitâmque* 668
tuendam pertinet, licentiùs vertat locum, cum ſit vertendus, *Beneficentia verò vel ad ſalutem.* Quanquam illud etiam peccat quòd tertiam quam retulimus beneficētiæ formā, non agnoſcit: cum tamen Ariſtoteles verbis illis ἢ ὅλως, ἢ ἐν ταῦτα. ἢ ποτὲ, tres exprimat beneficentiæ formas; ex quibus primam omittit ille, vocem ὅλως aliò referens, ac ſcribens *vel nunquam, vel non eo in loco, vel non eo tempore.* Ita fit vt neſcio quo pacto illud quoque beneficii genus honore dignum exiſtimet, vnde id adipiſcimur, quod futurum ſit nunquam. Quod ſi Riccobonus interim ſcribit enumerari beneficentiæ formas, id verò inde accidit quod ex ſecunda forma quæ gemina eſt, ſecundam conſtituerit ac tertiam. Ita quidem non eſt inficiandum poſſe Ariſtotele non repugnante alias beneficij formas proferri quibus tamen honor ægrè aut debeatur aut impendatur: ideo enim eas beneficij profert formas quas vel propter magnitudinem vel propter difficultatem vel propter modum & opportunitatem honos conſequi ſolet; vulgares proinde deſpiciens & prætermittens. Qui igitur ex Ariſtoteleo præſcripto beneficium contulerit, is citra dubitationem honorem mereatur. Nam etſi honor ei debetur maximè cuius beneficētia in humanum genus enitet vniuerſum, hominibus tamen, quoniam illius beneficentiam quoquo modo imitantur, non immeritò tribuatur: ita tamen vt diuinus ille, humanus hic, cenſeatur. Et hinc iam licebit cautiùs agnoſcere quas tertio loco refert Ariſtotelis honoris genera. Sunt verò XI. nimirum ſacrificia, monumenta literarū,
Explicatur III. ſiue ſoluta oratione contineantur ſiue metris ſint adſtricta; præmia, delubra primę ſeſ- 669
ſiones, ſepulchra, imagines ſiue ſtatuæ, publica cibaria & alimenta, barbaricæ adorationes, barbaricæ item exceſſiones, ad extremum dona quæ apud quoſque in precio ſint. Hæc ſunt honoris genera quæ ab Ariſtotele honoris partes appellantur. De quibus legendus eſt Victorius & Maioragius qui eas exemplis ex hiſtoriarum monumentis illuſtrant egregiè. Illud interim ipſe obſeruauerim quędam ex propoſitis partibus aliquid dubitationis habere. Ac primùm facilè affirmet quiſpiam præmia quę tertio loco nu-
Dubitatur. I. merantur, vix ac ne vix quidem diſtingui a donis quæ numerantur ad extremùm. Neque verò eſt cur eò confugias vt dicas præmium victoribus proponi ac tribui, dona nō item: nam præmij nomen ad alia multa quæ nec victoribus proponuntur nec victoriæ nomine tribuūtur, deriuatur paſſim, itaut pro mercede etiam vſurpetur: denique pręmium pœnæ opponitur quidem, donis verò non item. Sed tamen illud hoc tempore
Reſpondetur. ſatis videri poteſt: præmium non neceſſariò ex ijs eſſe quæ per ſe apud quoſque in precio ſunt; nam ouatio verbi gratia laurea, corona, palma, flos & ſi quid huiuſmodi quæ
præmij loco tribuuntur, nullius precij ſunt: donum contra illud appellat (ſi Ariſtotelē 670
audias)

audias) quod apud quoſque in precio ſit. Nam ideo pergens ait donum eſſe non mo-
dò honoris ſed poſſeſſionis, hoc eſt rei vtilis ſignum. Sed & τεμένη (nos delubra ver-
timus) ambiguitatem habent, cum & agrum & nemus & ſacellum, & fanum ac tem- *Dubitatur*
plum ſignificare poſſit. Sed clauſula hæc ſit propriè id omne ſignificare quod ſepa- II.
ratur & dicatur. Ex quo fit vt cum priſci illi mortales ea ſepararent ac Dijs homini- *Reſpondetur.*
búſue dicarent quæ commemoraui omnia, omnia eo contineantur nomine. Quod
tamen non prohibet quominus delubrum ac ſacellum cui primò ac maximè tribu-
tum eſt hoc nomen, conueniat. Verè enim ad agros ac lucos procedente tempore,
vt fit, deriuatum eſt quod ſacellis ac fanis lucos aut agros addiderint quos item dica-
rent. Tametſi qui quæ commemoraui omnia quæ inquam Dijs hominibúſue ſepa-
rarentur, intelligat, haud ſit reprehendēdus. Idémque dicendum ferè de barbaricis *Dubitatur*
tum adorationibus tum exceſſionibus. Verè enim Ariſtoteles verbis illis τὰ βαρβα- III.
ρικά, οἷον προσκυνήσεις, καὶ ἐκστάσεις, ſignificat alios huiuſmodi proferri poſſe barbari- *ac Reſpondetur.*
cos honores, ita vt βαρβαρικὰ latè pateant: quamuis adorationes & exceſſiones recen-
ſet tantùm: nam exempli loco illas recenſet. Atque hîc etiam magnopere dubitarim *Dubitatur*
num ἐκστάσεις valeant *conſpectus euitationes*, quemadmodum Victorius & Maioragius IV.
671 exiſtimant, veteres nimirum ſecuti interpretes ex quibus alij conſpectus deuitatio-
nem, aliqui *loco cedere*, interpretantur. Quanquam enim non inficior fuiſſe apud Per-
ſas qui Rege aduentante ſe ſe proriperent ab eius aſpectu, idque, honoris gratia, indi-
cantes ſe illius maieſtatem ac numen ferre non poſſe, attamen ἐκστάσεις propriè pro ad-
miratione & ſtupore quodam ſumitur qui propterea θαυμασμὸς dicitur a quibuſdam;
pro euitatione conſpectus quod ego ſciam, reperitur nuſquam, ita ut hîc ſine exem-
plo ad corporis euitationem referatur. Libentiùs igitur ἐκστάσεις ad ſummam illam *Reſpondetur.*
admirationem ingentémque ſtuporem retulerim quem barbari manus ac vultum
attollentes, admirationémque ac veluti ſtuporem oſtentantes exprimerent honoris
ergo: hinc enim perinde ac ſeſe proſternentes maieſtatis cui honorem impende-
bant, declarabant magnitudinem. Iam verò eleganter (vt paſſim ſolet) doni vim ex-
preſſit Ariſtoteles. nam donum & honorem & vtilitatem afferre docuit quod & *Pergitur ad extrema propoſiti loci verba interpretāda*
φιλοχρήματοι, & φιλότιμοι illud appetant, illi propter diuitiarum, ij propter honoris, cu-
piditatem. Hæc de Honore vt Ariſtotelis ſententia explicetur. Et hoc eſt quod do-
672 no tribui monebam ex Ariſtotele, vt a præmio diſtinguatur, quod non neceſſariò
habet vt ſit vtile & auari cupiditati ſatisfaciat. Ad extremum illud dubitatur, quia
cum interim Ariſtoteles tam prolixè enumeret honoris formas ſeu genera, vide-
tur perperam omiſiſſe arcus, theatra, ouationes, plauſus, acclamationes, ſalutatio-
nes, coronas atque alia id genus multa: ſed tamen arcus & theatra, niſi emblemate
aliquo decorentur, muta ſunt & honorem ægrè indicant; quod ſi carmine, & emble-
mate ornatur, ac ſummatim verbis honoris ſignificationem præbeant, ad monu-
menta literarum poſſunt reuocari: aut etiam ſi pictura aut figuris honoris teſtifica-
tionem præbent quæ ſtatuis & imaginibus occaſione arrepta ad certum caput reuo-
cati. Et eâdem analogia plauſus, ſalutationes, & cætera, ſi quæ ſunt, huiuſmodi di-
iudicanda ſunt. Nunc poſtulat ratio vt quoniam & gloriæ & bonæ exiſtimationis &
honoris mentionem fecit Ariſtoteles, de ijs déque alijs quæ ijs finitima ſunt pauca
quædam diſſeramus. Tametſi priùs pauca quædam dicenda ſunt tum de propoſita
Honoris definitione tum de ijs quæ de beneficiorum quibus honos habeatur varie-
673 tate docuit Ariſtoteles. Etenim quid cauſæ eſt cur Ariſtoteles in libris de moribus *Dubitatur*
ſcripſerit honorem eſſe præmium virtutis? Quam ſententiam expreſſit etiam Mar- I.
cus Tullius in Bruto iiſdem verbis. Certè longè differt honorem ſignum aut præ-
mium efficere, aut etiam præmium Virtutis, vel ſignum beneficæ opinionis. Huc ac-
cedit quod affirmauit Ariſtoteles honorem eſſe externorum bonorum maximum II.
ac propterea rebus pulcherrimis tantùm deberi. Hinc enim fieret vt minoribus
illis beneficijs quæ recenſentur ab Ariſtotele, haud deberetur honos. Denique III.
cum in Moralibus ſcribat Ariſtoteles Honorem eſſe publicum bonum & ex publico
iudicio impendi, ægrè quinque illę beneficentiæ partes aut formæ conſeruentur, quæ
ſtatuebantur ab Ariſtotele. Si enim vir priuatus vel ſalutem ab aliquo acceperit, vel
diuitias aut bonum arduum ejus induſtria comparauerit, aut denique cumulatum

 & oppor-

& opportuno loco & tempore , beneficium acceperit, eidémque honorem impen-
dat , is priuatim non publica authoritate aut iudicio beneficæ illius naturæ ſignum
oſtendiſſe dicendus eſt. Sed tamen (vt primæ dubitationis parti ſatisfaciam) nihil pro-
Reſpondetur. hibet quominus & præmium virtutis & ſignum beneficæ opinionis ſit honor. Nam
Ad I. ſigna beneficæ opinionis præmium quoque continent virtutis. Itaque ſigna quæ ab 674
Ariſtotele commemorantur ad beneficam opinionem declarandam , omnia in præ-
mij loco iurè ac meritò habeantur, dum tamen præmij nomen non præſsè ſed latiore
ſignificatione vt fit paſſim vſurpetur. Si quis enim beneficentiæ cauſa Statua done-
tur verbi gratia , aut muneribus ornetur, aut alimenta ex publico referat, is ſine du-
bio præmio afficiatur : idem dixerim ſi carmine aut ſoluta oratione celebretur aut
etiam plauſu ne dicam adoratione excipiatur nam is quoque præmium retuliſſe di-
cendus erit. Sanè Temiſtocles cùm in Theatrum veniſſet atque omnes illi aſſurre-
xiſſent plauſúque & acclamatione illum excepiſſent , ſe inde ſuorum laborum om-
nium præmium conſecutum profeſſus eſt. Denique Reipublicæ intereſt non mo-
dò beneficentiam, ſed fortitudinem, iuſtitiam ac cæteras virtutes omnes præmijs or-
nare vt ad omne virtutis genus excitentur ciues : & ideo hoc fine conſtituto, iurè di-
citur Virtutis præmium. Tametſi quoniam beneficentia erga ciues ac patriam ea
virtus eſt cui maximè omnium debetur honos, & verò huiuſmodi beneficentia vul-
gò cæteris anteponitur, factum eſt vt hoc in loco quoniam populariter diſputat ; be-
neficentiæ ſignum honorem conſtituerit. Atque hinc eſt vt in libro VIII. Moralium
Ariſtoteles has duas definitiones quoquomodo coniungat & conciliet ſtatuens eſſe
virtutis & beneficentiæ præmium : eſt enim virtutis omnis ſed beneficentiæ inprimis
Ad II. præmium ac propterea etiam ſignum quemadmodum declarauimus. Et huc perti-
net quod aliquando viſus eſt Ariſtoteles ſtatuere honorem eſſe externorum bono- 675
rum maximum : tale enim eſt ſi publicus honor, præſertim ſapientis iudicio decretus,
niſi tamen gloriam huic anteponas de qua re poſtea. Interim ſat ſit publicum hunc
honorem quíque iudicio ſapientis viri Principis aut Reipublicæ nomine referatur, eſ-
ſe longè præſtans bonum , quam ſententiam Cicero expreſſit in Bruto dum ſic præ-
mium virtutis definiuit honorem vt iudicio ſtudióque ciuium ſit deferendus. Intue-
batur enim vterque in ciuilem honorem qui publicè redditur virtuti , quíque pro-
pterea haberi ſoler bonorum maximus : atque hic quidem honos non cuicunque be-
neficentiæ redditur. Tametſi quoniam priuatus quoque honos extra Rempublicam
reperitur qui interdum non omnium externorum bonorum ſit maximus, fit vt mi-
noribus quoque beneficijs quibuſdam impendatur. Et ideo Ariſtoteles primam be-
neficij formam cui honos debeatur beneficentiæ tribuit maximæ qua ſcilicet conti-
netur ſalus: cæteras formas minoribus. Sed iam de laude & cæteris dicamus quæ Ho-
nori finitima ſunt, vt de tota hac bonorum ſerie conſtet planius. Vbi ſanè illud com-
pertum ſit , Ariſtotelem in hoc loco honoris nomen vſurpare latiùs; ita vt ex varijs
illius partibus ſeu formis aliquæ pertineanr ad laudem. Si quis enim pro concione
ſoluta oratione ornetur , is propriè dicetur laudari. & ideo oratio qua quis ornatur
ad genus demonſtratiuum pertinet , quod laudatione continetur. Idem dixerim ſi
quis carmine celebretur. & ideo Ariſtoteles prætermittit hoc in tempore laudem , &
encomium, quæ ſine dubio non ſecus ac fama, ad beatæ vitæ bona referuntur. ita vt
laus Honore interim quemadmodum Fama, & Gloria εὐδοξία , comprehendatur.
Ita quidem hoc poſito & conſtituto faciliùs Gloriæ , Famæ , Honoris , Laudis,
vis ac ratio explicetur. Ergo crediderim inter hæc bona ſeu mauis inter huius boni
partes, laudem , infimum obtinere locum quòd verbis iíſque vulgaribus etiam &
paucis quod ſæpè fit , reddi poſſit , quanquam honeſtioribus quoque & co-
pioſis laudem ttibuere licet. quo tempore ſi eximia ſit , encomium gignitur.
Supra laudem , & encomium Honor collocandus eſt : qui item & vulgaris & 676
nobilis atque eximius eſſe poteſt , ita vt pateat quàm latiſſimè. Atque hic tum
mortuis haberi poteſt , tum viuis : nam ſepulchra videntur ad mortuos,
dona & præmia ad viuos pertinere. Eodémque modo tum Cœleſtibus, tum mortali-
bus haberi poteſt, nam ſacrificia & delubra numini & Cœleſtibus, nutrimenta ex pu-
blico mortalibus, conueniunt, monumenta vtriſque : quemadmodum laus etiam &
encomium

Digitized by Google

encomium Cœleſtibus ac Mortalibus reddi poteſt. Ita ſane Honor (huncenim propriè ſumimus in præſentia) eò differt a Laude, quòd hæc verbis, ille alijs externis ſignis impendatur. Fama verò ſeu *εὐδόξια* non exiguis rebus aut mediocribus, quemadmodum laus aut honor interdum, videtur concedenda; ſed eximiæ virtuti & præclaris meritis: inprimis verò mortuis conuenit aut ijs qui abſunt longiùs: fama enim ad poſteros propter mortuos, ad exteras nationes & longinquas regiones propter mortuos & viuos, deferri ſolet. Denique Gloria (hæc enim propriè diſtinguitur a Fama) ſummum obtinet locum, & eſt veluti Famæ vertex. Et ideo Gloria (inquit M. Tullius) eſt frequens de aliquo fama. Conciliatur autem multorum ac maximorum meritorum opinione. Itaque Gloria (inquit idem Author) eſt illuſtris & peruagata multorum & magnorum vel in ſuos ciues vel in Patriam vel in omne genus hominum fama meritorum. Atque hinc fit vt mortales gloriæ cauſa grauiſſima ſubeant pericula, vitam quoque ipſam interdum fundant alacriter. Quod argumento eſt Gloriam inter hęc bona ſummo loco eſſe collocandam. Quapropter iurè M. T. Gloria eſt cuius gradibus homines videntur in Cœlum aſcendere. Hæc de Gloria, Fama, Honore, Laude. Nam Reuerentiam, etſi quid huiuſmodi quod externo ſigno contineatur, ad Honorem reuocamus: quemadmodum barbaricas adorationes illas & exceſſiones ad Honorem reuocauit Ariſtoteles.

PARTICVLA XCV.

Σώματος δὲ ἀρετὴ, ὑγίεια. αὐτὴ δὲ ὕτως, ὥστε ἀνόσυς εἶναι χρωμένυς τοῖς σώμασι. πολλοὶ γὰρ ὑγιαίνυσιν, ὥσπερ ἱρόδικος λέγεται. ὃν ὐδεὶς ἂν εὐδαιμονήσειε τῆς ὑγιείας, διὰ τὸ πάντων ἀπέχεσθαι τῶν ἀντροπίνων, ἢ τῶν πλείςων.
677

Riccobonus. COrporis virtus eſt ſanitas, eáque ſic, vt morbi expertes ſint, qui habeant vſum corporum. Multi enim ſani, vt Herodicus dicitur, quem nemo felicem dixerit cauſa ſanitatis, propter omnium abſtinentiam humanorum, aut plurimorum.

Maioragius. *COrporis virtus eſt bona valetudo, quæ ita accipienda eſt, vt morbo vacuum ſit corpus, & ad vſus benè conſtitutum. multi enim ſano corpore ſunt, vt Herodicus dicitur, quos nemo tamen ob eam valetudinem beatos iudicaret, eò quòd vel ab omnibus humanis actionibus, vel ab earum maxima parte ſe abſtinent.*

QVæ declarauit bona, pertinent in primis ad externum bonorum genus quæ fortunæ appellantur: talis enim cenſetur nobilitas, bona & multa proles, diuitiæ, bona exiſtimatio, denique honor. Nunc aggreditur ad bona corporis, nimirum ad ſanitatem, pulchritudinem, robur, magnitudinem, facultatem certandi. Quæ ſanè bona corporis, quoniam virtutes ſeu bona animi quippe maxima, interim ad extremū reijciuntur, iurè in mediam veluti aciem conijciūtur. Verè enim inter externa & animi bona quæ interiora ſunt, medium obtinent locum. Præſertim verò quia licet corpori inſint, nonnihil tamen a fortuna ſeu extrinſecùs pendent. Nam bona valetudo verbi gratia extrinſecùs iuuatur, augetur, conſeruatur. Quanquam num media hæc bona in mediam aciem coniecerit omnia, & an hæc appoſitè coniecerit quæ commemorabar, infra opportuniùs. Nunc agamus de ſingulis. Primò igitur proponitur valetudo corporis, quę ſanè in eo certa quadam elementorum quibus conſtamus ſiue humorum, ſymmetria & proportione collocatur. Nam quemadmodum humorum pugna (grauem intelli-

 go) at-

go) atque diſcordia morbum afferre ſolet, ſic concordia ſanitatem. Neque verò id affirmauerim quòd exiſtimem humores humani corporis diſſidio aliquo ac pugna carere poſſe dum viuimus, ſed quia moderata pugna ac lenis cum ſanitate cõſenſit: imò
hæc vna affert ſanitatem. Nam vbi elementa perfectam æqualitatem & *ἰσονομίαν*, quam 678
Græci appellant retinerent, nec quicquam pugnarent mutuò, periculum inde mortis
exiſteret. Sanitas enim, quod eſt humorum æqualitas, ſi ad ſummum peruenerit, mortis periculo fit obnoxia. Duo verò ſunt quæ requirit Ariſtoteles interim ad bonam valetudinem. Vnum eſt vt morbo vacuum ſit corpus, alterum vt ad naturales vſus & functiones ſit idoneum. Quæ duo ſine dubio videntur bonam corporis valetudinem penitus continere. qui enim nullo planè affictetur morbo aut afficiatur, & commodè omnia poſſit obire naturæ munera, is & optima præditus valetudine, & proinde hac in parte ad beatam vitam a Natura fictus, videri poteſt. Quanquam vnũ non minùs acutè quàm eleganter obſeruat Ariſtoteles. Nimirum hanc laudem haud illi eſſe tribuendam qui Herodici more ſanus eſſet ac vitam traduceret. Infirmo corpore vtebatur Herodicus aliquãdo, cum ecce ibi abſtinentia ciborum ſiue ſobrietate, exercitatione, vno verbo, dieta ſeu victus ratione, ſic egit, vt vitam ſine morbo ad ſummam vſque ſenectutem traduxerit. ſic enim de illo ſcribit Plato in Phædro & in III. de Republica & Plutarchus (ex Platone opinor) in libro de Sera numinis vindicta. Huc igitur ſpectans Ariſtoteles ait ſibi eos minùs beatos videri qui Herodici more ſani eſſent. Denique ij voluptatibus carerent multis quæ intra moderationis fines probantur, ac ſummatim naturalibus functionibus ac muneribus minùs eſſent idonei. Hæc de bona valetudine Ariſtoteles: quæ tamen rara eſt, & ægrè vnquam in aliquo reperiatur. Quotus enim quisque eſt qui ad extremam vſque ſenectutem perueniat, nec morbo tentetur vllo, atque omnibus naturæ muneribus idoneus ſit? certè id homini contigiſſet quidem in felici illo vitæ ſtatu in quo vixiſſet ſi communis parens graui ſeſe non obſtrinxiſſet crimine. Nunc optandum magis quàm ſperandum: quanquam ne optandum quidem
ne temerè aliquid optare videamur. Sed ad Ariſtotelem: cuius ſanè induſtria inde re- 679
quiratur quod cum ab initio de ſingulis huiuſmodi beatitudinis partibus oſtendendũ propoſuerit *τί ἐστι* quid ſit & ideo cum alia multa quid ſint oſtenderit, tum maximè Honorem quem modò beneficæ opinionis ſignum definiuit nunc valetudo quid ſit non declarat. Veruntamen, vt omittam non omnia definijſſe, quin affirmaſſe propoſita bona quid ſint ſumendum potiùs quàm definiendum, ſanè quemadmodum alia quædam quid ſint populariter vel etiam paucis indicauit, ita quid valetudo ſit, ſi quis attentiùs æſtimet indicat non obſcurè, præſertim pro Oratoriæ inſtitutionis ratione. Etenim ſi in indolentia collocetur ſanitas aut morbi vacuitate; quod aliqui faciunt, quidni eius vim oſtendent quæ *ἄνοσον* expers inquam morbi requirit corpus? quod ſi rurſus morbus in læſione functionum ſit poſitus, quidni ſanitatis vim expreſſerit qui naturalium functionum vſum ad ſanitatem cenſuerit neceſſarium? Vt propterea quę duo refert ad ſanitatem, ea populariter diſputanti ſatis ſuperque videri poſſint.

PARTICVLA XCVI.

Κάλλος δὲ ἕτερον καθ' ἑκάστην ἡλικίας. ἔστι νέου μὲν οὖν κάλλος, τὸ πρὸς τοὺς πόνους χρήσιμον ἔχειν τὸ σῶμα, τούς τε πρὸς δρόμον καὶ πρὸς βίαν, ἡδὺν ὄντα ἰδεῖν πρὸς ἀπόλαυσιν. διὸ, οἱ πένταθλοι, κάλλιστοι. ὅτι πρὸς βίαν καὶ πρὸς τάχος ἅμα πεφύκασιν.

PVlchritudo diuerſa eſt in vnaquaque ætate. Ac iuuenis quidem pulchritudo eſt, ſi ad labores vtile habeat corpus, & ad curſum, & ad vim, cum iucundus ſit viſu ad voluptatem. Quamobrem quinquertiones pulcherrimi ſunt, quòd ad vim, & ad velocitatem ſimul nati ſunt. *Riccobonus.*

Pulchritudo

PVlchritudo non eadem eſt in omni ætate, ſed diuerſa. nam adoleſcentis pulchri-
Maloragius. *tudo eſt, ſi corpus ita conſtitutum habet, vt ad labores ſuſtinendos vtile ſit, vel*
ad curſum, vel ad inferendam vim, & ſi quandam ore ſuauitatem præſeferat, quæ
ſpectantes voluptate compleat. Hac de cauſa Pentathli pulcherrimi habentur, quòd
680 *ad vim inferendam, & ad celeritatem ſimul apti ſint.*

AGgreditur ad pulchritudinem quæ eſt ſecūdum corporis bonum, atque *Summa huius loci.*
ait pulchritudinem non eandem eſſe in qualibet ætate ſed variam. Ita-
que tripartitò illā diſtribuit pro tripartita (quam interim arripui) ætatis
varietate. Sumit enim hominis vitam diſtribui in iuuentutem, virilem
ætatem & ſenectutem: ac propterea aliam iuuenis, aliam viri, aliam ſe-
nis pulchritudinem eſſe. Ait igitur iuuenem tunc pulchrum eſſe cen-
ſendum cum & quandam oris ſeu vultus referat ſuauitatem ac venuſtatem vnde con-
templantium compleat oculos: & vero ad labores ſuſtinendos, ad curſum & ad vim
inferendam corpore fictus ſit & conſtitutus, quemadmodum Pentathlis (de his dice-
mus paulò poſt) vſu venire ſolet, qui celeritate præſtant & ad vim inferēdam ſunt ido-
nei. Sic Ariſtoteles de iuuenis pulchritudine. De qua ſanè quædam dubitare cogor at-
que adeò controuerſiam in Ariſtotelem intendere antequam ad virilem vel etiam ſe- *CONTROVERSIA*
nilem pulchritudinem deueniam. Ac primùm quid eſt quod Ariſtoteles pulchritu- *XLVII.*
dinis vim & naturam qualis qualis per ſe ſit nō declarat antequam illam ſiue in iuue- *NVM re-*
ne ſiue in viro, ſiue in ſene obſeruet? aut cur illam ijs deſcribit quæ poſteriora ſunt & *ctè iuuenis*
ex pulchritudine promanant veriùs quàm eius naturam & eſſentiam (vt cum Quin- *deſcripſerit*
tiliano loquar) conſtituant? Certè ex his quæ interim requirit in iuuene vt pulcher ſit, *pulchritu-*
nihil minus quàm pulchritudinis natura dignoſcitur: Nam dum corpus ad labores *dinem.*
ſuſtinendos, ad curſum, ad vim inferendam requirit in iuuene vt pulcher dici poſſit, *Dubitatur*
id verò videtur a pulchritudine penitus alienum: alioquin mulier quæ ſine dubio im- *I.*
becilla eſt corpore ac propterea ad labores, ad curſum, ad vim inferendam non eſt ido-
nea, pulchra eſſe non poteſt: & tamen in ea longiùs quàm in viro elucet pulchritudo.
Quid multa? Herodotus non dubitauit ſummam pulchritudinem Xerſi concedere
681 quem tamen fatetur imbecillo fuiſſe corpore ac meticuloſum. Sed eſto id ſaltē quod *II.*
ſubijcit de oris ſuauitate pertineat ad pulchritudinem, at hoc eſt quod quæritur, in quo
poſita ſit hæc oris ſuauitas quam pulchritudinem appellamus. Vt omittam talem ad- *III.*
huc in iuuene requirere oris ſuauitatem vt intuentium oculos compleat, quaſi verò
ex contemplantis voluptate pendeat pulchritudo. Et tamen citra ſpectatoris volupta-
tem quin ante ſpectatorem omnem pulchritudo exiſtat neceſſe eſt. Quanquā reſpon-
dere poſſumus Ariſtotelem perfectam pulchritudinis deſcriptionem prætermittere *Reſpondetur.*
quòd cum de illa non ſatis conueniret inter Philoſophos, quin res eſſet pleniſſima con- *Ad I.*
trouerſiæ, id arripetet quod in confeſſo eſſet, ac ſaltem populariter probaretur. Hac
igitur de cauſa pingui mineruа & populariter, oris ſcilicet ſuauitate commemorata,
eam vel deſcripſit vel indicauit. Nihil tamen prohibet quò minus rem hanc totam ex
Ciceronis, Galeni, multò verò magis ex Platonis Ariſtotelisque ipſius ſentētia ſtrictim
attingere liceat. Tria igitur ſunt ex quibus conſtat hominis pulchritudo. Primum eſt
membrorum ſymmetria & proportio, ita vt inter ſe bellè conſentiant, & conſentientē
figuram exprimant; alioquin vbi hæc abeſſet, pulchritudinis fundamentum deeſſet,
atque adeo ad turpem interdum etiam ad mōſtruoſam formam atque figuram decli-
naret. Alterum eſt magnitudo: ſiquidem ad perfectā pulchritudinem (Ariſtotele ſaltē
authore) neceſſaria eſt corporis magnitudo, ita ut cōmunem magnitudinem non nihil
ſuperet. Atque hinc eſt vt Homerus Achillem & Aiacē quos pulcherrimos facit, cor-
pore etiam præſtantes finxerit. Sic Virgilius, Aeneam, Turnum, Lauſum, quin, ne hæc
laus vnis viris tribuatur; Didoni ac Deiopeæ Dianę etiam affinxerit. Herodotus etiam,
682 quoniam Hiſtorici etiam audiēdi ſunt; Xerſem quem facit Pulcherrimū ſcribit fuiſſe
procero corpore ac magno. Poſtremum eſt coloris decus: ita ſcilicet vt in vultu cādor
eniteat cui moderatus rubor ſit admixtus. Hinc enim quidam veluti ſplendor elucet
ac decus exiſtit quo inruentium oculi delectantur. His igitur contineatur pulchritudo;
ita vt hominis pulchritudo (de hac enim loquimur in præſentia) definiri poſſit vel po-

Z 3 tius

tius deſcribi. Species ex debita tum partium proportione, tum magnitudine, tum coloris ſuauitate ac venuſtate exiſtens. Quòd ſi non tres iſtas conditiones requirit omnes in ea quam in præſentia iuueni tribuit, pulchritudine; ſic tamen hanc deſcribit, vt tertiam, oris videlicet ſuauitatem, exprimat, priores duas fortaſſe ab effectu aut etiam ſigno indicet. Qui enim egregiè fictus ſit a Natura ad labores, ad curſum, ad vim inferendam, is debitam tum membrorum proportionem tum magnitudinem adeptus ſit. Quemadmodum ſi oris referat ſuauitatem, colorem etiam habeat vnde ſplendor ille ac decus eluceat. Scio poſſe hic multa requiri adhuc vel dubitari. Etenim Plato magnitudinem haud neceſſariam exiſtimare viſus eſt: ſi quidem in Conuiuio pulcherrimum facit Cupidinem, quem tamen puſillum fatetur. Et huc pertinet quod puella vel adoleſcens eximia interdum pulchritudine floreat antequam ad debitam magnitudinem peruenerit. Quin res exiguæ multæ, neſcio quo pacto, mirè capiunt oculos ac propterea pulcherrimæ cenſentur, cum tamen, vbi creuerint, deperear venuſtas omnis & pulchritudo. Denique haud deſunt qui gratiam omnino ſeiungant a pulchritudine: atque eam in primis eſſe cenſeant qua capiuntur intuentium oculi aut delectantur. Quapropter Plutarchus in M. Antonio ſcribit Fuluiam Antonij vxorem, Cleopatræ quam interim deperibat Antonius, haud fuiſſe inferiorem pulchritudine, 683
ſed gratia: nam in Cleopatra (inquit) miræ Veneres, miræ Gratiæ; Et huc ſpectauit Martialis, cum puellæ cuiuſdam & manus & oculos & vultum pulchritudinis nomine laudaſſet, de illa tamen ad extremum cecinerit

Non eſt in toto corpore mica ſalis.

Gratiam enim intelligebat qua careret illa: ita vt gratiam a pulchritudine ſeiugarint iſti, & gratia oculos delectari cenſuerint & capi. Ex quo fieret vt id pulchritudini tribuiſſet Ariſtoteles quod gratiæ acceptum eſt referendum. Niſi tamen, cum aliqui gratiam a vera pulchritudine vix ac ne vix quidem diſiungant, Ariſtotelem hanc in præſens ſententiam ſecutum velis. Sed de hac re tota, ea (ſi lubet) conſulas, quæ nos in Ariſtoteleæ Poeticæ Commentarijs ſcriptis mandauimus in Controuerſia XLIV. mihi enim ſatius eſt eò Lectorem reijcere quàm longiùs facere, præſertim quod locus ille ſit opportunior. Interim quoniam hic populariter diſputat Ariſtoteles, vt monebamus, non ægrè ferendum vt iuuenis pulchritudinem in oris ſuauitate collocet, nam ſuauitas oris quæ capiat oculos vtrunque euoluit quæ in pulchritudinis nomine vis, deliteſcit, atque infitmis a ſigno ſiue effectu nos in eius adducit cognitionem. Et hinc poſtremo licet ſatisfacere, nam prior quidem eſt pulchritudo quàm capiat oculos: ſed tamen hinc non tam definitur, quàm ſigno quodam & effectu declaratur aut deſcribitur. Ita quædam Ariſtoteles a ſigno declaraſſet priùs vel indicaſſet priores duas pulchritudinis conditiones, partium inquam proportionem & debitam magnitudinem, mox, quoniam inde non apparebat tertia conditio in qua in primis elucet pulchritudo, hanc lepore ſeu oris ſuauitate deſcripſiſſet, mox etiam a ſigno declaraſſet.

Ad II. (margin)

Ad III. (margin)

Quanquam dum ſubdit hinc fieri vt πένταθλοι ſeu quinquertiones ſint pulcherrimi quòd ad vim & velocitatem ficti ſint, dubitationem habet tum quia illam cōditionem 684
vt ſcilicet iuuenis laboribus ſuſtinendis ſit idoneus, non exprimitur in Pentathlo quēadmodum celeritas & vim inferendi facultas, tum quia rurſus videtur falſum pentathlos iſtos ideò pulcherrimos videri quòd ad vim & curſum ficti videantur. Sed breuiloquentiæ dum ſtudet Ariſtoteles, ex celeritate, maxime verò ex vim inferendi facultate, alteram illam conditionem dignoſcendam relinquit: qui enim vim inferre poſſit, is oppido labores valeat ſuſtinere. Ita quidem a ſigno deſcripſiſſet vtcūque pulchritudinem. Tametſi ad oris ſuauitatem eiuſmodi non pertineret deſcriptio; ita vt quod priore loco de iuuenis pulchritudine dixerat, hinc confirmet, non quod poſterius. Quanquam oris ſuauitas quædam aſſumitur in pentathlo qui pulcherrimus dicatur; cùm enim hæc oris ſuauitas in eo fuiſſet conſtituta qui dicatur pulcher, nihil erat cur eam repeteret in eo quem pulcherrimum faciebat. Ac de pentathlo ſiue quinquertione, quis & qualis eſſet, paulò poſt opportuniùs.

PAR-

PARTICVLA XCVII.

Ἀκμάζοντος δὲ, πρὸς μὲν πόνους, τοὺς πολεμικοὺς, ἡδὺν δὲ εἶναι δοκεῖν μετὰ φοβερότητος. γέροντος δὲ πρὸς μὲν πόνους τοὺς ἀναγκαίους ἱκανόν. ἄλυπον δὲ, διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν, ὧν τὸ γῆρας λωβᾶται.

Riccobonus. VIgentis verò, ſi ad labores bellicos, ac iucundus eſſe videatur cum terrore, At ſenis ſi ad labores neceſſarios ſit idoneus, atque indolens, quòd nihil habeat eorum, quibus ſenectus offenditur.

Maioragius. *VIri autem, & qui iam conſtanti ætate ſit, pulchritudo eſt; vt corpus ad militares labores idoneum habeat, & oris ſuauitatem, cum quodam terrore coniunctam, preferat. Senis denique pulchritudo eſt, ſi corpus habeat neceſſarijs laboribus largè ſufficiens; & ſi nullam ore triſtitiam oſtendat eo, quòd ijs morbis careat, qui ſenectutem deprauare ſolent.*

685 DEſcribit tum vitilis ætatis tum ſenectutis pulchritudinem: & in priore quidem tres requirit conditiones. Prima eſt vt vir ille idoneus ſit ad bellicos labores; cum enim confirmata ſit ætas, par eſt vt grauiſſimos obire poſſit. Altera vt oris ſuauitatem referat: poſtrema vt hæc terrore non careat. Vbi ſanè illud vnum dubitationem habet (cætera enim ex dictis conſtare ſatis poſſunt) quî terror cum ſuauitate oris coniungatur, aut rurſus terror ad pulchritudinem pertinere poſſit. Et quidem ſi ſeueritatem quandam cum oris ſuauitate coniungeret aut grauitatem, non grauarè omnino id ferrem, vt ſcilicet viri pulchritudinem diſtingueret a muliebri: nam moderata quædam grauitas & ſeueritas decet virum magis quàm fœminam, ſed terror iſte perturbat me. Sed eò fortaſſe confugere licet vt dicamus confirmatas illas vires id habere vt quemadmodum ad certandum ita ad terrendum ſint idoneæ. Quapropter ſic oris ſuauitatem requirit vt pro opportunitate terrorem incutere poſſit vbi oculos ac vultum alicui terrendo intorqueat, quo tempore nihil eſt quod inficiemur oris ſuauitatem imminui. Sic cum iraſceretur Achilles ac toruum intueretur non tam oris ſuauitate delectabat quàm terrebat oculis: Sic Aeneas a Virgilio dum pugnat ad terrendum fingitur idoneus. Ac talis facilè deſcribitur Pompeius a M.Tullio. Cum enim eſſet pulcherrimus ore & corpore, eum tamen iratum pertimeſcebat ac Dionyſij vultum referre affirmabat. Iam verò in ſene, quoniam non poteſt non minui pulchritudo, ſatis habet vt tum ob corporis vires ad neceſſarios labores ſit idoneus: tum nullam vultu triſtitiam præ ſe ferat, quòd eorum ſit expers quibus affici ſenectus ſolet ac
686 lædi. Et ſanè ſenes cùm infirmis viribus eſſe, ſolent, tum facilè morbo aliquo aut dolore affligari, ita fit vt triſtitiam vultu etiam referant, ac reconditæ ſint præſertim quòd facies & ſanguis frigeat, & triſti ſenſu occupentur, fac igitur iſthæc abſint, ita ut ſenſibus pro ætate & viribus ſit firmus tum decora ſit facie, & pulchritudinem habebit ſuam; nam ſenis quoque pulchritudinem ex viribus pendêre eodem modo explicemus oporret, quo idem in iuuene ac viro expoſuimus. Ac talem pulchritudinem in Neſtore Homerus expreſſit ne dicam commentus eſt; in Maſſiniſſa obſeruauit M. Tullius.

PARTICVLA XCVIII.

Ἰσχὺς δὲ, ἐστὶ μὲν δύναμις τοῦ κινεῖν ἕτερον, ὡς βούλεται. ἀνάγκη δὲ κινεῖν ἕτερον, ἢ ἕλκοντα, ἢ ὠθοῦντα, ἢ αἴροντα, ἢ πιέζοντα, ἢ συνθλίβοντα, ὥστε ὁ ἰσχυρὸς, ἢ πᾶσιν, ἢ τούτων τισὶν ἐστὶ ἰσχυρός.

Robur

ROBUR eſt facultas mouendi alterum, vt vult. Neceſſe autem eſt mouere alterum, vel trahendo, vel pellendo, vel tollendo, vel deprimendo, vel collidendo, ita vt robuſtus, vel omnibus, vel horum aliquibus robuſtus ſit. *Riccobonus.*

VIres ex eo intelliguntur; cum quis eam facultatem habet, vt alterum moueat, quomodocunque voluerit. Neceſſe eſt autem alterum mouere vel trahendo, vel impellendo, vel tollendo, vel deprimendo, vel collidendo. quare robuſtus ille valénſque aut his omnibus, aut quibuſdam horum valebit. *Maioragius.*

TErtium declarat corporis bonum quod ἰσχὺν ſupra, quemadmodum
hocquoque loco appellat, hoc eſt robur. Atque hoc ſanè ait eſſe facul-
tatem mouendi alterum pro vt vult. qui igitur alterum prout volue-
rit, mouere valeat, is robore præditus eſt ex Ariſtotele. Quod tamen ita
intelligendum eſt vt qui mouetur, non planè imbecillus ſit ſed conten-
dere viribus vtcunque poſſit, etſi ab eo qui robore excellat ac præſtet
ſuperetur. Et quoniam huic qui robore præditus eſt, tribuerat vim mouendi prout
vult, varios ſubijcit modos quibus mouere alterum poſſit: atque ait mouere vel tra-
hendo, vel impellendo, vel extollendo, vel deprimendo, vel collidendo. Vbi, quoniam
non facilè fortaſſe erat vt quis hiſce modis omnibus mouere alterum poſſet, ſubijcit
requiri vt qui robuſtus dicendus eſt, ſi non his omnibus modis, ſaltem aliquibus ro-
buſtus appareat. Hæc ſummatim Ariſtoteles. Hęc verò motionis genera viſus eſt Oui- 687
dius in Herculis pugna exprimere qua certauit cum Antæo: hunc enim ſæpè & extu-
liſſe & deieciſſe & perpuliſſe & colliſiſſe viſus eſt, donec eum ita protraxit compreſ-
Dubitatur I. ſitque vt interfecerit. Interim tamen obijciat aliquis, longè minutam videri Ariſtote-
Reſpondetur. lis diligentiam in motionum iſtarum enumeratione. Minuta eſt, fateor; ſed tamen
acuta. Nam acutè ſpectauit animo ac pauciſſimis perſtrinxit verbis quî vir virum mo-
uere poſſit. Ita vt laudanda potius quàm reprehendenda ſit talis induſtria. Sed ſit iſtud.
Dubitatur II. Verùm cur roboris vim & naturam declarat motu qui poſterior eſt & extrinſecus &
Reſpondetur. a robore ſeiugatus non ſecus atque effectus a cauſa? Quia fortaſſe interim facultatis
etiam rationem habet quæ in eo qui mouet robuſto viro poſita eſt; ita vt interiorem
quoque roboris vim attingat, quam ſanè, quoniam actionis gratia a natura tributa eſt,
actione item ſeu motione exprimit vt de ea conſtet pleniùs. At enim ſit iſtud quoque.
Dubitatur III. Verùm quid cauſæ eſt cur id prætermittat quo mouendi facultas ac proinde robur
pleniùs declaratur? ſi enim quis ingens attollat pondus atque illud longè proijciat, aut
etiam ſuſtentet humeris, is robur declaret pleniùs. Sanè Turni robur inde declaratur
a Poëta quod ingens ſaxum cui euellendo duodecim homines impares viderentur,
euulſerit vnus ac longè proijecerit: Milo etiam Crotoniates (vt a fictis exemplis ad
vera confugiamus) taurum ingentem extulit aliquando propriiſque imponens hu-
Reſpondetur. meris ſtadio comportauit toto. Sed acutè Ariſtoteles quinque illos retulit motionis
modos, iſtum prætermiſit: nam robur homini videtur a Natura tributum vt ſiue vm-
bratili pugna ſeu vera ac bello vires exerat quibus hoſtem ſuperet & vtilitatem ac glo-
riam ſibi pariat ac patriæ: non vt baiuli inſtar ingentia deferat pondera: ad hæc enim iu-
menta inſtituit Natura. Atque hinc fit vt qui prudentia minùs valent & induſtria, ij
portandis oneribus occupentur iumentorum inſtar. Et ſanè quinque partita illa mo-
uendi ratio prudentiam quandam requirit aut ſolertiam: cum tamen deferēdis one- 688
ribus robur fermè vnum requiratur. Id quod egregiè Virgilius etiam expreſſit in Da-
retis & Entelli certamine, in quo licet animaduertere Entellum in primis vario mo-
tu agitaſſe Daretem, nec ſine induſtria. Quanquam de Entello quoniam eius certa-
men ad quartum magis pertinet bonum nimirum ad facultatem certandi, fortaſſe
vberiùs pauló poſt.

PAR-

PARTICVLA XCIX.

Μεγέθους δὲ ἀρετή, τὸ ὑπερέχειν κατὰ μῆκος, καὶ βάθος, καὶ πλάτος τῶν πολλῶν τοσούτῳ μείζονι, ὥστε μὴ βραδυτέρας ποιεῖν τὰς κινήσεις διὰ τὴν ὑπερβολήν.

Riccobonus. MAgnitudinis virtus eſt, ſuperare longitudine, vel profunditate, vel latitudine multos, tantò magis vt ne tardiores efficiat motiones propter exuperantiam.

Maioragius. *MAgnitudinis virtus ea eſt, cum quis & longitudine, & altitudine, & latitudine multos alios antecedit; modò ne tantò maior ſit, vt propter exuperantiam corporis, motus tardiores efficiantur.*

AGit de quarto corporis bono, nimirum de magnitudine: quemadmodum enim quarto illud loco collocauerat inter corporis bona, & poſt corporis robur, ita eodem planè in loco declaratur. Ait igitur ex tribus conſlari corporis virtutem iſtam; nimirum longitudine, profunditate, latitudine; ita ut qui multos alios tripartita iſta corporis varietate ac dimenſione ſuperet, is magnitudinis bonum obtineat. Quanquam illud monet tum demum hanc viro laudem eſſe tribuendam cum magnitudo non ita excedat vt tardiores reddat motus, ſeu motionem impediat. Si enim vaſtus eſſet, minùs commodè motum inſtitueret. Debet igitur proceritati & altitudini craſſitudo & longitudo reſpondere. Itaque Alipta nobilis, cum proceri corporis vir gloriaretur, quòd illi ob altitudinem certamini videretur aptum, rectè (inquit) ſi ex alto corona eſſet capienda. Poſſet verò hoc bonum exemplis commodè illuſtrari: nam multi magnitudinis laude commendantur. Sed Achillem ac cæteros omnes habeas in promptu quos ex Poëtis & Hiſtoricis pulchritudinis quoque nomine celebrauimus. Magnitudo enim pulchritudinis eſt pars ſiue comes, præſertim ex Ariſtotele. Illud potiùs explicabo quod dubitationem habet non exiguam & controuerſiam obijcit æſtimandi. Etenim Ariſtoteles ſic pro trina dimenſione magnitudinis bonum in viro deſcribit, vt verbis obſcuris tum præpoſteris illud deſcribere videatur, ſcribit enim vt ſuperet multos κατὰ τὸ μῆκος καὶ βάθος καὶ πλάτος longitudine, profunditate, latitudine: ſic enim interpretes. Vbi vt dubitatio planiùs intelligatur, obſeruandum eſt inter dimenſiones longitudinem primum obtinere locum: ſi quidem reſpondet lineæ. latitudinem ſecundum: nam reſpondet ſuperficiei: profunditatem poſtremum: reſpondet enim corpori. Quare ſi quis perfectam ſphæram ſeu globum perfectæ imponat ſuperficiei, in puncto tangent ſeſe: quòd ſi ſphęram rectè impellas gignitur linea: & ideo ex fluxu punctorum linea dicitur generari. quòd ſi lineam hanc ad latus impellas, gignitur ſuperficies: denique ſi hæc ſuperficies deprimatur, gignitur corpus, quod propterea trinam habet dimenſionem quod eſt, omnem. neque enim altera dimenſio reperiri, ſed ne fingi quidem, poteſt. hinc eſt vt Natura prior ſit longitudo quæ vt dicere cęperam, reſpondet lineæ: tum ſuccedat latitudo, quę reſpondet ſuperficiei, poſtremò ſuccedat profunditas, quæ reſpondet profunditati. Cur igitur ait Ariſtoteles debere virum iſtum longitudine, profunditate, latitudine præſtare; cum dicere debuiſſet longitudine, latitudine & profunditate, ne ordo naturalis idémque tritus quiſque in promptu erat, confunderetur? certè idem Ariſtoteles cum alibi ſæpè tum maximè ad initium libri primi de Cœlo perſpicuè & prolixiùs toto capite primo libri ſecundi, naturalem ordinem conſeruat egregiè. Quin poſtetiore hoc in loco, id quod pertinet ad corporis magnitudinem & dimenſiones naturalem item ordinem conſeruans declarat diligenter. Si quidem cum Mundum conferret cum homine quaſi verò non ſolùm tres dimenſiones iſtas verùm etiam ſex poſitionis ſeu interualli differentias haberet; ſignificabat (id quod Auerroës & Peripatetici proſequuntur fusè) Cœlum ſeu Mundum

CONTROVERSIA XLVIII. NVM obſcurè ac præpoſterè magnitudinē deſcripſerit Ariſtoteles.

689

Mundum gygantem ingentem ac propè immenſum exprimere qui decumbat atque ita decumbat, vt verticem capitis in Atticum polum defixerit: pedes ad Articũ coniecerit: dexteram ad Orientem, ſiniſtram ad Occidentem protẽderit, denique vultum & anteriorem partem ad noſtrum hemiſperium: humeros poſterioremque partem totam ad Antipodas & oppoſitum hemiſperium conuerterit; ita quidem longitudinem a polis ducit primùm, latitudinem ab Oriente & Occidente, poſtremò profunditatem ab hemiſperiorum interuallo propter profunditatem. Quid cauſæ eſt igitur cur hic naturalem ordinem ac ritum confundat? Adde quod τὸ βάθος non rarò rectà opponitur τῷ μήκει ita vt cum hoc conſtituat longitudinem, atque illud ſurſum hoc deorſum indicet. Et hoc eſt quod ſibi voluit Budæus cum diceret βάθος interdum referri ad τὸ μῆκος: id quod ex Polybio docet: nos etiam ex pulcherrimo illo Apoſtoli loco cõfirmare poſſumus vbi ſcribit Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis τί τὸ πλάτος καὶ μῆκος καὶ βάθος καὶ ὕψος, quæ ſit latitudo & longitudo, & profunditas & ſublimitas, vbi licet hinc ad diuina nos euocat diuinus Author quemadmodum Doctores copioſè docent; vocis tamen notio indicat profunditatem quæ rectà ſublimitati occurrit. Denique fateor πλάτος (vt de altera voce dicam) ſæpiſſimè latitudinem indicare ſed tamen Herodianus nobilis Author inter Græcos de flumine loquens vocem hanc (ſi interpretem audiamus) pro profunditate vſurpauit ita vt obſcuris quoque verbis rem declarauerit Ariſtoteles. Crediderim tamen eum de induſtria profunditatem (vt priori dubitationis parti ſatisfaciam) ſecundo non poſtremò loco poſuiſſe præter morem, latitudinem contra poſtremo non ſecundo, quòd reuera in homine ob eam quam refert imaginem ac figuram, profunditas magis appareat, latitudo veluti deliteſcat. qui enim tibi occurrat homo, hic tum proceritatem offerat vnde longitudo, tum vultum anterioremque partem vnde profunditas, deriuatur ac ducitur. & reuera qui occurrit homo columnæ veluti figuram refert in qua longitudinem priùs & profunditatem commodiùs obſerues quàm latitudinem. Quapropter ſi homo brachijs rectà extentis ſe ſe nobis obijceret, ſanè latitudo quoque eſſet in promptu nec minùs quàm profunditas: ſed cum demiſſis brachijs incedamus & cæteris hac ratione occurramus, fit vt latitudo minùs obuia ſit & in promptu. Et hinc eſt vt cum gygantem illum effingunt Peripatetici, extentis illum effingant brachijs, vt ſcilicet appareat latitudo: ita quidem ſecundo loco deſignant latitudinem geometricam ſectantes atque adeò naturalem rationem, præſertim vt rotundam figuram quoquomodo in eo gygante exprimant quem alioquin rotundum formant Mundum. Si enim propè vmbilicum alterum circini pedem figas, alterum ad imos pedes deductũ, in gyrum torqueas, pedes imos, verticem atque extenſarum manuum extremitatem rades & globoſam figuram effinges, ita vt homo in profectò circulo extenſus appareat, in quo quatuor extrema puncta pertingat. Nam ſi lacunæ adhuc appareant in homine, non planè rotundus ſit vndique, quemadmodum Cœlum, id factum eſt vt motum inſtituere poſſit ac cibum tuendæ vitæ parare & cætera vitæ officia obire, quibus tamen Cœlum non indiget, ita vt hac de cauſa perfectè rotundum conditum ſit, & globoſum. Sic ſanè haud mirum ſi hominis dimenſiones aliter atque aliter, pro loci ſcilicet opportunitate coniungit: hîc enim oculi iudicium & popularem vſum, in Phyſicis naturalem ac Geometricam rationem ſequitur. Quòd ſi ambiguæ ſint interdum illæ duæ voces, id & perrarò accidat & non tam apud Geometras & Phyſicos, quàm apud hiſtoricos & huiuſmodi alios: propriè enim βάθος profunditatem non latitudinem ſignificat. Itaque βάθος a Xenophonte atque alijs hiſtoricis paſſim, non modò a Phyſicis & Geometris pro ipſa profunditate quæ tertiam dimenſionem efficit, ſumitur. πλάτος etiam ægrè a latitudine diuellatur ſiue philoſophos conſulas ſiue hiſtoricos. Quare Herodiani interpres per iniuriam locum illum πλάτει γὰρ καὶ βάθει μέγιστος ὁ ποταμὸς ῥέων, ἄβαθος αὐτῷ γίγνεται vertit *tanta erat amnis illius profunditas ac latitudo vt irrepa abilis foret*: ſiquidem latitudo & profunditas erat vertendum vt πλάτει latitudo βάθει profunditas (id enim exigit græcarum vocum ordo ac ratio) reſponderet. Certè Plato inde nomen inuenit quod latis eſſet humeris, ita vt vulgo etiam ſine vlla dubitatione latitudinem ſignificet πλάτος. Id quod libenter commemoro, vt hinc etiam intelligatur veriſſimum eſſe id quod paulò ante commemorabam: latitudinem ſcilicet in homine qui nobis occurrat non æquè ac longitudinem aut profunditatem

Explicatur res vniuerſa.

690

691

692

funditatem obſeruari. dum enim Plato ob latos, qui præter morem in eo apparerent, humeros, a Palæſtrita dictus eſt Plato (antea enim Ariſtoteles ex aui nomine appellabatur) ſatis intelligitur rem vtcunque intuetam eſſe viſam.

PARTICVLA C.

Ἀγωνιστικὴ δὲ σώματος ἀρετὴ σύγκειται ἐκ μεγέθους καὶ ἰσχύος καὶ τάχους. καὶ γὰρ ὁ ταχὺς ἰσχυρός ἐστιν. ὁ γὰρ δυνάμενος τὰ σκέλη ῥιπτεῖν πως καὶ κινεῖν ταχὺ, καὶ πόῤῥω, δρομικός. ὁ δ' ἀμφοτέροις τούτοις, παγκρατιαστικός. ὁ δὲ πᾶσι τούτοις, πένταθλος.

Riccobonus. CErtandi virtus corporis conſtat ex magnitudine, & robore, & velocitate. Etenim velox robuſtus eſt. Nam qui poteſt crura proijcere quodammodo & mouere velociter, & longè, curſor eſt. Qui verò ſtringere, & tenere, luctator. At qui pellere plaga, pugil. Qui autem vtriſque his, pancratiaſticus. Verum, qui omnibus his, quinquertio.

Maioragius. *DEcertandi robur ex tribus conſtat; magnitudine, viribus, & celeritate, nam & qui celer eſt, robuſtus appellatur: qui enim crura quodammodo vibrare, & celeriter mouere, atque ex longinquo loco poteſt, is natura curſor eſt. Qui verò premere, fortitérque tenere, ad luctam eſt idoneus. Qui longè a ſe pellere, plagámque inferre poteſt, is erit pugil. Sed qui in vtriſque valet, hoc eſt lucta & pugilatione Pancratiaſtes erit, qui in tribus illis omnibus, Pentathlus vocatur.*

AGgreditur ad poſtremum corporis bonum, quod eſt certatrix corporis virtus: quod enim ab initio appellauit δύναμιν ἀγωνιστικὴν facultatem certatricem, hîc appellat ἀγωνιστικὴν σώματος ἀρετὴν, certatricem
corporis virtutem: quam tribus conſtare ait, nimirum magnitudine,
robore, celeritate. Commodè autem cecidit vt explicata ſit vis & na-
tura tum roboris tum magnitudinis: hinc enim licet animaduertere
693 quale robur quámue magnitudinem referat ad certandi vim & facultatem. Supereſ-
ſet igitur vt de celeritate conſtaret. Et ſi enim tacitè huius mentionem iniecit dum
eam ad iuuenis referret pulchritudinem (ad curſum enim idoneũ fingebat iuuenem)
attamen qualis qualis eius ſit natura & vis non explicauit, præſertim vt cõſtaret quem
vſum habeat in certandi facultate. Explicat igitur continenter in hoc loco. Ait igitur
velocem eſſe etiam robuſtum: quandoquidem qui crura proijcere quodammodo &
mouere velociter ac longè poteſt is natura ſit curſor. Sic primum Ariſtoteles. Vbi ta-
men videtur quidem ſatis indicare velocitatis ſeu celeritatis vim, cum in eo illam col-
locet vt quis crura veluti proijcere ac vibrare poſſit ac propterea ſe ſe celeriter & longè
mouere: & ideo iurè hunc δρομικὸν vocat ſeu curſorem. Sed tamen dum prius ait,
Etenim velox robuſtus eſt, id non videtur vllo modo pertinere ad velocitatis naturam
declarandam, quæ vna declaranda videbatur. Sed tamen prius videtur probare celeri-
tatem pertinere ad certandi facultatem quòd velocitas ſeu celeritas in eo ſit neceſſa-
ria qui certandi robore præditus ſit: tum celeritatis ipſius vim & naturam declarare &
quis curſor habendus ſit, docere: ídque vt id confirmet quod dixerat: nimirum cele-
ritatem pertinere ad certatricem facultatem, quod efficeret docens celeritatem eſſe
cum robore coniungendam, ac proinde ad facultatem certandi: quaſi diceret eũ eſſe
curſorem qui celeriter ſe ſe ac longè mouere poteſt, ac propterea celeritatem robuſto
viro eſſe neceſſariam cui certandum ſit, quandoquidem robur ac facultas certandi
celeritate indiget paſſim. Itaque legimus Achillem, Aiacem, Camillam, Aeneã. Tur-
694 num, qui certandi excellerent facultate, præſtitiſſe quoque celeritate. Ac ſi ad hiſto-
rias diuertere lubeat, Alexandrum Macedonem, Papirium (qui curſor eſt appellatus)
bellatores & curſores fuiſſe egregios. Iam verò cum curſoris vim declaraſſet & qui
curſor

Digitized by Google

curſor habendus eſſet ſtatim pergens docet quis ſit luctator. Cum enim certandi uis non modò curſu ſed lucta, pugillatu atque huiuſmodi alijs contineatur, opportunè ſanè ad hæc progreditur, vt de vi certandi conſtet pleniùs. Ait igitur eum qui ſtringere & tenere poſſit, luctatorem eſſe. Vbi fortè non addit *& deijcere*, quòd indicare velit non tam quis victor quàm quis ad talem victoriam id eſt ad proſternendum & deijciendum ſit idoneus; talis autem eſt qui ſtringere ac tenere fortiter poſſit, hinc enim facilè etiam licet deijcere. Et ſanè cum interim facultatem deſcribat mirè ait δρομικὸν & πληκτικόν, quæ voces non tam curſorem & pugillatorem quàm ad currendum & luctandum idoneum ſignificant. Tametſi Victorius non πληκτικὸν legit ſed ex veteri codice reponit πυκτικόν. quod eſt pugilicum ſeu pugilico certamini aptum.. cui ſententiæ (inquit) vetus quoque tranſlatio adſtipulatur. Quanquam vbi conceſſero potuiſſe Ariſtotelem πυκτικὸν ſcribere, haud tamen inficias ierim non potuiſſe πληκτικὸν etiam ſcriptum relinquere. quod item ſignificat eum qui percutiendi & feriendi vim habet. quinetiam cum dixerit hunc poſſe pellere plaga videtur πληκτικοῖς vſurpare aptiùs. ita vt non ſit a recepta lectione recedendum. tametſi quoniam eandem video ab Henrico Stephano ante Victorium obſeruatam, authores habeas quos, ſi Victoriana opinio placeat, ſequaris. Eodémque modo adderet eum qui pellere plaga valeat, quod eſt ſic percutere vt plagam infigere ac longè pellere poſſit, eſſe pugilem; ſignificaret enim non tam eum qui plaga appetit pellitque quàm qui ad hæc ſit idoneus. Denique qui his vtriſque valeat eſſe pancratiaſticum: & ad extremum qui his valeat omnibus eſſe πένταθλον ſeu quinquertionem, vel ſi mauis quinquatrium. Quo in loco magnopere dubitandum, qui pentathlum tribus coërceat certaminibus, curſu, lucta, pugillatu: vt enim pancratiaſtem duobus, ſcilicet lucta & pugillatu, ita pentathlũ tribus curſu ſcilicet, lucta & pugillatu coërceret. Et tamen vox ipſa reclamat, cum pentathlus dicatur propriè qui quinque excellit vel ſaltem ſe exercet certaminibus; & huc pertinet quod quinquertio dicitur a latinis. Quid plura? ab Hiſtoricis & Poëtis paſſim quinque certamina proferuntur & declarãtur quibus occupatẽtur pentathli, nimirum curſus, lucta, pugillatus, ſaltus, iaculatio. Et hinc illud Simonis. 695

Ἴσθμια καὶ πυθοῖ Διοφῶν ὁ φίλωνος ἐνίκα
Ἅλμα ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

vbi quinque enumerat certamina in quibus Dyophon in Iſthmijs & Pythijs extitiſſet victor. Et huc etiam pertinet quod qui quinque, ijdem omnium palmarum victores appellabantur. Eadémque de cauſa omnium palmatũ, quòd quinque tantùm eſſent certamina, ita vt quinque eſſent omnia. Atque hinc factum eſt vt Democritus quippe qui liberalium artium omnium excelleret laude, pentathlos ſuorum temporum dictus ſit. Perdifficilis eſt igitur locus. Maioragius itaque hic viſus eſt indicare (indicare inquam, nam dubitationem ſupprimit) pentathlos eſſe qui tribus curſu, lucta pugillatu valerent ſed tamẽ pentathlos dici & quinquertiones quòd quinque poſſent habere nomina ſi quidem non modò curſores, luctatores, pugiles dici poterant ſed pancratiaſtæ & pentathli. Vbi præterquam quod ſecum ipſe pugnat qui ante ſtatuerat pentathlos dici quòd ex quinque certaminibus gloriam referrent, temerè ad quinque iſta nomina diuertit. Sed multò magis aberrat Riccobonus qui pentathlos mordicus tribus tantùm obſtringit certaminibus. Fateamur igitur id quod eſt: & quinque fuiſſe certamina, & ob quinque certamina pentathlos dictos, ſiue ijs quinque ſe exercerent ſiue pugnarent ſiue victores (quod maximè proprium eſt) excederent, ſiue demum (id quod valet hoc in loco) idonei eſſent. Ariſtoteles igitur quippe breuiloquentiæ ſtudens præſertim in re perſpicua; dixit qui his omnibus valent, eſſe pentathlos quod vellet duo quæ interim prætermittebat, certaminum genere ex commemoratis intelligi: quaſi diceret denique is pentathlos ſit qui ijs certaminibus valeat omnibus qui proponi ſolent. Quare vel pro πᾶσι τούτοις legendum πᾶσι τοιούτοις *omnibus huiuſmodi* quod eſt omnibus huiuſce generis; vel quam cum Victorius & alij quidam legant, ὁ δὲ πᾶσι, πένταθλος, qui omnibus, pentathlos, exponendum qui verò valeat omnibus, non quidem tribus iſtis, ſed qui extant ac vulgò proferri & commemorari ſolent, pentathlus, 696

PAR-

Digitized by Google

PARTICVLA CI.

Εὐγηρία δέ ἐστι, βραδυτὴς γήρως μετ' ἀλυπίας. οὔτε γὰρ εἰ ταχὺ γηράσκει, εὔγηρως, οὔτ' εἰ μόγις μὲν, λυπηρῶς δέ. ἔστι δὲ καὶ τύχης. μὴ ἄνοσος γὰρ ὢν μηδὲ ἰσχυρὸς, οὐκ ἔσται ἀπαθὴς, οὐδ' ἄλυπος καὶ πολυχρόνιος. οὔτ' ἂν ἀτυχὴς διαμείνειεν ἄν. ἔστι δέ τις καὶ χωρὶς ἰσχύος καὶ ὑγιείας, ἄλλη δύναμις μακροβιότητος. πολλοὶ γὰρ ἄνευ τῶν τοῦ σώματος ἀρετῶν, μακρόβιοί εἰσιν. ἀλλ' οὐδὲν ἡ ἀκριβολογία χρήσιμος, ἡ περὶ τούτων εἰς τὰ νῦν.

Riccobonus. Bona ſenectus eſt, tarditas ſenectutis cum indolentia. Neque enim ſi velociter ſeneſcat, bonam ſenectutem habet, neque ſi vix quidem, ſed dolenter. Eſt verò & ex ijs, quæ ſunt corporis, virtutibus, & ex ijs, quæ fortunæ. Nam qui expers morbi non ſit, neque robuſtus, non erit perturbationis expers. Neque indolens etiam erit longæuus, Nec ſine fortuna durare poterit. Eſt verò quædam etiam ſeparatim à robore, & ſanitate alia facultas diu viuendi; multi enim ſine corporis virtutibus diu viuunt. Verum diligens diſputatio de his non eſt vtilis ad ea, quæ nunc diſputamus.

Maioragius. *Bona ſenectus eſt, cũ tardè, atque ſine triſtitia aduenit: neque enim, qui celeriter ſeneſcit, bona ſenectute frui dici poteſt, neque qui ſerò quidem fit ſenex, verũ*
697 *cum multis magniſque doloribus. Ad bonam verò ſenectutem & corporis virtutes, & fortuna bona concurrant oportet. nam niſi ſine morbo fuerit, & niſi vires conſeruet; non erit expers moleſtiarum ac dolorum; nec vitam producere poterit, nec proſperam fortunam retinere. Eſt præterea alia ratio, qua quis etiam ſine viribus, & bona valetudine diu viuendi facultatem inueniat: multi enim ſine corporis virtutibus in longum tempus vitam prorogant, ſed in præſentia nihil opus eſt de huiuſmodi rebus exquiſitè diſputare.*

AGit iam de bona ſenectute quam εὐγηρίαν appellat, quæque commoda & facilis ſenectus aut proſpera dici poſſit: vnico enim verbo a nobis exprimi nequit εὐγηρία. Iurè autem eam è veſtigio ſubijcit corporis bonis quòd maximam cum ijs habeat affinitatem quemadmodum res ipſa clamat ſatis. Quanquam videtur etiam a fortuna ſeu fortunæ bonis pendêre: quis enim niſi fortunatus ad extremam ſenectutem commodè fęliciterque perueniat? & ideo ab Ariſtotele etiam inter fortunæ bona ab initio enumerata fuit. Tametſi ad extremum: ita vt inter bona fortunæ & corporis quemadmodum hoc in loco coniecta ſit. Sed quî bona ſenectus ad fortunam pertinere videatur atque adeò ex bonis tum corporis tum fortunæ ſit aut pendeat, paulò poſt cũ Ariſtotele. Nunc audiamus qualem qualem faciat bonam ſenectutem. Duo igitur ad eam requirit. Primum vt quis ſerò conſeneſcat atque adeò tarda obrepat ſenectus. Et quidem cum non poſſit homo longæuus eſſe & non conſeneſcere, optandum vt ſaltem ſerò aduentet ſenectus. Alterum eſt vt hæc ſit cum indolentia ſeu ſine dolore ac moleſtia: quid enim prodeſſet, aut quî beatus dicendus aliquis eſſet, ſi ſerò ſeneſceret quidem ſed tamen & ante ſenectutem & in ſenectute moleſtijs ac doloribus afficeretur? itaque iurè ſubdit Ariſtoteles, neque enim qui velociter ſeneſcat bona ſenectute fruatur: neque ſi ſerò quidem ſed dolenter & cum moleſtijs ad ſenectutem perueniat. Nihil eſt igitur quod dubitemus & ſeram & ſine moleſtijs ſenectutem aduen-
698 tare debere vt quis perbeatus eſſe poſſit. Atque hinc eſt vt veteres illud ei precaren-
Ode 2. lib. 1. tur quem diligerent, vt lætus viueret & ſine moleſtijs nec ſeneſceret aut mortem obiret niſi ſerò. Sic Horatius ad Auguſtum.

Serus in Cælum redeas, diúque

Lætus interſis Populo Quirini.

vbi eleganter etiam mali hominis nomen vitans atque adeò Auguſto de more blandiens, non ait ſerò moriaris. ſed ſerò in Cœlum redeas. Iam verò quoniam interim inter corporis bona quibus eam ſubijcit, referre interim videtur bonam ſenectutem, quam tamen exiſtimat ad fortunæ quoque bona pertinere, ſubijcit, Eſt autem ex ijs quæ & corporis ſunt & fortunæ, bonis. Vbi etiam vt hanc rem confirmet, pergit è veſtigio μὴ ἄνοσος γὰρ ὢν μηδὲ ἰσχυρὸς, οὐκ ἔσται ἀπαθὴς, οὐδ' ἄλυπος καὶ πολυχρόνιος. οὔτ' ἂν ἄτυχὴς διαμένοιεν ἄν. hoc eſt *qui enim morbi non ſit expers aut non ſit robuſtus non erit expers perturbationis, nec indolens & longæuus; nec in proſpera fortuna perſeueret.* Vbi primæ illæ voces μὴ ἄνοσος γὰρ ſatis indicant hinc confirmari ſuperiorem ſententiam vel totam vel aliqua ex parte. Sed tamen quî id probet, obſcurum. Nam videtur quidem ſtatim copiosè docere bonam ſenectutem eſſe ex bonis corporis: ſed qua ratione doceat pertinere ad bona fortunæ, non ſatis intelligitur. Itaque Maioragio qui ſentit ac docet ſine diuitijs eſſe non poſſe bonam ſenectutem, oſtendendum fuerat quî tandem ex Ariſtotelis verbis id eliciatur: nam dum ait eſſe etiam ex fortunæ bonis, licentet hæc bona contrahuntur ad vnas diuitias. Adde quod in ea quam ſubijcit, ratione Ariſtoteles nihil minùs quàm diuitias profert vt oſtendat bonam ſenectutem pendêre ex fortunæ bonis. Quid plura? ex ratiocinatione colligit fore vt neque diu proſpera vtatur fortuna vbi non ſit perturbatione vacuus, indolens & longæuus. ita vt diuitias ſpectaſſe nullo modo videatur. Crediderim igitur Ariſtotelis rationem in eo niti quòd interim arripiat tanquam certum morbos extrinſecus etiam accedere & caſu obrepere, ita vt niſi fortuna hac quoque in re nobis faueat, non poſſit homo bonam hanc 699
ſenectutem in qua & tarditatem & indolentiam requirebat, adipiſci. Quo poſito ait ideo ex bonis & corporis & fortunæ eſſe bonam ſenectutem, quia niſi quis ſit expers morbi, quod tamen fortunæ quoque acceptum eſt referendum (præſertim in tam longæua ætate) non erit aut robuſtus, aut vacuus perturbationis & doloris neque longæuus. Quapropter quoniam non modò curâ ac diligentia, verùm etiam fortunæ beneficio quis deuitet morbum, præſertim longo ætatis decurſu, ad fortunam quoque reuocat bonam ſenectutem. Quo circa non tam priorem propoſitæ ſententiæ partem, quàm poſteriorem, demonſtraſſet: nimirum bonam ſenectutem pendêre etiam a fortuna. Verè enim id obſcurum videri poterat. Sed cur ad extremum ſubijcit οὔτ' ἂν ἄτυχὴς διαμένοιεν ἄν. neque fortunatus perſeueret? Si enim dixiſſet neque beatus perſeueret, fortaſſe diſputaſſet cohærenter, cum inde ſequeretur vt cum commoda non vteretur ſenectute, in beatitudine haud degeret ad extremum: Sed cum dicat nec fortunatus perſeueret videtur id verè quidem docere ſed alieno loco: præſertim quia non de bona fortuna quærebatur aut qua ratione quis in ea perſeueret, ſed potiùs docendum a fortuna quoque proficiſci vt quis commoda vtatur ſenectute & ad beatam vitam contendat. Sed fortaſſe ſic locutus eſt vt doceret tantum abeſſe vt ſine fortunæ beneficio commoda vti poſſit ſenectute, vt fortunatus perſeuerare hoc eſt cæteris fortunæ bonis quibus inſtructus eſſet diutius frui haud poſſet. Neque enim qui diuitias, nobilitatem & cætera fortunæ bona adeptus ſit a fortuna, niſi commoda etiam ſenectute ab eadem donetur, fortunatus dici queat ſeu ſecundam fortunam retinere. Iam verò addit Ariſtoteles proferri poſſe aliam quoque facultatem a robore & ſanitate diuerſam qua prorogetur vita, ac longæuus efficiatur homo: experientiámque docere multos ſine corporis virtutibus eſſe longæuos. Tameiſi diligens de hac re diſputatio ad ea minimè cõferat de quibus agitur in præſentia. Vbi ſanè duæ eæque 700

Iã poſtrema propoſiti loci explicatur pars.

CONTROVERSIA XLIX.

NVM ſit audiendus Ariſtoteles dum ſtatuit poſſe facultatẽ proferri vnde quis citra robur & ſanitatẽ longæuus eſſe poſſit.

perdifficiles ſe ſe offerũt dubitationes vnde Ariſtoteles hoc in loco importunus videri poſſit. Quibus quoniam manabunt longiùs, Controuerſiam conſtituere lubet. Principio igitur illud ſe ſe offert quod hæc omnia præter rem affirmare videtur Ariſtoteles; quin eodem tempore ſecum ipſe pugnare; Nam ſi ad εὐγηρίαν ſeu commodam ſenectutem robur corporis ac valetudo eſt neceſſaria, quorſum ſtatuere ſine robore & bona valetudine poſſe quempiam eſſe longæuum? ſanè hæc pugnare videntur mutuò: ſimúlque, cum nõ longæua ætas tantùm ſed longæua & cõmoda requiratur hoc tempore vt quis perbeatus eſſe poſſit, præter rem quoque & alieno loco profertur iſta facultas. Quid multa? cũ robur & ſanitas nõ modò propter cõmodã ſenectutẽ ſed per

Obijcitur autem. I. ſe expectãtur ad beatã vitam de qua agitur in præſentia, quorſum iã temerè diuturnæ

vitæ

vitæ rationem proferre quæ a robore & ſanitate diſiuncta ſit? Altera eſt qualis qualis II.
tandem ſit facultas iſta vnde quis longæuus efficiatur ſine robore & ſanitate. Nam ſi
eam ipſam rationem ac diligentiam eſſe dicas (ſic enim Victorius & Maioragius &
ante hos Sueſſanus) qua Herodicus vtebatur dum corporis exercitatione & ſobrietate
ſeu omnium abſtinentia vteretur, iam temerè hæc quoque proferatur, cum nihil ad
beatam vitam aut etiam ad commodam ſenectutem pertineat. Cum enim Ariſtoteles ob talem ac tantam rerum humanarum abſtinentiam negauerit fœlicem eſſe potuiſſe, ac rurſus commodam ſenectutem retineri poſſe neget ſi robur abſit quo tamen carebat Herodicus (imbecillum enim fuiſſe conſtat) quorſum huius induſtriam vitæ producendæ adhibere? vt omittam minùs veriſimile videri Ariſtotelem verbis illis. Eſt verò quædam ſeorſim etiam a robore & ſanitate alia facultas diu viuendi, Herodici diligentiam illam indicare: cum ſi fortè inculcanda eſſet, ſatis ſupérque eſſet Herodici mentionem facere, nec nouæ ſeu nondum commemoratæ facultatis ne
701 dicam abditæ, opinionem excitare aut obtrudere. Quanquam fortaſſe priori dubitationi ſatisfacere liceat ſi dicamus inter robuſtum corpus & imbecillum, inter ſanum item & ægrotum reperiri medium, quod ſcilicet robore ac ſanitate præſertim cuiuſmodi deſcripta ſunt, careat: ſed tamen nec imbecillum planè & ægrotum dicendum ſit. Quis enim mediocritatem quandam non agnoſcat paſſim? Cum igitur nihil prohibeat quo minùs aliquis adhuc dici poſſit bona ſenectute vti atque adeò hac ad beatam vitam quoquomodo poſſe contendere, iure Ariſtoteles addit longæuæ ætatis rationem alteram quoque concedendam. Nec tamen ſecum ipſe pugnabit cum non dicat hanc facultatem cum imbecillitate & aduerſa valetudine cohærere ſed a robore & ſanitate illa eſſe diſiunctam. Nam mediocris illa corporis conſtitutio adhuc locum aliquem commodæ ſenectuti ac fœlicitati offert. Sic ſanè citra temeritatem ac repugnantiam hanc introduceret facultatem. *Reſpondetur. Ad I.*

Difficilius eſt alteri dubitationi ſatisfacere, cum, niſi a communi Interpretum ſententia diſcedamus, dilui minimè poſſit: imbecillus enim erat Herodicus, non mediocritate illa gaudebat: An igitur dicendum eſt Ariſtotelem intelligere facultatem tum gymnaſticæ tum diętæ vniuerſim dum tamen corpori non imbecillo ſed mediocri de quo dicebam impendatur: quaſi diceret eum quoque qui ſi nõ robore ac valetudine excelleret ſed mediocritate illa vteretur, poſſe exercitationis ac diætæ facultate fieri longæuum atque adeò commoda quadam ſanitate vti vnde adhuc beatæ vitæ pateret aditus? Ita quidem facultas quæ exercitationem ac viuendi rationem ſuppeditaret (commodam tamen non inſuauem planè atque aſperam qualis erat Herodici viuendi ratio) ea eſſet, quæ hoc in loco introduceretur. Nam licèt perfecta illa ὑγιεία ex robore atque optima valetudine pendeat, mediocris tamen atque in primis parabilis ex moderata hac facultate conſequeretur. *Ad II.*

Quòd ſi quis ſuſpicetur Ariſtotelem non tam iſtam exercitationem ac viuendi ratio-
702 nem ſpectaſſe quàm abditam quandam vitæ prorogandæ artem ac viam, agedum enitamur vt eam inueſtigemus. Ergo non defuerunt priſcis temporibus qui vitam commodè tuerentur ac longæuam redderent mulſo & oleo, ita vt mulſo intus, oleo extra vterentur. Et ſanè mulſum quod ex generoſo vino & melle optimo conficitur, mirum eſt quantopere valeat ad corporis ſanitatem: præſertim ſi quis non facilè alijs cibis vtatur ac mulſi virtutem reprimat. Oleum verò corpori extrinſecus inungendo adhibitum aëris inclementiam atque externas huiuſmodi offenſiones prohibet egregiè. Tametſi non quodcunque oleum intelligo ſed perfectiſſimum cuiuſmodi eſt balſaminum ſeu opobalſamum quod ex balſami baccis exprimitur. Neque enim inficiari licet huiuſmodi ſucco corpus reddi vegetum, ſanum, formoſum. Facilè igitur Ariſtoteles huc ſpectare potuit. Nam illud mulſum intus, oleum foris, vulgatum eſt a priſcis, atque adeò vſu receptum, nunc etiam a quibuſdam re vſurpatur ad tuendam valetudinem. Quin fortaſſe Plato dum in Timæo præter gymnaſticam, chyrurgiam, pharmatiam, diætam, vnctuariam quam aliqui vocant proferret etiam qua corpus conſeruaretur, propoſitam rationem ac viam indicare viſus eſt. Hæc habui quibus obſcurum hunc locum explicarem. Nam lapis ille Philoſophorum quem nebulones aliqui comminiſcuntur vt nobis imponant atque adeò ſuam illam de humana vita in æuum producenda ſententiam vel potiùs vanitatem faciant vendibiliorem, indignus eſt qui commemoretur, præſertim verò in Ariſtotelis ſchola. Qui enim

hominem adhuc viuentem in vas neſcio quo liquore imbutum includi poſſe dictitant, in quo dum ignis certa quadam ratione vaſi admoueatur, homo ipſe deficiat, ac Phœnicis inſtar (fabulam fabula applicabo) reuiuiſcat, ij mihi maximè omnium delirare videntur: quemadmodum ij quoque plectendi eſſent, qui cantionibus ac magicis artibus vitam prorogare nituntur: nam ad oracula & dæmones vitæ prorogandæ cauſa confugiſſe olim & magicis medicamentis vſos eſſe compertum eſt. Illud potiùs monebo, hominem eſſe bullam. Etſi enim egregiè a multis cum roſa confertur, quæ ſæpè vno eodémque die floret, languet, marceſcit, aptè etiam cum ſcintilla, quæ ſic emicat, vt extinguatur illico, quaſi flos egredi & conteri dicitur, aut vmbræ inſtar diffugere ac præterire, vel etiam quaſi fœnum areſcere licet, denique cum araneæ tela, ſed quid dico araneæ tela? cum fumo & ſomnio comparatur: quæ omnia celeriter euaneſcunt, verumtamen mihi quidem ad hominis tum faſtum & ſuperbiam, tum fragilitatem ac vanitatem exprimendam nihil aptius videtur, quàm vt dicamus homo bulla. Vt enim repentè ex aqua bulla erumpit, quæ intumeſcit, ſed tamen momento ferè temporis frangitur, exareſcit, euaneſcit, ita homo breui, ne dicam momento temporis in hanc lucem erumpit, intumeſcit, frangitur, euaneſcit. Vt propterea iurè ac meritò Mortis quoque ſpolium, & imbecillitatis exemplum appelletur. Quod ſi etiam vita aliquando nonnihil produci videatur, indolentia illa & vacuitas perturbationis optanda magis, quàm ſperanda; nec a fortuna ſperanda ſiue optanda, ſed a Deo, in cuius manus mors eſt & vita. Quamuis Ariſtoteles fortunæ nomine interim id intelligit, quod extrinſecùs aduenit, & præter morem: ita vt diuinitus etiam ac cœlitus id nobis contingere ſæpè conceſſerit, quod a fortuna quibuſdam tribui affirmauit, quemadmodum nos opportuniore loco demonſtrauimus. Quanquam de fortuna fortaſſe plura in Particula CIII. 703

De hominis fragilitate.

PARTICVLA CII.

Πολυφιλία δὲ καὶ χρηστοφιλία οὐκ ἄδηλα τοῦ φίλου ὡρισμένου, ὅτι ἐστὶν ὁ τοιοῦτος φίλος ὅς τις ἃ οἴεται ἀγαθὰ εἶναι ἐκείνῳ πρακτικός ἐστιν αὐτῶν δι᾽ ἐκεῖνον. ᾧ δὴ πολλοὶ τοιοῦτοι, πολύφιλος. ᾧ δὲ καὶ ἐπιεικεῖς ἄνδρες χρηστόφιλος.

MVltorum amicitia, & bonorum amicitia non ſunt incerta, amico definito, vt ſit eiuſmodi amicus, quicunque quæ arbitratur bona eſſe illi, effector eſt ipſorum propter illum. Iam cui multi ſunt tales, eſt multorum amicus. Cui verò etiam boni viri, bonorum amicus.

Riccobonus. Maioragius.

704

Hoc reuoca vbi primum polyphilia & christophilia inter bona numeratur.

GRatia verò, bonorúmque virorum amicitia quid ſit ignorari non poteſt, modò quid ſit amicus intelligamus. Eſt enim amicus, qui quæcunque arbitratur ei, quem amat, bona eſſe, eius ipſius cauſa facit; cui igitur multi ſunt huiuſmodi, is gratioſus dicitur, cui verò boni viri tales ſunt, is bonos amicos habere prædicatur.

IAm de πολυφιλία καὶ χρηστοφιλία, hoc eſt, multorum amicitia & bonorum amicitia. Neque enim voces iſtas ſingulas latinè vocibus ſingulis exprimere poſſumus. Et ſi enim ſunt qui priorem πολυφιλίαν inquam vertunt *gratiam*, quod qui gratia valent, ij amicis valere dicantur, verum tamen quia is qui gratus eſt, propriè gratia valere dicitur, gratia non tam multitudinem amicorum exprimit, quàm amicitiam & beneuolentiam quæ alicui cum aliquibus ſiue pauci, ſiue multi ſint, intercedat. Quin vir apud virum gratia valere dicitur, cum tamen interim a polyphilia abſit longè, ita vt adhuc aliquid gratiæ addendum, vnde multitudo planè deſignetur. Gratioſitas potiùs reſponderet polyphiliæ, ſi in vſu eſſet: vt enim gratioſus is interdum dicitur a Marco Tullio qui multos habet amicos, ita gratioſitas

Ibi dic de Briareo, Cētimano, de Alexandro qui oſtēditur amicus de quo Maioragius, & de Saluſtio.

habet amicos, ita gratioſitas multitudinem amicorum deſignaret. Eodémque modo
Chriſtophilia nequit latinè vna voce reddi. Et ſi enim M. Tullio, hoc eſt, optimo ami-
citiæ æſtimatori, amicitia vna illa eſt, quæ inter bonos intercedit, ita vt qui amicitiam
dixerit bonorum amicitiam ac beneuolentiam dixerit, vulgò tamen amicitia cum
bonis ac malis conciliari exiſtimatur. Ita vt paſſim præſertim ſi more maiorum, po-
pulariterque loquamur, & bonorum & malorum ſit amicitia. Vbi non temerè quis
requirat Ariſtotelis conſtantiam in ordine & œconomia, nam haud contentus Chri-
ſtophiliam ſic vſurpaſſe vt a morali norma planè recedat, tum hanc, tum polyphiliam
præpoſtero & collocat loco & perturbato proſequitur ordine quod ſine dubio ca-
uendum erat diligenter. Cum enim iſthæc pertineant ad externa bona, & ideo ea nu-
merauerit ab initio cum nobilitate & diuitijs. Quid eſt quod perturbat ordinem do-
ctrinámque confundit? Sanè cum in ijs omnibus declarandis bona externa priùs (po-
lyphilia tamē, & Chriſtophilia prætermiſſa) tum bona corporis explicauerit, nihil erat,
quod ad bona externa rediret, ac non potiùs hæc ſuo loco proſequeretur? Difficilem
hæc, vt verè fatear, explicatum habent. Nam quod bonam ſenectutem a bonis exter-
705 nis quibus eam ſubijecerat, inter declarandum ſeiugarit, nil mirū, cum ad bona quo-
que corporis pertineat ac magis pertineat, quod verò multorum amicitiam & bono-
rum amicitiam huc coijerit, ægrè afferri poteſt ratio cum eodem aut potiore iure ad
externa bona pertineret quam multa proles aut bona proles quæ cum externis bonis
coniuncta & declarata ſunt. Illud igitur vnum dici poteſt, Ariſtotelem non nihil or-
dinem variaſſe quod cum populariter diſputaret nollet phyſicum ordinem aut mate-
maticam methodum oſtentare: præſertim verò quia cum iam antea monuiſſet bo-
na; iſthæc omnia ad tria capita eſſe reuocanda, & quo nomine id faciendum facilè
quiſque poterat ad certum quæque caput redigere vbi de ſingulorum natura quam
interim proſequitur conſtaret ſatis. Atque hoc vnum (ne huc redire ampliùs cogar)
videtur dici poſſe de bona fortuna ipſa, quæ cum maximè omnium ab initio eſſet cū
cœteris bonis explicanda; explicatur multò poſt. Veriſſimè enim dici poteſt Ariſto-
telem ſæpè vel quia minuta quædam negligeret; vel quia in ſcriptionis curſu ægrè an-
teacta repeteret & obſeruaret omnia, non ratò commutaſſe rerum explicandarum
ordinem. Sed de re agamus. Ergo multorum amicitia & bonorum amicitia non eſt
incerta, inquit Ariſtoteles, ſed percipi facilè poteſt, ſi tamen priùs declaratum fuerit
quid ſit amicus. Et rectè: nam qui amici vim & naturam nouerit, is oppido polyphi-
liam & chryſtophiliam conſtituat animo agnoſcátque proſpicuè. Is igitur ſit amicus,
ſubdit Ariſtoteles; qui quæcunque illi quem amat, fore bona exiſtimat eidem procu-
rat & impertitur: idque non propter proprium commodum aut ſuam vtilitatem ſed
illius tantùm gratia quem amat. Hic eſt amicus ex Ariſtotele. Iure autem monet huic
non proprium ſed amici commodum ſpectandum: nam alioquin non vera amicitia
eſſet id proprij ſtudij commodum atque adeò mercatura vtilitatis. Itaque egregiè
M. Tullius, *Amicitia* (inquit) *eſt voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipſius cauſa
quem diligit:* ac rurſus, *Carum ipſum verbum eſt amoris, ex quo amicitiæ nomen eſt ductum quam
ſi ad fructum noſtrum referemus, non ad illius commoda quem diligimus, non erit iſta amicitia,*
706 *ſed mercatura quædam vtilitatum noſtrarum.* Quæ ſententia pari Peripateticorum ac ſa-
pientum noſtrorum conſenſu confirmatur dùm amorem aliū concupiſcentiæ ap-
pellant alium amicitiæ, atque in illo noſtrum, in hoc amici, commodum vtilitatém-
que ſpectari; ita tamen vt in hoc vno poſtremo amore amicitia ſita ſit & collocata.
Nam idcirco etiam amicitiæ amorem appellari iubent. Quod ſi Ariſtoteles viſus eſt
li. 8. Eth. c. 3. fusè. aliquando amicitiam tripartitò diſtribuere, ita vt vna ſpectet vtilitatem, altera volu-
ptatem, poſtrema honeſtatem, illud etiam confeſſus eſt poſtremam tantùm veram eſ-
ſe amicitiam: ita vt reliquæ duæ ad amorem concupiſcentiæ (iam enim hanc vocem
cum Phyloſophis texere cœpimus) pertineant non ad amorem amicitiæ ac propterea
vnus amor amicitiæ amicum efficiat. Et hac de cauſa monebat Ariſtoteles priores
duos amores eſſe adumbratos ſiue adulterinos, poſtremum eſſe germanum ac ſoli-
dum: illos denique fluxos, hanc firmitudinem habere. Atque hinc illud quoque effi-
ciebat veram amicitiam perraram eſſe, cum plerique voluptatem vt iuuenes, multi
cap. 4. etiam vtilitatem, & ſenes ſpectare ſoleant. Ita fieri vt vna honeſta amicitia quæque
in virtute nitatur, per ſe ac propriè amicitiæ mereatur nomen, cœteræ ſpuriæ ſint &

CONTROVERSIA L. Num recto ordine polyphiliā & Chriſtophiliam explicet & inter bona cōnumerēt collocet loco.

Explicatur vtcunque.

 adul-

adulterinæ. Et hinc eſt vt quemadmodum vera amicitia in ſola honeſtate nititur ac
virtute & propterea inter bonos tantùm intercedit, ita mutuum amorem afferat, ac
parilem in vtroque conciliet beneuolentiam. Hinc Plato ſtatuit officia omnia & bo-
na eſſe inter amicos communia, proindéque fieri vt amicus alter alteronon ſit ditior;
quin ægrè vni bono alteri malo eſſe poſſe, ſed ob voluntatum conſenſionem commu-
nem eſſe ſortem, ita vt duo corpore, vnus animo, ſint quodammodo. De qua re to-
ta, quoniam longum eſſet ad omnia; vos conſulite Platonem cum alibi tum maximè
in Lyſide: Ariſtotelem ac Peripateticos VIII. & IX. libro de moribus vbi nihil intra- 707
ctum relinquunt; M. Tullium in libro de amicitia qui Lælius item inſcribitur; quo in
loco aureus eſt totus, Plutarchus etiam, vt alios quoſdam prætercam, digniſſimus eſt
qui legatur; cum enim multa paſſim profert hac de re tum maximè in Erotico ſeu
amatorio, in libello etiam quem ſcripſit de amico ab Adulatore dignoſcendo, ac rur-
ſus in Amatorijs narrationibus. Illud tamen monuerim hoc tempore amicitiam eſſe
ſacrum quaſi vinculum humani generis; vt enim propriè homini tantùm conuenit
cui ſummo Dei beneficio tributa eſt amicitia, ita ſexcentas continet vtilitates quibus
humanum genus ſocietatem colat in qua ob amicitiam vitæ commoda mutuis offi-
ciis excipiat. Itaque iurè M. Tullius; ſolem è mundo tollere videntur, qui amicitiam
è vita tollunt, qua nihil a Deo immortali melius habemus nihil iucundius. Ac profe-
ctò amicitia licet virtus non ſit, omnes tamen virtutes continet, omnium virtutum
vſum affert. Denique iucunditate, concordia, beneuolentia, beneficentia, fœlicitate ſi
vera ſit, pleniſſima eſt vndique; itaque nil mirum ſi Ariſtoteles vniuerſam virtutum
quas longo ordine veluti in aciem eduxit, quaternis libris abſoluit, ita tamen vt de vir-
tutibus quoque mentis in illis egerit, quin vitia quoque omnia quæcunque virtuti-
bus opponuntur in iiſdem ſit proſecutus; vni amicitiæ declarandæ, ornandæ, extol-
lendæ duos integros libros vix habuerit ſatis.

PARTICVLA CIII.

Εὐτυχία δέ ἐστιν ὧν ἡ τύχη ἀγαθῶν αἰτία, ταῦτα γίνεσθαι καὶ ὑπάρχειν, ἢ πάντα, ἢ τὰ πλεῖστα, ἢ τὰ μέγιστα. αἰτία δέ ἐστιν ἡ τύχη, ἐνίων μὲν, καὶ ὧν αἱ τέχναι. πολλῶν δὲ καὶ ἀτέχνων, οἷον ὅσων ἡ φύσις. ἐνδέχεται δὲ καὶ παρὰ φύσεις εἶναι. ὑγιείας μὲν γὰρ τέχνη ἡ αἰτία. κάλλους δὲ καὶ μεγέθους, φύσις. ὅλως δὲ τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν ἐστιν ἀπὸ τύχης, ἐφ' οἷς ἐστιν ὁ φθόνος. ἔστι δὲ καὶ τῶν παραλόγων ἀγαθῶν αἰτία τύχη. οἷον εἰ οἱ ἄλλοι αἰσχροὶ, ἀδελφοὶ, ὁ δὲ, καλός. ἢ οἱ ἄλλοι μὴ εἶδον τὸν θησαυρὸν, ὁ δ', εὗρεν. ἢ εἰ τοῦ πλησιὸν ἔτυχε τὸ βέλος. τούτου δὲ μή. ἢ εἰ μὴ ἦλθε μόνος ἀεὶ φοιτῶν. οἱ δὲ, ἅπαξ ἐλθόντες διεφθάρησαν. πάντα γὰρ τὰ τοιαῦτα εὐτυχήματα δοκεῖ εἶναι. περὶ δὲ ἀρετῆς, ἐπείπερ οἰκειότατος ὁ περὶ τοὺς ἐπαίνους τόπος, ὅταν περὶ ἐπαίνου ποιώμεθα τὸν λόγον, τότε διοριστέον.

Bona fortuna eſt, quorum fortuna bonorum cauſſa eſt, ea effici, & adeſſe vel *Riccobo-*
omnia, vel plurima, vel maxima. Cauſſa autem eſt fortuna nonnullorum *nus.*
quidem etiam, quorum artes ſunt, multorum verò non artificioſorum, vt quo- 708
rum natura eſt, & contingit etiam, vt præter naturam ſint. Nam ſanitatis qui-
dem ars eſt cauſſa; at pulchritudinis, & magnitudinis natura. Omnino talia ex
bonis ſunt a fortuna, in quibus verſatur inuidia. Ac præter rationem bonorum
cauſſa eſt fortuna, vt ſi alij deformes ſunt fratres, hic autem pulcher; aut alij non
viderunt theſaurum, hic autem inuenit: aut ſi eum, qui prope erat, attigit telum,
hunc autem non: aut ſi non venit ſolus ſemper frequentans, qui vero ſemel ve-
nerunt, perierunt. Omnia enim eiuſmodi bonæ fortunæ euentus videntur eſſe.
De virtute, quoniam maximè proprius de laudibus locus eſt, cùm de laude con-
ficiemus ſermonem, tum erit differendum.

Proſperitas

Maiora gius.

PRoſperitas vitę eſt, cum qua a fortuna proueniunt bona, vel omnia, vel plurima, vel maxima alicui vel fiunt, vel iam prælla adſunt. Eſt autem fortuna nonnullorum cauſa, quæ etiam ab artibus efficiuntur: ſed plerumque eorum cauſa eſt, quæ nulla arte fieri poſſunt; vt eorum, quæ natura quidem fiunt, ſed etiam contra naturam fieri poſſunt; nam bonæ valetudinis ars cauſa eſt, pulchritudinis autem & magnitudinis ipſa natura. Omnino bona illa proficiſcuntur a fortuna, quæ maximè ſolent inuidiam concitare. quin etiam eorum bonorum quæ præter omnem rationem eueniunt, fortuna cauſa eſt, vt ſi cæteri fratres deformes ſunt, hic autem formoſus; aut ſi theſaurum alij non viderunt, hic autem inuenit; aut ſi is, qui propè ſtabat, iaculo percuſſus eſt, hic autem minimè; vel qui antea ſolebat frequentare, tunc non venit, cum alij, ſemel tantum uenientes, interfecti ſunt. hæc enim omnia fortuna beneficio contingere uidentur. De uirtute, quoniam in exornatione maximè proprius eſt eius locus, cum de laudando uerba faciemus, tunc quid faciendum ſit explicabimus.

D E Bonæ fortuna: ac prius de vi nominis.

DE bona fortuna poſtremo agit loco quam εὐτυχίαν quod ſupra etiam fecerat, appellat: nos quoniam vna voce vix fortaſſe illam exprimere valemus, bonam fortunam ſeu proſperam ſecūdámue, appellabimus: niſi tamen exiſtimes proſperitatem dici poſſe. Cum enim proſperitas videatur hominis propria, & extrinſecus bonum offerre, videri poſſet εὐτυχίαν exprimere. Tametſi proſperitas videtur ijs quoque bonis aliquando tribui poſſe quorum cauſa non ignoratur, & verò noſtra ferè induſtria paretur. ſi quis enim optimo nauigio, optimo quoque proreta & magiſtro parato, & cōuenienti tempeſtate expectata, ſecundiſque ventis obſeruatis, proſperè nauiget, huius ſanè proſperitatis ratio afferri quin proſperitas ipſa noſtra induſtria parta dici poſſit, cū tamen bonæ fortunæ nullo modo aut non facile afferri poſſit ratio, multò minus dici queat a nobis gigni: verè enim illud pronūciatur: vbi plurimum conſilij ibi minimum fortunæ: ita vt in proſpera de qua diximus nauigatione vix quiſquam habeat fortunæ, ac propterea hæc quippe quæ conſilium haud præſefert, cum tali proſperitate non cōſentiat. Quanquam vna fortaſſe ſit fœlicitas quæ bonæ fortunæ reſpondeat egregiè: ſed tamen quoniam a multis (etſi non optimis latinitatis authoribus) cum beata vita confunditur paſſim, ægrè hanc pro bona fortuna vſurpauerim, præſertim verò quòd qui olim bonam fortunam haud in Deum reijcerent, nec bonum quod à fortuna manet, Deo acceptum referrent, fœlicitatis nomen a bonæ fortunæ notione ſeiugarent. Denique minùs perſpicuè vel proſperitatē vel felicitatem pro bona fortuna vſurpari quam vſurpat vulgus, nihil eſt quod dubitemus. Etſi alioquin is qui apud viros doctos loquatur, & bonæ fortunæ nomen ægrè vſurpet, is fœlicitatē non imprudenter vſurpet, præſertim verò quia dum non pro cauſa ſed pro bono euētu ſumitur (id quod hoc in loco euenire comperies) cum fœlicitatis nomine congruat multò maximè. Quatuor verò docet de bona fortuna. Primum eſt quorum ſit bonorum, vel certè quando bona fortuna adeſſe dicenda ſit. Alterum in quibus rerum generibus eius appareat efficientia. Tertium quibus ſignis agnoſcatur: poſtremum quibus exemplis eius illuſtrari vis poſſit. Quod pertinet ad primum, ſic ſtatuere videtur Ariſtoteles: bonam fortunam appellandam cum ea bona quæ a fortuna tribuuntur nobis inſint vel omnia vel plurima vel maxima. Vbi crediderim Ariſtotelem arripere fortunam ad bonam fortunam declarandam, quod per fortunam intelligat occultam illam cauſam quam vulgò fortunę deſignamus nomine: per εὐτυχίαν verò nō cauſam illam ſed effectum & proſperos rerum euentus vnde aliquis fortunatus videri ſolet. ita quidem arriperet fortunæ nomē vniuerſim prout vulgò & bona & mala cēſeri ſolet. Etſi enim ex priſcis illis mortalibus aliqui duas ſtatuerent fortunas, bonam vnam, malam alteram, atque illi albam ouem, huic nigram, mactarent; plerique tamen vnam, ſed vel facie geminam, vel quæ duos clauos torqueret, effecerunt fortunam, ita quidē vna eadémque & bona & mala mortalibus impertiri credebatur ac dicebatur. Fortunā igitur quippe boni & mali effectricem arripiens Ariſtoteles, doceret cum bona largiretur, εὐτυχίαν gignere: quæ tamen vel omnibus vel plurimis vel maximis fortunæ bonis enitear: atque hāc εὐτυχίαν. quoniam

vide ſupra 1 par. 80. paulò poſt initium.

709

Iam de res vbi quatuor docet de bona fortuna.

I.

Quorū bonorum ſit, & quando adeſſe dicēda ſit.

710

niam vt dicebam, non ſignificat cauſam ſed effectum; fortunationem (ſi liceret) appellarem: quæ ſanè in eo eniterer, qui bona quæ a fortuna manare dicuntur, aut omnia, aut plurima, aut maxima obtineret. Et hinc eſt vt ſtatim requirat ſecundum; nimirum quorum bonorum ſit cauſa. Cum enim εὐτυχίαν conſtitueret in copia ac magnitudine

II. In quibus rerum generibus Bona fortunæ appareat efficientia.

bonorũ quæ efficiuntur ac tribuuntur a fortuna, ſtatim quærere potuiſſet aliquis quæ tandem eſſent bona quæ efficerentur a fortnna, continenter igitur hæc (inquit) ad duo capita reuocari poſſunt. Siquidem fortuna eſt cauſa quarumdam rerum quæ effici ſolent ab arte: multarum etiam quæ non proueniunt ab arte ſed a natura. Verum explicemus rem exemplis. Ferunt Iaſonem quendam morbo laboraſſe, cui Medicus ſanando impar fuiſſet: cum ecce tibi ab hoſte telo appetitur, ac vulnere ſic afficitur, vt inde vlcus eruperit, ac ſanatus ſit. hic fortuna eius effectus fuit cauſa cuius ſolet eſſe ars. & ideo iurè ait interdum fortunam eſſe cauſam eorum quæ fieri ſolent ab Arte. Ex quo fit vt iurè Ariſtoteles libro ſexto Ethicorum Agathonem poëtam ſecutus qui cecinerat,

Nãmque Ars Fortunam, Fortunaque diligit Artem,

Dixerit artem & fortunam interdum mutuo amore copulari. licet enim ars conſilio, fortuna temeritate, vti videatur, ita vt fortuna ſit quidem interim eorum quæ ab arte fiunt, ſed præter artem operetur; tamen effectus poſſit eſſe vtrique communis. idem illuſtrari poteſt Samij Aegle exemplo. cum enim mutus eſſet, ſed tamen bonus certator, factum eſt vt cum ei palma adimeretur quã pugnando meritus eſſet; indignatione commotus, exclamauerit, & impedimẽta ſermonis abruperit, ita vt vocalis effectus ſit. ita quidem Fortuna, quod artis eſſe ſolet, præſtitit. Quod ſi artem vſurpes fuſiùs & ad
diuinam (vt par eſt) efficientiam referas (ſummus enim artifex atque omnium rerum 711
artifex iſque optimus dicitur Deus) videri poteſt fortuna eádem ratione cum arte miſceri: quod licet exemplo Simonidis declarare. hic enim cum hilariter cum amicis cænaret, vocatus, è triclinio diſceſſerit. Cum ecce tibi Triclinium corruit omnésque ad vnum opprimit; ita vt interfectis omnibus Simonides vnus ſeruatus ſit. quod ſine dubio diuina benignitate contigit, ita vt diuina voluntate atque arte ſeruatus ſit: tametſi vulgus fortuna ſeruatum diceret: Iamverò exemplis doceamus qua ratione fortuna ſit cauſa eorum quæ fiunt a Natura. Si enim quis ex puſillis parentibus & inuenuſtis magnus ac pulcher oriatur, fortuna dicatur cauſa boni huius euẽtus. Idem dixerim ſi quis inter multos fratres turpes, vnus ex iiſdem parentibus pulcherrimus ortus ſit: aut etiã ſi reliqui breui interierint, ipſe adoleuerit & ad maturam ætatem peruenerit. ita quidẽ licet animaduertere fortunam multarũ rerum eſſe cauſam quæ a Natura proueniunt; etſi alia ratione a natura, alia a fortuna contingunt. a fortuna enim fiunt raro & præter rationem. & ideo dicitur fortuna effectrix eorum quæ a natura ſic fiunt, vt præter naturam quoque effici poſſint. atque ex his licet animaduertere iurè Ariſtotelem bonam fortunam frequentiùs in iis conſtituere quæ fiunt a natura quàm in his quæ proficiſcuntur ab Arte. Ars enim conſilio & ſcientia regitur ac præceptis vtitur quæ ægrè nos errare patiuntur. Vbi verò multum conſilij (vt dicebam) & prudentiæ, ibi parum fortunæ. Quanquam quoniam artium nomine multa gaudent quæ non certis initiis & præceptis ſed coniecturis nituntur vt Medicina, Nautica & ſimiles (ideo enim coniecturales dicuntur) fit ſanè vt in artibus quoque ſit fortunæ locus. Contra verò in Natura effectis ob varietatem, maximè verò ob rerum multitudinem ac varietatem, & in primis ob materiæ inconſtantiam vnde præter naturam eueniunt multa, peramplus fortunæ patet locus. Quare quod cecinit Poëta ille.

Namque Ars fortunam, fortunaque diligit Artem

Iurè quidem pronunciatur. Sed tamen iurè etiam ac meritò fortunam a Natura, Naturam a fortuna diligi. Iam verò ad tertium progreditur Ariſtoteles ac duo proferi ſigna

III. Quæ ſint bona fortunæ ſigna. Primum. Si excitetur inuidia de qua conſide.

ex quibus agnoſcere liceat bonum illud eſſe a fortuna. primum eſt ſi tale bonum inui-
diam excitet. Et rectè. Etſi enim de alieno bono eſſet lætandum & gratulandum, verũ- 712
tamen, neſcio quo pacto compertum eſt vſu venire vt homo de alieno bono mœreat ſæpè ac doleat. Atque hinc eſt vt interdum non modò præſtantioribus verùm etiam inferioribus inuideamus; ægrè ferẽtes quempiam eſſe a quo æquemur, aut æquari vnquam poſſimus non modò ſuperemur. Quanquam inter pares inprimis qui que eiuſdem ordinis ſunt, excitatur inuidia. Quapropter quemadmodum figulus figulum odit

(id quod

(id quod eſt in prouerbio) cantor cantorem; ſic figulus figulo inuidet, cantori cantor.
hac de cauſâ vicinus vicinum: vnde illud apud Ouidium

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris:
Vicinúmque pecus grandius vber habet.

Et hinc eſt vt nemo ſua ſorte contentus ſit: vſque adeò ſemper habet quod in alio pro-
bet, miretur, inuideat. Sed tamen inuidia inter eos maximè excitatur qui eandem tra-
ctant artem (id quod dicere cœperam) & in eadem veluti naui verſantur. De qua re au
diendus eſt Lucanus vbi de Pompeio & Cæſare

—— Stimulos dedit æmula Virtus.
Tu noua ne veteres obſcurent acta tryumphos,
Magna times: te iam ſeries vſúsque laborum
Erigit, impatiénsque loci fortuna ſecundi
Nec quemquam iam ferre poteſt Cæſárve priorem,
Pompeiúsue parem —— Vbi videtur mihi de his affectibus non minùs eg-
giè philoſophari quàm canere, nam dum ait

—— Stimulos dedit æmula Virtus,

Significat ab initio (vt fit) in eodem Virtutis quaſi curriculo ab æmulatione detentos:
priùs enim ſolet æmulatio, quæ cum Virtute coniuncta eſt, viros ſtrenuos occupare:
præſertim ſi & amici ſint (quod ijs euenerat) & ſeſe affinitate attingant, adde etiã æta-
te ſint pares ac nobilitate. Sed tamen æmulatio facilè fines egreditur ſuos, ita vt in inui-
diam cõuertatur quæ tamen quoſdam veluti ſtimulos admoueat cordi, ſed paulatim
augeatur illúdque exulceret artus. Ita factum eſt vt dum Pompeius tres inſignes triũ-
phos ſic reportaſſet: vt continenter Cæſar præclarè multa in Gallijs geſſiſſet, ſubuere-
713 reretur Pompeius ne noua Cæſaris acta ſuos quoquomodo obſcurarent triumphos ſi
parem conſequeretur gloriam. Contra verò Cæſar ſeriè vſúque laborum; quaſi nouus
Hercules, erectus & ad gloriam excitatus, ſecundam gloriæ ſedem ægrè ferens, parem
cum Pompeio appetebat gloriam. Ita factum eſt vt inuidia excitati, nec Pompeius pa-
rem nec ſuperiorem Cæſar ferre poſſet. Hæc inuidiæ vis. Atque ab hac quidem Roma-
næ Reipublicæ atque adeò Imperij manauit excidium: cum inuidia diſcordiam, bellũ,
clades denique excidiúmque ipſum attulerit. Eſt enim inuidia inſtar feræ quæ cum
exigua ſit primum breui ima efficitur, itaut faſtigia rerum ſcãdere & obterrere ſoleat.
Denique hæc Themiſtoclem ſummum Græciæ præſidium & firmamentum perpulit
in exilium: hæc Ariſtotelem Vrbe exturbauit, Milciadi carcerem ac mortem attulit;
Phocionem interemit; Syllam (vt ad Romanos redeã) & Marium exulcerauit, Scipio-
nem ipſum quo neminem clariorem aut præſtantiorem peperit Romana Vrbs, exulẽ
interire coegit; vno verbo Athenienſium Romanorúmque Rempublicam & Imperiũ
euertit. Quã in re mirum profectò videtur vt res bona cuiuſmodi eſt proſpera fortuna *Qui fiat vt*
& virtus rem vſque adeò malam, cuiuſmodi eſt inuidentia, párere ſoleat. Sed ſi atten- *proſperitas*
tiùs obſeruemus, intelligemus per animi impotentiam & intemperantiam aut etiam *inuidiã gi-*
improbitatem nobis paſſim contingere vt res bonæ malas procreent ita vt ex bono ve- *gnat.*
luti ouo ſerpens excludatur. An non veritas res eſt optima? ſic ſanè. & tamen odium
parit, quod vitium eſt peſſimum. Eodémque modo ex beneficio ſæpè oritur ingrati ani
mi crimen, ſeu ingratitudo, vt barbarè, ſed ſignificantiùs tamẽ, loquar. ita ſæpè fit vt qui
beneficijs quempiam affecerit ac pecunias imprimis commodarit, is vno eodémque
tempore & pecuniam & amicum amittat: ſic etiam familiaritas bona eſt & ad amici-
tiam pertinet, qua nihil vtilius aut iucundius: ex hac tamen contemptus oritur ſæpe,
vnde etiam inimicitiæ exiſtunt & cædes. Vt minimè mirum videri debeat ex bona for- *De toleran*
tuna gigni inuidiam. Tametſi hæc æquo animo ferenda eſt: multóque magis ſi nõ tam *da inuidia.*
714 ex bonis fortunæ quàm ex bonis animi (quod non tarò etiam fit) excitetur. Certè cum
Ariſtoteles ſibi aliquando ob Alexandri beneuolentiam multò verò magis ob virtutis
ac ſapientiæ famam, inuidiam apud multos conflaſſet, relatúmque eſſet ſibi abſenti ab
inuidis obtrectari, Ariſtotelem (inquit) abſentem etiam pugione transfodiant. Quia
Themiſtocles tantum abeſt vt inuidiam aut pertimeſceret aut iniquo ferret animo, vt
eam in ſe cuperet excitari. Cum enim adhuc eſſet iuuenis, videréique Milciadi atque
alijs viris præſtantiſſimis ob res præclarè geſtas virtutémque aut etiam ob proſperam
fortunam inuideri, ſuam ille vicem dolebat, quòd nondum ſibi inuideri atque obtre-
ctari

ĉtari audiret. Denique potentiæ (vt ait Thucydides) addo etiam virtutis & proſperitatis, indiuidua comes, eſt inuidia: ita vt iurè ab Ariſtotele inuidiam bonæ fortunæ ſignũ eſſe affirmetur. Alterum ſignũ eſt (inquit Ariſtoteles) ſi quod alicui obtingat bonum, præter rationem, hoc eſt præter naturalem curſum aut morem, eueniat: quemadmodum ei contigit qui pulcher oriatur ex turpibus parentibus, aut vnus inter deformes aut breuis vitæ fratres pulcher ſit & longæuus. Idem dixerim, ſi quis ex multis qui in eodem ſint loco theſaurum inueniat vnus, aut vnus è naufragio ſoſpes ſit inter plurimos: hæc enim & ſimilia ex bona fortuna ſeu fortunæ beneficio videntur euenire. Atque his exemplis quartum præſtat Ariſtoteles dum illuſtrat bonæ fortunæ efficientiã. Nunc quoniam abſoluit explanationem eorum bonorum quæ ſiue extrinſecus accedunt & fortunæ dici ſolent, ſiue pertinent ad corpus, ſupereſſet vt Ariſtoteles declararet vim & naturam bonorum animi ſed tamen quoniam de virtutibus largè opportunius ibi diſputabitur vbi demonſtratiuum genus explanabitur, perplacet (inquit Ariſtoteles) virtutis tractationem ad demonſtratiuum genus reijcere.

Alterum bonæ fortunæ ſignũ.

IV. *In quo ex dictis bonæ fortunæ vis illuſtratur exemplis.*

vide an vllũ promiſſũ bonã et an retineri poſſit cõtra Victorium tripartita bonorum diuiſio.

CAPVT VI.

PARTICVLA CIV.

ΩΝ μὲν οὖν δεῖ στοχάζεσθαι προτρέποντας, ὡς ἐσομένων ἢ ὑπαρχόντων. καὶ ὧν ἀποτρέποντας, φανερόν. τὰ γὰρ ἐναντία τούτων ἐστίν.

AC in quæ quidem oportet intueri eos, qui ſuadent tanquam futurã, aut præſentia, & in quæ eos, qui diſſuadent, apparet. Contraria enim horum ſunt. 715 *Riccobonus.*

QVæ igitur ſpectare oportet eos, qui ſuadent, tanquam futura, aut præſentia perſpicuum eſt; & rurſus qui diſſuadent: ſunt enim eis, quæ iam dicta ſunt contraria. *Maioragius.*

Explicatur tota loci ſẽtentia.

ENumerauit ac declarauit ea bona, quæ pertinẽt ad beatam vitam atque adeò cenſentur illius partes. Nunc quoniã id non ea de cauſa fecit quòd Rhetoris ſit de beata vita eiúſque partibus verba facere (hoc enim ad moralem Philoſophum pertinet nõ ad Rhetorem) ſed quia talium cognitio rerum opportuna vel potiùs neceſſaria ei ſit qui appoſitè ſuaſionem & diſſuaſionem inſtituere cupiat, huc ſeſe refert Ariſtoteles vt doceat quî tandem poſſit ac debeat Orator ad ſuaſionem & diſſuaſionem propoſitorum bonorum cognitionẽ referre. Prius igitur colligit quæ dicta ſunt (id quod facit in hac particula) tum de dictorum bonorum vſu vniuerſim ſaltem admonet Oratorem qui in deliberatiuo verſetur genere, quod tamen ſigillatim & diſtinctè faciet continenter in reliquo hoc capite. Iam igitur apparent (inquit Ariſtoteles) ea in quæ qui ſuadent intueri debent, tanquam futura vel præſentia: & rurſus quę ſpectare debent qui diſſuadent. Ac rectè. Iſthæc enim eo conſilio enumerata & declarata ſunt vt Orator illis cognitis & exploratis, & ad ſuaſionem & diſſuaſionem referat. Si enim oſtenderit id quod ſuadet cõtinere propoſita bona vel ad eorum adeptionem pertinere, appoſitè ille quidem inſtituet ſuaſionem: quemadmodum è cõtrario appoſitè diſſuaſionem inſtituet vbi oſtenderit id quod diſſuadet propoſitorum bonorum poſſeſſioni aut adeptioni aduerſari. Hæc Ariſtoteles, quibus ſine dubio commõſtrat Oratori in vniuerſorum iſtorum bonorum vſum. Tria tamen interim dubitari poſſunt. Primum eſt quia dum ait ea ſuaderi tanquam futura, rectè quidem: nam in deliberatiuo genere futurum ſpectatur tempus: ſed dum pergit *ἢ ὑπαρχόντων, aut præſentia*, id verò videtur falſum: nam præſentia (quemadmodum ipſemet Ariſtoteles docuit) in demonſtratiuo ſpectantur non

Dubitãtur tria.

I. 716 *c. 3. poſt init.*

Digitized by Google

non in deliberatiuo. Alterum eſt quia de ijs quæ pertinent ad ſuaſionem diſſeruit quidem hactenus: bona enim illa pertinent ad ſuaſionem: de contrarijs verò quæ ſine dubio ſunt oppoſita mala ne verbum quidem: & tamen ait ea etiam quę ad diſſuaſionem pertinent apparere. Poſtremum eſt quia grauiſſimum Oratori imponit onus Ariſtoteles dum in ea quæ tam latè diſſeruit de vndeuiginti illis beatitudinis partibus ſpectari iuber ab Oratore. Quod eò difficilius videri debet atque onerofius quòd pleraſque omnes ex propoſitis partibus in alias ſubinde atque alias particulas tam longè ac latè diſtribuit vt in immenſum ferè excreuerit partium numerus. Hęc contra Ariſtotelem. III.

Quibus tamen licet ſatisfacere. Ac primum Ariſtoteles verbis illis *ὡς ἐσομένων ἢ ὑπαρχόντων vt futuris aut præſentibus* ſignificat eum qui ſuadet, debere oſtendere propoſita bona vel ineſſe vel fore vt inſint rei quam ſuadet: vt ſi verbi gratia ſuadeat pacem, debet oſtēdere hanc vel continere vel eſſe allaturam propoſita bona. Nihil igitur prohibet quò minus adhuc Orator ſpectet vnum futurum tempus, nam adhuc de re futura cōſultat ac deliberat qui ſuadet pacem: tametſi huic bona illa ineſſe oſtenderit. *Reſpondetur.* *Ad I.*

Fateor autem Ariſtotelem de malis non egiſſe quæ pugnant cum propoſitis bonis quæque beatitudini obeſſe ſolent: ſed tamen ex bonorum illorum cognitione facilè dignoſci poſſunt & colligi. Qui enim audierit verbi gratia diuitias, honorem, & multam prolem eſſe beatæ vitæ partes ſeu requiri ad beatam vitam, is oppidò intelligat paupertatem, ignominiam, orbitatem illi obeſſe. *Ad II.*

Illud tamen moneo Ariſtotelem eo conſilio affirmare jam conſtare quæ ſint ea quæ ſpectare debeat Orator in ſuaſione, nō quòd ea ſimul omnia ſpectare debeat qui ſuadet aut cōtraria qui diſſuadet (hoc enim infinitum propè eſ- *Ad III.*
717 ſet) ſed quia vnum aut aliqua ex propoſitis bonis aut malis ſpectare debet qua auditorū obtrudat auribus vt ſuadeat aut diſſuadeat. Tametſi quò plura obiecerit illis aut bona aut mala eò ſuadebit aut diſſuadebit faciliùs. Denique fieri poteſt vt interdum vel vnū ex illis valeat ad ſuaſionem aut diſſuaſionē: vt ſi Imperator mercenarijs militibus ſuadeat prælium, quòd diuitias inde referre ingentes poſſint, aut diſſuadeat quòd prædæ locus ſit nullus. Sed tamen vbi prædæ ſpei gloriam adiunxerit, aut è contrariò docuerit non modò nullum fore prædæ locum ſed dedecus ac vitæ periculum in promptu eſſe, faciliùs ſine dubio ſuaſerit aut diſſuaſerit.

PARTICVLA CV.

Ἐπεὶ δὲ πρόκειται τῷ συμβουλεύοντι σκοπὸς τὸ συμφέρον. βουλεύονται δὲ οὐ περὶ τοῦ τέλους, ἀλλὰ, περὶ τῶν πρὸς τὸ τέλος. ταῦτα δ᾽ ἐστὶ τὰ συμφέροντα κατὰ τὰς πράξεις. τὸ δὲ συμφέρον ἀγαθὸν, ληπτέον ἂν εἴη στοιχεῖα περὶ ἀγαθοῦ καὶ συμφέροντος ἁπλῶς.

Riccobonus. QVoniam autem propoſitus eſt deliberandi ſcopus id, quod vtile eſt, & conſultant non de fine, ſed de ijs, quæ ſunt ad finem, & hęc ſunt vtilia in actionibus, & vtile eſt bonum, ſumenda erunt elementa de bono, ac vtili ſimpliciter.

Maioragius. *SEd quoniam deliberanti propoſita eſt vtilitas; & qui deliberant, non de fine ipſo, ſed de ijs quæ ſpectant ad finem deliberant: ea verò ſunt, quæ in ſingulis actionibus proſunt, & quod prodeſt, bonum eſt: ideo de bono atque vtili generatim mihi dicendum, &, quæ ſint eius initia atque elementa, quærendum arbitror.*

QVemadmodū vbi docuiſſet Ariſtoteles ac longè ac latè explicaſſet quæ eſſent bona in quæ ſpectare is debeat qui in deliberatiuo genere verſetur Orator; ſtatim monuerat commemorata bona eſſe illi ſpectanda vt rectè ſuaſionem aut diſſuaſionem inſtitueret; ita in pręſentia his Orato- *Explicatur loci ſententia vniuerſa.*
718 ri in memoriam reuocatis, vt ſtrennè vrgeat opus, pergit, ac de ratione illum admonet qua ad propoſitam ſuaſionem & diſſuaſionem deſcendat. Primò igitur commemorat deliberanti vtilitatem eſſe propoſitam: id quod ſupra decla-

Digitized by Google

rauetat luculentè. Nam licet honeſtas momentum habeat magnum, vbi tamen abſit: vtilitas vix ac ne vix quidem valeat ad ſuadendum. Addit non quidem de fine ipſo deliberari ſed de ijs quæ pertinent ad finem. Ac rectè: finem enim naturaliter ac proinde neceſſariò expetimus non conſultatione aut electione deligimus: ita vt de ijs quæ ſpectant ad finem & fini adipiſcendo conducunt, quoniam & multa ſunt & varia & plerūque ambigua, incidat deliberandi locus. Iam verò quoniam ea quæ pertinent ad finem ſunt vtilia & actionibus humanis proſunt ac gerendis rebus; quod verò gerendis rebus prodeſt, bonum eſt, ac ſummatim quicquid eſt vtile id bonum cenſeri debet, illud ſupereſt inquit Ariſtoteles vt elementa de bono & vtili ſimpliciter ſumamus & cōmunō ſtremus. Sic Ariſtoteles in præſentia: vbi quinque veluti ſumprionibus videtur ſe ſe ad boni tractationem inſinuare quarum prima illa ſit. Deliberanti vtile eſſe propoſitum. Secunda non de fine ſed de ijs quæ fini ſeruiant deliberari. Tertia hæc ad res gerendas pertinere, & in humanis actionibus uerſari. Quarta eſſe vtilia. Quinta proindéque etiā eſſe bonum.

Dubitatur. I. Ipſe tamen interim aduerſus Ariſtotelem dubitare magnopere cogor. Nā cum Ariſtoteles retulerit vndeuiginti illa bona ſeu partes beatæ vitæ vt, inde liceat Oratori homines excitare, & quod ſibi propoſuit, commodè ſuadere, quēadmodum modò Oratori reuocabat in mentem, nihil erat cur continenter de bonis ageret, cum ea tam longè ac latè commemoraſſet & Oratori explicaſſet: multò minùs erat cur bona 719
confeſſa proſequeretur quaéque nullam haberent dubitationem apud homines: nam talia planè ſunt vndeuiginti illa quę commemorauit & in varias ſubinde partes tribuit bona. Denique vel hæc vel illa reticenda erat bonorum commemoratio cum in idem

II. recidant, præſertim confeſſa & beatitudinis partes. Adde quod ſi controuerſiæ diſceptatio oritur de ijs quæ ſunt ad finem & hæc ſunt tantùm bona vtilia, otioſa videri poteſt & verò debet cōmemoratio boni ſimpliciter, multò magis bonorum per ſe quaéque ſui cauſa expetuntur.

III. Vt omittam interim longè obſcurum videri poſſe quod ait ſumenda de bono & vtili ſimpliciter τὰ στοιχεῖα, elementa: nam quæ obſecro ſunt elementa quibus bonum atque vtile conflatur aut in quæ ſoluitur? hęc enim elementa te Authore Ariſtotele cenſeri debent. Sed hæc res commodiùs tranſigetur vbi propoſita bona fuerint explicata: authoris enim artificium & conſiliū fortaſſe apparebit planiùs.

Propoſitæ dubitationes in aliū locum reijciuntur. Interim illud potiùs obſeruemus bona Ariſtoteli hoc in loco alia eſſe τὰ ὁμολογούμενα (ſic enim poſtea) alia ἐν τοῖς ἀμφισβητουμένοις hoc eſt confeſſa alia, alia ex controuerſijs: ac de vtroque genere diſputat in hoc capite; de confeſſis tamen priùs tùm de controuerſis. Et quoniam confeſſa rurſus ſiue mauis controuerſa aut certè vtraque (de hac enim re ſuo loco) poſſunt eſſe maiora & minora, ita vt non oriatur cōtrouerſia num aliquid ſit bonum vel vtile, ſed duobus bonis propoſitis, vtrum ſit maius aut vtilius, idcirco de 720
maiori quoque & minori bono differet, idque in capite ſequenti. Nunc igitur a bonis confeſſis incipientes cum Ariſtotele, quid doceat, audiamus.

PARTICVLA CVI.

Ἔστω δὴ ἀγαθὸν, ὃ ἂν αὐτὸ ἑαυτοῦ ἕνεκα ᾖ αἱρετόν. καὶ οὗ ἕνεκα ἄλλο αἱρούμεθα, καὶ οὗ ἐφίεται πάντα, ἢ πάντα τὰ αἴσθησιν ἔχοντα, ἢ νοῦν, ἢ εἰ λάβοι νοῦν, καὶ ὅσα ὁ νοῦς ἑκάστῳ ἀποδοίη, καὶ ὅσα ὁ περὶ ἕκαστον νοῦς ἀποδίδωσιν ἑκάστῳ, τοῦτο ἐστὶν ἑκάστῳ ἀγαθόν. καὶ οὗ παρόντος εὖ διάκειται καὶ αὐτάρκως ἔχει, καὶ τὸ αὔταρκες, καὶ τὸ ποιητικὸν ἢ φυλακτικὸν τῶν τοιούτων, καὶ ᾧ ἀκολουθεῖ τὰ τοιαῦτα καὶ τὰ κωλυτικὰ τῶν ἐναντίων, καὶ τὰ φθαρτικά.

Riccobonus. IAm ſit bonum, quod ipſum ſui cauſſa eligendum eſt. Et cuius cauſa aliud eligimus. Et quod appetunt omnia, aut omnia ſenſum habentia, aut mentem, aut ſi aſſumerent mentem. Et quæcumque mens vnicuique dictauerit. Et quæcunque de vnoquoque mens dictauerit vnicuique bonum. Et quo præſente bene diſpoſitum eſt, ex ſe ipſo contentum eſt. Et quod ſibi ſat eſt. Et quod idoneum eſt ad efficienda & cuſtodienda talia. Et quod conſequuntur talia. Et quæ idonea ſunt ad prohibenda contraria, & quæ ad corrumpenda.

Ponamus

Maioragius.

Ponamus ergo bonum id eſſe, quod ipſum propter ſe ſit expetendum; & cuius gratia ſolemus aliud expetere, & quod res omnes expetunt; vel ſaltem illa, quæ ſenſu prædita ſunt, vel intelligentiam habent, vel ſi eis intelligentia daretur, & quicquid ratio atque intelligentia cuique dictaret. Et quæcumque ſingulis in rebus vnicuique ratio tribuit, atque aſſignat, ea ſunt vnicuique bona. Illud quoque bonũ eſt, quo præſente, res benè ſe habet, nec quicquam amplius deſiderat; & quod per ſe ſuffi-
721 *ciens eſt. Quin etiam quod hæc ipſa conficiendi, & cuſtodiendi vim habet, bonum eſt. Et quod hæc eadem conſequuntur, & quod contraria depellit, atque interimit.*

Decẽ profert Boni deſcriptiones.

DEcem hoc in loco profert boni deſcriptiones, quales quales illæ ſint: nã reuera aliquæ verbis tãtùm diſſident, aliquę perquam finitimæ ſunt & ſimillimæ. Quod tamen diſſimulat Ariſtoteles quia populariter diſſerit, atque Oratori ſeruit, cui ſat eſt hanc bonorũ varietatẽ, quęcunque illa ſit, obtuliſſe. Et hac de cauſa non requirit Ariſtoteles quæ ſit potior deſcriptio: populariter enim differenti Oratori, vſui eſſe poſſunt omnes. Sed percurramus ſingulas. Prima eſt bonorũ eſſe quod αὐτὸ ἑαυτοῦ ἕνεκα ᾖ αἱρετόν, quod inquã ſui cauſa ſit eligendũ. Vbi, cum reuera ſint multa quę alterius gratia eligũtur, cuius modi ſunt diuitiæ atque opes, hic ea boni nomine intelligit quæ nõ alterius gratia ſed per ſe ſeu propter ſe expetuntur & eliguntur. Verùm antequã de iis agamus, quæ vel propter ſe vel alterius gratia dicũtur experi, ſubſiſtere tãtiſper cogor, dum importunã quã huc inuexit Maioragius, ſententiã refello. Ita enim fiet, vt non modò Ariſtoteleam verùm etiã Tullianã hac de re ſententiã ſine errore percipiamus.

I. Deſcriptio.

Digreſſio in Maioragiũ locum hunc perturbãtẽ.

pag. 72. ſ col. 2. & pag. 73. p

Ergo, aduertendum eſt (inquit Maioragius) *aliud eſſe propter ſe expetere, aliud expetere per ſe: nam expetere per ſe eſt detracta etiã omni vtilitate commodóque aliquid amplecti. atque hoc modo tantum honeſtas eſt per ſe expetenda, quǽque honeſtatem conſequi ſolent, vt honor & gloria. multi enim pro honeſtate, & gloria, nõ tantũ omnem vtilitatem contemnunt, ſed etiã vitam profundunt. ita ſunt multi*
722 *(inquit Cicero) quibus videmus optabiles mortes fuiſſe cũ gloria, qualis fuit Codrus, Menechæus, & apud Romanos Regulus, Curtius, Decij, multique alij, ſed hæc quæ per ſe expetũtur licet maxima bona ſint, non tamen ſemper ſunt vtilia illi, qui ea poſſident, alijs autem multum proſunt, vt iuſtus vir ac liberalis non ſibi ſed alijs prodeſt. at verò propter ſe expetere, eſt aliquid cupere non tantùm propter honeſtatẽ, ſed etiam propter adiunctam vtilitatem, hoc modo propter ſe expetuntur artes & ſcientiæ, quæ & honorem & vtilitatem adferre ſolent atque omnes vitæ cõmoditates quæ penè ſunt innumerabiles, propter ſe expetuntur. atque hanc diſtinctionẽ ex Partitionibus Ciceronis ſumpſimus. qui ait per ſe expetenda eſſe ea quæ ſita ſunt in officijs atque virtutibus, quæ verò propter ſe expetũtur, partim honeſtate ipſa, partim cõmoditate aliqua.* Sic Maioragius. Qui ſanè rem hanc totã

part. 74. pag. 141.

in Tullianis Partitionibus ipſis proſequitur & confirmat (ſi tamen confirmat) fuſiùs. Cum enim ſcripſiſſet M. Tullius, *Bonorum autem partim neceſſaria ſunt vt vita, pudicitia, libertas, vt liberi, coniuges, germani, parentes; partim non neceſſaria, quorum alia ſunt per ſe expetenda, vt ea, quæ ſita ſunt in officijs atque virtutibus, alia quòd aliquid commodi efficiunt, vt opes, & copiæ. Eorum igitur, quæ propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expetuntur, honeſtate ea, quæ proficiſcuntur ab iis virtutibus, de quibus paulò ante eſt dictum quæ ſunt laudabilia ipſa per ſe, commoditate autem aliqua, quæ ſunt in corporis, aut fortunæ bonis expetenda, quorum aliqua ſunt quaſi quodam modo cum honeſtate coniuncta vt honos, vt gloria, alia di-*
723 *uerſa, vt vires, forma, valetudo, nobilitas, diuitiæ, clientelæ.* Ecce tibi Maioragius; *Hic locus* (ſubdit) *non mediocrem habet difficultatem, quia videtur Cicero diuiſionum membra confundere, neque ſatis ſibi conſtare; cũ enim antea dixiſſet; bona non neceſſaria partim per ſe expetenda, partim quòd aliquid commodi efficiant, nunc iterum addit, quæ propter ſe expetuntur, partim honeſtate ipſa, partim commoditate aliqua expeti, atque ita tria genera bonorũ hoc eſt animi, corporis & externa, propter ſe dicit eſſe expetenda, cum tamen ſupra iam dixiſſet ſola, quæ ſita ſunt in officijs atque virtutibus per ſe expetenda eſſe. Huc accedit, quòd eadem diuiſione bis vti videtur, quod maximè vitioſum eſt. Quid enim intereſt, vtrũ eo modo diuidas; Bonorum alia ſunt per ſe expetenda, vt ea, quæ ſita ſunt in officiis atque virtutibus, alia quod aliquid cõmodi efficiãt, an illo modo: Quæ propter ſe expetuntur partim honeſtate ipſa, partim cõmoditate aliqua expetuntur.* Sic iſte, qui ſanè mox ferè, vt rẽ explicet, ſic pergit. *Apud Ciceronẽ aliud eſt per ſe expetendum, & aliud propter ſe expetẽdum. Nam per ſe expetẽdum id dicitur, quod detracta omni cõmoditate atque vtilitate tamẽ natura ſua maximè eſt laudabile, quales ſunt ipſa virtutes. Propter ſe expetendũ dicitur quicquid boni na-*

turā obtinet ſiue ſit in animo, ſiue in corpore, ſiue in rebus externis. Sed profectò errat vehemē-
ter, ac totū hūc Ciceronis locum perturbat confunditque temerè. Errat quia apud M.
Tullium per ſe aut propter ſe experi in idē recidunt vſurpātúrque promiſcuè. Quapro-
pter id quod in propoſito partitionū loco ait per ſe expetendū eſſe, idē lib. II. de Inuen- *pag. 103. m. in fol. Lamb.*
tione dixerat propter ſe expetendū: vtrobique enim loquebatur de virtutibus, quas pro
pterea modò per ſe, modò pp ſe experi affirmat. Et ſanè quod ſępe ait nos ad ſe ſua vi al- 724
licere, cuiuſmodi eſt Virtus (ſic enim ille in II. de Inuentione) dixerat pp ſe expetendū: *pag. 103.*
vtrobique enim loquebatur de virtutibus, quas propterea modò per ſe modo pp ſe ex- *m. ī fol.*
peti affirmat; Et quidē quod ſæpe ait nos ad ſe ſua vi allicere, cuiuſmodi eſt Virtus (ſic *Lamb.*
.n. ille in II. de Inuētione) ita quod ſua ui nos allicit & per ſe aliquādo, aliquādo etiā pp *loco citato.*
ſe experi affirmat, hęc dicendi genera promiſcuè vſurpans omnia. Neque verò erat cur
propoſitus Partitionū locus tantopere commoueret Maioragiū. Nā germana eius loci
vis atque ſentētia hæc eſt. Bonorū autē partim neceſſaria ſunt, vt *vita, pudicitia, libertas,*
vt *liberi, coniuges, germani, parentes,* quod eſt hęc a natura nobis tribui ſeu nobiſcum oriri:
vita enim, Parentes & id genus alia nobis a Natura tribuuntur, & orientibus nobis cō-
municantur, ita ut quemadmodū naturalia, ſic etiā neceſſaria, iurè ac meritò appellen-
tur. Nā libertas ideò dicitur bonū a natura, quia cōmuniter homines naſcuntur liberi:
quòd ſi quis fortè naſcatur ſeruus, nil prohibet quominus libertas bonū naturale dica-
tur; ſeruitus enim inter bona nō numeratur. Pudicitia verò, qm nobis innaſcitur, quē-
admodū ingenuitas, ſicut naturalis, ſic neceſſaria cenſenda eſt. Denique quemadmodū
innocentia (innocentiā nunc appello bonitatē illā vnde nocemus nemini) puerilíſque
ſimplicitas nō ab re naturalis cēſetur & neceſſaria, ſic liberras quę obtigerit a Natura.
Iā verò de bonis dū pergit Cicero Partim nō neceſſaria, ea intelligit bona, quæ non tā a 725
natura nobis tribuuntur q̄ induſtria parantur ſeu extrinſecus nobis a fortuna aduenire
dicuntur. Et ideo alterū hoc membrū è veſtigio diſtribuēs, ſequitur, *quorum alia ſunt per
ſe expetenda, vt ea quæ ſita ſunt in officijs atque virtutibus alia quod aliquid commodi efficiunt vt
opes & copiæ,* vbi per priora bona ea intelligit quæ moribus atque exercitatione paran-
tur (atque hæc in officijs collocat & virtutibus) per poſteriora intelligit quæ extrinſe-
cus accedunt & a fortuna proficiſci dicuntur, cuiuſmodi ſunt opes & copiæ: & has ad
commodum reuocat quod aliquid cōmodi efficiūt: ita vt res hactenus perſpicua ſit &
plana. Quòd ſi pergens ait, *Eorum autem quæ propter ſe expetuntur* &c. vſque *bonis expetēda,*
ſine dubio bipartitò diuidit primum illud membrum quo res per ſe expetendas cōclu
ſerat (vbi ſatis conſtat pp ſe idem valere quod antea per ſe) ita vt res quæ ſunt per ſe vel
propter ſe expetendæ, aliæ adiunctū habeant aliquid cōmodi & vtilitatis vnde tum pp
honeſtatē, tum propter vtilitatem expetantur. Sentit enim quędā experi propter ſolam
honeſtatem vt iuſtitia & virtus, alia propter ſolam commoditatē, vt opes & diuitiæ: alia
vtrunque bonū habere cuiuſmodi eſt amicitia. Et ideo ea quæ propter ſe, ſeu per ſe ex-
petuntur, partim eſſe ſimplicia, ita vt ſolam contineant honeſtatē, partim eſſe ex hone- 726
ſtate & vtilitate cōflata. Et ideo pergit. *Honeſtate* &c. vſque *bonis expetenda.* Et quoniam *Pag. 141. E.F.*
potuiſſet quis ſciſcitari quænā eſſent ea quæ vtroque iſto bono gauderent, ac propterea
tum propter honeſtatem tum propter vtilitatem eſſent expetenda, pergit, *quorum alia
ſunt quaſi quodammodo cum honeſtate coniuncta, vt honos, vt gloria.* Quanquam quoniam po
tuiſſet rurſus quis requirere quæ tandem eſſent merè vtilia, ita vt ab honeſtis diuerſa
dicerentur, pergit *Alia diuerſa,* vt *vires, forma, valetudo, nobilitas, diuitiæ, clientelæ:* hæc enim
per ſe diuerſa ſunt ab honeſtate ac ſine honeſtate eſſe non poſſunt: & ideo merè vtilia
dicuntur: contra verò honor, gloria, (idem tu de amicitia dicas atque huiuſmodi alijs)
ſi vera ſint, cum honeſtate coniuncta ſunt. Ita quidem quæ expetuntur bona (ſi M.
Tullio credimus) alia honeſtatis cauſa expetuntur, alia vtilitatis gratia: licet quæ expe-
tuntur honeſtatis gratia, vtilitatem quoque aliquam habent adiunctam, ita vt hone-
ſtatis & vtilitatis gratia expetantur. Tametſi quoniam in his honeſtas in primis enitet
& ſpectanda eſt, duobus tantùm membris diſtribuit primùm res expetēdas: tum prius
illud membrū diuidit bipartito: ita ut perperā videri poſſit alicui bonorū mēbra cōfun
dere (quod ait Maioragius) ac perturbare M. Tullius. Verè.n. ſibi mirificè cōſtat. Id quod
intelligere quoque licet ex ijs quæ ſcripſerat in II. de Inuētione, Vbi, *Rerum expetēdarum* *pag. 103. m.*
(inquit) *Tria genera ſunt,* &c. vſque *bona exiſtimatio.* Quid multa? *In primo genere* (ſubdit) 727
quæ ſunt &c. vſque *honeſtas & vtilitas.* Hæc M. Tullius: quibus & tandem Partitionum
ſententiam dilucidè complexus fuerat, & ab honeſtate atque vtilitate bimembrem di-
uiſionem

uiſionem prętēdam, tertium quoque membrum quod ex ſimplicibus coaleſceret ad-
dendum, oſtenderat. Itaut tota iſta Maioragij doctrina proſus excludēda ſit. Præſertim
verò quia eò adducitur Maioragius vt dicat res quoque externas omnes eſſe per ſe ex-
petendas: cum tamen Cicero omnino repugnet, qui bona ait quidem expetenda, ſed
non per ſe omnia verùm aliqua tantùm: itaut opes ac diuitiæ nō propter aut per ſe ſed
alterius gratia expeti exiſtimauerit: Ariſtoteli nimirum inhærens, qui cum alibi ſæpè
tum præſertim in lib. I. Moralium, capite VII. bona alia καθ' αὑτὰ expeti ait alia δι' ἄλλο,
vbi interpretes καθ' αὑτὰ modò *per ſe* modò propter ſe vertunt aut interpretantur. Scio
M. Tullium in lib. I. de Finibus illud pronuntiaſſe, *Virtus per ſe & propter ſe expetenda*: in
libro etiam de Amicitia illud addidiſſe, *Amicitia per ſe & propter ſe expetita.* Sed tamen
eiuſmodi verba quæ ad Virtutis & Amicitiæ excellentiam altiùs declarandam conglo-
bantur, in idem recidunt: nam per ſe expeti eſt non expeti alterius gratia, quod eſt pro-
pter ſe expeti. Sed redeo ad Ariſtotelem vt boni quas affert deſcriptiones explicemus.
Principiò igitur ait bonum eſſe quod ſui cauſa ſit eligendum. Vbi cum multa ſint *Reditur ad Ariſtotelem.*
quæ (vt dicere cęperā) alterius gratia eliguntur; cuiuſmodi ſunt diuitiæ atque opes, hîc
boni nomine illa intelligit quæ nō alterius gratia ſed per ſe expetuntur & eliguntur: ac
728 talis eſt beata vita, virtus, honeſtas, vita ipſa, amicitia etiam ſi vera ſit & germana: atque
idem de voluptate dixerim. Quanquam quoniam inter hæc bona quæ per ſe expetun-
tur & eliguntur, ſola beata vita id habet vt nūquam alterius quoque gratia expetatur,
amicitia contra, virtus & cætera huiuſmodi cùm per ſe tùm propter beatam vitam ex-
petantur & eligātur, magnopere ſuſpicor hoc in loco ſolam beatam vitam intelligere.
nam ὃ αἱρετὸν ἑαυτοῦ ἕνεκα, ſolitarium eſſe indicat ac propterea antonomaſticè & abſolutè
eſſe bonum. Tametſi cum non dicat *tantùm* ſiue *ſui gratia tantùm* eſſe eligendum, ſuſ-
picari quidem poſſumus ipſam beatā vitam intellexiſſe, tutò autem id affirmare haud
poſſumus. Hæc eſt prima boni deſcriptio: quam iure primo afferre loco quòd huiuſ-
modi bonum cæteris quàm longiſſimè præſtet. Altera eſt bonum eſſe id cuius cauſa *II.*
aliud eligimus. Quæ deſcriptio in primam fermè recidit: nam id cuius cauſa eligimus *Boni deſcriptio.*
cætera, eſt id quod ſui cauſa eligendum eſt; nimirum beata vita, primum ac præcisè, cū
cætera quæ recenſebam. itaut vnam beatam vitam deſcribat rurſus, vel certè, quoniam
non addit *tantùm* hanc vel maximè; ſecundum beatam vitam intelligi honeſtatē quo-
que & cætera quæ dicebam. Quod ſi etiam has duas deſcriptiones ad vnam quis re-
uocare moliatur, quaſi verò poſterior pars ſit prioris expolitio nec res ipſa nec verba
& modus loquendi Ariſtotelis repugnet: tametſi percommodè diſtinguuntur. Tertia,
729 bonum eſſe quod appetunt omnia. vbi obſerua non dicere quod αἱροῦνται eligunt, ſed *III.*
ἐφίεται: quia eligere eſt mentis. & ideo dixerat eligimus. at appetere eſt finis qui non *Deſcriptio, quæ eſt quadripartita*
conſilio indiget vt electio. Quanquam quoniam appetendi vis non videtur omnibus
rebus tributa, ideo ſubdit aut omnia quæ ſenſum habent. Quòd ſi etiam quis pugnet
interea, quæ ſenſum habent, ea tantùm quæ mente ſunt prædita & intelligētia, propriè
cognoſcere bonum, ac proindè propriè illud expetere, addit ſi non omnia quæ habent
ſenſum, ſaltem omnia quæ habent mentem. Et ſanè belluæ appetunt illæ quidem, ſed
natura inſtigāte, ita vt bonum quod appetunt vel nō cognoſcant, vel certè imperfecta
quadā cognitione cognoſcant, itaut ad bonū natura potiùs impellantur, quàm cogni-
tione adducantur, vel & natura & cognitione quadā. Quanquam ſi quis velit bonum
verè illud eſſe quod ab omnibus rebus expeteretur dū iis mēte donarētur quà illud co
gnoſcerēt, & ad expetendū adducerētur, ne id quidem detrecto, inquit Ariſtoteles. Ita
quidē nō rurſus ſtatuit bonū eſſe quod omnia appetūt, ſed quod ab oībus appeteretur
ſi mēte vterētur. Itaut tres priores huius deſcriptionis partes bonū ſtatuant quà re ipſa
appetitur (ſiue ab omnibus rebus, ſiue ab ijs ſolū quæ ſenſu ſunt prędita, ſiue ab his, quę
mēte ornata ſunt, appetatur) at hęc poſtrema bonū ſtatuat quà appeteretur ab aſſumē
tibus mentē. Hæc tn̄ oīa diſiunctim profert Ariſtoteles. ut ſiue bonū appeti velis ab oī-
bus ſiue ab ijs tantū quæ ſenſu prædita ſunt, ſiue potiùs ab ijs ſolū quę vtūtur mēte, ſiue
730 ab ijs quæ aſſumerēt mentē integrū ſit Oratori vtrā velit ſnīam arripere. Ac pfectò cū
res ambigua ſit, iurè loquit̄ diſiunctim. Facilè. n. dicas ea etiā quę carent ſenſu & mēte
videri ſuaptè ſponiè ad bonum ferri; nam ideo lapis ad cētrum, ignis ad ſuam ſphæram
defertur vt cōſeruetur & bonum adipiſcatur, ita vt bonum patêre videatur quàm latiſ-
ſimè: & tamen è contrario videtur appetitio propriè ijs conuenire quæ voluntate &

mente inſtructa ſunt. Atiſtoteles igitur diſtinctè modos profert ac rerum indicat va-
rieratem quibus expeti poſſit bonum; quin, vt omni ſe inuidia liberet, addit vel ſi aſſu-
merent mentem, quæſtionem quæ hac de re ſubtiliter excitari potuiſſet prætermittẽs.
IV. *Deſcriptio.* Iam verò quarta deſcriptio illa ſit, bonum eſſe id quod vnicuique dictauerit mẽs. Cum
enim bonum videri poſſit alicui tum demum tale iudicandum & appellandum cum
expetatur, quale quale illud ſit; ſicut pulchrũ illud eſt aliquib⁹ qđ placet quale illud ſit,
hanc quoque ſentẽtiam in medium affert, atque ait id quod mens dictauerit ac proin-
de animus expetiuerit, bonum eſſe ſtatuendum. Ex quo ſanè fieret vt hæc deſcriptio
bono tam vero quàm quod boni ſpeciem tantùm refert, conueniret, dum tamen bonũ
inde appellaretur, quòd tale iudicaretur. Nec mirum hanc arripi deſcriptionem: quan-
doquidem interdum ij ſunt auditores quibus talis arrideat ſententia: ex qua Orator, ſi
opus ſit efficiat non quod lex iuſſerit aut Maiores præſcripſerint eſſe faciendum, ſed
quod mens ſuadeat: & idcirco nil cunctandum vt voluntati indulgeamus. Quãquam 731
fortaſſe eo tantùm nomine concedit bonum eſſe illud quod mens dictat, ſi vnicuique
id dictauerit mens, hoc eſt non vni aut multis ſed omnibus. Hinc enim licet coniecta-
re eſſe etiam per ſe bonum ac verum & ſolidum bonum: cum vix ac ne vix quidem fie-
ri poſſit vt quod mens ac ratio dictat omnibus, id falſum ſit bonum: quemadmodum
quod Natura omnes docet, non poteſt non eſſe verum. Ita quidem vero tantum bono
conueniet. ex quo fieret vt Orator hoc poſito facilè ſuadeat vitam omnino patriám-
que tuendam, vel etiam virtutem colendam quòd omnibus dictet mens hæc eſſe bo-
V. *Deſcriptio.* na. Iam verò quæ ſubijcitur deſcriptio boni, fortaſſe boni ſit, tum veri tum quod veri
ſaltem habeat ſpeciem. Dum enim pergit, & quæcunque de vnoquoque mens dicta-
uerit vnicuique, illud eſt vnicuique bonum, videtur addere ac populariter ſaltem cen-
ſere poſſe etiam videri bonum illud, quod ſi non vnicuique dictet mens, ſaltem quiſ-
que ſibi exiſtimet bonum, quale quale illud ſit. Quo tempore quod alicui mens dicta-
ret, id eſſet bonum, ex quo fieret vt qui furtum, vindictam & quid huiuſmodi ſibi iudi-
caret bonum, id ei eſſet bonum. Quod verendum eſt ne popularibus ac rationem in
conſilium vix quicquam adhibentibus perſuaderi poſſit. Et ſanè mens videtur men-
ſura ac regula rerum omnium appetendarum, Voluntas enim ſeu illa animi facultas
qua aliquid expetimus, cæca eſt; ita vt licet reuera ſit regina in homine ac præcipiat pro
arbitratu, mente tamen quæ oculatiſſima eſt, vtatur. Mens enim veluti in ſpecula col-
locata eſt vt vndique circumſpiciat & quæ circumſpexerit exploraueritque, renunciet 732
voluntati. Ita fit vt voluntas mentem ſequatur quæ illi eſt appetitionum tanquam re-
gula. Quidni igitur affirmemus id eſſe vnicuique rei bonũ quod mẽs dictauerit huius
aut illius rei eſſe bonum? Non ab re igitur hanc definitionem arripuerit Orator ſi ſen-
ſerit propoſitæ ſuaſioni aut diſſuaſioni eſſe accõmodatã. Nam reuera aut eſt optima,
ſi ſcilicet mens rationem ac maturã conſideratione in cõſilium adhibuerit; aut optime
ſpeciem refert quoniam a mente proficiſcitur quam vnam ſequitur voluntas. Iã verò
ſuccedit ſexta qua ſtatuitur id quo præſente bene afficimur & contenti ſumus, id eſſe
VI. *Deſcriptio.* bonum. Quæ ſententia eſt item valde plauſibilis. Id enim vnde ita afficimur vt ne ipſi
quidem quicquã ampliùs expetamus, ſed nos iam inde in optimo ſtatu collocatos exi-
ſtimemus, ſine dubio videri bonum debet atque adeò optimũ. Id quod illius boni ab-
ſentia declarabat. Si enim qui ægrotat bonũ in optima valetudine collocat; qui rerum
egeſtate premitur, in diuitijs & opulentia; qui in ignorantia verſatur in rerũ cognitione
ac ſapientia; qui in obſcuro iacet, in gloria; qui ſeruitute premitur in libertate, quidni
bonũ id reputet is qui omnibus ſe huiuſmodi malis vacuũ ac liberũ ſentiat & ita ſentit
vt nihil præterea appetat vnde contentus ſit? Atque hæc quidẽ populariter potiùs æſti-
manda ſunt quàm ſapiẽtum menſura aut trutina: ita nimirum vt tum demum huiuſ-
modi bonum alicui adeſſe dicamus cũ quietam ille vitam degit ac tranquillã, ita vt in
vtranque aurem, vt dicitur, dormire poſſit. Alioquin ſi vitæ ſufficientiam philoſophicè
expendamus, eò erit confugiendum vt omnia rurſus & fortunæ & corporis & animi 733
bona ad huius vitæ ſufficientiã reuocemus: & inter ipſa animi bona ſapiẽtiam quoque
requiramus: ex quo fieret vt quoniã hæc patet quàm latiſſimè, ac rerum humanarum
diuinarúmque cognitionem requirit, huiuſmodi bonum magis optandum eſſet
VII. *Deſcriptio.* quàm ſperandum. Sed quorſum ſeptima deſcriptio in qua ſubdit è veſtigio καὶ τὸ αὐταρ-
κες, hoc eſt id etiam eſſe bonum quod per ſe ſit ſufficiens? an non id ſatis in ſexta boni
deſcri-

Digitized by Google

deſcriptione comprehẽſum eſt? Sed profectò ita loquitur quod in præſens boni deſcriptiones requirit, commemorátque non tam id ſpectans quod rerum ac ſententiarum quàm vulgatarum propoſitionum ſeu deſcriptionum offerat varietas. Neque enim Oratori tam id ſpectandum cenſet quod Philoſophi doceant aut diſputent, quàm quod vulgo circunferri ſolet. Ac propterea quoniam alij dicerent id quo quis optimè afficeretur vt ſibi contentus videretur eſſe bonum, alij breuius τὸ αὔταρκες, id inquam quod ſufficientiam habet, Ariſtoteles, vt populares ſuppeditet Oratori propoſitiones, vtranque arripit ſiue in idem recidant ſiue vtrunque differant. Quãquam illud etiam
734 dicere poſſumus priorem eam ſpectare αὐτάρκειαν vnde quis ſe optimè affectum ac diſpoſitum ſentit (communi tamen more & populari) itaut contentus ſit: poſteriorem moderationem quandam adhuc maiorẽ excipere, itaut dum quis quod ſibi in ſuo ſtatu ſufficiat adeptus ſit, id bonũ exiſtimet. Et reuera Natura contenta eſt paucis. Quare Aglaus agelli fructibus contentus, nihil expetebat vltra. itaut hac de cauſa beatus ab
Epod. Od. 2. Oraculo ſit iudicatus. Ac propterea iurè etiam cecinit Flaccus.

Beatus ille qui procul negotijs,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis
Solutus omni fænore.

Succedit octaua boni deſcriptio qua ſtatuit id eſſe bonum quo quę bona cenſentur, & efficiuntur & cuſtodiuntur: ſiue quod ad ea efficienda, & cuſtodienda idoneum eſt & accommodatum, id eſſe bonum. Vbi, quoniam illud τῶν τοιούτων; *talium* refertur cũ ad τὸ αὔταρκες, cuius modò fecerat mentionem, tum ad bonum quod ſui præſentia nos optimè diſponit, quod iam tum cõmemorauerat, & ſummatim tum hæc tum fortaſſe alia his ſimilia deſignat quæ fuerãt in boni loco enumerata aut deſignata, requirendũ eſſet quale nam ſit bonum quod τοιούτων ποιητικὸν καὶ ἢ φυλακτικὸν appellatur. & ſanè ſi ſubtiliter res ſpectetur, Deus, Natura, Ars, Virtus, bonum illud cenſendum ſit, quod ea bona conficiat ac tueatur. tametſi nihil prohibet quo minus nõ populariter ac ſimpli- VIII. Deſcriptio.
735 ciùs æſtimantes, prudentiæ, labori, vigilantiæ, induſtriæ, frugalitati, amicitię, gratiæ, bonæ fortunæ id acceptũ referamus. Sequitur altera boni deſcriptio, quã his verbis exprimit Ariſtoteles. Καὶ ᾧ ἀκολουθεῖ τὰ τοιαῦτα; vbi ſignificat boni quoque mereri nomẽ ea ex quibus ſequuntur talia, ideſt (ſi Victorio credas ποιητικὸν καὶ φυλακτικὸν quaſi diceret nõ ſolùm id quod efficere aut conſeruare ſolet ea bona, bonum cenſendum: verùm etiam id vnde effectus vel cõſeruationis facultas iſta oritur atque promanat, in boni loco habendum eſſe. Maioragius tamen rem dilatat, id omne intelligẽs vnde res bonæ proueniunt. Crediderim ipſe ea quæ Victorius ſtatuit non ſola ſed primò intelligenda; tum propter vocem τὰ τοιαῦτα, cætera è quibus alia enumerata proueniunt & deriuantur. Cui ſententiæ poſtrema boni fauet deſcriptio in qua è contrario ea etiam cẽſentur bona quæ aduerſantia & contraria impediunt vel impediendi continent facultatem. quæ ſanè eadem videri debent cũ iis ipſis quæ bona illa efficere vel conſeruare ſolent. quod ſi interim hæc bona in idem pleraque recidere videntur, iam ſatis cõſtat deſcriptiones, quoniam vnam eandémque boni naturam nobis declarãt, verbis differre quidem poſſe, re difficulter; quia ſola hominum opinione & conceptione variantur. IX. Deſcriptio.

PARTICVLA CVII.

Ἀκολουθεῖ δὲ διχῶς· ἢ γὰρ ἅμα, ἢ ὕστερον· οἷον, τὸ μὲν μανθάνειν τὸ ἐπίστασθαι ὕστερον. τὸ δὲ ὑγιαίνειν, τὸ ζῆν ἅμα, καὶ τὰ ποιητικὰ τριχῶς. τὰ μὲν ὡς τὸ ὑγιαίνειν ὑγιείας, τὰ δὲ, ὡς σιτία ὑγιείας, τὰ δὲ ὡς τὸ γυμνάζεσθαι. ὅτι ἐπιτοπολὺ ποιεῖ ὑγίειαν. X. Deſcrip.
736

Riccobonus. COnſequuntur autem dupliciter, aut enim ſimul, aut poſterius, vt diſciplinã quidem ſcientia poſterius: ſanitatem verò vita ſimul. Ac idonea ſunt ad efficiendum tripliciter, partim vt ſanum eſſe, ſanitatem: partim vt cibaria, ſanitatem; partim vt exerceri, quod plerunque efficit ſanitatem.

Maioragius.

DVobus autem modis aliquid eſſe conſequens dicitur: vel enim ſimul, vel poſtea, vt ſi quis diſcit, conſequitur vt ſciat, ſed poſtea ſi benè valet, conſequitur vt viuat, ſed ſimul. Quæ conficiendi vim habent, tribus modis dicuntur; partim vt benè valere, & corpus habere benè conſtitutum, conficiens eſt bonæ valetudinis; partim, vt cibaria, quæ ſalubria ſunt, & conficientia ſanitatis; partim vt exercitatio corporis, quæ plerunque bonam efficit valetudinem.

CVm boni deſcriptiones in medium attulerit atque adeò abſoluerit omnes, iam quoniam in IX. deſcriptione ambiguam quandam vſurpauit vocẽ cum diceret bonum eſſe id ᾧ ἀκολουθεῖ τὰ τοιαῦτα, quod conſequũtur talia, declarat quæ conſequi dicantur. Ergo quę dicuntur conſequi, dupliciter conſequuntur (inquit Ariſtoteles) aut enim ſimul aut poſterius: exemplum prioris modi ſit vita ſeu potiùs viuere (id enim valet τὸ ζῆν) ad ſanitatem ſeu τὸ ὑγιαίνειν ad benè valere. ſic enim vita ſeu viuere conſequitur ſanum eſſe: vt ſint ſimul: & ideo vita dicitur eſſe ſimul cum ſanitate non poſteriùs conſequi: contra verò ſcientia poſterior eſt quàm diſciplina: priùs enim diſciplinæ pręcepta haurimus & mentem illis imbuimus, tum conſequitur ſcientia, quæ propterea con-
ſequi dicitur poſteriùs. Et hinc eſt vt vnum dicatur conſequens naturæ vt intelligamus 737
non eſſe poſteriùs tempore ſed origine tantum: aliud conſequens tempore, quod non modò origine verum etiam tempore ſit poſterius. Iam verò quoniam illud etiam vſurpauerat in VIII. deſcriptione, nimirum ποιητικόν, idoneum ad efficiẽdum, hãc quoque declarat vocem atque ait idonea ad efficiendum tripartitò variari: quod tamẽ illuſtrat tantùm exemplis; ita vt vno modo ſit idoneum ad efficiendum vt τὸ ὑγιαίνειν ὑγιείας hoc eſt ipſum benè valere vel ſanum eſſe ſanitatis, quæ duo ſunt quidem ſimul tempore; origine tamen ac proinde natura differunt. alter modus eſt vt cibaria ſeu alimenta ſunt efficientia ſanitatis; nam bona alimenta afferunt ſanitatem & ideò effectiua dicuntur ſanitatis: atque hæc origine & tempore differunt. poſtremus modus vt exercitatio quæ ſæpe affert ſanitatem: atque hæc etiam dicitur effectrix ſanitatis: ſed eſt cauſa extrinſeca. Ita quidem quoniam quæ aliquid efficiunt alia ſunt veluti forma vt ſanari vel ſanum eſſe ſanitatis, alia ſunt rei efficiendæ quaſi materia vt bonum alimentum ſanitatis, alia extrinſecus & mouent & efficiunt, vt gymnaſtica, & corporis exercitatio efficit ſanitatem, ideo tripartitò diſtribuit τὰ ποιητικὰ ſeu efficientia. Sed quorſum iſthæc? Vt nimirum intelligamus poſſe Oratorem dum in bonorum loco habet quæ vel conſequuntur, vel quæ efficiunt bona, ea omnia in huiuſmodi numerum referre ac prout opportunitas tulerit vſurpare. Sic M. Tullius in Oratione pro Archia ſuadet retinendũ Archiam in Ciuitate quòd Populi Romani facta literis commendaturus ac celebratu-
rus ſit. eodémque modo ſuadet Verrem damnãdum quòd inde contracta iudiciorum 738
infamia abſtergenda eſſet: Pompeium eſſe decernendum Imperatorem aduerſus Mitridatem quòd futurum eſſet vt maculam Mitridatico bello ſuſceptam, deleret. His ita

Tentatur iam eorum explicatio argumẽtorum quę in part. CV. obiecta sũt Aristoteli. Ad I.

conſtitutis, iam licebit fortaſſe ijs argumentis aliqua ſaltem ex parte ſatisfacere, quæ in Particula CV. obiecta ſunt Ariſtoteli. Ac primùm fateor Ariſtotelem cum in ſuperiore capite vndeuiginti illa bona numeraſſet & copioſè declaraſſet, eò progreſſum eſſe vt quandam veluti ſyluam bonorum nobis commonſtrarit. Sed tamen illud ſuccedebat vt propoſitiones inde hauriri poſſent quibus ad perſuadendum & diſſuadẽdum vteretur Orator enthymemata conflans & ratiocinationes. Atque huic rei ſternit aditum in hoc Capite VI. dum definitiones ſeu deſcriptiones boni profert quæ proximè ſeruiunt propoſitionibus conformandis quemadmodum patebit paulò poſt. Ita fit vt non ſolùm de bono vtili verùm etiam de bono vniuerſim dicendum fuerit & cuiuſcunque boni deſcriptiones afferendæ. quamuis enim vtilitas maximè ſpectanda, verumtamen ſi honeſtas accerſerit & iucunditas, ita vt doceas quod ſuades, non modò eſſe vtile ſed etiam honeſtum ac iucundum, commodiùs perſuadeas.

Ad II.

Adde quod ad vtilitatem quoad eius fieri poteſt reuocandæ ſunt & dirigendæ cum vtilitas in primis proponatur deliberatiuo generi. Et hinc etiam conſtat quid in hoc loco ſignificauit elementa dum ait ſibi tum boni tum eius quod vtile eſt, elementa eſſe ſumenda. Nam quemadmodum prima corpora quæ vocamus elementa, ſunt ex quibus primò componuntur cætera corpora & in quæ poſtremò

ſoluuntur

739 ſoluuntur; ita definitiones boni ſunt veluti elementa enthymematum & ratiocinationum in deliberatiuo genere dum ex illis conficiuntur propoſitiones ratiocinationum. Vt omittam apud Mathematicos ſumptiones etiam & propoſitiones ac principia quibus mathematicæ rationes conſtantur, elementa appellari. Hæc ad ea argumenta. Tametſi me non latet totam hanc rem vberiore diſceptatione indigere, quæ ſubijcietur non multò poſt. Nunc ad boni propoſitiones veniamus, de quibus ſic Ariſtoteles.

PARTICVLA CVIII.

Τούτων δὲ κειμένων ἀνάγκη τάς τε λήψεις τῶν ἀγαθῶν ἀγαθὰς εἶναι· καὶ τὰς τῶν κακῶν ἀποβολάς. ἀκολουθεῖ γὰρ τῷ μὲν τὸ μὲν ἔχει τὸ κακὸν ἅμα. Τῷ δὲ τὸ ἔχειν τὸ ἀγαθὸν ὕστερον καὶ ἡ ἀντ' ἐλάττονος ἀγαθοῦ μείζονος λῆψις, καὶ ἀντὶ μείζονος κακοῦ, ἐλάττονος. ᾧ γὰρ ὑπερέχει τὸ μεῖζον τοῦ ἐλάττονος. τοῦτο γίνεται τοῦ μὲν λῆψις, τοῦ δ' ἀποβολή.

Riccobonus. HIs autem poſitis neceſſe eſt vt & ſumptiones bonorum bonæ ſint, & malorum depulſiones. Conſequitur enim illud vt nõ habeamus malum ſimul: hoc autem vt habeamus bonum poſterius, & pro minore bono maioris ſumptiones, & pro minore malo minoris. Quo enim ſuperat maius id, quod eſt minus, id fit illius quidem ſumptio, huius verò depoſitio.

Maioragius. *HIs ita poſitis neceſſe eſt, bonorum adeptiones eſſe bonas, atque etiam malorum depulſiones: huic enim ſimul malum non habere, conſequens eſt; illi autem poſtea bonum habere. Item etiam pro minore bono maioris adeptio, & pro maiore malo minoris bona eſt: nam id totum, quo maius minori præſtat, fit illius quidem adeptio, huius autem depulſio.*

740 QVid doceat in hac particula & toto ferè hoc reliquo capite, obſcurum ; quorſum verò ſpectet, obſcuriſſimum: ita ut quæ ſuccedunt mihi quidem vel ſpinoſa, vel tenebricoſa, videri ſoleant. Ac primum dum ait, *His autem poſitis*, quid intelligit? decémne illas boni deſcriptiones, quaſi verò inde propoſitiones elicere & conformare velit; an verò ea tantùm quæ poſtremo loco dixerat vt declararet quæ eſſent ποιητικά, *Quàm ſpinoſus & obſcurus ſit hic locus; ſimulque declaratur.* quæque dicerentur conſequi? Deſcriptiones illas omnes in vniuerſùm crediderim ſignificari. Nam ſic videtur deinde elementa ſeu propoſitiones in medium afferre vt eas ex propoſitis deſcriptionibus deriuet confirmétue: etſi pleraſque propoſitiones ad ea conformet quæ de conſequentibus aut idoneis ad efficiendum obſeruauerat. Sed in progreſſu res efficietur planior. Deinde dum pergit, Neceſſe eſt vt λήψεις bonorum bonæ ſint, & malorũ depulſiones, quid obſecro per λήψεις ſignificat? video enim quoſdam, vt Sueſſanum, intelligere ſumptiones hoc eſt, ea quæ interdum aſſumuntur axiomata & propoſitiones: cum tamen Maioragius intelligere videatur adeptiones, quaſi verò ſignificet Ariſtoteles bonorum adeptiones & perceptiones. Ac primis quidem fauet tum vox ipſa quæ λῆμμα interdum valet ac ſumptionem quæ arripitur inter ratiocinandum, tum quia iam antea viſus eſt ſtatuere propoſitiones eſſe ex definitionibus iſtis eliciendas, & tanquam ratiocinationum principia & ſumptiones Oratori proponendas: Maioragio contra fauet tum vox quæ item adeptiones valet, tum illud in primis quòd cum ait Ariſtoteles tum ſumptiones bonorum eum depulſiones malorum eſſe bonas, opponit λήψεις bonorum depulſionibus malorum, ita vt omnino de adeptionibus & perceptionibus bonorum loqui videatur. Ita ſanè quem-
741 admodum M. Tullius dum ſcribit *Nos beatam vitam non depulſione mali ſed adeptione boni iudicemus*, per adeptionem boni nil minùs intelligit quàm ſumptionẽ ſeu propoſitionem quæ arripitur tanquã certa, ſic Ariſtoteles per λῆψιν nil minus quàm ſumptio-

nem

Digitized by Google

nem deſignaret: ſed boni adeptionem & perceptionem omnino intelligeret. Et hanc crediderim eſſe germanam Ariſtotelis ſententiam: præſertim quia quæ ſequentur cũ illa magis congruunt: vt cum dicitur nos benè affici. Tametſi non eſt negandum ea deinde ex quibus bonorum adeptiones ſeu perceptiones fieri dicuntur, vt voluptas & virtus, ſumptiones ac propoſitiones ſuppeditare, quas Orator arripiat: vt virtutem eſſe bonam: voluptatem eſſe bonam,& id genus alia. Ait igitur Ariſtotcles, his poſitis eſſe neceſſarium vt tum adeptiones bonorum, tum depulſiones malorum, bonæ ſint. Quibus videtur quibuſdam vel propoſitionibus ea bona recenſere & ex ordine diſponere, quæ ex allatis Boni deſcriptionibus videntur elici poſſe: vel, ſi mauis, bona ex dictis deſcriptionibus proferre, ac pro ſingulis bonis ſingulas propoſitiones conflare. Ex quo fieret vt octo tum bona tum boni propoſitiones, quibus vti poſſit Orator ad

Profert Boni Propoſitiones. ſuadendum, ex ordine percenſeret. prima igitur ea ſit, Adeptiones hoc eſt perceptiones bonorum, contra etiam (& hæc ſecunda) depulſiones malorum eſſe bonas.

I.&II. Id quod probat, quia illo adepto, bono ſcilicet, efficitur vt non habeamus malum: cum enim hæc duo pugnent mutuò nec in eodem ſimul eſſe poſſint eodem tempore, percepto bono malum depellitur momento temporis: hoc item (malo ſcilicet) 742
depulſo, fit vt habeamus bonum: poſteriùs tamen: quandoquidem priùs extrudi videtur malum quàm ſucedat bonum. Nam quo temporis momento verbi gratia comparatur ſcientia, haud dubiè depellitur ignorantia. Quod ſi quis pugnet, videri adeptionem quoque boni eſſe poſteriorem, cum priùs abijciatur ac pellatur priuatio huius qui percipitur, boni, tum bonum adſit; quemadmodum priùs depelli dicitur malum quàm inſit bonum, iam, quoniam hoc in loco populariter diſputatur, ac propterea in eo qui percipit bonum, non dicitur (id quod accidit hoc in loco in quo ea proferuntur bona quæ conſequuntur) expelli priùs malum (nulla enim habetur priuationis, hoc eſt abſtruſi iſtius mali ratio, cum ea vix a phyſicis dicatur mala) nihil eſt quòd rem ſubtiliùs æſtimantes, a propoſita ſententia recedamus. Idcirco autem affirmare videtur ex dictis hæc conſequi, quòd ſupra in antepoſtrema boni deſcriptione ſtatuerat bona quoque eſſe quæ τὰ τοιαῦτα hoc eſt ea bona quæ numerauerat, conſequerentur: id quod accidit hoc in loco in quo ea proferuntur bona quæ conſequuntur. At qua eâdem fermè conſimiliue ratione efficit alias quoque bonorum adeptio-

III.&IV nes eſſe bonas. Vt ſi quis pro minore bono, maius adipiſcatur: pro maiore malo, minus ſubeat ac patiatur. ibi enim fit ſumptio ſiue adeptio: hic mali depulſio.

PARTICVLA CIX.

KAὶ τὰς ἀρετὰς δὲ, ἀνάγκη ἀγαθὸν εἶναι, κατὰ γὰρ ταύτας εὖ διάκεινται οἱ ἔχοντες, ϗ ποιητικαὶ τῶν ἀγαθῶν εἰσι, ϗ πρακτικαί. περὶ ἑκάστης δὲ ϗ τίς ϗ ποία, χωρὶς ῥητέον. 743

ET Virtutes neceſſe eſt vt bonum ſint. nam his benè afficiuntur qui habent, & idoneæ ad bona afficienda ſunt & agenda. De vnaquaque autem & quæ & eiuſmodi ſit ſeparatim dicendum. *Riccobonus.*

Virtutes etiam bonas eſſe neceſſe eſt: nam qui eas poſſident, benè affecti ſunt, & ipſa multa ac magna bona conficiunt: atque earum laus in actione conſiſtit. Sed de ſingulis virtutibus quæ qualeſque ſint, alio in loco dicendum erit. *Maioragius.*

QVinto loco enumerat Virtutes, quas ait non poſſe non eſſe bonas. Iurè autem virtuti neceſſariò bonitatem ineſſe cenſet. Sunt enim bona quædam de quibus ſæpè eſt dubitandum an iurè inter bona numerentur. Taliſeſt doctrina & ſcientia, talis eloquentia, medicina, rei militaris peritia, & ſi quid huiuſmodi. Cum enim in malam partem flecti poſſint, & præpoſterè vſurpari, ita ut inde ſæpè detrimenta mortalibus importata ſint, quidni dubitetur num bona iurè ac meritò cenſeantur? At verò virtus

Digitized by Google

tus in id diſcrimen incidere nullo modo poteſt. Neque enim liceat prudentia, fortitudine, temperantia, iuſtitia denique abuti. Et idcirco Ariſtoteles in hoc libro I. Rhetoricorum monebat ſolam virtutem eſſe, qua homo abuti nequeat: cum non poſſit iuſtitiam verbi gratia ſectari quin inde iuſtus appareat aut ſit. Atque hinc eſt vt Stoici ſolas virtutes dicerent eſſe bonas, præterea nihil. Animaduertebant enim diuitias, eloquentiam & cætera huiuſmodi quæ dicuntur bona, poſſe in deteriorem partem conuerti, virtutem nullo modo. Atque hinc eſt vt affirmare non dubitarent ſolam virtu-
744 tem ſufficere ad benè beatéque viuendum. Et quanquam Ariſtoteles ægrè concedit, quin inficiatur, vnam virtutem eſſe bonam aut ad benè beatéque viuendum ſufficere, illud tamen omnino fatetur virtutem non poſſe non eſſe bonam. Id quod ex boni definitionibus confirmat. Cum enim poſitum ſit & conſtitutum id eſſe bonũ quo præſente optimè diſponimur & afficimur, quid ni bona ſit virtus qua præſente ad prudentiam, ad iuſtitiam, ad fortitudinem, ad temperantiam diſponimur, quin ſic etiam afficimur vt ea præſente verè prudentes ſimus, iuſti, fortes, ac temperantes? Adde id quoque definitum fuiſſe bonum, ex quo promanant bona. Cum igitur ex virtute bonæ promanent actiones, vt ex fortitudine patriæ defenſio, ex iuſtitia bonorum tutela, quidni hac etiam de cauſa virtus cenſeatur bona? Quid multa? præcipua virtutis laus illa eſt vt inde bonæ promanent actiones. Nam quemadmodum beatitudo non tam in habitu quàm in operatione conſiſtit, ita ut ſit operatio ſecundùm virtutem præſtantiſſimam in vita perfecta, ita ut virtus non tam in habitu quàm in operatione poſita eſt. Iurè igitur ait Ariſtoteles virtutis laudem in eo eſſe poſitam vt ſit effectrix bonorum & in actione eniteat. Et verè is qui habet habitum virtutis nec operatur, dormienti propemodum ſimilis eſt, de quo dubitandum eſt, num quo tempore dormit, beatus cenſeri poſſit, etiam ſi alioquin omnibus virtutum habitibus & ornamentis præditus eſſet. Quanquam vt quis habitum virtutis poſſideat, ac præſente opportunitate non operetur, voluntate ſaltem & cupiditate, fieri nullo modo po-
745 teſt. Iam verò quoniam virtutis campum ſibi aperuerat Ariſtoteles in quem excurreret, & tamen iamdiu monuerat id reſeruandum Generi Demonſtratiuo vbi opportuniùs de virtutibus diſputare licet, idcirco orationem cohibet atque ait, *De vnaquaque autem virtute quæ & qualis ſit, ſeparatim dicendum eſt*. Addit verò continenter.

PARTICVLA CX.

ΚΑὶ τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν· πάντα γὰρ ἐφίεται τὰ ζῶα αὐτῆς τῇ φύσει. ὥστε καὶ τὰ ἡδέα καὶ τὰ καλὰ ἀνάγκη ἀγαθὰ εἶναι. τὰ μὲν γὰρ ἡδονῆς ποιητικά. τῶν δὲ καλῶν τὰ μὲν ἡδέα, τὰ δὲ αὐτὰ καθ' ἑαυτὰ αἱρετά ἐστιν. ὡς δὲ καὶ ἐν εἰπεῖν αἳ ἀνάγκη ἀγαθὰ εἶναι τάδε.

Riccobonus. ET vt voluptas bonum ſit: Omnia enim appetunt animalia ipſam natura. Quare vt & iucunda & honeſta neceſſe eſt bona ſint. Illa enim voluptatis efficientia ſunt; honeſta verò partim iucunda, partim ipſa per ſe eligenda ſunt.

Maioragius. *VOluptas præterea bona eſt; omnes enim animantes natura inſtinctu eam expetunt. Quare & quæ iucunda ſunt & quæ pulchra, bona eſſe neceſſe eſt: iucunda enim ſunt efficientia voluptatis: rerum autem pulchrarum aliqua iucunda ſunt, aliqua ipſa per ſe ſunt expetenda.*

STatuit voluptatem quoque eſſe bonam. Id quod de voluptate ſaltem animi vix dubitare licet, cum voluptates animi, quales ex ſcientia, honeſtate, & bonorum amicorum conſuetudine capiuntur, non poſſint nõ eſſe bonæ. Quin voluptates quoque corporis vbi moderatæ ſint, & cũ natura conſentiant, bonæ ſunt exiſtimandæ. Id tamen Ariſtoteles de more confirmat boni definitione, in qua dixerat bonum eſſe id quod appetunt omnia quæ ſenſum habent. Quaſi diceret cum Natura voluptatis appetitionem

tionem animantibus omnibus ingenerauerit, nullo modo fieri poteſt vt voluptas non
ſit bona. Non enim natura generi alicui vniuerſo temerè appetitionem imprimit vt 746
aliquid tanquam bonum appetat & proſequatur. De qua re legendus quoque eſt noſter Author in poſtremo libro Moralium, vbi rurſus confirmat voluptates eſſe bonas, quia natura duce ab omnibus animantibus expetantur. Quin Philoſophi multi, inter quos fuit Eudoxus, in voluptate ſummum conſtituebant bonum; idque ea de cauſa quòd voluptatem adamarent & ſectarentur omnia. Quod ſanè de honeſta voluptate adſtipulatores habet & multos & magnos. Nam de cæteris voluptatibus, quicquid Epicurus ſentiret, turpe ſit hoc vel ſuſpicari. Quapropter iurè Plato has appellabat eſcas malorum; & Tarentinus Architas capitaliſſimam humani generis peſtem hanc appellabat voluptatem. Quin idem Plato in Philebo ne voluptatem quidem appellandam exiſtimauit; animi voluptatibus tantùm hanc concedens laudem. Tametſi Ariſtoteles voluptatis nomen corporis quoque concedit voluptatibus, etſi has belluarum, illas hominum, eſſe affirmat. Hoc tamen in loco, quoniam diſputat populariter, nulla diſtinctione adhibita, voluptates inter bona recenſet, ea tantùm permotus ratione, quòd natura duce ab omnibus animantibus expetatur. Atque eádem planè ratione efficit Ariſtoteles cum iucunda, tum honeſta neceſſariò eſſe bona: cum enim bonum ſit quòd ea omnia appetunt quæ mente prædita ſunt; atque id quia hac in re Naturam ducem ſequuntur, neceſſe profectò eſt vt iucunda & honeſta quæ tantopere expetimus omnes, bona ſint. At enim quid obſecro iucunda differunt a voluptate? nam honeſtatem, etſi iucundiſſima ſit & pleniſſima voluptatis differre tamen a volu-
ptate non eſt quod dubitemus. Sed cum non dicat iucunditatem, ſed τὰ ἡδέα eſſe bo- 747
na, vtique iucunda differunt a voluptate; ſe habent enim vt cauſa & effectus: voluptas ex rebus iucundis percipitur: nam ſuapte ſponte & citra omnem, quæ ab animantibus inde percipiatur, voluptatem, iucundæ ſunt. Tametſi inter loquendum facilè confunduntur. Addit verò ex rebus pulchris aliquas eſſe iucundas, quòd nec omnes voluptatem afferant, cum labore parentur: vel certè quia iucundæ ſint tantùm, non verò per ſe expetendæ: & ideo ſubdit: aliquæ verò ſunt per ſe expetēdæ, intelligit enim res pulchras quæ cum honeſtate & virtute coniunctæ ſunt.

PARTICVLA CXI.

Ως δὲ κατὰ ἓν εἰπεῖν, ἀνάγκη ἀγαθὰ εἶναι τάδε ἡ εὐδαιμονία. ἔστι γὰρ καθ' ἑαυτὸ αἱρετὸν καὶ αὔταρκες. καὶ ἕνεκα αὐτῆς πολλὰ αἱρούμεθα.

VT autem de ſingulis dicam; neceſſe eſt vt bona ſint hæc felicitas, quia & per ſe eligenda eſt, & ſe ipſa contenta, & cauſæ ipſius multa eligimus. *Riccobonus.*

VT autem ſigillatim aliqua dicamus, hæc eſſe bona neceſſe eſt; primò felicitatem, quia per ſe expetenda eſt, & ſe ipſa eſt contenta, & eius gratia multa alia expetimus. *Maioragius.*

EX generalibus propoſitionibus ac veluti regulis, vnde ſigillatim Orator propoſitiones deriuare potuiſſet quibus in deliberatiuo genere commodè vteretur, Ariſtoteles ipſe ſigillatim bona profert multa, atque ampliſſimam viam aperit Oratori. Et appoſitè quidem: nam præclarum videri poterat nobiles illos campos illi obtuliſſe ex quibus bona colligeret ac propoſitiones conſtitueret ſuaſioni accommodatas; ſed præclarius huiuſmodi bona veluti in aciem produxiſſe, vnde Orator in promptu habeat egregia ſuaſionis initia & argumenta. Et ideo de ſingulis ſibi dicendum ait, ac pri-
mo loco beatam vitam ſtatuit inter bona, idque triplici de cauſa; prima quia beati- 748
tudo ex ijs ſit quæ καθ' ἑαυτὰ per ſe, inquam, expetuntur. altera quia ſit αὐτάρκης, ſe ipſa ſufficiens, poſtrema quia illius gratia multa eligimus atque adeo expetimus: atque hæ tres cauſæ in generalibus propoſitionibus cōtinentur, quas propoſuit paulò ante;
nimirum

nimirum in prima, ſeptima & ſecunda. Commodè verò accidit vt de beatitudine copioſè diſputatum ſit paulò ante in capite quinto, vbi & beatitudo in vniuerſum & eius partes conſtitutæ ſunt, quas omnes hîc bonorum nomine curſim attingit, quemadmodum iam iam conſtabit. Acutè verò hoc in loco Maioragius confirmat reuera propter beatam vitam multa a nobis expeti dum ſic ſcribit, *Poſtremò quia beatitudinis gratia multa alia ſolemus expetere, quæ per ſe nequaquam eſſe bona videntur, vt labores, vigilias, famen, ſitim, calorem, frigus, nam (vt ait Horatius)*

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer ſudauit & alſit.

Tot igitur ſe homines laboribus frangunt, non alia de cauſa niſi vt aliquando feliciter ac beatè poſſint viuere, atque ab beatitudinem actiones omnes ſuas dirigunt. Sic iſte. Sed vtinam tam verè quàm acutè. Nam Ariſtoteles in primis intelligit tum animi tum corporis tum fortunæ bona quibus paratur beata vita: & ideo ait hæc eligi illius gratia: id quod de tripartito iſto bonorum genere verè ac propriè affirmare licet. Quanquam nihil prohibet quominus labores etiam ac vigilias & id genus alia ſi non experiant homines, quod ait Maioragius, eligant ſaltem aut ſuſtineant beatitudinis gratia. Sed & eleganter addit continenter Maioragius, *quare fit vt omnium rerum beatitudo ſit optima: hac de*
749 *cauſa cum aliquem omnibus bonis cumulatum oſtendere volumus, eum fœlicem ac beatum appellamus. Sic enim Cicero Tuſculana quinta. Huic verbo, cum beatum dicimus, ſubiecta notio eſt, ſecretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio. Quod tamen accidere non poteſt dum præſenti vita fruimur. Sed tunc erimus beati cum corporibus relictis in illam æternam domum euolauerimus, de qua ita Virgilius in VI.*

Hic demum exactis, perfecto munere diuæ,
Deuenere locos lætos & amœna vireta.
Fortunatorum nemorum ſedéſque beatas.

Felicitatem igitur primum bonorum locum obtinere certum eſt. Sic rurſus iſte. Quem tamen, ſi liceret, orarem ne iam facilè miſceret ſacra profanis; quam enim poſt huius vitæ curriculum nos manet beatitudo, haud par eſt Virgiliano iſto ac poëtico more & modo exprimere, ſed prout poſtulat veritas: vel enim non proferenda erat hoc in loco, vel caſtè ac fabulis abiectis proferenda. Quanquam nec tam facilè Ariſtotelea beatitudo abijcienda quaſi commentitia planè ſit & vana. Si quidem Ariſtoteles illud beatæ vitæ genus intelligit quo capax eſt homo in hac vita, quódque ex tripartita illa bonorũ exiſtit varietate: cum tamen non ex ijs bonis ſed longè diuerſis conſtet quam Maioragius intelligit, beatitudo. Quod ſi optatis potiùs quàm re ipſa videtur a nobis parari poſſe beata iſta Ariſtotelis vita, reputandum quoque eſt ab Ariſtotele tum breuem anguſtámque cenſeri (& ideo breui tempore nobis concedi, Deo in æuum conuenire affirmabat) tum fluxam & caducam, ita ut ante mortem quoque amitti poſſit, cum bonis illis, præſertim fortunæ & corporis, ſpoliari poſſit homo: etſi propter virtutem quæ habitu confirmetur in animo, diuturna eſſe poſſit etiam, ſi cętera conſiſtant bo-
750 na. Denique illud etiam monuit eos inter mortales beatos habendos qui ſi non cumulatiſſimè bonis iſtis fruantur omnibus, at certè proximè accedant, aut non magnopere recedant. Vt enim inter ſagittarios is victor diſcedit qui ſaltem propiùs attigerit ſcopũ, ſic inter mortales beatos videri poteſt qui propoſitis bonis fuerit cumulatior. Talis Iobus tum ante, tum poſt calamitatem illé ſuam, cenſeri poterit; talis prædicatur Q. Metellus, quorum vterque hiſce bonis floruit ad miraculum. & vt de Iobo ſileam, de quo ſatis conſtat ex diuinis hiſtorijs, ſcitum eſt quod ſcribit Valerius Maxi-
li.7.c.2. mus, *Videamus, inquit, quot gradibus beneficiorum Q. Metellum a primo originis die, ad ultimum uſque fati tempus, nunquam ceſſante indulgentia, ad ſummum beatæ uitæ cumulum perduxerit. Naſci enim in urbe terrarum principe uoluit, parentes ei nobiliſſimos dedit; adiecit animi rariſſimas dotes & corporis uires, ut ſufficere laboribus poſſet, uxorem pudicitia & fœcunditate conſpicuam conciliauit, Conſulatus decus, imperatoriam poteſtatem, ſpecioſiſſimi triumphi prætextam largita eſt: fecit, ut eodem tempore tres filios conſulares, unum etiam cenſorium, duos triumphales, & quartum prætorium uideret, ut tres filias nuptui daret, earúmque ſobolem ſinu ſuo exciperet: tot partus, tot incunabula, tot uiriles togæ; tam multæ nuptiales faces, honorum imperiorum, omnis denique gratulationis ſumma abundantia, cum interim nullum funus, nullus gemitus, nulla cauſa triſtitia. Cœlum contemplare, uix tamen ibi talem ſtatum reperies; quoniam quidem luctus & do-*

& dolores, deorum quoque pectoribus, a maximis uatibus aſſignari uidemus. Hunc autem uitæ
actum eius conſentaneus finis excepit. Nam Q. Metellum ultimæ ſenectutis ſpacio defunctum, le- 751
nique genere mortis inter oſcula complexúſque cariſſimorum pignorum extinctum, filij & generi
humeris ſuis per urbem latum rogo impoſuerunt.

PARTICVLA CXII.

Δικαιοσύνη, ἀνδρεία, σωφροσύνη, μεγαλοψυχία, μεγαλοπρέπεια, καὶ ἄλλαι αἱ τοιαῦται ἕξεις· ἀρεταὶ γὰρ ψυχῆς· καὶ ὑγίεια, καὶ κάλλος, καὶ τὰ τοιαῦτα. ἀρεταὶ γὰρ σώματος, καὶ ποιητικαὶ πολλῶν, οἷον ὑγίεια καὶ ἡδονῆς, καὶ τοῦ ζῆν. διὸ καὶ ἄριστον δοκεῖ εἶναι, ὅτι δύο τῶν τοῖς πολλοῖς τιμιωτάτων, αἴτιόν ἐστιν ἡδονῆς καὶ τοῦ ζῆν.

IVſtitia, fortitudo, temperantia, magnanimitas, magnificentia & alij eiuſmodi habitus. Virtutes enim animi ſunt & ſanitas & pulchritudo & talia. Virtutes enim corporis & conficientes multorum ſunt, vt ſanitas & voluptatis & vitæ. Quamobrem etiam optimum videtur eſſe, quia duorum quæ apud multitudinem maximè honorantur, cauſa eſt, voluptatis & vitæ. *Riccobonus.*

Denique iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, magnanimitatem, magnificentiam atque alios huiuſmodi animi habitus; ſunt enim hæ virtutes animi. Tum bonam valetudinem, pulchritudinem cæteráque eius generis quæ corporis virtutes ſunt, & multarum rerum bonarum conficientes. Vt bona valetudo voluptatis & vitæ. Idque res optima videtur eſſe bona valetudo, quoniam duas res afficiat quæ plurimi ab hominibus æſtimantur, hoc eſt voluptatem & vitam. *Maioragius.*

VIrtutes ſtatuit poſt beatitudinem: hæ enim inter bona poſt beatitudinē 752
primum obtinent locum, tum valetudinem, pulchritudinem, & alia
id genus: quibus addet in ſequenti particula diuitias ac fortunæ bona,
ita ut tripartitam proferat bonorum varietatem. Quanquam cum bea
Dubitatur titudo ex ijs conſtet bonis, ac nihil aliud ſit propemodum quàm iſto-
rum bonorum cumulus, cur ea ſeiungit a beatitudine? perinde enim
diſputat ac ſi hominem diceret eſſe primum bonum, tum animam & corpus; quaſi
Reſpondetur. verò non ex anima & corpore conſtaret homo. Sed nimirum *εὐδαιμονίαν* ſeu beatitu-
dinem in vniuerſùm propoſuit primùm, quòd inter bona beatitudo, quæcunque il-
la ſit, primum locum obtineret apud omnes: ſiue enim ex tripartita iſta bonorum
conſtaret varietate, quod ipſe ſentit, ſiue non in his planè ſita eſſet, quod affirmabant
alij, certum erat primum boni locum beatitudini deberi ex quo fit vt non immeritò
virtutibus ſecundum, bonis corporis tertium, fortunæ bonis quartum, adſcripſerit,
& ideo virtutes interim & cætera iſta bona non tanquam partes beatitudinis profert,
ſed tanquam bona. Probat verò iſthæc eſſe bona ex ijs quæ tum in ſexta tum in octa-
ua propoſitione docuerat in vniuerſùm: dixerat enim in ſexta ea quibus benè affici-
mur, in octaua ea quæ bona efficiunt & pariunt, bona eſſe cenſenda; quod vtrunque
optimè cadit in iuſtitiam & cætera quæ hîc interim enumerat bona: virtus enim be-
nè afficit ac diſponit noſtrum animum, ſeu potiùs optimam illi tribuit beatitudinem;
ſanitas quoque corpus & vitam conſeruat, affértque voluptatem. Et ideo ait valetu-
dinem hoc nomine cenſeri optimam, quòd duo iſthæc, vitam voluptatémque, ſup-
peditet. Valetudinem verò optimam eſſe populari exiſtimatione aptè quidem expreſ- 753
ſit Plato cum diceret in Gorgia Cantilenam in conuiuijs paſſim audiri conſueuiſſe, p. 332. 2. f
optimam rem omnium eſſe proſperam valetudinem, ſecundò egregiam formam, ter-
tiò diuitias bonis artibus comparatas. Sed de diuitijs, ac bonis fortunæ, quoniam de
bonis animi & corporis dixit, iam audiendus.

PAR-

PARTICVLA CXIII.

ΠΛῦτος: ἀρετὴ γὰρ κτήσεως ϗ ποιητικὸν πολλῶν. φίλος καὶ φιλία: ϗ γὰρ καθ' αὑτόν αἱρετὸν ὁ φίλος, ϗ ποιητικὸν πολλῶν.

Riccobonus. Diuitiæ, quia ſunt virtus poſſeſſionis, & conficientes multorum; amicus & amicitia; etenim per ſe electione digna eſt amicus & conficiente multorum.

Maioragius. *Diuitiarum vſusfructúſque bonus eſt: hac enim eſt poſſeſſionis virtus & multorum commodorum conficiens. Amicus & amicitia bona ſunt: nam amicus propter ſe eſt expetendus & multorum bonorum efficiens.*

PErſtrinxit breuiter bona tum animi tum corporis, nunc attingit bona fortunæ, ac primò πλοῦτος, diuitias inquam: etſi diuitias interim non pro pecunijs tantùm, quas tamen paſſim ſignificat πλοῦτος ſed pro opibus vniuerſim vſurpat, non autem pro harum vſu, quemadmodum
754 exiſtimant aliqui; quod ſi affirmat diuitias eſſe ἀρετὴν κτήσεως, vim poſſeſſionis, id affirmat, quia poteſtate ſeu facultate contiuent ac pariunt alia bona pro vi & poteſtate ſeu facultate quæ diuitijs ineſt: nam huc ſpectat quod ait, virtutem poſſeſſionis eſſe etiam efficientem multarum rerum. ac iurè quidem: quandoquidem licet diuitiæ ab vſu differant, earum tamen bonum in vſu poſitum eſt vnde bona paramus, alioquin oneroſæ ſunt diuitiæ & curis periculíſque pleniſſimæ. Ac de diuitijs quidem in Particula XCI. vbi pro opibus item vſurpauit eas quas in pecunias atque alia quæ diuitiarum nomine continenter diſtribuit, ſubinde verò in nonageſima ſecunda docuit vim diuitiarum in vſu poſitam eſſe, nam diuitem eſſe, inquit, conſiſtit in eo vt vtatur magis quàm in eo vt poſſiderit. etenim actus talium & vſus ſunt diuitiæ. Et huc pertinet ἀρετὴ quam hic nominat. Iam verò inter eiuſdem ordinis bona amicum numerat & amicitiam: cui rei confirmandæ duas adhibet rationes. Vna eſt quia per ſe digna eſt quam eligamus amicitia; idem dicendum de amicis: altera quia hinc multa conficimus & varia commoda & bona conſequimur. Ac de bono quidem amicitiæ & commodis amicorum licet ea conſulere quæ tum Plato in Lyſia tum Cicero in Lælio, tum noſter author in decimo moralium, & in hoc primo libro Rhetoricorum capite V. docent copioſè. nos etiam de ijſdem in Particula LXXXV. & CII. & CIII.

PARTICVLA CXIV.

ΤΙμή, δόξα. ϗ γὰρ ἡδέα, καὶ ποιητικὰ πολλῶν: καὶ ἀκολουθεῖ αὐτοῖς, ὡς. ἐπιτοπολύ. τὸ ὑπάρχειν, ἐφ' οἷς τιμῶνται.

Riccobonus. HOnor, gloria. Etenim iucunda ſunt & conficientia multorum, & conſequitur ipſa plerunque vt adſint illa in quibus honorantur.

Maioragius. *HOnor præterea & gloria; ſunt enim res iucundæ multáque commoda afferunt; & plerunque accidit vt in hominibus ea ſint propter quæ honorantur.*
755

Digitized by Google

TRibus docet argumentis honorem & gloriam inter bona eſſe numeranda: ac primum illud eſt quia afferunt iucunditatem. Itaque, nulla eſt tanta humilitas (inquit Valerius Maximus) quæ dulcedine gloriæ non tangatur. De qua re nos copioſè diſſeruimus tum in Particula LXXXIV. vbi inter partes beatæ vitæ gloriam honorémque numerauit Ariſtoteles, tum copioſiùs in Particula XCIV. vbi longè ac latè diſputauimus de Honore. *Vide n. 13. & 14 par. 84.* Alterum argumentum inde ducitur, quod honor & gloria parere ſolent alia bona multa. Ac rectè etenim qui ad eximios honoris gradus peruenerit, etſi plerunque inuidiam ſuſtinet apud multos, apud multos tamen rei benè gerendæ ſibi aperit aditum. Poſtremùm quia plerunque in illis qui honorantur, ea bona reperiuntur quorum cauſa illis honor impenditur. quibus verbis ſignificat honorem virtuti maximè deberi, ac propterea qui honorantur, vix aut raro virtutis expertes eſſe, præſertim verò quia honor eſt Virtutis præmium. Tametſi his verbis tacitè indicat Ariſtoteles interdum eos etiam honorari qui virtute carent, atque ijs dotibus; vnde honor impenditur; alioquin non diceret *plerunque* ſed ſemper ea illis ineſſe. *eſt Orat. 39.* Sed de honore & gloria illa conſulas quæ diſſeruimus in propoſitis locis; ac, ſi placet, ea etiam percurras quæ in Oratione de Gloria literis conſignauimus.

PARTICVLA CXV.

Δύναμις τοῦ λέγειν, τοῦ πράττειν· ποιητικὰ γὰρ πάντα τὰ τοιαῦτα ἀγαθῶν. Ἔτι εὐφυΐα, μνῆμαι, εὐμάθεια, ἀγχίνοια· πάντα τὰ τοιαῦτα ποιητικαὶ γὰρ αὗται ἀγαθῶν αἱ δυνάμεις εἰσίν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπιστῆμαι πᾶσαι καὶ αἱ τέχναι.

FAcultas dicendi, agendi, quia conficientia ſunt omnia hæc bonorum: deinceps ingenium, memoriæ, docilitas, velox animi motus, omnia eiuſmodi: *Riccobonus.*
conficientes enim ipſæ bonorum facultates ſunt: ſimiliter verò etiam ſcientiæ 756
omnes & artes.

Dicendi quoque facultas & agendi, quoniam ex eis multa bona proueniunt. Item ingenij acumen bonum eſt & memoria & docilitas & animi celeres motus, cateráque eius generis omnia. Nam eiuſmodi facultates bonorum conficientes eſſe ſolent: eodem modo ſcientia omnes & artes. *Maioragius.*

MVlta ſimul perſtrinxit noſter Author, multa etiam vix indicat: nam præter quam quod breuiloquentiam adamat, ingenioſis ſcribit ac nauis. Itaque ſupra in Capite V. latiùs paulò numerauit explicauítque virtutes: in hoc præcipúas tantùm ac ſtrictim refert. De bonis quoque corporis ibi egit copioſè, quæ tamen hic ſtrictim attigit ac ferè ſummatim. Eodémque modo ad extremum cum ad fortunæ bona deuenerit preſſè hæc attingit & ferè vniuerſim cum tamen priùs explicaret ſatis & complexus eſſet. Ita factum eſt vt cum antea ad plurima occurriſſet bona, non modo animi, ſed corporis ac fortunæ, atque abundè ſatis illa proſequutus eſſet, hîc ne ſummatim quidem indicet, ſed ad bonum ingenij properet. Vt ſcilicet induſtrius lector & nauus ea etiam per ſe agnoſcat expendátque, & ad præſentem referat vſum. Ergo facultatem tum dicendi tum agendi, numerat inter bona quia ſint conficientia bonorum vbi: quoniam hæc tum naturalia eſſe poſſunt, tum arte & exercitatione parari, crediderim vtroque nomine inter bona referri: præſertim verò quia in ijs, niſi liberalem ſe
ſe oſtenderit Natura atque Ars, præterea accedat quæ præceptis & exercitatione natu- 757
ram excolat atque perficiat, exigua inde facultas exiſtere poſſit ſeu dicendi & agendi facultatem, hoc eſt facilitatem ægrè ſuppeditare poſſit, vnde conficiantur ac parentur bona. Et quidem ex dicẽdi facultate plurima parari bona, tum publicè tum priuatim, nos multis in locis oſtendimus copioſè, in primis verò in procemio & in capite primo huius monumenti. Perplacent tamen quæ hîc habet Maioragius dum ait.

Quanta

Quanta ſit vtilitas in eloquentia copioſè docet Cicero pluribus in locis, vt in proœmio de Inuentione, in primo de Oratione pro Murena & in ſecundo de Natura Deorum. Sed elegánter & paucis verbis primo de Legibus ita inquit: fuſa latiùs perpetua Oratione qua regat populos, qua ſtabiliat leges, qua caſtiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros; qua præcepta ſalutis & laudis aptè ad perſuadendum edat ſuis ciuibus, qua hortari ad decus, reuocare a flagitio, conſolari poſſit afflictos.

Iam verò quæ diximus de dicendi facultate, éadem ferè dici poſſent (ceria ramen
ratione ac proportione) de agendi facultate qua domum aut Rempublicam tempe-
ramus, ac domi foríſque varia munera publicè priuatímque obimus. Qui enim a Na-
tura ita ficti ſunt, vt ſolertes in rebus huiuſce gerendis induſtriíque ſint, atque vſu natu-
ram excoluerint, his bonum ineſſe dicimus quod agendi facultatem, ſeu facilitatem
reuocat Ariſtoteles. Denique útraque hæc facultas bona eſt, cum ſit bonorum effi-
ciens. Sed & alia quæ item a Natura proficiſcuntur, animi dotes addit atque ingeniũ
primo, quod ſanè maximum eſt: vt enim manus inter inſtrumenta omnia primum
obtinet locum ita ut inſtrumentorum appelletur inſtrumentum, útque inter uirtu-
tes prudentia gerit principatum, ac moderatrix eſt reliquarum, ſic ingenium princi-
758 patum obtinet inter naturæ dotes ac reliquis præeſt & moderatur. Quin prudentiæ
ipſi ac manui præeſt: quandoquidem ingenium eſt prudentiæ apex & pars potiſſima,
rebus quoque afficiendis veluti lumen præfert ac normam. addit memoriam, ſeu
μνήμας hoc eſt memorias: quæ voce indicat opinor non tam naturale organum cor-
poris in quo memoria collocatur a Philoſophis, quaſi verò hoc benè conformatum
requirat & in boni habeat loco, quanquam hoc etiam tanquam ſtratum intelligit ac
fundamentum quam res memoriæ traditas & conſignatas vnde experientia & pru-
dentia gignitur, præſertim ſi huiuſmodi memoriæ & recordationes ſint earum rerũ
quæ ad vitam publicè priuatímque regendam valent. Addit tertiò Docilitatem, quæ
reuera magnum eſt bonum, cum ſine hac doctrinas parare nequeas ac ſcientia orna-
re animum. Et hinc eſt vt ſolum hominem cuius erat doctrinas capeſſere, docilitate
ornauerit Natura & ideo ſolus homo fictus eſt ad contemplandum vt ait Plato. Nam
belluæ aliqua ſimilitudine quadam dicuntur dociles, quod ſcilicet minus ſtupidæ ſint
quàm cæteræ. Adde belluas ſi quid docilitatis ac ſolertiæ oſtendunt, natura duce &
impellente oſtendere, hominem docilitate vti ſcienter & electione. Addit celeres ani-
mi motus, qui item & ad ſcientiam valent plurimum, præcipuè ad inuentionem etſi
759 prudentiam aſſeclam habeant, rebus gerendis momentum afferunt maximum. De-
nique ne conſectetur omnia præſertim minora (præcipua enim diſtinctè comme-
morauit) addit omnia huiuſmodi, quibus fortaſſe intelligit ſenſuum bonitatem, at-
que aurium maximè quæ ſunt diſciplinæ organum & oculorum vnde in primis ad
contemplationem erigimur. Et huc reuocari poſſunt ea omnia quæ temperamen-
tum perficiunt corporis ac ſanitatem, quin ſanitas quoque ipſa. Atque iſthæc omnia,
ingenium inquam & quæ longo ordine cõmemorauimus, bona eſſe confirmat quia
ſint conficientes bonorum facultates: id enim non ſolùm de ingenio, recordatione,
docilitate & celeri animi motu, verùm etiam de auditu ac cæteris: quæ proferebam,
veriſſimè affirmatur. Atque hæc eò magis obſeruanda ſunt quod in capite V. videri
poſſint prætermiſſa, cum tamen naturæ bona commemoraret & quædam proferret
iis minora vt corporis robur & exercitationes. Etſi non eſt inficiendum cum aliqui-
bus necti poſſe vel in quibuſdam deliteſcere quæ ibi de bonis naturæ commemora-
uit cuiuſmodi eſt bona ſenectus quæ optimum corporis temperamentum requirit,
virtutes corporis & ſi quid huiuſmodi. Ita fieret vt cum permulta ibi enumeraue-
rit bona quæ hîc non exprimuntur cuiuſmodi eſt nobilitas, bona & multa proles, bo-
na ſenectus, pulchritudo, magnitudo corporis, hîc contra aliqua proferret quæ præ-
terijſſet ibi. Subiungit verò ſcientias omnes & artes eſſe bonas: ac iure: hinc enim fit
vt tum in contemplatione tum in actione verſemur pro dignitate. Atque ijs duobus
760 verbis plurima quidem complectitur: ſi quidem ſcientiæ ſeu doctrinæ quam latiſſi-
mè patent: artes verò per quam latiſſimè, præſertim ſi eas etiam enumeres quæ effi-
cientes dicuntur.

PARTICVLA CXVI.

KAὶ τὸ ζῆν, εἰ γὰρ μηδὲν ἄλλο ἕποιτο ἀγαθὸν, καθ' αὑτὸ αἱρετόν ἐστι. καὶ τὸ δίκαιον. συμφέρον γάρ τι κοινῇ ἐστι.

ET viuere: ſi enim nullum aliud ſequeretur bonum, per ſe eligendum eſt. & iuſtum: vtile enim quoddam communiter eſt. *Riccobonus.*

VIuere quoque ipſum; nam etſi nihil aliud boni conſequatur, propter ſe tamen ipſum expetendum eſt. Id etiam quod iuſtum, eſt bonum; nam ad communem vtilitatem pertinet. *Maioragius.*

IDeo vitam dum numerat inter bona, addit *etiam ſi nullum aliud ſequeretur bonum*, quia inde alia paſſim conſequuntur bona, ita ut ſoleat eſſe bonis pleniſſima. & tamen vbi contingeret vt nulla inde ſequerentur bona, eſſet expetenda & eligenda. iurè verò ait expetendam ſeu eligendam, quia licet vita cara ſit animantibus omnibus, ita vt eius conſeruationem appetant etiam mutæ animantes, propriè tamen id faciunt homines, belluæ non eligunt. Tametſi ex vita belluis etiam contingunt 761
bona. Denique ſolis viuentibus ac vita perfruentibus contingunt bona: minùs enim propriè rebus vitæ expertibus quæque bonum haud ſentiunt, bonum contingere dicimus. probat igitur viuere eſſe bonum, quia citra bona omnia vita ipſa bonum ſit ac magnum bonum. Et hinc eſt vt natura ingentem tuendæ vitæ cupiditatem indiderit mortalibus, ita vt calamitoſi viuere malint quàm vita ſpoliari. Et ob id etiam natura prolis cupiditatem attribuit animantibus, quia ſcilicet quoquo modo vitam ſibi videntur propagare, & in prole veluti reuiuiſcere: & ideo iurè ait Ariſtoteles viuere per ſe eligendum eſſe. Quod ſi qui ſibi inferunt manus ac mortem conſciſcunt, ij ingenti perturbatione ac dolore de recto & naturali mentis ſtatu deijciuntur; ita vt non quid vnus & alter intemperanter gerat ſpectandum ſit, ſed quod paſſim plerique omnes. Addit τὸ δίκαιον, id inquam quod iuſtum, eſſe bonum, vt intelligamus non modò Iuſtitiam vniuerſim, ſed quæ ex iuſto prodeunt 762
actiones, eſſe bonas. Atque id etiam latiſſimè patet; nam ad ea omnia quæ ſiue publicè ſiue priuatim gerimus, & cum æquitate coniungimus, ſe ſe fundit. At enim cur ait communiter vtile quoddam eſſe? An non per ſe bonum eſt ac maximè expetendum atque omnibus proficuum, id quod iuſtum eſt? Verè quidem, ſed tamen populariter loquitur; nam quod iuſtum eſt, propter improbitatem iniuſtis obeſt ac diſplicet ſæpè. Quare Traſimachus apud Platonem in libro primo de Republica, diſputat id tantùm eſſe iuſtum quod commodè cadit & affert vtilitatem. Et Carneades cum Romanam Curiam ingreſſus eſſet, tam acriter pugnauit pro Iniuſtitia, vt eam, quippe magis vtilem quàm iuſtitiam, iuſtitiæ anteponendam oſtenderet. Adde id quod eſt iuſtum, vtile hîc reputari quod non per ſe ſolùm ſed propter vtilitates bonum cenſendum ſit.

PARTICVLA CXVII. 763

ΤΑῦτα μὲν οὖν σχεδὸν τὰ ὁμολογούμενα, ἀγαθά ἐστιν: ἐν δὲ τοῖς ἀμφισβητησίμοις ἐκ τῶνδε οἱ συλλογισμοί. ᾧ τὸ ἐναντίον κακὸν τοῦτ᾽ ἀγαθόν. καὶ οὗ τὸ ἐναντίον τοῖς ἐχθροῖς συμφέρει, οἷον εἰ τὸ δειλοὺς εἶναι μάλιστα συμφέρει τοῖς ἐχθροῖς, δῆλον ὅτι ἀνδρεία μάλιστα ὠφέλιμον τοῖς πολίταις. καὶ ὅλως ὃ οἱ ἐχθροὶ βούλονται, ἢ ἐφ᾽ ᾧ χαίρουσι τοὐναντίον τούτῳ, ὠφέλιμον φαίνεται. διὸ καὶ εἴρηται ἦ κεν γηθήσαι πρίαμος. ἔστι δὲ οὐκ ἀεὶ τοῦτο. ἀλλ᾽ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, οὐδὲν γὰρ κωλύει ἐνίοτε, ταυτὸ συμφέρειν τοῖς ἐναντίοις, ὅθεν λέγεται. ὡς τὰ κακὰ συνάγει τοὺς ἀνθρώπους, ὅταν ᾖ ταυτὸ βλαβερὸν ἀμφοῖν.

ATque hæc quidem fermè confeſſa bona ſunt. In controuerſis autem ex his ſyllogiſmi ſunt. Cui contrarium malum id bonum. Et cuius contrarium inimicis prodeſt, vt ſi timidos eſſe maximè prodeſt inimicis, manifeſtum eſt fortitudinem maximo emolumento ciuibus eſſe. Et omnino quod inimici volunt, vel quo gaudent, cōtrarium huic emolumento eſſe apparet. Itaque rectè dictum eſt, certè gaudebit Priamus. eſt autem non ſemper id, ſed plerunque. Nihil enim prohibet aliquando idem prodeſſe contrarijs, vnde dicitur. Mala conciliare homines, quando ſit idem pernicioſum ambobus. *Riccobonus.*

HAec quidem ferè ſunt, quæ omnes bona eſſe confitentur: ſunt alia de quibus controuerſia eſt, quæ illis argumentis bona eſſe probantur. Cuius contrarium eſt malum, illud bonum eſt; & id cuius contrarium hoſtibus prodeſt, vt ſi noſtros ciues eſſe timidos maximè conducit hoſtibus, perſpicuum eſt, ciuibus maximè prodeſſe fortitudinem. Et omnino quod inimici cupiunt & quo gaudent, eius contrarium vtile nobis eſſe videtur: ideo rectè dictum eſt ab Homero: Gauderet certè Priamus. Neque tamen hoc perpetuò verum eſt: nam interdum fieri poteſt, vt eadem res aduerſarijs vtilitatem adferat: vnde prouerbio dicitur, homines ab infortunijs, & 764
malis conciliari, quoties idem vtriſque detrimentum adfert. *Maioragius.*

DE Bonis controuerſis

COncludit hæc fermè quæ modò enumerauit eſſe bona cōfeſſa: & de ijs quæ controuerſa videri poſſunt, ex quibus item propoſitiones conflandæ ſint, dicendum proponit. Ea eſt enim Oratoria facultas quæ ducere ſolet ſuaſionis argumenta non ſolùm ex ijs bonis quæ in confeſſo ſunt, verùm etiam ex ijs quæ non nihil controuerſa, ſaltem apud aliquos videri poſſint. Quapropter hæc quoque in medium proferenda cenſet Doctor ſolertiſſimus Ariſtoteles vt ampliorem ſuaſionis campum Oratori aperiat ſuo. Reuocat verò huiuſmodi bona controuerſa ad tria & viginti capita. Ac de his ſingulis ex ordine dicendum erit. Eleganter autem hanc controuerſorum bonorum tractationem introducit Maioragius, *Alij enim* (inquit) *hæc aiunt eſſe bona: alij negant, vt voluptatem, alij bonam eſſe dicunt, alij verò malam; honores alij cenſent appetendos eſſe quòd magnopere boni ſint: alij contemnendos, quòd inter bona non ſint habendi. Quidam artem Oratoriam vt rem pernicioſam negligunt, quod Lacedemonij faciebant: multi verò tanquam rem optimam expetunt. Hæc igitur de quibus eſt controuerſia docet Ariſtoteles, quomodo cognoſci poſſint vtrum bona ſint nec ne.* Hæc politiſſimus author. Tametſi exemplum eloquentiæ, fortaſſe non commodè affertur, cum dicendi facultatē inter bona confeſſa retulerit Ariſtoteles. Niſi tamen dicas inrer bona confeſſa naturalem vim dicendi retuliſſe, non artificioſam: quod eſſet τὴν θέσιν διαφυλάττων. cur enim eloquentia inchoata & rudis bona ſit ex omniū conſenſu, perfecta & abſolnta habeat dubitationem? Eodémque iure ac potiore voluptatis & honorum exemplum minùs idoneum eſt hoc in tēpore, 765

cum duo hæc bona inter confeſſa ab eo numerata fuerint. Satiùs igitur ſit affirmare, Eloquentiam, & ſi quid huiuſmodi, inter bona confeſſa retuliſſe quòd communem & popularem intuetur opinionem quam præſtat arripere in Oratorio puluere: & tamen hæc inter controuerſa quoque referre quòd interdum non deſint qui a cõmuni ſententia diſcedentes, vt ſunt Philoſophi aliqui, audeant iſthæc ex bonis eximere, aut ſaltem in controuerſiam reuocare. Quo fieret vt quæ allata ſunt bona confeſſa, ſi non omnia, at certè aliqua, non pari cum cæteris conſenſione eſſent confeſſa, ſed populariter tantùm & apud pleroſque omnes. Quanquam illud palmare in Maioragio quod Victorium ſequutus ſcribit, Ariſtotelem docere quo modo cognoſci poſſit num bona ſint nec ne, cum tamen nihil minùs doceat: ſumit enim eſſe bona, tametſi controuerſa ac profert illa vt Orator pro ſua induſtria illis vtatur eadémque opportunè referat ad ſuaſionem, & ideo ait ex his fiunt ſyllogiſmi, quod eſt ex his propoſitiones ac ratiocinationes ducuntur quibus quod inſtituitur ſuadeamus. Iam verò inter bona con-

I. *Boni cõtrouerſi genus* trouerſa refert id cui malum eſt contrarium. At enim quis dubitet id quod malo eſt contrarium inter bona numerandum? aut quis tale bonum referat inter controuerſa? Immo verò referat non temerè. An non prodigitas, ſeu bonorum effuſio mala eſt? ſic ſanè. & tamen auaritia quæ eſt profuſioni contraria, non modò non eſt bona, ſed peſſima. Idem dixerim de audacia quæ mala eſt, & tamen contraria eius affectio, timiditas inquam, vitioſa item eſt ac mala. Contra tamen vitium malum eſt, & tamen virtus quæ illi aduerſatur eſt bona: eiuſdémque generis multa ſunt. Ita ut iurè ac meritò cõtrouerſa bona cenſeantur quæ opponuntur malo, præſertim in oratorijs diſceptationibus, vbi agitur populariter. Eodémque nomine defendi poteſt quoquo modo Maioragius dum ſcribit. *A contrario ſuo ſæpè cognoſcuntur res, vtrum bonæ ſint an malæ: vt, quoniam infamia res mala eſt, bonor bonus eſſe intelligitur: & quia dolor eſt malus, ideo voluptas eſt bona: & quoniam malum eſt oratione ſe ſuóſque defendere non poſſe, ideo dicendi facultas &* 766
ars Oratoria bona eſt. Illud etiam eſſe bonum intelligitur, cuius contrarium hoſtibus prodeſt. id quod Ariſtoteles exemplo probat. timiditas ciuium noſtrorum prodeſt hoſtibus quoniam eos ſuperiores efficit, ergo non dubium eſt, quin fortitudo ciuibus maximè ſit vtilis. Nam alioquin cum honor, voluptas & eloquentia inter bona confeſſa relata ſint, eiuſmodi exempla nõ qua-

II. drant in præſens Ariſtotelis ſententiæ. Secundo verò loco tanquam bonum id profert cuius contrariũ hoſtibus prodeſt, quam rem timidi ac fortis illuſtret exemplo: ſi enim noſtra timiditas conducit hoſtibus, nobis certè conducit fortitudo: hæc enim in mediocritate ponenda eſt. Itaque cautè legenda ſunt quæ huc congerit Maioragius ex

III. varijs Authoribus exempla. Tertio id bonum cenſet cuius contrarium optant inimici, vel quo lætantur. Id quod Homeri Illuſtrat ſententia, apud quem Neſtor vt Agamemnonis & Achillis contentionem ob Briſeidam exortam ſedaret, monebat fore vt ex ea diſcordia lætarentur Priamus & filij, quaſi diceret diſcordiam illam quæ mala eſſet Græcis, bonam hoſtibus futuram, cum lætitiam inde eſſent percepturi. Subdit verò Ariſtoteles id non ſemper verum eſſe, ſed plerunque, cum nihil prohibeat quominus idem proſit aduerſantibus: & rectè. nã mala, vt ipſe ſubijcit conciliant homines aduerſarios cũ obſunt vtriſque. Quæ exceptio videtur afferri vt conſtet cur inter bona controuerſa iſthæc vel omnia vel certè quod poſtremo loco allatũ eſt, numeretur: cum enim non ſit perpetuum, in controuerſiam venire poteſt. Atque hîc prouerbiũ iſtud, Mala conciliant homines quàm verum ſit, in Populo Romano ſæpiſſimè perſpectum eſt: cum enim paſſim a Senatu diſſideret plebs, tunc planè reconciliabatur, cum hoſtes aduentarent, vel Romanam Vrbem inuadendi conſilium caperent.

PARTICVLA CXVIII.

ΚΑὶ οὗ μὴ ἔϛιν ὑπερβολὴ, τοῦτο ἀγαθὸν ὃ δ' ἂν ᾖ μεῖζον ἢ δεῖ, κακόν.

ET cuius non eſt exuberantia, id bonum; quod autem eſt maius quàm oportet, malum. *Riccobonus.*

ID etiam bonum eſt, in quo nihil nimium eſſe poteſt; quod enim maius eſt quàm conueniat, id eſt malum. 767 *Maioragius.*

Exceſſum

EXceſſum (ſic enim ὑπερβολὴν interpretabor in præſens) refert inter mala, ac proinde id in quo nihil excedat, ponit in bonis. At quid ſi aliquis ſciſcitetur quando tandem aliquid excedat ſiue exuberet (vt loquuntur aliqui) ac ſit nimium? Reſpondet tunc planè cum maius eſt quàm conueniat. Sic ira ſi inter debitos fines contineatur, hoc eſt opportuno loco & tempore excitetur. ſed in primis debita moderatione cõcludatur, bona eſt. Quod ſi exceſſerit ac tranſilierit fines mala eſt. Et ideo ira immoderata vitium iudicatur: itaut ſi exarſerit, furori ſimilis videri ſoleat. Hinc eſt vt ira opportuna, & moderata cos ſit fortitudinis, & hoc nomine a Natura nobis indita eſt: immoderata breuis furor cenſeatur. At enim ſint iſthæc: verùm quî fit vt controuerſia oriri poſſit nũ quæ exuberant aut excedunt ſint mala, ſeu quæ nihil excedunt, ſint bona? Certè quo nomine inter bona controuerſa referantur ambigat quiſpiam non immeritò. Rectè. & ideo magnopere optaſſem vt huc maximè ſtudium ac mentem conieciſſent interpretes; vt inquam pro ſingulis, aut certè vbi res poſtulaſſet, docuiſſent quî tandem nõ immeritò bona quædam ab Ariſtotele inter controuerſa numerentur. Quæ tamen nos opportunè perpendemus ac declarabimus non vno in loco. Interim vt de iis dicam quæ nihil excedunt, fortaſſe hac quoque in controuerſiam vocari poſſint, quia cum videamus Iuſtitiam, verbi gratia, & prudentiam quantumuis augeantur, eſſe bona; contra verò alia multa vt diuitiarum cupiditatem ant filiorum amorem, ſi excedant ac redundẽt, eſſe mala, ambigere liceat de multis quæ exuberent, bonâ ne an mala cenſenda ſint. Quanquam ſtatuere videtur Ariſtoteles ea quæ nihil excedant, vel potiùs nihil excedere queant, eſſe bona, vt intelligamus ea quæ exceſſum non admittunt eſſe bona quãtumuis controuerſa videri poſſint cum alioquin exceſſus & redundantia tum in malo
768 rum in bono reperiatur. Quod ſi eò ſpectaſſe dicas Ariſtotelem quòd apud multos ij etiam tanquam mali mulctarentur qui virtute excellerent, itaut malè in vulgus audire viderentur, ſanè vereatne id nimis populariter, ne dicam licenter ſtatuatur. Sed quicquid ſit, argutè hîc refert Maioragius, Epheſios cum ciuitate expellerent Hermodorũ, ita locutos eſſe, Nemo de nobis vnus excellat: ſed ſi quis extiterit, alio in loco & apud alios ſit: acutè etiam ſubijcit, Ariſtidem ob eam cauſam expulſum eſſe patria, quod præter modum iuſtus eſſet.

IV. *Boni controuerſi genus.*

PARTICVLA CXIX.

ΚΑὶ οὗ ἕνεκα πολλὰ πεπόνηται ἢ δεδαπάνηται φαινόμενον γὰρ ἀγαθὸν ἤδη. καὶ ὡς τέλος ἤδη τὸ τοιοῦτον ὑπολαμβάνεται καὶ τέλος πολλῶν. τὸ δὲ τέλος ἀγαθόν. ὅθεν ταῦτ' εἴρηται καδδέκεν εὐχωλὴν πριάμῳ καὶ αἰσχρὸν τὸ δηρόν τε μένειν. καὶ ἡ παροιμία δὲ τὸ ἐπὶ θύραις τὴν ὑδρίαν.

Riccobonus. ET cuius cauſa multum laboratum eſt & multum inſumptum, videtur enim iam bonum, & vt finis iam tale habetur & finis multorum. Finis autem bonum vnde illa dicta ſunt. & certè famam Priamo: & turpe manere diu: & prouerbium hoc, In foribus hydriam.

Maioragius. *ET cuius cauſa multi labores ſuſcepti ſunt, aut multi ſumptus facti, bonum iam eſſe videtur; & iam finis exiſtimatur, multarũmque rerum finis; quicquid autem finis rationem habet, id certè bonum eſt, vnde huiuſmodi dicta vulgo iactantur; certè Priamo gloriam, & Turpe eſt manere diu: & prouerbium illud, In foribus hydriam.*

Vtinam

V. *Genus.* VTinam non ſæpè aut graues labores ſuſciperentur, aut ſumptus fierent magni, malæ rei gratia. Itaque dum ait Ariſtoteles id eſſe bonum cuius cauſa multi labores aut ſumptus ſuſcipiuntur: id verò de bono vniuerſim intelligendum quatenus apparens quoque bonum complectitur. Sic initio Politicorum cautè monebat boni, vel eius quod bonum eſſe videretur, homines cupidos eſſe. Et idcirco etiam hic ait φαινόμενον, vt 769
intelligamus bonum non neceſſariò, ſed apparens bonum, eſſe poſſe. & eodem nomine intelligendum eſt finis obire locum: nam reuera finis & bonum inter ſe conuertũtur. quare dũ locũ concludit Ariſtoteles finem eſſe bonum, apparens quoque bonum comprehendat neceſſe eſt. Dum verò multa huc Maioragius congerit eleganter quæ tamen pleraque de vero bono enunciauit antiquitas, cautè legendus eſt cum Ariſtoteles voce illa φαινόμενον niſi cautionis gratia nõ ſit vſus. Atque hinc intelligitur quí ad bona controuerſa reuocari poſſit, id cuius gratia & ſumptus fiunt magni & magni labores ſuſcipiũtur: nam in magna ambiguitate verſantur & varietate. Tres verò parœmiæ quas huic rei cõfirmãdæ affert Ariſtoteles (parœmiæ enim loco vſurpari conſueuiſſe ex dictis intelligitur ſatis) eleganter explicantur a Victorio & Maioragio. Eò verò ſpectant vt intelligamus illa a mortalibus paſſim, bona iudicari quorum gratia labores ſuſcepti ſint. Sic illud Priamo gloriam ſignificat turpe videri debuiſſe Græcis poſt exhantlatos decennales, labores incaſſum diſcedere, & gloriam propter quam laboraſſent Priamo, ideſt hoſti, relinquere. Idem valet turpe manere diu, indicat enim bonum ex decennali obſidione fuiſſe referendum, non dedecus ac turpitudinem. Idem de hydria, quam comportaſſe non ſine labore, bonum videri poterat, in foribus effudiſſe malum.

PARTICVLA CXX.

KΑὶ ὃ πολλοὶ ἐφίενται. καὶ τὸ περιμάχητον φαινόμενον. ὃ γὰρ πάντες ἐφίενται, τοῦτ' ἀγαθὸν ἦν. οἱ δὲ οἱ πολλοὶ, ὥσπερ πάντες, φαίνονται.

ET quod multi appetunt & quod pugna dignum apparet. quod enim omnes appetunt, id bonum erat. Multi autem tanquam omnes videntur. *Riccobonus.*

ET quod multi expetunt, & pro quo digladiari inter ſe conſueuerunt, quod enim omnes expetunt, id bonum eſſe ſupra diximus, multi verò, tanquam omnes vulgo videntur. *Maioragius.* 770

VI. *Genus.* ID quoque de bono vniuerſim intelligendum ita ut verum & apparens bonum complectatur. Etſi enim quod a multis vel ab omnibus ferè expetitur, bonum verum eſſe deberet ac ſincerum, exempla tamen multorum, qui apparens ſectantur bonum, à recto abducunt homines. Sed quî controuerſum ſit huiuſmodi bonum, cum inter bona confeſſa (id quod Ariſtoteles ipſe interim indicat) fuerit relatum? ea nimirum de cauſa quòd bona quoque confeſſa populariter vſurpentur interdum: ita fit vt inter bona quoque controuerſa referri poſſint: ita demum bona iſta quæ indicat Ariſtoteles hoc in loco, confeſſa vulgo, controuerſa ſapientibus, videri poſſint: Sic honorum adeptio vulgo confeſſum bonum, apud ſapientes controuerſum eſt. Denique ab Oratore pro opportunitate & inter confeſſa & inter controuerſa hæc & alia id genus bona referuntur. Et ideo pugna videri poſſunt digna, id quod paſſim oſtendit euentus.

PAR-

ROMA

PARTICVLA CXXI.

KAὶ τὸ ἐπαινετόν. οὐδεὶς γὰρ τὸ μὴ ἀγαθὸν ἐπαινεῖ. καὶ ὃ οἱ ἐχθροί, καὶ φαῦλοι ἐπαινοῦσιν. ὥσπερ γὰρ πάντες ἤδη ὁμολογοῦσιν εἰ καὶ οἱ κακῶς πεπονθότες· διὰ γὰρ τὸ φανερὸν ὁμολογήσειεν ἄν. ὥσπερ καὶ φαῦλοι οὓς οἱ φίλοι ψέγουσι, καὶ ἀγαθοί, οὓς οἱ ἐχθροὶ ἐπαινοῦσι. διὸ λελοιδορῆσθαι ὑπέλαβον κορίνθιοι ἀπὸ σιμωνίδου ποιήσαντος, κορινθίοις δ' οὐ μέμφεται τὸ ἴλιον.

Riccobonus. ET quod laudandum eſt: nemo enim non bonum laudat. Et quod inimici & improbi laudant. Quaſi enim omnes iam confitentur, ſi etiam illi, qui malè affecti ſunt. Nam propterea quòd apparet, confitentur, vt & improbi, quos amici vituperant, & probi quos inimici laudant. Quamobrem ſe conuiuio affectos eſſe exiſtimarũt Corinthij a Simonide qui cecinit, Corinthios verò non accuſat Iliũ.

Maioragius. 77t *ET quod eſt laudabile; nemo enim id laudat, quod bonum non eſt. & quod etiam inimici, ac maleuoli homines laudant; nam quod illi laudant, qui mala inde perpeſſi ſunt; perinde eſt ac ſi iam omnes bonum id eſſe faterentur. ideo verò confitentur quia planum & perſpicuum eſt. Quare ſe conuitio affectos cenſuerunt Corinthij a Simonide, cum caneret Corinthios non accuſat Ilium.*

ID etiã in Oratoria ſchola de bono vniuerſim intelligẽdum: vulgo enim ea quoque laudantur ſæpê quæ vix laudem merentur vllam: alioquin vbi de iis loquamur quæ iure laudentur non populariter, hæc verò inter confeſſa bona erunt numeranda, nec ad cõtrouerſa referri poterũt. Atque idem dicendum de bono quod inimici & improbi ſeu maleuoli laudant; ſaltem enim bonum apparens eſt. Sed tamen bonum eſſe cenſendum quod inimici & improbi laudent, intelligendum eſt non vniuerſim ſed comparatè, hoc eſt de ijs quæ in ſuis hoſtibus ſeu de ijs quos odere & criminantur, laudent: alioquin rapinæ & cædes quoque inter huiuſmodi bona eſſent referendæ. Quod igitur contingit vt vel ab hoſtibus & flagitioſis, tum fermè laudetur cum tegi nequeat ac diſſimulari, id bonum cenſetur. Sic Annibal, durus hoſtis & vafer, Scipionem laudat tanquam optimum Imperatorem: quòd ſcilicet res clarior eſſet quàm vt diſſimulari poſset. Quanquam hoſtis etiam alioquin ingenuus laudare tale aliquid poſſit. Sic Mitridates cum in Lucullum ab initio intueretur, fertur illud protuliſse Romanos quoque ſuum habere Alexãdrum. Sed præclariùs Diomedes apud Virgilium. Cum enim Venulus a Latinis miſsus eſset ad Diomedem vt auxilium peteret aduerſus Aeneam hoſtem ſic Venulus affatus eſt, VII. Genus. VIII.

Lib. X.

O fortunatæ gentes, Saturnia Regna,
Antiqui Auſonij quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, ſuadétque ignota laceſſere bella?
Quicunque Iliacos ferro violauimus agros,
(Mitto ea quæ muris bellando exhauſta ſub altis
Quos Simois premit ille viros) infanda per orbem
Supplicia & ſcelerum pœnas expendimus omnes,
Vel Priamo miſeranda manus.

Et paulò poſt.

Ne verò, ne me ad tales impellite pugnas:
77a *Nec mihi eum Teucris vllum poſt eruta bellum*
Pergama, nec veterum memini lætórue malorum.
Munera quæ patrijs ad me portatis ab oris,
Vertite ad Aeneam: ſtetimus tela aſpera contra.
Contulimúsque manus: experto credite quantum

In cly-

In clypeum aſſurgat, quo turbine torqueat haſtam.
Si duo præterea tales Idæa tuliſſet
Terra viros, vltro Inachias veniſſet ad Vrbes
Dardanus & verſis lugeret Græcia fatis.
Quicquid apud duræ ceſſatum eſt mœnia Troiæ,
Hectoris Aeneæque manus victoria Graiûm
Hæſit & in decimum veſtigia retulit annum.
Ambo animis ambo inſignes præſtantibus armis.
Hic pietate prior.

Addit verò, *Vt & improbi quos amici vituperant, & probi quos inimici laudant.* vt confirmet a contrario reuera eos eſſe bonos ſeu bonos habendos, qui laudantur ab inimicis. nam quemadmodum improbi verè cenſendi ſunt ij qui a proprijs amicis vituperantur, ſic probi qui ab inimicis laudantur. Et huc etiam pertinet exemplum quod de Ilio & Corinthijs profert è veſtigio ex Simonide. Nam ſi ſe Corinthij Simonidis verſiculo illo, Corinthijs non iraſcitur Ilium, cõtumelia iudicarunt affecti, quaſi formidoloſi aut deſides haberẽtur, honore affecti eſſent è contrario ſi ceciniſſet ille Ilium Corinthijs maximè fuiſſe iratum: hoc enim eſſet argumentum militaris Corinthiorum virtutis ac boni. Etſi boni perfecti quódque caret controuerſia, non erat ſignum, cum verum bonum eſſet Ilios non lædere, & vltro arma Ilijs non inſerre. Tu tamen de propoſito verſiculo vide Plutarchum in vita Dionis. quamuis in Adagijs meliùs explicatur, & Ariſtoteli conſentienter.

PARTICVLA CXXII.

Καὶ ὅ, τῶν φρονίμων τίς, ἢ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, προέκρινεν οἷον ὀδυσσέα Ἀθηνᾶ: καὶ Ἑλένην θησεύς, καὶ Ἀλέξανδρον αἱ θεαί, καὶ Ἀχιλλέα ὅμηρος. 773

ET quod ex prudentibus aliquis, vel bonis viris, vel mulieribus præiudicauit, vt Vlyſſem Minerua, & Helenam Theſeus, & Alexandrum Deæ, & Achillem Homerus. *Riccobonus.*

ET quod aliquis ex prudentibus & bonis viris ac mulieribus præcellere iudicauit; vt Vlyſſem Pallas, Helenam Theſeus, tres illæ Deæ Paridem, Achillem Homerus. *Maioragius.*

IX. *Genus.* BOnum item ſtatuit illud quod prudentis hominis ſiue vir ſit ſiue mulier, tanquam præiudicio quodam ſtatuerim fuerit bonum, vt cum Minerua Vlyſſem prætulit alijs viris: Helenam Theſeus fęminis; tres Deę illæ Paridem, Achillem Homerus. Vbi tamen iudicium profert Dearum fermè non planè mulierum: ait verò Vlyſſem a Pallade cæteris antepoſitum, quòd in Odyſſea in primis eius ſibi curam ſuſceperit, atque illum quaſi in amoribus eſſet, coluerit. Theſeus quoque Helenã puellam cæteris virginibus antepoſuit quam adamauit & rapuit: Id quod egregiè proſequitur Iſocrates in Panegyrico: Deæ verò illæ Paridem prætulerunt quandoquidem ſe illius ſubiecerũt iudicio, dum ob diſcordiæ pomum certarent de pulchritudine. Poſtremò Achillem ab Homero cæteris ſignificat antepoſitum, quod hunc ſibi vel maximè ornãdum exiſtimauerit. Id quod Alexander Macedo, cum in Sigæum veniſſet, & in Achillis tumulum incidiſſet, ſignificauit: ſiquidem non ſine magno inuidiæ ſenſu exclamauit. Fortunate Adoleſcens qui tuæ virtutis præconem Homerum habuiſti.

PAR-

PARTICVLA CXXIII.

ΚΑὶ ὅλως τὰ προαιρετὰ προαιροῦνται δὲ πράττειν τά τε προειρημένα. καὶ τὰ τοῖς ἐχθροῖς κακὰ, καὶ τὰ τοῖς φίλοις ἀγαθὰ, καὶ τὰ δυνατά: ταῦτα δὲ διχῶς ἐστι, τά, τε γιγνόμενα ἄν, καὶ τὰ ῥᾳδίως γιγνόμενα, Ῥᾴδια δέ, ὅσα, ἢ ἄνευ λύπης, ἢ ἐν ὀλίγῳ
774 χρόνῳ τὸ γὰρ χαλεπὸν ὁρίζεται ἢ λύπῃ, ἢ πλήθει χρόνου.

Riccobonus. ET omnino quæ præeligenda ſunt. Præeligunt autem vt agant tum quæ dicta ſunt, tum inimicis mala, tum amicis bona, tum quæ fieri poſſunt. Atque hæc duobus modis ſunt; & quæ fiunt & quæ facilè fiunt. Facilia verò ſunt quæcunque vel ſine dolore ſunt vel breui tempore. Difficile enim definitur vel dolore vel longitudine temporis.

Maioragius. *ET omnino quæcunque alijs conſultò præponuntur. Statuunt enim homines ea facere quæ ſupra dicta ſunt, & quæ mala ſint inimicis, amicis autem bona, & quæ fieri poſſint. Hæc autem duobus modis intelliguntur; vel quæ quoquo modo fieri poſſunt, vel quæ facilè, nulloque negocio. Facilia verò dicuntur ea, quæ vel ſine moleſtia vel breui tempore confici poſſunt, difficile namque vel moleſtia vel temporis longitudine definitur.*

IAm verò decimo loco ea bonorum nomine comprehendit quæ præeligenda ſunt, ſiue rebus alijs a nobis præferenda ac propterea eligenda. Quæ ſanè ideo controuerſa eſſe poſſunt. quia nihil prohibet quominus decipiamur alioquin quæ ſunt eligenda inter confeſſa referenda ſunt. Quod ſi dicas hæc interim bona dici προαιρετὰ & elegibilia, elegibilia vero eſſe tantùm vera bona, ac propterea confeſſa; iam de elegibilibus quoque dubitatur vulgo; itaut in Oratoris ſchola ad controuerſa quoque poſſint reuocari. Nam ſi fortè προαιρετὰ pro ijs accipias quæ delecta ſint, & iam conſultò præponantur alijs, quemadmodum Maioragius (me tamen diſſentiente) interpretatur commodè adhuc inter controuerſa numerentur, cum conſultò etiam præponamus quædam quæ minùs eſſent præponenda, & in quibus ſummatim decipimus. At enim quæ tandē προαιρετὰ (ſiue elegibilia dicas ſiue delecta) vocas Ariſtoteles? Quæſo te hæc feras ſigillatim. *Præeligunt autem* (inquit Ariſtoteles) *vt agant tum quæ dicta ſunt, tam quæ* X. Genus.
775 *inimicis ſunt mala, tum quæ amicis ſunt bona & quæ fieri poßunt.* Atque hæc ſanè omnia eligibilia ſunt & bona populariter, itaut contingat non raró in ijs nos decipi. Quin quæ
Lib. 2. mala ſunt inimicis perperam a nobis eliguntur atque illis optantur. Etſi enim Ariſtoteles tum hîc tum in Topicis videtur eorum indolem probare ac factum qui amicis bona, inimicis mala, inferunt; Cicero etiam Lucullum laudauit quod paternas inimicitias magna cum laude proſecutus eſſet. Secus tamen Socrates qui apud Platonem melius iudicauit iniuriam perferre quā inferre. Quāquam Ariſtoteles etiam (id quod non multò poſt fatebitur) agnouit melius eſſe iniuriam perpeti quàm inferre. Quod ſi Plato ſuæ Reipublicæ cuſtodem cum generoſo contulit cane qui mitis eſſet amicis ac domeſticis, aſper & infenſus hoſtibus, rectè ille quidem, quandoquidem Vrbis ac Patriæ cuſtos hoſtibus ſe infenſum opportunè oſtendat. Quin M. Tullius etiam qui prætcrea affirmauit boni viri eſſe nemini nocere niſi a quo laceſſitus fuerit commodè exponi poſſit: nam præterquamquod Cæſarem ideo extollit quod ignoſceret hoſtibus, ac laceſſitus obliuiſceretur iniurias, honeſtè etiam licet iniurias vlciſci & laceſſentibus reſiſtere: moderatio enim non ſine laude. Denique opportuno loco ac tempore illud cadit egregiè,

Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.

Quoniam verò dixerat Ariſtoteles τὰ δυνατὰ quoque eſſe bona, iam explicat quæ intel-

Digitized by Google

ligat, atque ait eſſe & quæ fiunt(quæ enim fieri nequeunt temerè eligantur & tanquā
bona cæteris anteponantur)& quæ fiunt facilè. Vbi quę fiunt eſſe bona & controuerſa,
nemo dubitet, cum & benè & malè fieri aliquid poſſit. Idem dicendum de ijs quę fiunt
facilè: etſi enim magis videntur eligenda bona quæ præſeferunt facilitatem, nihil tamē
prohibet quominus in ijs quoque decipiamur interdum. Iam verò accuratiſſimus Ari- 776
ſtoteles declarat quæ dicēda ſint facilia, atque ait eſſe illa quæ fiunt ſine dolore vel bre-
ui tempore. quòd ſi ea quæ fiunt frequentiùs, facilia quoque eſſe dixerit, fortaſſe non
aberraueris. Denique facilia ſunt quæ laborem exigunt vel nullum vel mediocrem; ac
talia ſunt fermè quæ ſine dolore quæque breui tempore aut frequenter fiunt. Itaque
non immeritò concludit Ariſtoteles, id quod eſt difficile, vel dolore vel longitudine
temporis definiri; præſertim quia quæ frequenter geruntur, etſi facilia; ad ea reuocari
poſsunt quæ fiunt ſine dolore. Nam ab aſsuetis(cuiuſmodi ſunt quæ fiunt frequenter)
non fit paſſio, ſeu non gignitur affectio & dolor, vel certè perexigua gignitur affectio.

PARTICVLA CXXIV.

ΚΑὶ ἕως ἂν βούλονται. βούλονται δὲ ἢ μηδὲν κακὸν ἢ ἔλαττον τοῦ ἀγαθοῦ. τοῦτο δὲ ἔσται, ἐὰν ἢ λανθάνῃ ἡ τιμωρία, ἢ μικρὰ ᾖ.

ETſi vt volunt, volunt autem, vel nullum malum, vel minus quam bonum. *Riccobonus.*
Hoc verò erit ſi vel lateat pœna vel parua ſit.

BOna quoque illa ſunt, quæ ita fiunt vt homines volunt. Volunt autem vel nihil *Maioragius.*
habere mali, vel ſaltem minus mali, quàm boni; quod tunc euenit cum pœna vel
nos latuerit vel puſilla fuerit.

XI. *Genus.* BOnum item illud appellat quod euenit prout optaret homines ac vo-
lunt. Volũt autem (ſubdit Ariſtoteles) vel nihil habere mali, vel ſaltem
minùs mali quàm boni. Quo in loco diminutus videri poteſt Ariſto-
teles, cum homines primò velint quæ bona ſunt, ac maximè velint &
optima ſi fieri poſſit: tum optent carere malo ſi nō è ſententia illis cō-
tingat optatum bonum: & ad extremùm ſine omni quidem malo poſ-
ſint liberari, optant vt minùs ſit quàm bonum. Itaque quod potiſſimum erat præter-
miſit Ariſtoteles. Neque illud confugias vt dicas primum illud quod mortales volunt 777
bonum non eſse ex controuerſis; nam in hoc etiam decipimur bonum apparens, bo-
num apparens exoptantes, itaut non fuerint qui in malo collocauerint ſummum bo-
num vt Epicurei in corporis voluptatibus. Niſi igitur dicamus Ariſtotelem dum ait
omnes velle vt nullum eos malum attingat, tacitè indicare iſtos optare bonum ac ma-
gnum bonum, vel id reticuiſse quódquę bona numerauerat antea, ea fermè primò ve-
lint homines, itaut non neceſse eſset longiùs facere. Sed vt vt ſit, certum eſt etiam hęc
duo bona inter controuerſa numerari poſse, cum homo per inſcitiam ſępe aut pertur-
bationem malum reputet bonum, bonum malum: explicat verò Ariſtoteles vnde fiat
vt minus nobis malum accidat quàm bonum, atque ait id contingere cum vel pœna
lateat vel parua ſit. Quod an explicet ſatis quando nobis minus contingat malum, non
ſatis video. Nam minus etiam citra pœnam contingere poſse. ſiue hæc lateat ſiue pa-
teat, ſiue ſit exigua, compertum eſt. Tametſi duæ iſtæ formæ in Oratoria ſchola vel
quia ſunt populares vel quia magis in promptu, ſatis eſse poſsunt. Dum verò bona cē-
ſet Ariſtoteles quæ fiunt vt homines volunt, præclarè multa Maioragius, ex M. Tullio
atque alijs. Tu illum conſulito. Etſi enim optaſsem vt dubitationes interim & agno-
ſcerent quæ ſunt in promptu, & dilueret, ſimúlque pro ſingulis huiuſmodi bonis do-
ceret quomodo ſint controuerſa, exempla tamen quæ huc ex bonis authoribus deri-
uauit, aurea videri & poſsunt & debent.

PAR-

Digitized by Google

PARTICVLA CXXV.

778 Καὶ τὰ ἴδια. καὶ ἃ μηδείς. καὶ τὰ περιττά· τιμὴ γὰρ οὕτω μᾶλλον. καὶ τὰ ἁρμόττοντα αὐτοῖς. ταῦτα δ᾽ ἐστὶ τά τε προσήκοντα κατὰ γένος καὶ δύναμιν.

Riccobonus. ET quæ nemo. Et eximia, honor ſic enim magis. Et congruentia ipſis. Talia autem ſunt, tum quæ conueniunt propter genus, tum propter facultatem.

Maioragius. *ET quæ propria ſunt: & quæ nullus alius poſsidet, & quæ reliquis præſtant, bona ſunt, in his enim honor ſpectatur. Et quæ ipſis congruentia ſunt; qualia ſunt, quæ vel propter genus & familiã, vel propter eius ipſius facultatem, alieni conueniunt.*

QVatuor hîc breuiter congerit bona: primum quod eſt propriũ: ac rectè: xij. xiij.
propria enim bona quaſi noſtratia, & ſiue a maioribus nobis trãſmiſſa xiv. xv.
ac poſterorum fidei commendata, ſiue noſtro labore parta, cariſſima *Genus.*
eſſe ſolent. Itaque prærogatiuas familiæ, inſignia, famam, nobilitatem,
ſi propria ſint, magis adamamus. Iure igitur Cicero libertatem eo nomine populo Romano commendauit, quòd diceret eius eſſe propriã: Aeneas quoque

Da propriam Tymbrae domum, da mœnia feſſis,

Inquit apud Poëtam. Alterum bonum exprimitur his verbis *& quæ nemo*, Græcè enim eſt καὶ ἃ μηδείς. Victorius tamen & Maioragius vertunt, & quæ nullus alius poſſidet, ſeu quæ nemo alius. Quod ſi talis ſit Authoris ſententia, quæri poteſt quî tandem diſtinguantur ea quæ ſunt propria ab ijs quæ nullus poſſidet alius. Sed explicat locum ſi tamen explicat, Maiotagius his verbis. *Quæ alicuius propria ſunt, ita ut nullus alius poſſideat, magna ſunt bona*: vbi duo illa quæ commemorauimus bona in vnum contrahit, quaſi verò poſterioribus verbis declarentur priora. Sed profectò cum præter morem redũ-
779 daſſet Ariſtotelea Oratio, tum vis adhibenda eſſet verbis in quibus duo commemoran-
tur bona: ac propterea cæteri vnum ſtatuunt bonum quod proprium ſit, alterũ quod poſſideat nemo. Fortaſſe igitur dicendum propria non ſtrictim ac preſſè vſurpari hoc in loco, prout vni tantum conueniunt, ſed minùs preſſè: ſiquidem propria manãt latè: quę vero nullius alterius, propria erũt ſtricto iure ac preſſè ſeu propriiſſimè vt eſt apud Dialecticos & quarto modo. Vel certè illud *& quæ nullius*, valet non modò nõ ſunt alicuius propria, ſed a nemine poſſidentur, ita ut duo iſta bona commodè diſtinguantur: quare malè adderent illi *alius*. Et ſanè principatus Vrbis, regnũ inter regna (vt ſexcenta alia ſileam) eiuſmodi ſunt bona quæ poſſidet nemo. Cur non igitur hæc proferẽda fuerant quæ reuera bona cenſentur ac nemo poſſidet? diſtinguuntur igitur toto cœlo. Poſſunt verò hęc quoque bona eſſe controuerſa. Quid enim obſtet quominus alicuius familię inſignia & ſtemmata, quantumuis illius propria, ocioſa & nullius momenti iudicentur? Regnum quoque vt eſt curarum pleniſſimum & periculoſum (id quod elegãter cecinit Horatius de Syracuſano Rege) inter bona cõtrouerſa vocari poteſt. Theſaurum quoque occultum quem nemo poſſideat, nullius vſus ac propterea non bonum appellauimus. Addit tertiò, *& eximia, honor ſic enim magis.* Nec immeritò, quibus enim honor habeatur, ſiue ea quæ honore digna cẽſeantur, ea bona cenſeri ſolent, pręſertim ſi ſint eximia: nam eximium quoque honorem præſeferunt aut merentur. Et tamen poſſunt eſſe controuerſa; vt ſi quis ſaltandi aut canendi excellat arte: nam apud quoſdã indecorũ eſt, præſertim maturiore ætate his artibus indulgere. Quartò ſeu poſtremò, *Et congruentia ipſis*, inquit Ariſtoteles. id enim quod congruit alicui, vt verbi gratia ho-
780 nor Regi aut Diuitiæ, bonũ videri ſolet, quemadmodum è contrario quod minùs con-
uenit alicui, id in malis ponitur. quæ verò conueniunt ſeu congruunt, cõgruunt & propter genus & propter facultatem. Atque hæc etiam ad controuerſa poſſunt reuocari.

PARTICVLA CXXVI.

KAὶ ὧ ἐλλείπειν οἴονται, καὶ ἂν μικρὰ ᾖ, ὐδὲν γὰρ ἧττον προαιρῦνται ταῦτα πράττειν.

ET quæ deficere arbitrantur, etiamſi parua ſint, nihil enim minùs præeligunt ea, vt agant. Riccobonus.

ET quæ ſibi deeſſe putant, etiamſi parua fuerint, nam nihilominus ea ſibi agenda eſſe ſtatuunt. Maioragius.

XVI. *Genus.* EA quibus caremus ſine dubio expetuntur aut optantur etſi exigua, defectus enim quandam veluti turpitudinem obijcit: quòd ſi ſit exigua turpitudo tamen eſt: & ideo non grauatè pro ijs quibus caremus adipiſcēdis laboramus. Atque hæc etiam in controuerſiam venire poſſe, bona ſint necne conſtat ſatis.

PARTICVLA CXXVII.

KAὶ τὰ εὐκατέργαςα: δυνατὰ γὰρ, ὡς ῥᾴδια. Ε᾽υκατέργαςα δὲ καὶ ἃ πάντες, ἢ οἱ πολλοὶ ἢ τοι ἴσοι ἢ ἥττους, κατώρθωσαν.

ET quæ benè deducũtur in actũ. Fieri enim poſſunt, vt facilia. Benè autẽ deducuntur in actum, quæ omnes vel multi vel ſimiles, vel minores rectè egerunt. Riccobonus.

ET quæ ſine labore ad exitum perducuntur. nam ſunt ex eo genere, quæ fieri poſſunt tanquam facilia; dicuntur autem ea ſine labore ad exitum perduci, quæ vel omnes vel multi, vel pares vel inferiores rectè perfecerunt. Maioragius.

XVII. *Genus.* EA quoque ſunt bona quæ ſunt εὐκατέργαςα, hoc eſt benè ad exitum deducuntur, ſeu facilè & commodè ac ſine labore peraguntur. At enim iſthæc commemorata ſunt in decimo loco. Fateor: ſed tamen ibi alterius gratia de ijs fit mentio quæ facilè fiunt ſiquidem declaratur quæ facilè fiunt, quæque ſine dolore ac breui tempore peraguntur facilia iudicari, vt declaretur quæ fieri poſſint, cũ hæc facilè etiam poſſint fieri aut minùs facilè. hîc verò quæ facilè fiunt per ſe inter bona reuocantur & commemorantur non alterius gratia. Quod ſi poteſtate cõtinebantur in ijs quæ dixerat fieri poſſe ſaltem hoc in loco id proſequitur enucleatiùs. Adde quod ibi dixit facilia eſſe quæ ſine dolore fiunt ac breui tempore, hîc ea quæ fiunt labore (niſi tamen benè, potiùs & commodè quàm ſine labore ſignificat) & facilè propter exiguum laborem aut nullum. Et ideo pergit ea eſſe facilia & fieri percommodè, quæ omnes, vel multi, vel ſimiles, vel minores rectè egere. id enim argumento eſt exiguo indigere labore ac prope nullo. Hæc verò perinde ac ſuperiora in controuerſiam venire poſſe, non eſt dubitandum: quidni enim dubitemus num bonum ſit diuiti aſſurgere aut aperire caput, cum ſæpè diues rudis ſit & expers virtutis? & tamen hoc facilè ac nullo labore fit ab omnibus nõ modò a multis aut paribus aut minoribus. 781

PARTICVLA CXXVIII.

Καὶ ἃ χαριῦνται τοῖς φίλοις, ἢ ἃ ἀπεχθήσονται τοῖς ἐχϑροῖς.

Et ea quæ grata facient amicis, & quæ odioſa facient inimicis. Riccob.

Et ea in quibus gratificantur amicis, aut inimicis dolorem inferunt. Maior.

XVIII. *Genus qđ geminum videri poteſt.* POteſt id contingere tum in ijs quæ nobis fœliciter accidunt, vt cũ diuitias acquirimus verbi cauſa, aut honores (id enim amicis accidit periucundũ, hoſtibus permoleſtum) vel cum aliquid amicis ipſis gratificamur aut hoſtibus ingratum obijcimus aut irrogamus, illos lætitia hos mœrore afficientes & poſteriorem hunc explicatum videntur inprimis ad amuſſim Ariſtotelis verba, dum ait ea quoque eſſe bona quibus homines χαριῦνται τοῖς φίλοις gratificantur

cantur amicis: ac propterea idem de ijs dicendum quibus dolorem inurunt inimicis. Bona verò & populariter cenſeri, & propterea poſſe commodè controuerſa reputari, nemo eſt qui non ſentiat. Atque hîc pulcherrima quædam ex M. Tullio & Virgilio profert exempla Maioragius quæ ſanè utiliter percurras.

PARTICVLA CXXIX.

Κ Αὶ ὅσα, ὡς θαυμάζουσι, προαιροῦνται πράττειν.

Riccobonus. Et quæcunque quos admirantur, præeligunt vt agant.

Maioragius. *Et quæcunque illis ſtudent agere quos admirantur.*

782 HAec quoque bona & populariter æſtimãda & in controuerſis ponenda. Itaque non rarò Tyrones ea in veteranis ſiue militibus ſiue Doctoribus aut Oratoribus ſuſpiciunt & imitantur quæ vitio haud carent. Etſi ſæpè etiam admirentur & imitentur quæ vehementer probanda ſint: quare illi Simij vocari ſolent, hi prudentes induſtriique æmulatores. XIX. Genus. Hîc verò Maioragius percommodè monet nos tum mortuos tum viuentes admirari ſolere & imitari: quam rem egregijs illuſtrat exemplis. Sed agedum obſecro illa ex Authore nobili, quoniam non latiſſimè manant, deſcribamus. Sic igitur ille. *Imitari ſolent homines eos, quos admirantur vel iam mortuos vel adhuc uiuentes, mortuos vt Cicero (quod ait Quintilianus) cum ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, effinxit vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis. adhuc uiuentes ut Sulpitius L. Craſſi ſimilis eſſe ſtudebat in dicendo ſicuti Cicero ſcribit. hac de cauſa Romani maiorum imagines, qui præſtantes fuiſſent, domi habebant, eorum laudes ad tibiã canebant, ut iuuenes ad eorum imitationem excitarentur. Sic Euander apud Virgilium Palantem filium ſuum Aeneæ comitem adiungit. ut eadem ſtuderet agere quæ Aeneas agebat. Sic enim ait.*

Hunc tibi præterea ſpes & ſolatia noſtri
Pallanta adiungam: ſub te tolerare magiſtro
Militiam & graue Martis opus, tua cernere facta
Aſſueſcat primis & te miretur ab annis.

PARTICVLA CXXX.

Κ Αὶ πρὸς ἃ εὐφυεῖς εἰσὶ, καὶ ἔμπειροι: ῥᾷον γὰρ κατορθώσειν οἴονται.

Riccob. Et in quibus ingenioſi ſunt, & experti: faciliùs enim ſe rectè acturos arbitrantur.

Maior. *ET ad quæ natura ſunt aptiores; & in quibus exercitationes, faciliùs enim ea meliùsque ſe perfecturos exiſtimant.*

AD vigeſimum peruenimus bonum. id verò ad ingenioſos pertinet & expertos. XX. Bonum genus. Ij enim ea facilè reputãt bona in quibus ingenioſi ſunt, quod eſt in quibus à natura quodammodo ficti ſunt & conformati. Certum eſt enim aliquos varijs artibus ac ſtudijs naturaliter propenſos & inclinari, atque ij delectatione maximè, quam ab initio hauriunt, excitantur & ad culmen euehuntur. Etſi non deſunt qui electione ſectantur artes, & tunc maximè haſce bonas reputant cum in ijs tractandis periti ſint & experientia docti. Inde verò ea magis in quibus vel experti vel a natura ficti ſunt adamant & ſectantur bona, quòd ſe animaduertunt ea faciliùs adminiſtrare poſſe ac peragere. Atque hæc controuerſa cenſeri poſſe ſatis conſtat dum multis arridet nauigatio, alijs militia aut mercatura, quæ pleniſſima ſunt periculis, ac mala etiam afferre ſolẽt: vt de malis ſtudijs & exercitationibus ſileam quibus ſeſe vel a prima ætate mancipare ſolent multi. Elegãter autem id quoque Maioragius.
783 *Cicero multis in locis dolet, armis de Republica diſceptari inter Cæſarem & Pompeium, non autem conſilio & auctoritate: qua in re magis ipſe valebat, cum in armis non eſſet exercitatus. Sic Euripides dixit homines in ea re frequenter verſari in qua ſe præcellere exiſtimant & hoc eſt quod etiam illo vulgato verſu præcipitur.*

Quam quiſque norit artem in ea ſe exerceat;

Quod etiam Tibullus eleganter illis verſibus expreſſit,

Nauita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, paſtor oues.

Digitized by Google

PARTICVLA CXXXI.

Καὶ ἃ μηδεὶς φαῦλος: ἐπαινετὰ γὰρ μᾶλλον.

Et quæ nemo improbus laudanda erunt magis. Riccobonus.

Et quæ nemo vir abiectus aggreditur: ſunt enim ea maiore laude digna. Maioragius.

XXI. Genus.

BReuiter Ariſtoteles & obſcurè: quæ enim tandem bona ſunt, hæc quæ malus ſiue improbus expetit nullus? bonum enim eſt quod omnia appetunt, tantum abeſt vt inter homines aliqui nequaquam illud appetant. Commodè igitur Maioragius & Muretus per *φαῦλον* exponunt abiectum, atque id bonum appellant quod abiectus homo nullus aggreditur: & ingenioſè. Verè enim dicitur, bonum excellens atque arduum, cuiuſmodi eſt virtus & apud vulgus magnus honor ac regnum aut ingentes diuitię ab ignauo nemine & abiecti animi, poſſideri, ſed ne exoptari quidem aut eligi; cum ſciant labore vigiliiſque parari. Atque hæc ait eſſe magis laudanda ſeu eximia laude digna, quod eſt digniora & laudabiliora eſſe quàm ignauus ad illa aſpirare audeat: vel certè quæ ignauus aggredi minùs audet ea excellere inter bona ſeu inter laudabilia. Neque tamen certum eſt non eſſe bona cõtrouerſa ſiquidem ingentes quoque diuitiæ ac regna ipſa habent vnde improbentur.

PARTICVLA CXXXII.

Καὶ ὧν ἐπιθυμοῦντες τυγχάνουσιν. οὐ γὰρ μόνον ἡδὺ, ἀλλὰ καὶ βέλτιον φαίνεται.

Et quæ cupiunt: non enim ſolùm iucundum, ſed & melius apparet. Riccobonus.

ET ea quorum appetentes ſunt: nam ea non ſolùm iucunda ſed etiam alÿ meliora eſſe videntur. Maioragius.

QVemadmodum facile eſt Athenienſes laudare Athenis ita facile eſt bonum illud ijs probare cui ſtudent ſeu cuius appetentes ſunt: & ideo quod cuique 784 arridet id bonum haberi iubet Ariſtoteles in Oratoria ſchola & apud ſuadẽtem. Ac iurè. nam trahit ſua quemque voluptas. Itaque ſcitè M. Tullius inde Populum R. excitat ad bellũ Mitridaticum quòd ſemper appetẽs fuiſſet gloriæ atque auidus laudis. Id quod eã quoque habet rationẽ, quia quę appetũtur tum iucunda tum alijs meliora videri ſolent, itaut duplici nomine & expetantur & bona cẽſeantur. Et tamen nihil prohibet quin inter bona controuerſa referãtur, cum mortales nõ modò verum bonũ, ſed falſum & adumbratum ſæpiſſimè appetant & conſectẽtur.

PARTICVLA CXXXIII.

KAὶ μάλιστα ἕκαστοι πρὸς ἃ τοιοῦτοι. οἷον οἱ φιλόνικοι, εἰ νίκη ἔσται: οἱ φιλότιμοι, εἰ τιμή: οἱ φιλοχρήματοι, εἰ χρήματα: καὶ οἱ ἄλλοι ὡσαύτως. περὶ μὲν ἀγαθοῦ, καὶ τοῦ συμφέροντος, ἐκ τούτων ληπτέον τὰς πίστεις.

ET in quibus maximè ſunt ſinguli tales vt ſtudioſi victoriæ ſi victoria aderit ſtudioſi honoris, ſi honor, ſtudioſi pecuniarum ſi pecuniæ; & alij eodem modo. Ac de bono quidem, & vtili ex his ſumenda eſt fides. Riccobonus.

ET ea præcipuè ad quæ natura procliues ſunt, vt victoriæ ſtudioſi, ſi victoriã ſperent: honoris auidi, ſi honor proponatur: auari ſi pecunia, & cæteri eodem modo. Ac de bono quidem atque vtili ex ÿs quæ dicta ſunt argumenta ſumi poſſunt. Maioragius.

POſtremum hoc bonum cum eo fermè cõuenit quod vigeſimo loco allatũ eſt dum homines *εὐφυεῖς* hoc eſt a natura ficti ad bona quædã dicebantur. Quanquam hîc non tam fictos quàm procliues quod minus videri poteſt intelligit. Adde hîc procliues ad ea dici non tam natura quàm generatim; itaut vſu etiam, ſtudio & exercitatione procliues ſint ad bonum illud. Ait verò in his maximè bonum euitere: nam reuera id vltro propemodum pro bono ſe ſe offert in quod procliues ſumus: quam rem exemplo eorũ illuſtrat qui *φιλόνικοι*, victorię inquã cupidi, & *φιλότιμοι* hoc eſt cupidi honoris & *φιλοχρήματοι* ideſt pecunię cupidi, fuerint. His addit de bono atque vtili ex ijs ſumenda eſſe argumenta: quibus bona tam confeſſa quàm controuerſa intelligit: idémque dixerim de vtili.

CAPVT

CAPVT VII.

PARTICVLA CXXXIV.

785 Ἐπεὶ δὲ πολλάκις ὁμολογοῦντες ἄμφω συμφέρειν, περὶ τοῦ μᾶλλον ἀμφισβητοῦσιν, ἐφεξῆς ἂν εἴη λεκτέον καὶ περὶ τοῦ μείζονος ἀγαθοῦ καὶ τοῦ μᾶλλον συμφέροντος. Ἔστω δὴ ὑπερέχον μὲν τοσοῦτον καὶ ἔτι: ὑπερεχόμενον δὲ τὸ ἐνυπάρχον. καὶ μεῖζον μὲν ἂν ἀεὶ καὶ πλεῖον. πρὸς ἔλαττον. μέγα δὲ καὶ μικρὸν, καὶ πολὺ καὶ ὀλίγον, πρὸς τὸ τῶν πολλῶν μέγεθος. καὶ ὑπερέχον μὲν, τὸ μέγα: τὸ δὲ ἐλλεῖπον, μικρόν. καὶ πολὺ καὶ ὀλίγον ὡσαύτως.

Riccobonus. QVoniam autem ſæpè qui confitentur vtrunque vtile eſſe, de eo quod eſt vtilius, controuerſantur: deinceps ſequitur, vt dicamus de maiori bono, & de eo quod eſt vtilius. Sit igitur ſuperans tantum, & amplius. Quod verò ſuperatur, id quod ineſt. Et maius quidem ſemper & plus ad minus. Magnum verò & paruum, & multum & paucum, ad multorum magnitudinem: at deficiens paruũ. Et multum & paucum itidem.

Maioragius. *SEd quoniam ſæpè accidit ut duo proponantur quæ ambo ſint utilia, uerùm utrum utilius ſit dubitant: deinceps de maiori bono magiſque utili nobis dicendum eſt. Id igitur quod præſtat eſt tantum quantum id, quod ſuperatur; atque amplius: ſuperatum autem in eo, quod præſtat, incluſum eſt. Et maius quidem atque plus ſemper ad aliquid, quod minus ſit, refertur: magnum autem & paruum, & multum & paucum cum multorum magnitudine multitudinéque conferuntur.*

ANimaduertit acutiſſimus Doctor, fore vt quemadmodum oriri poterat dubitatio de bonis controuerſis, itaut oportuerit hæc in medium afferre vt Oratori eſſent in promptu, ita de maiore ac minore vtili & bono ambigi poſſe, ac propterea oportere horum quoque vim explicare ac propoſitiones conſtituere, vt in promptu ſint ſuadenti. Ob id igitur, quoniam (inquit) ſæpè aliqui confitentur duo quędam eſſe vti-
786 lia, ſed de vtiliore altercantur, ſequitur vt dicamus etiam de eo quod eſt maius bonum aut vtilius. Acutè verò ait primo ſæpè dubitari vtrum ſit vtilius, nam in deliberatiuo genere vtile vel vnum vel maximè ſpectare ſolet, atque hinc initium ducit altercatio in Deliberatiuo genere. Tametſi quoniam bonum & vtile ſunt inter ſe affinia, immo vtile idem quod bonum in deliberatione iudicatur, permiſcet hæc interim Ariſtoteles; præſertim verò quia populariter diſputat ac more maiorum. Quanquam non temerè fortaſſe requirat quiſpiam hoc in loco, Num Ariſtoteles de maiore ac minore bono inſtituat diſputationem, an verò ſigillatim inter controuerſa tantùm maiora iſthæc & minora requirat bona. Etenim cum poſt antecedentis particulæ verba illa quæ ad bona controuerſa pertinent tantùm, ſtatim pergat, *quoniam ſæpè qui confitentur vtrunque vtile eſſe, de eo quod eſt vtilius controuerſantur*, videtur adhuc in controuerſo bono inſiſtere: præſertim quia bonum vtile cuius meminit, ad controuerſum pertinet magis. Contra tamen maius ac minus bonum tam in confeſſo quàm in controuerſo occurrere ſolet: immo verò in progreſſu maiora iſthęc & minora bona apertè in quocunque boni genere, aut promiſcuè videntur occurrere. Noſtrum igitur erit maiora iſthæc & minora bona quæ longo ordine proferuntur, ſic obſeruare & explicare, vt propoſita quoque dubitatio diluatur: præſertim verò quòd dubitandi occaſio ſit in promptu, cum tamen de illa Interpretes ſileant altiùs. Sed redeo ad Ariſtotelem. Prius igitur declarat quid maioris aut minoris intelligat nomine; ídque tam in magnitudine quam in numero, adde etiam in qualitate atque alijs omnibus, ſuperat maius aut plus eſt, quicquid contra in his ſuperatur, eſt minus.

PARTICVLA CXXXV.

ΕΠεὶ δ᾽ οὖν ἀγαθὸν λέγομεν τό τε αὐτὸ αὑτοῦ ἕνεκα, καὶ μὴ ἄλλου αἱρετόν. καὶ οὗ πάντα ἐφίεται, καὶ ὃ, νοῦν ἂν καὶ φρόνησιν λαβόντα, ἕλοιτο. καὶ τὸ ποιητικὸν, καὶ τὸ φυλακτικὸν, ἢ ᾧ ἕπεται τὰ τοιαῦτα. τὸ δ᾽ οὗ ἕνεκα, τὸ τέλος ἐστί. τέλος δ᾽ ἐστὶν, οὗ ἕνεκα τὰ ἄλλα. 787
ἀνάγκη τά, τε πλείω τοῦ ἑνὸς καὶ τῶν ἐλαττόνων συναριθ. μουμένου τοῦ ἑνὸς, ἢ τῶν ἐλαττόνων, μεῖζον ἀγαθὸν εἶναι. ὑπερέχει γάρ: τὸ δὲ ἐνυπάρχον, ὑπερέχεται. καὶ ἐὰν τὸ μέγιστον τοῦ μεγίστου ὑπερέχει, καὶ αὐτῶν: καὶ ὅσα αὐτὰ αὐτῶν, καὶ τὸ μέγιστον τοῦ μεγίστου.

QVoniam igitur bonum dicimus, quod ipſum propter ſe, & non aliud eligendum eſt, & quod omnes appetunt, & quod illi qui mentem & prudentiam acceperint, eligerent, & quod idoneum eſt ad efficiendum, & cuſtodiendum, & quod conſequuntur talia, id autẽ cuius cauſa res eſt, finis eſt, finis verò eſt, cuius cauſa alia ſunt, ipſique bonum eſt, quod ad ipſum accommodatum eſt; neceſſe eſt etiam plura vno, & paucioribus connumerato vno, vel paucioribus maius bonum eſſe, propterea quod ſuperat, at quod ineſt, ſuperatur. *Riccobonus.*

QVoniam autem id bonum eſſe dicimus, quod ipſum propter ſe, non propter aliud; eſt expetendum; & quod res omnes expetunt, vel qua, ſi eis mens atque intelligentia daretur, expeterent: & quod efficiendi, & conſeruandi vim habet; vel cui res eiuſmodi ſunt conſequentes; & quoniam id cuius gratia, eſt finis, & contra finis eſt, cuius gratia fiunt alia; idque priuatim alicui bonum eſt, quod illi eſt accommodatum: neceſſe eſt, ut qua plura ſunt uno, & paucioribus maiora ſint bona; modo in eis unum illud, atque illa pauciora connumeretur. *Maioragius.*

REpetit propoſitiones quaſdam bonorum confeſſorum, vt hinc propoſitiones maioris aut minoris boni aut vtilis eligat ac proferat. Ita ſanè primò bonum eſſe ait quod propter ſe expetitur & non alterius gratia (id quod in prima bonorum cõfeſſorum propoſitione declarauerat) tum deinceps alias boni repetit propoſitiones multas ſeu deſcriptiones, quas ſanè, quoniam ibi & allatæ ſunt & explicatæ, non neceſſe eſt hîc perſequi longiùs, ſed potiùs ad huiuſmodi comparatorum bonorum propoſitiones deueniendum quas longo ordine producit in medium Ariſtotelis. Prima verò ea eſt quæ hîc interim refertur dum ait neceſſe eſt quæ plura ſunt vno ac paucioribus, maiora ſint bona, dum tamen vnum illud & pauciora in eo numerentur aut includantur: illud enim ſuperat, hoc ſuperatur. Quapropter prudentia (vt rem exemplo illuſtremus) & bona corporis ſi ſpectentur ſimul omnia; maius ſunt bonum quàm ſola corporis bona. atque hîc ſanè cur controuerſis bonis tantùm conuenire ſtatuam primam hanc maioris & minoris boni formam non habeo. 788

PARTICVLA CXXXVI.

ΟΙ΄ον εἰ ὁ μέγιστος ἀνὴρ, γυναικὸς τῆς μεγίστης, μείζων, καὶ ὅλως οἱ ἄνδρες τῶν γυναικῶν μείζους, καὶ εἰ οἱ ἄνδρες τῶν γυναικῶν ὅλως μείζους, καὶ ἀνὴρ, ὁ μέγιστος μεγίστης γυναικὸς μείζων. ἀνάλογον γὰρ ἔχουσιν ἐν αὐτοῖς. καὶ ὅταν τόδε μὲν τῷδε ἕπηται: ἐκεῖνο δὲ τούτῳ, μή.

ETſi maximum maximo præſtat, etiã genera generibus, etſi quæcunque, etiã maximum maximo. vt ſi maximus vir muliere maxima major, & iã omnino viri mulieribus maiores, & ſi viri mulieribus omnino maiores, etiã vir maximus maxima muliere maior. Proportione enim reſpondent exuperantiæ generum, & maximarum quæ ſunt in ipſis. *Riccobonus.*

HOc enim modo præſtant; & quod in eis incluſum eſt ſuperatur. Et, ſi, quod maximũ eſt in aliquo genere, maximè alterius generis præſtabit; etiã genus generi. & cõtra, ſi genus generi præſtabit, etiam quod eſt maximum maximo. Vt ſi maximus vir maxima muliere maior erit. eandem enim habet rationem exuperantia generum eorum, qua ſunt in ipſis generibus maxima. *Maioragius.* 789

Profert

PRofert ſecundam propoſitionem, cuius germana ſententia eſt huiuſmodi, ſi quid maximum maximo præſtat, vt maximus Theologus dignitate præſtat maximo Iuriſconſulto, etiam genera præſtabunt, generibus, hoc eſt Theologi in vniuerſùm præſtabunt Iuriſconſultis. Contra etiam ſi quæ genera præſtent generibus, maximũ quoque alicuius generis præſtabit maximo alterius generis: vt ſi Iuriſconſultus in vniuerſùm præſtet Medico, quilibet maximus Iuriſconſultus præſtabit maximo Medico. Et hæc ſunt quæ Ariſtoteles viri & mulieris declarat exemplis: quæ inde confirmat quod genera generibus & ſingula ſingulis ſibi exceſſus proportione reſpondeant. Atque hæc quoque boni forma lătiùs patet quàm vt interim vnis controuerſis aptari poſſit. Denique generatim loquitur Ariſtoteles, nec ad certum vllum deſcendit boni genus. Atque idem dicendum de formis alijs multis quæ occurrent proximè.

PARTICVLA CXXXVII.

Ἕπεται δὲ ἢ τῷ ἅμα, ἢ τῷ ἐφεξῆς, ἢ τῇ δυνάμει: ἐν ὑπάρχει γὰρ ἡ χρῆσις ἡ τοῦ ἑπομένου, ἐν τῇ θατέρου. ἕπεται δὲ ἅμα μὲν, τῷ ὑγιαίνειν, τὸ ζῆν: τούτῳ δὲ ἐκεῖνο, οὔ. ὕστερον δὲ, τὸ μανθάνειν τὸ ἐπίσασθαι. δυνάμει δὲ τὸ ἱερυσύλειν, τὸ ἀποστερεῖν: ὁ γὰρ ἱεροσυλήσας κἂν ἀποστερήσειε.

Riccobonus. ET quando hoc quidem illi cõſequens eſt, illud verò huic nequaquam. Conſequens verò eſt, vel huic ſimul: vel illi poſteriùs: vel facultate. Ineſt enim
790 vſus conſequentis in vſu alterius. & conſequens ſimul eſt ſi eſt ſanus vt viuat. Huic verò non illud. At poſterius ſi dixit, vt ſciat. Facultate verò ſi ſacrilegus eſt, vt ſurripiat, qui enim ſacrilegus fuerit etiam ſurripiet.

Maioragius. *ET quando huic illud fuerit conſequens, hoc autem illi non fuerit; certè hoc maius erit. Tribus autem modis aliquid conſequi dicitur; aut vno & eodem tempore aut deinceps, aut vi & poteſtate: nam vſus eius quod conſequitur in altero conſiſtit, vno verò & eodem tempore vita bonam valetudinem conſequitur, ſed non contra; neque enim bona valetudo conſequi uitam: deinceps autem ut diſciplina conſequitur ſcientia; ui ac poteſtate, ut ſacrilegium facere plus eſt quàm furari; nam qui ſacrilegium facit, etiam furabitur.*

TErtia ſit, cum alicui bono alterum conſequens eſt, non è contrario, illud maius erit. Siquidem id cui conſequitur alterum, vtrunque continet, ac proinde neceſſariò maius eſt. Quanquam tripliciter (inquit) contingere poteſt vt illi bonum aliquod ſit conſequens, ſimul, poſt, facultate. Exemplum primi ſit, ſanitas quam ſimul conſequitur vita (neque enim fieri poteſt vt quis non viuat ſi ſanus ſit) cum tamen vitam non conſequatur ſanitas: nil enim prohibet quominus quis viuat, ſed ægrotus. exemplum ſecundi, ſi diſcit, conſequitur ſcientia, ſed poſt. Exemplum tertij ſi ſacrilegus eſt, ſurripiet etiam. Ita quidem bonum in quo alterum ineſt facultate, maius eſt altero. Interim verò ſi in duobus exemplis prioribus alicui ſcientia melior videatur quàm diſcere, & vita quàm ſanitas, ne de hoc altercemur, meminerit in exemplis non requiri penitus veritatem. Adde diſcere vnà cum ſcientia & ſanitatem vnà cum vita cenſeri maxima bona, non ſeorſim: & eodem ferè modo tertium exemplum, quod ex malo tamen ſumitur, cautè accipiendum eſt: ſenſus enim eſt, in rebus bonis id quod facultate continet alterum, quemadmodum in rerum malarum genere ſacrilegium continet furtum, eſſe maius.

PAR-

PARTICVLA CXXXVIII.

KAὶ τὰ ὑπερέχοντα τοῦ αὐτοῦ μείζονι, μείζω: ἀνάγκη γὰρ ὑπερέχειν καὶ τοῦ μείζονος. & τὰ μείζονος ἀγαθοῦ ποιητικὰ, μείζω. τοῦτο γὰρ ἦν τὸ μείζονος ποιητικῷ εἶναι, &, οὗ τὸ ποιητικὸν μεῖζον ὡσαύτως: εἰ γὰρ τὸ ὑγιεινὸν αἱρετώτερον τοῦ ἡδέος, & μεῖζον ἀγαθὸν & ἡ ὑγίεια τῆς ἡδονῆς μείζων. 791

ET quæ ſuperant ipſo maius, maiora ſunt: neceſſe enim eſt ſuperare etiam maius. Et maioris boni efficientia, maiora ſunt. Hoc enim erat maioris efficiens eſſe. Et cuius efficiens maius itidem: ſi enim ſalubre magis eligendum eſt, quàm iucundum, etiam maius bonum eſt; & ſanitas, quàm voluptas maior. Riccobonus.

ILla quoque maiora ſunt quæ rem magnam magis exuperant: neceſſe eſt enim, vt etiam illam maiorem exuperent. Et quæ maioris boni conficientia ſunt, ea maiora ſunt bona: Hoc enim maioris boni natura poſtulat vt maius bonum conficiat. Et contra, maius illud bonum eſt, cui conficiens eſt maius: vt, ſi, quod eſt ſalubre magis eſt expetendum, quàm quod iucundum, certè bona valetudo voluptate maior eſt. Maioragius.

SI duo bona tertium ſuperent magnitudine, ac ſummatim maiora ſint, quod magis ſuperat, id erit maius. dum enim Imperator & eius Legatus dignitate Tribunum ſuperant, ſine dubio Imperator qui magis ſuperat, maior erit. Sed & ea quæ maius efficiunt bonum, maiora erunt bona: neque enim, niſi maiora eſſent, tale aliquid efficerent. Contra verò id quod a maiori bono dimanat, maioris item vim boni habet quàm quod a minori gignitur. Nam ſi verbi gratia id quod eſt ſalubre vt medicina maius bonum ſit quam quod eſt iucundum, vt roſa, bona valetudo quæ inde oritur, voluptati antecellet quæ ab odore & iucunditate proficiſcitur. Atque hæc tria bona ex comparatione maiora dignoſcuntur.

PARTICVLA CXXXIX.

KAὶ τὸ αἱρετώτερον καθ' αὑτὸ, τοῦ μὴ καθ' αὑτό: οἷον ἰσχὺς, ὑγιεινοῦ. τὸ μὲν γὰρ οὐχ αὑτοῦ ἕνεκα; τὸ δὲ αὑτοῦ, ὅπερ ἦ τὸ ἀγαθόν. 792

ET quod magis eligendum eſt per ſe, quàm quod non per ſe, vt robur quàm ſalubre. Hoc enim non propter ſe, illud propter ſe, id quod erat bonum. Riccobonus.

ET quod propter ſe expetendum, eo quod propter aliud, vt vires corporis rebus ſalubribus præſtant: hæ namque propter aliud, ille verò propter ſe, expetuntur: quod eſt boni proprium. Maioragius.

QVi nouerit vires corporis eligi propter ſe magis quàm pharmacum, ac cætera quæ ad corporis vires inſtaurandas aut conſeruãdas eliguntur, eodémque modo victoriã & gloriam ſui gratia magis eligi quàm bellum aut militarem exercitationem, ſic honorem magis quàm laborem, ſcientiam quàm doctrinarum ſtudium, is etiam intelliget meritò dici ab Ariſtotele id quod propter ſe expetitur vel eligitur, maius eſſe bonum quàm quod eligitur propter aliud. Dum verò tale bonum quod propter ſe quæritur appellat αἱρετώτερον, vocem communem vſurpat ijs quæ tam per ſe optantur & eliguntur, vt eſt beata vita, quàm propter aliud, cuiuſmodi ſunt diuitiæ, aut etiam

vno atque altero nomine optari poſſunt, qualis eſt virtus quæ, quantumuis beatæ vitæ famuletur, ſui tamen gratia expetenda quoque eſt. & ideo dum propoſitam vòcem *αἱρετώτερον* alij expetendum vertunt, alij eligendum, alij optandum, teneamus generalem notionem, quæque ſe ſe fundit ad omnia bonorum genera.

PARTICVLA CXL.

ΚΑ'ν ᾗ τὸ μὲν τέλος: τὸ δὲ, μὴ τέλος; τὸ μὲν γὰρ, ἄλλου ἕνεκα: τὸ δὲ, αὑτοῦ. οἷον τὸ γυμνάζεσθαι τοῦ εὖ ἔχειν τὸ σῶμα. Καὶ τὸ ἧττον προσδεόμενον θατέρου, ἢ ἑτέρων:
793 *αὐταρκέστερον γάρ. ἧττον δὲ προσδεῖται τὸ ἐλαττόνων, ἢ ῥαόνων προσδεόμενον. Καὶ ὅταν: τόδε μὲν ἄνευ τοῦδε μὴ ᾖ δυνατὸν γενέσθαι: θάτερον δὲ, ἄνευ τούτου; αὐταρκέστερον δὲ τὸ μὴ δεόμενον. ὥστε φαίνεται μεῖζον ἀγαθόν.*

Riccobonus. ETſi alterum quidem ſit finis, alterum verò nõ finis. Hoc enim propter illud, at illud propter ſe; vt exerceri vt benè ſe habeat corpus, & minus indigens altero vel alteris: ſe enim contentum magis. Minùs verò indiget paucioribus vel facilioribus indigens. Et quando vnum quidem ſine hoc non ſit, vel non poſſit fieri: alterum verò ſine hoc ſit vel poſſit fieri: ſe enim magis contentum eſt non indigens. Itaque apparet maius bonum eſſe.

Maioragius. *QVod eſt boni proprium, & quod rationem finis habet, eò maius eſt quod non habet: nam hoc alterius gratia eſt, illud autem ſui ipſius; ut exercitatio fit bona ualetudinis gratia. Et quod minùs eget alio, uel alijs maius eſt; quia magis quàm alia ſe ipſo eſt contentum. illud autem minùs indigere dicitur, quod uel paucioribus uel facilioribus indiget. Et quando res aliqua ſine altera non eſt, aut non eſſe poteſt, altera uerò ſine hac; certè illa maior eſt; id enim magis quàm alia, ſe ipſo contentum eſt quod non indiget. itaque maius bonum uidetur.*

POſtrema ſuperioris particulæ verba *ὅπερ ἦν τὸ ἀγαθὸν, quod erat bonum*, Maioragius nectit cum ſequentibus, quaſi verò Ariſtoteles pergens diceret, præterea quod eſt boni proprium & habet rationẽ finis eſſe maius bonum. Victorius tamet & Riccobonus contra: nectunt enim ea cum ſuperioribus; quaſi verò germana ſententia ſit, quod propter ſe expetitur id eſſe maius bonum, quandoquidem hoc erat bonum ſeu boni nomine conſtitutum. Et ſanè ea vox *ἦν ſiue erat*, indicat verbis iſtis confirmari id quod per ſe expetitur, eſſe maius bonum, perinde enim eſt ac ſi diceret in ijs quæ ſupra dicta ſunt & conſtituta, hoc erat bonum ſeu natura boni. & ideo dum vertit Maioragius quod eſt boni proprium, diſcedit ab Ariſtotelis & ſententia & verbis, quæ valent, *erat bonum*. Illud potiùs docendum fuerat Victorio & Riccobono qui talem
794 retinent ſententiam, quo pacto id quod propter ſe expetitur, tanquam bonum opponatur ac præferatur ijs quæ quæruntur propter aliud, quaſi verò quæ propter aliud quæruntur, non ſint bona nec boni referant naturam, quorſum enim bonum in vtile, delectabile & honeſtum diſtribuiſſe? an non vtile, quod eſt id ipſum planè quod quæritur propter aliud, bonum erit? nam ſi non eſt primarium vt beata vita, bonum tamen eſt. itaque dicere debuiſſet Ariſtoteles, *quod erat præcipuum bonum*, non *erat bonũ*. Sic enim rectè docuiſſet quod expetitur propter ſe, eſſe maius bonum quàm quod alterius gratia. Quid plura? comparat interim Ariſtoteles maius bonum cum minori, ac propterea fatetur id quod alterius gratia eligitur eſſe bonum. Quare cum non dicat quod erat abſolutè bonum vel præcipuum bonum, cogitur Maioragius hæc verba nectere cum ſequentibus, præſertim quia ſententia cohæret ſatis. Quanquam vel *τὸ ἀγαθὸν* hoc in loco ſignificat ipſiſſimum bonum ac potiſſimum, vel per ſe bonum quæ duo de bono vtili efferri nequeunt; vel etiam ſpectandum eſt quod ſupra dixerat

propriè

propriè bonum eſſe quod eſt αἱρετώτερον καθ' αὑτὸ, τῷ μὴ καθ' αὑτό. Quocirca rectè Victorius hoc in loco, *Adiungit* (inquit) *conſtare ex rebus explicatis eam eſſe naturam boni cum aliquid ſui vi nos allicit, & propter ſe expetitur*. Iam igitur tria profert bona noſter Author in hac particula. Primum eſt ſi finis obtineat locum: certum eſt enim hoc ei præſtare quod non finis rationem habet ſed quæritur alterius gratia, cuiuſmodi eſt corporis exercitatio quæ ſanitatis cauſa ſuſcipitur, quæ in finis loco exercitationi eſt. Secundum 795
bonum eſt quod minùs indiget altero vel alteris. vbi ſine dubio intelligit bona quæ mutuò & inter ſe collocata ita ſe habent vt vnum altero minùs indigeat: contra verò alterum magis indigeat priore, vt Architectus minùs indiget adminiſtro quàm adminiſter Architecto, hinc enim intelligitur id quod minùs indiget eſſe maius bonum. Quare quod Victorius, fuſiùs verò Maioragius profert exemplum ex Virgilio, qui Oliueta & prata minùs diſpendioſa eſſe canit quàm vineas, elegans videri poteſt, accōmodatum certè non poteſt: vinea enim Oliuetis & pratis non indiget, nec è contrario, ac propterea inter ſe conferri nequeunt. Cautè etiam legenda ſunt quæ profert ex M. Tullio atque alijs, dum docet ſapientem ſe ipſo contentum eſſe ac nullo indigere: nam duo ſunt proferenda quæ vtraque indigeant, vnum tamen minùs: & hoc, ſi conferantur maius eſt bonum: & ideo non ait Ariſtoteles ſi ſit αὔταρκες hoc eſt ſe ipſo cōtentum, ſed αὐταρκέστερον, quod magis accedat ad ſufficientem: Et hoc nomine ſtatuit hinc fieri vt minùs indigeat altero. Quid plura? Minùs verò indiget (ſubdit Ariſtoteles) ſi paucioribus vel facilioribus indigeat. Vt enim quæ plurimis indigent ac difficiliùs parantur minorem vim ſiue ſufficientiam (vt ita dixerim) habent; ita è contrario quæ paucioribus ac facilioribus indigent, maiorem ſufficientiam habēt, ac propterea ſunt meliora. Poſtremum bonum eſt cum vnum eſſe poſſit ſine altero non è contrario: hinc enim fit vt quod nullo indiget, ſit melius atque perfectius. Sic Deus quoniā nulla re indiget, ſe ipſo contentus eſt, & ideo ab Ariſtotele dicitur αὔταρκες ſeu ſe ipſo 796
ſufficiens: contra verò cætera, quia illo indigent, maioris boni amittunt locum. Atque hîc exemplum quod ex Xenophonte profert Maioragius dum agricultura ideo laudatur quod cæteris artibus indigeat nullis, cæteræ contra indigeant agricultura, commodè excipiendum eſt non ad libram æſtimandum, alioqui agricultura etiam alterius indigeat præſidijs. Quin ne illud quidem M. Tullij aptum ſit quo ſtatuit ſapientem alia re nulla indigere, nam ijs quæ agricultura ſuppeditat, indiget vel maximè. Sed commodè vt dicebam iſthæc accipienda ſunt.

PARTICVLA CXLI.

Κἂν ᾖ ἀρχὴ τὸ δὲ, μὴ ἀρχή. κἂν ᾖ αἴτιον: τὸ δ' οὐκ αἴτιον, διὰ τὸ αὐτὸ ἄνευ γὰρ αἰτίου καὶ ἀρχῆς ἀδύνατον εἶναι γενέσθαι.

ET ſi vnum principium ſit, alterum verò non principium: & ſi vnum ſit cauſa, alterum verò non cauſa, propter idem. Nam ſine cauſa vel principio non poteſt eſſe vel fieri. *Riccobonus.*

ET ſi hoc alicuius rei principium fuerit, & ſi hoc cauſa fuerit, illud autem non eadem ferè ratione; quam ſine cauſa & ſine principio fieri non poteſt vt aliquid ſit aut fiat. *Maioragius.*

QVod ſit principium vel cauſa, id pro conſtanti habet, maius eſſe bonum quàm quod nec principium ſit nec cauſa. Cuius rei optimam offert rationem, quia nimirum id niſi a principio & cauſa eſſe non poſſit aut fieri: cum tamen contra accidat cauſæ atque principio. Hinc verò licet animaduertere nō commodè Ariſtotelem ab ijs explicari qui ſtatuunt ad Phyſiologiæ initium principium & cauſam promiſcuè vſurpari ab Ariſtotele atque confundi; ita ut rectè illi qui diſcrimen inter hæc duo conſtituūnt, quod tamen alterius eſt contemplationis. Citra principium verò & cauſam eſſe aut

fieri

797 fieri nihil poſſe, doctè oſtendit Plato in Timæo, dum mundum a Deo conditum ac procreatum oſtendit, atque adeò cauſam habere, quod cum gigni videamus quæ in eo ſunt, neceſſariò habeat cauſam. Et ex his omnibus ſatis conſtat verè quicquid fit, definitam habere cauſam, etſi nos eam interdum ignorantes ad caſum vel fortunam eam reuocemus.

PARTICVLA CXLII.

ΚΑὶ δυοῖν ἀρχαῖν, τὸ ἀπὸ τῆς μείζονος ἀρχῆς, μεῖζον. καὶ δυοῖν αἰτίοιν, τὸ ἀπὸ τοῦ μείζονος αἰτίου, μεῖζον. καὶ ἀνάπαλιν δὴ δυοῖν ἀρχαῖν, ἡ τοῦ μείζονος ἀρχὴ, μεῖζον. καὶ δυοῖν αἰτίοιν, τὸ τοῦ μείζονος αἴτιον, μεῖζον.

Riccobonus. ET ex duobus principijs, maioris principium maius, & ex duabus cauſis, maioris cauſa res maior eſt. & è conuerſo, ex duobus principijs, maioris principium maius, & ex duabus cauſis, maioris cauſa res maior eſt.

Maioragius. *ET cum duo principia ſunt, quod a maiore principio proficiſcitur, maius eſt, & cum dua ſunt cauſa, quod a maiori cauſa naſcitur, maius eſt: & contra poſitis duobus principijs, quod rei maioris principium eſt, illud eſt maius: & propoſitis duabus cauſis, qua maioris rei cauſa eſt, illa eſt maior.*

QVatuor profert bona: quorum primum & ſecundum aptè deriuatur ex ſuperioribus: par enim eſt vt effecta (etſi alioquin principij rurſus obtineant locum) tum ſuorum principiorum tum ſuarum cauſarum naturam conſequantur: ac propterea effecta illa quæ a maiore vel principio dimanant, vel cauſa maiora ſint ac potiora. Tertiũ verò & quartum bonum pertinet ad principia & cauſas, ac certa proportione ducitur ex ſuperioribus. quam enim magnitudinis atque præſtantiæ proportionem habẽt inter ſe effecta, eandem habent eorum principia & cauſæ; ita ut quod ex duobus principijs, maioris effectus eſt principium, ſit altero principio maius: atque idem dicen-
798 dum eſt de duobus cauſis. Primi verò exemplum ſit duo fluuij, ex quibus qui maiore gaudet principio & fonte, eò maior cenſendus eſt. Secundi id quod virtutis gratia opus ſuſcipitur, maius eſt quàm quod delectationis cauſa. Tertij Dux qui ob victoriam ſibi partam maior eſt quàm Architectus ob ædificatam domum. Poſtremi virtus quæ maius eſt bonum quàm architectura.

PARTICVLA CXLI.I.

ΔΗλον οὖν ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι ἀμφοτέρως μεῖζόν ἐστι φαίνεσθαι: καὶ γὰρ εἰ ἀρχὴ τόδε: τὸ δὲ, μὴ ἀρχὴ, δόξει μεῖζον εἶναι. καὶ εἰ ἀρχὴ: τὸ δὲ ἀρχή: τὸ γὰρ τέλος μεῖζον, καὶ οὐκ ἀρχή. ὥσπερ ὁ Λεωδάμας, κατηγορῶν ἔφη Καλλιςράτου, τὸν βουλεύσαντα τοῦ πράξαντος μᾶλλον ἀδικεῖν: οὐ γὰρ ἂν πραχθῆναι, μὴ βουλευσαμένου. πάλιν δὲ καὶ Χαβρίου, τὸν πράξαντα τοῦ βουλεύσαντος: οὐ γὰρ ἂν γένεσθαι, εἰ μὴ ἦν ὁ πράξων. τούτου γὰρ ἕνεκα ἐπιβουλεύουσιν, ὅπως πράξωσι.

Riccobonus. MAnifeſtum igitur eſt ex ijs quæ dicta ſunt, quod vtroque modo maius eſt, etſi principium vnum, alterum verò non principium. Finis enim maior & nõ principium, vt Leodamas dixit accuſans Calliſtratum, eum qui conſuluerit quàm qui egerit, iniuſtiùs egiſſe; quod non actum fuiſſet niſi conſuluiſſet. rurſus verò etiam Chabriam, eum qui egerit quàm qui conſuluerit, quod non factum eſſet, niſi fuiſſet qui ageret. Nam propter hoc conſilium eſt vt agant.

Ex

EX ijs quæ dicta ſunt perſpicuum eſt vtroque modo poſſe aliquid maius videri. Nam ſi hoc principium eſt, illud autem non eſt, videbitur eſſe maius: & contra ſi non principium hoc eſt, illud verò eſt principium. Quod enim vltimum finiſque eſt, maius eſt non quod eſt principium. Quemadmodum Laodamas cum Calliſtratum accuſaret, dixit eum qui conſilium dederat, magis in culpa eſſe, quàm qui ſcelus commiſerat: neque enim ſcelus illud commiſſum fuiſſet, niſi eius author & con- 799 *ſiliarius extitiſſet.* Maioragius.

HActenus ſæpè mecum ipſe dubitaui nè paulò ſubtiliùs res examinaret interim diſcuteretque Ariſtoteles: vt enim in Phyſiologia, in qua ætatem conſumpſit, peracre intendit ingenium, non facilè hoc in loco eius remiſit neruos, ſed penitius fortaſſe quàm oratoria ferant argumenta, de his præcepit. Certè vt ea ſileam quæ habentur in ſecundo capite (pleraque enim ex ſubtilioribus Logicæ contemplationibus expreſſa ſunt) & quæ capite ſexto & ſeptimo tum de bono, tum de bonis controuerſis, tum de maiori & minori bono diſſerit, Mathematicam ferè Acribologiam retulit ac methodum, præſertim cum ſumptionibus vtatur ex quibus propoſitiones deriuat ac Theoremata explicat M. Tullius, ſanè nuſquam in tanta Oratoriorum librorum varietate quicquã tali acrimonia ac ſubtilitate conquiſiuit. Sed vt vt ſit docet in præſens peſpicuum eſſe, ex dictis ſtatui poſſe tum principium eſſe maius tum eſſe minus; maius ſi cum eo conferatur quod non eſt principium: minus quia principium ſolet eſſe magis exiguũ quàm quod inde conficitur: & ideo ſubdit, *quod enim poſtremum eſt ac finis, maius uideri ſolet quàm quod eſt principium.* Ita quidem dum ait Ariſtoteles. *etſi unum non principium*, ſubintelligendum eſt, *maius uidebitur eſſe* quod eſt non principium: quod reticetur ab Ariſtotele quia pronunciauerat iam ſemel *illud uidebitur eſſe maius* de priore membro. Eleganter tamen, quantumuis ſubtiliùs diſputet, ex eodem fonte & calidam & frigidam, dum & principium maius & non principium item maius conſtituit. Quam rem pulcherrimo Laodamantis confirmat aſtu, qui tum eum qui conſilium dederat aliquando, aliquando etiam eum qui conſilio paruerat, maioris arguit iniuſtitiæ. Iam verò qui de Laodamante atque vniuerſa iſta accuſationis ratione plura cupit, Victorium habet & Maioragium quos audiat egregiè multa ex optimis Authoribus af- 800 ferentes.

PARTICVLA CXXIV.

KAὶ τὸ σπανιώτερον τοῦ ἀφθόνου. οἷον χρυσὸς σιδήρου, ἀχρηστότερος ὤν: μείζων γὰρ ἡ κτῆσις διὰ τὸ χαλεπώτερον εἶναι. ἄλλον δὲ τρόπον, τὸ ἄφθονον τοῦ σπανίου, ὅτι ἡ χρῆσις ὑπερέχει τὸ γὰρ πολλάκις τοῦ ὀλιγάκις ὑπερέχει. ὅθεν λέγεται, ἄριστον μὲν ὕδωρ. καὶ ὅλως τὸ χαλεπώτερον, τὸ ῥᾷον τοῦ χαλεπωτέρου: ἔχει γάρ, ὡς βουλόμεθα.

ET rarius quàm copioſum, vt aurum quàm ferrum: cum minus bonum ſit; Riccobonus. maior enim eſt poſſeſſio propterea quod difficilius ſit. Alio autem modo copioſum quàm rarum, quia vſus ſuperat, quod enim ſæpè habetur, ſuperat quod ratò, vnde dicitur, optima quidem aqua. Et omnino difficilius quàm facilius, quia rarius. Alio autẽ modo facilius quàm difficilius: ſe enim habet vt volumus.

ET quod rarius eſt affluenti eſt præſtantius, vt aurum ferro; quod quamuis minus ſit vtile tamen eius poſſeſſio maioris æſtimatur, quia difficilior eſt. Quod in aliquibus rebus contra ſe habet; ſi quidem quod vulgare eſt, ei quod eſt rarum, anteponitur; quoniam frequentior eſt vſus: id enim quo ſæpiùs vtimur, præſtat ei quod rarius, vnde dicitur optima quidem aqua. & omnino quod difficilius eſt, pro- Maioragius.

cliuiore

Digitized by Google

cliniore maius eſt, quod etiam rarius eſt. Et contra nonnunquam quod procliuius eſt difficiliori præſtat; ſic enim ſe habet vt volumus.

801 QVatuor hic locus complectitur bona. primum quod ratius, eſt enim eo quod affluit, præſtantius, vt aurum ſerro. id autem populatiter accipiẽdum eſt quod in multis vſu venire ſoleat, in omnibus non item: quam multa enim rata ſunt quę vilia quoque ſunt, ac ſummatim mulis concedunt quibus affluimus? Quot morborum genera perrarò accidunt ita ut ignota ſint Medicis ipſis, & tamen in precio ſunt nullo, ac ſexcentis quibus abundamus poſthabenda ſunt. Idẽ dixerim de venenis multis atque herbis veneficis atque alijs pluribus quæ & rara. ſunt & detrimentoſa. Aurum ipſo non inde omnino præſtabilius eſt ferro quòd rarius (quamquam id etiam auget illius æſtimationem) ſed quia purius & pulchrius: & his de cauſis inter metalla obtinet principatum. quod verò ait aurum eſſe minùs vtile quàm ferrum, id vſus declarat in multis præſertim cum arma conficienda ſint; vt propterea non ſatis videam cur non rectè Glaucus aurea permutarit arma, ac ſerrea acceperit, cum militiæ degeret, vbi præſtantibus armis indigebat. Nec ea planè de cauſa ferro præſtat aurum quod difficilius inueniatur: præcipua enim cauſa eſt eius perfectio. Secundum bonum contra ſe habet: ſi quidem copioſum atque affluens præclarius habetur quàm quod rarum, ídque propter vſum qui maior eſt rerum affluentium, vnde illud Optima quidem aqua, cum enim illa abundemus, vſu quoque frequenti apparet bona. Er ſanè optima eſt hæc ratio: nam vulgaria quæ magnum habent vſum præſtant ijs quæ, etſi alioquin egregia, vſum habent minorem. Tertium bonum eſt quod paratur difficiliùs: hinc enim fit vt ijs præferatur quæ obuia ſunt ac parantur facilè. & tamen ſi alioquin vſus non vilis ſit, ſed magnum habeat momentum, iure augetur eius æſtimatio: quod ſi vſus minùs præſter, vix in precio ſit quod paretur difficulter. Poſtremum id eſt; bonum quod obuium magis eſt ac paratu facilius quàm alterum: ſiquidem pro arbitratu in promptu eſt.

PARTICVLA CXLV.

802 *ΚΑὶ οὗ τὸ ἐναντίον μεῖζον. καὶ, οὗ ἡ στέρησις μείζων. καὶ ἀρετὴ μὴ ἀρετῆς. καὶ κακία μὴ κακίας μείζων: τὰ μὲν γὰρ, τέλη: τὰ δ᾽ οὐ τέλη. καὶ ὧν τὰ ἔργα καλλίω, ἢ αἰσχίω, μείζω αὐτά. καὶ ὧν αἱ κακίαι καὶ αἱ ἀρεταὶ μείζους.*

Riccobonus. ET cui quod eſt cõtrarium, maius eſt, & cuius priuatio maior, & virtus quàm non virtus. & vitioſitas quàm non vitioſitas, maius eſt. Nam illa ſunt fines, hæc non fines.

Maioragius. *PRaterea id maius eſt, cuius contrarium eſt maius, cuius priuatio maior: & virtus non virtute, & uitioſitas non vitioſitate maior eſt. nam illa fines ſunt hac autem non ſunt fines.*

VIginti maiorum bonorum capita & exẽpla relata ſunt hactenus. Nunc alia quatuor ſuccedunt in hac particula. primum eſt cuius contrarium maius eſt: ſi enim valetudo verbi cauſa & diuitiæ contendunt de præſtantia, inde colligas valetudinem anteponendam diuitijs, quod ægrotatio ac morbus ſit maius malum quàm paupertas. Alterum cum eius priuatio maius eſt malum. quare ſi dubitetur libertáſne an ius ciuitatis ſit maius bonũ ſi ſpectetur ſeruitus quæ quã durior eſt, licebit intelligere libertatẽ eſſe maius bonũ quã ius ciuitaris. Tertiũ virtus quã nõ virtus, de qua re ſtultũ eſſet dubitare. tametſi Ariſtoteles (ne quis exiſtimet rẽ lippis ac tonſoribus notiſſimã eũ afferre) *non virtutis* nomine videtur indicare virtutẽ inchoatam ac rudẽ, vt ſpectemus diligenter vtrũ ex duobus illis bonis habitu confirmatum ſit vel non confirmatũ. Poſtremò vitium quàm non vitium, ſeu vitioſitas quàm non vitioſitas. Vbi ſanè ſi quætatur *Quatuor hic proponuntur & explicãtur bona.*

vtra ſit maior, rectè ſtatuatur vitioſitatē eſſe maiorem quàm non vitioſitatem, cùm hæc ſaltem abſit a ſummo. Sed qui obſecro ſit maius bonum vitioſitas? hîc enim maius bonum cum minori comparatur, non malum cum malo. Ac profectò id obſcuriſſimum videri poteſt. Sed tamen quod de vitioſitate & non vitioſitate dicitur quæ ſunt mala, transferendum eſt ad duo bona quæ in diſcrimen venerint: ita ut bonum

Dubitatur de poſtremo bono. Reſpondetur.

I. quod terminum attigerit ac finem inuenerit, puta habitum, ſuperet aliud bonum 803
quod nondum habitu ſit confirmatum ac finem attigerit: quemadmodum in ſuo ge-
II. nere vitioſitas non vitioſitatem ſuperat. Vel quoniā Deliberatiuo generi (in hoc enim verſamur adhuc) non ſolùm propoſita eſt ſuaſio vnde maius bonum quæritur, verùm etiam diſſuaſio vnde maius malū ſpectatur, vitioſitas maior non vitioſitate proponitur vt ſeruiatur diſſuadenti. Tametſi quoniam in hoc capite videtur planè agere de maiori & minori bono vnde inſtituamur ad ſuaſionem de maiori aut minori malo, vnde diſſuaſioni ſeruiatur, vix vſquam tutius ſit affirmare Ariſtotelem de maiore aut minore malo non egiſſe, ſed minus bonū ſpectare voluiſſe diſſuaſionis gratia; & ideo in fine affirmare, hæc eſſe vnde ducenda eſt ſuaſio & diſſuaſio. quemadmodum ab initio tantum de maiori aut minori bono dicendum propoſuit. Et ſanè malum vltrò ſe ſe offerat, quo perinde ac minori bono vtaris ad diſſuadendum. Vt omittam de ma-
III. iore & minore bono controuerſiam ad explicandum fuiſſe propoſitam. Fortè etiam maiorem eſſe ait vitioſitatem non vitioſitate, intelligens vitioſitatem in leui materia, vt eſſet timiditas, & non vitioſitatem in graui materia vt eſſet iniuſtitia, quæ tamen nondum eſſet habitu confirmata; & ideo ſubdit illa fines ſunt, ea autem nō ſunt fines.

PARTICVLA CXLVI.

ΚΑὶ τὰ ἔργα μείζω, ἐπείπερ, ὡς τὰ αἴτια, καὶ αἱ ἀρχαὶ, καὶ τὰ ἀποβαίνοντα: καὶ ὡς τὰ ἀποβαίνοντα, καὶ τὰ αἴτια, καὶ αἱ ἀρχαί.

ET quorum opera honeſtiora vel turpiora ſunt, maiora ipſa ſunt: & quorum vitia & virtutes maiores ſunt etiam opera maiora ſunt. Quoniam vt cauſæ & principia, etiam euenta, & vt euenta, etiam cauſæ & principia. *Riccobonus.* 804

ET quorum opera pulchriora aut turpiora ſunt, ipſa ſunt maiora, & quorum virtutes aut vitia maiora, etiam opera maiora ſunt; quoniam vt ſe habent cauſæ & principia ita etiam euenta, atque vt euenta ſe habent, ita etiam cauſæ & principia. *Maioragius.*

Eadē quæ paulò antea de malo ſe ſe obtulit, recurrit dubitatio.

HIc quoque duo profert, quibus ſatis intelligi videtur non ſolùm ad ſuaſionem nos inſtruere, ſed ad diſſuaſionem, ac propterea dum ab initio de maiori ac minori bono dicendū proponeret, tacitè de maiore quoque malo non omnino ſilendum exiſtimaſſe, ídque diſſuaſionis cauſa. Tametſi aliud eſt de maiore quoque malo aut minore agere, aliud ex effectis quæ bona & mala ſint, bonum maius aut minus colligere quod facit in præſentia. Ob id igitur *& quorum opera*, inquit, *pulchriora ſunt aut turpiora, ipſa ſunt maiora*, ex effectis enim virtutes cognoſcuntur & vitia, quæ ſunt habitus & principia ipſarum operationum. Ita quidem cum de bono agitur & ſuaſione, quæ opera honeſtiora ſunt & pulchriora, ea ſunt maiora; vt Ciceronis opera quā Hortenſij, ſatis enim indicat Ciceronem præſtitiſſe virtute, Contra etiam Catilinæ opera, quoniā turpiora fuerunt quàm Piſonis, indicant maiora fuiſſe Catilinæ vitia. Alterum eſt quod è contrario ac virtutibus & vitijs ducitur & operibus terminatur; nam proportio id efficit, vt maior fuerit Scipionis virtus quàm Annibalis: eius igitur opera Annibalis operibus anteponenda ſunt. Quanquam ſi quis velit nos ex ijs bonis quæ minora ſint, ſeu minora eſſe euincantur, tacitè ad diſſuaſionem informari, cum eadem ſit rerum pugnantium diſciplina, non autem apertè atque ex turpiorum operum aut vitiorū mentione, equidem non repugnarim: præſertim verò quod vitiorum & malorum vix ſe- 805
mel atque iterum fit mentio: ita ut hæc fortaſſe exempli cauſa afferantur, vt analogia & proportione de bonis, quæ maximè quæruntur, iudicemus.

PAR.

PARTICVLA CXLVII.

KAὶ, ὧν ἡ ὑπεροχὴ αἱρετωτέρα, ἢ καλλίων. οἷον τὸ ἀκριβῶς ὁρᾷν αἱρετώτερον, τοῦ ὀσφραίνεσθαι: καὶ γὰρ ὄψις ὀσφρήσεως. καὶ τὸ φιλέταιρον εἶναι τοῦ φιλοχρήματον μᾶλλον κάλλιον. ὥστε καὶ φιλεταιρία φιλοχρηματίας.

Riccobonus. ET quorum exuperántia magis eligenda, vel honeſtior vt exquiſitè videri magis eligendum quàm odorari. etenim viſus quàm odoratus. & ſtudioſiorem ſodalium eſſe, quam pecuniarum honeſtius eſt. Quare etiam ſtudium ſodalium quàm pecuniarum honeſtius eſt.

Maioragius. *ET quorum exuperantia magis expetenda, aut melior eſt, vt acutè videre magis expetendum eſt, quàm acutè olfacere, ergo etiam viſus olfactu præſtantior. & ſociorum ſtudioſum eſſe, magis decet quàm pecuniarum: quare ſtudium ſociorum comparandorum, quàm pecuniarum laudabilius eſt.*

EA quoque inter maiora bona ſunt recenſenda quorum exuperantia & exceſſus ſeu præſtantia videtur expetenda magis & eligenda; vt acrius videre magis experitur quàm acutius odorari; ſi quidem viſus præſtat odoratui. Atque hîc etiam ſatis conſtar Ariſtotelem maiora bona in primis requirere: quod in ſequenti etiam bono & exemplo conſtabit, ita ut id quod de vitioſitate dixit aut turpioribus operibus non immeritò obſcura videantur. Addit verò Ariſtoteles phileteron quoque ſeu ſtudioſum eſſe amicorum, magis honeſtum eſſe & pulchrum quàm philocrimaton ſeu ſtudioſum
806 eſſe diuitiarum, proindéque ſtudium illud altero eſſe melius. Vbi ſanè haud crediderim id in exempli loco afferri ad ſuperius bonum declarandum, quandoquidem hîc de exuberantia ſiue exceſſu nihil, quemadmodum oportuerat. Erit igitur nouum idque geminum bonum, quo ſtatuit tum Phileteron eſſe melius habendum quàm Philocrimaton, (id quod ſignificaret operationem eſſe perfectiorem) tum Philoteriam eſſe perfectiorē quod ſignificaret, habitum. vbi tamen ijs inhæreret quæ de habitu & operatione, ſeu principijs & effectis, dixerat in ſuperiore particula. Ita ſanè quartum proponeret bonum, idque hauſtum ex ſecundo. Ita quidem primum & tertium bonum ab exuberantia ducuntur, ſecundum & quartum ab honeſtiore ſtudio quo fit vt hactenus duo & triginta melioris boni capita propoſuerit.

PARTICVLA CXLVIII.

KAὶ ἀντικειμένως δὲ, τῶν βελτιόνων αἱ ὑπερβολαὶ, βελτίους καὶ καλλιόνων, καλλίους. καὶ ὧν αἱ ἐπιθυμίαι καλλίους, ἢ βελτίω καὶ καλλίω: αἱ γὰρ μείζους ὀρέξεις μειζόνων εἰσί. καὶ τῶν καλλιόνων δὲ, ἢ καὶ βελτιόνων αἱ ἐπιθυμίαι βελτίους καὶ καλλίους, διὰ τὸ αὐτὸ καὶ ὧν αἱ ἐπιστῆμαι κάλλους, ἢ σπουδαιότεραι, καὶ τὰ πράγματα καλλίω καὶ σπουδαιότερα. ὡς γὰρ ἔχει ἡ ἐπιστήμη, καὶ τὸ ἀληθές. κελεύει δὲ τὸ αὐτοῦς ἑκάστη. καὶ τῶν σπουδαιοτέρων δὲ καὶ καλλιόνων αἱ ἐπιστῆμαι ἀνάλογον, διὰ ταῦτα.

Riccobonus. ET contra meliorum, exuperantiæ meliores & honeſtiorum honeſtiores. & quorum cupiditates honeſtiores vel meliores. Maiores enim appetitiones maiorum ſunt. & honeſtiorum vel meliorum cupiditates, meliores & honeſtiores propter idem. Et quarum ſcientiæ honeſtiores vel probiores, etiam res honeſtiores ſunt & probiores: vt enim ſcientia ſe habet, ita etiam id quod verum eſt.
807 Præcipit autem, quod ſuum eſt vnaquaque. & probiorum ac honeſtiorum ſcientiæ ac proportione eadem de cauſa.

E Conuerſo ordine rerum meliorum exuperantia meliores ſunt & honeſtiorum honeſtiores. Et quorum cupiditates honeſtiores & meliores ſunt, ea quoque meliora ſunt. maiores enim rerum maiorum ſunt appetitiones; atque adeò honeſtiorum & meliorum, ſunt etiam meliores & honeſtiores cupiditates. Et quarũ rerum ſcientiæ pulchriores & exquiſitiores ſunt, ipſa quoque res ſunt pulchriores & exquiſitiores; quemadmodum enim ſcientia ſe habet, ita etiam rerum & vnaquæque ſcientia, quod ipſius eſt proprium præcipit, ac tradit atque hac de cauſa rerum exquiſitiorum & pulchriorum, etiam ſcientia ſunt eadem ratione tales. Maioragius.

Quatuor itẽ maioris boni profert hic formas I.

QVatuor habes in hac particula maiorum bonorum formas. prima in ijs conſiſtit quæ tanquam honeſtiora & meliora appetuntur, ſeu in quæ honeſtiores ac meliores cupiditates appetitionéſque feruntur: ſiquidem potiores appetitiones & honeſtiores rerum meliorum ſunt & potiorum. Ac profectò cum religio & patria ſunt res præſtantiſſimæ, ſtudia & cupiditates religionis tuendæ ac patriæ ſeruandæ honeſtiſſimarum rerum erunt, quæque honeſtate ſuperent verbi gratia Medicinam ac Iuriſprudentiam.
II. Alterum bonũ ſitum eſt in cupiditatibus & appetitionibus iſtis. Cum enim ſint maiorum bonorum & potiorum, potiores quoque erunt & meliores. Sic ſtudiũ religionis ac patriæ tuendæ melius erit atque præſtantius ſtudio Medicinæ ac Iuriſ-
III. prudentiæ perdiſcendæ. Tertia bonorum meliorum forma eſt ſuperioribus affinis, & in doctrinis ac bonis artibus ſeu in ſtudijs doctrinarum ac bonarum artium collocatur, ſi enim aliqua cognitio & ſcientia eſt altera honeſtior & melior, etiam res in quibus talis ſcientia verſatur, erit melior atque præſtantior. Sic Theologia ac Iuriſpru- 808
dentia res erunt meliores quàm Medicina aut architectura, quia illarum cognitio &
IV. ſcientia præſtat Architecturæ & Medicinæ cognitioni & ſcientiæ. Poſtrema forma in iiſdem ſtudijs eſt poſita: ſi enim rei melioris ſunt, ipſa quoque ſtudia erunt meliora. id quod commutata proportione in propoſitis exemplis apparet perſpicuè. Sed

Dubitatur de tertia.

cur de tertia forma illud ſubijcit: ***vt enim ſcientia ſe habet ita etiam id quod verum eſt.*** Victorius & Maioragius rem totam reuocant ad doctrinarum dignitatem, quæ ſanè, quemadmodum ſcribit ad initium libri primi de Anima, vel ex materiæ præſtantia oritur qualis eſt diuina Philoſophia, vel ex demonſtrationum perſpicuitate vt ſunt Mathematicæ diſciplinæ: & vtrâque hac de cauſa ſtatuunt cognitionem & ſcientiam hîc præſtantiorem appellari. Sed profectò in illis verbis, ***& quarum ſcientia honeſtiores vel probiores etiam res honeſtiores ſunt & probiores***, quarum cauſa continenter ſubijcit Ariſtoteles obſcura illa verba de honeſtioribus cognitionibus ac ſcientijs loquitur ille quidem, de exactioribus & certioribus ne verbum quidem. Crediderim igitur obſcura iſta verba. ***Vt enim ſcientia ſe habet, ita etiam id quod uerum eſt***, valere ad inferendam nobilitatem non certitudinem ſcientiæ; quaſi dicat cum ſcientia ſit nobilior id etiam cuius eſt ſcientia erit nobilius: quare illud **καὶ τὸ ἀληθὲς** ſignificat verum illud hoc eſt cognitionem quæ ex nobiliori percipitur. At enim ſit iſtud. Sed cur ſubdit rurſus, ***Præcipit autem quod ſuum eſt unaquæque***? Equidem quantum coniectura aſſequi poſſum his verbis Ariſtoteles confirmat argumentum ductum ab honeſtate & dignitate materiæ valere ad inferendam dignitatem & præſtantiam cognitionis, quia ea cognitio ab illis rebus ſic deriuatur vt earundem rerum ſit non alienarum: & ideo ait Ariſtoteles. ***Præcipit autem quod ſuum eſt vnaquæque*** quod eſt, ſuppeditat vnaquæque quod ſuum eſt, ac propterea cum ſit nobiliſſima, ſuppeditat nobiliſſima. 809

PAR-

PARTICVLA CXLIX.

Καὶ ὃ κρίνει αὐ κεκρίκασιν οἱ φρόνιμοι: πάντες, ἢ οἱ πλείους, ἢ οἱ κράτιστοι ἀγαθὸν ἢ μεῖζον, ἀνάγκη, οὕτως ἔχειν. ἢ ἁπλῶς ἢ εἰ κατὰ τὸν φρόνησιν ἔκριναν. ἔστι δὲ τοῦτο κοινὸν, καὶ κατὰ τῶν ἄλλων. καὶ γάρ τι, καὶ πόσον καὶ ποιὸν, οὕτως ἔχει, ὡς αὐ ἡ ἐπιστήμη καὶ φρόνησις εἴποι.

Riccobonus.

ET quod iudicarent vel iudicarunt prudentes vel omnes vel mulri, vel plures, vel optimi, bonum vel maius neceſſe eſt ſic ſe habere, vel ſimplicirer, vel ſi ex prædentia iudicarunt. Eſt verò hoc commune etiam in alijs. Etenim quid & quale & quantum ſic ſe habet, vt ſcienria & prudentia affirmauerit.

Maioragius.

ET quod prudentes homines vel cuncti vel multi vel plures vel praſtantiſſimi maius bonum eſſe iudicarent aut antea iudicarunt, id eſſe tale neceſſe eſt ſiue ſimpliciter in omnibus, ſiue in ea re cuius periti ſunt, iudicauere. Eſt autem hoc etiã in alijs omnibus commune vt prudentes intelligant & quid & quantum & quale prout vnaquæque ars & ſcientia tradit.

MAius aliud profert, vel fortaſſe (id quod requiremus in progreſſu) duo alia maiora bona. ait igitur bonum eſſe vel maius bonum, quod prudentes vel multi, vel plures, vel optimi bonum vel maius eſſe iudicarent vel iudicarunt: id enim, inquit, neceſſe eſt vt ſic ſe habeat, vel ſimpliciter & vniuerſim in rebus omnibus, vel ſi ex prudentia iudicarunt. At enim quid eſt *vel ſi ex prudentia iudicarunt?* Victorius & Maioragius acutè exponunt, vel ſi ea de re cuius periti ſunt, iudicarunt. Quaſi verò diceret, id ſi non vniuerſim melius erit, at certè in ea re in qua periti ſunt, verum ac melius erit. quæ ſententia ſi ex verbis elici poſſet, mihi quidem placeret vehementer, ſed vereor vt inde
810 poſſit elici: nam dum ait ſi ex prudentia, non ait *ſaltem*, verùm in ijs in quibus, periti ſunt, dicere enim debuiſſet ἢ ἐν ᾧ κατὰ τὴν φρόνησιν ἔκριναν. Vereor igitur ne tacitè dubitationi reſpondeat. Quid enim ſi perpauci id iudicarint? Ait igitur id quoque erit bonum ſeu melius ſi ex prudentiæ præſcripto id fecerint pauci illi. Atque hinc oriretur ſecundum bonum quod penderet ex paucorum iudicio non ex plurium vt alterum. Quod ſi fortè codex aliquis pro ἢ εἰ haberet ἢ ἐν ᾧ, libenter equidem poſſet requirere iſtorum explicatum. tametſi non magnopere erat deinde repeteret verbum ἔκριναν. Quanquam quoniam geminata illa particula ἢ, (niſi mendoſus ſit locus) cogit nos aliquid excogitare vnde vel ſimpliciter vel aliqua ex parte illud ſit quoque malum, ſatiùs fortaſſe ſit dicere hanc eſſe ſententiam; illud eſſe melius vel ſimpliciter vel qua parte ex prudentiæ præſcripto (quid enim ſi non omni ex parte verum eſſe conſtaret) illud eſſet iudicatum. Certè Brocardus dum locum ſic verrit paraphraſticè vel ſimpliciter qui prudentia vigent, vel vi etiam prudentiæ adhibita, ſi ſecundum eam iudicatum ſit, id quoquo modo viderur indicare; quamuis obſcuriùs adhuc; ita ut oraculo res egere videarur.

Vnum & alterũ bonũ profert.

Dubitatur.

Reſpondetur.

PARTICVLA CL.

Ἀλλ' ἐπ' ἀγαθῶν εἰρήκαμεν. ὅρισαι γὰρ ἀγαθὸν εἶναι ὃ λαβόντα τὰ πράγματα φρόνησις λέγει.

Riccobonus.

VErum de bonis diximus. Nam definitum eſt bonum eſſe, quod quæ acceperint res prudentiam eligerent ſigillatim. manifeſtum igirur eſt etiam maius eſſe, quod magis prudentia dicit.

AT nos hoc loco de bonis verba fecimus. Nam antea bonum id eſſe ſtatuimus, quod res omnes, qui prudentiam haberent ſibi eligerent. Ex quo perſpicuum eſt maius id eſſe bonum quod prudentia magis expetit. *Maioragius.* 811

Maioris boni iudiciũ reuoca ad Prudentiã.

OCcaſione percommodè arrepta, de prudentiæ vi nos admonet præſertim verò vt magis ac magis conſtet maioris boni iudicium ad prudentiam pertinere. Ait igitur prudentis eſſe non ſolùm de maiore bono iudicare, verùm etiam iudicium ferre & declarare quid, quantum & quale de vnaquaque re: ídque prout vnaquæque ars docet ac ſcientia. Quibus verbis videtur quam breuiſſimè præſtringere illa omnia quæ de prudentia tradit in moralibus. Tum, quoniã curioſius requirere potuiſſet aliquis vt de his paulò pleniùs verba faceret; ipſe quippe qui hæc eo tantùm conſilio attigerat, vt confirmaret maius bonum illud eſſe quod prudentes iudicarent, At nos (inquit) de bono verba facimus: quaſi diceret nihil eſt quod ad cætera illa quæ prudenti iudicio committenda eſſe diximus, impellamus orationem. Cum enim antea ſtatuerimus id eſſe bonum quod res omnes, ſi intelligentia & prudentia præditæ eſſent, eligerent, id in præſens vbi de maiore bono verba facimus, ſtatuiſſe volumus, nimirum id eſſe maius bonum quod prudentia dictauerit expetendum.

PARTICVLA CLI.

ΚΑὶ τὸ τοῖς βελτίοσιν ὑπάρχον, ἢ ἁπλῶς, ἢ ᾗ βελτίους. οἷον ἡ ἀνδρεία, ἰσχύος. Καὶ ὃ ἕλοιτ' ἂν ὁ βελτίων. ἢ ᾗ βελτίων, οἷον τὸ ἀδικεῖσθαι μᾶλλον ἢ ἀδικεῖν: τοῦτο γὰρ ὁ δικαιότερος ἕλοιτ' ἄν.

ET quod melioribus ineſt vel ſimpliciter vel quatenus meliores ſunt, vt fortitudo quàm robur. Et quod eligeret melior vel ſimpliciter vel quatenus melior, vt iniuria effici magis quàm iniuria afficere. Id enim iuſtior eligeret. *Riccobonus.*

ET id quod melioribus adeſt ſiue ſimpliciter ſiue ex parte qua meliora ſunt, vt fortitudo robori præſtat: & quod vir melior eligeret vel abſolutè vel quatenus melior eſt; vt iniuriam afficere potiùs quàm inferre. Hoc enim vir iuſtior eligeret. *Maioragius.*

Duo alia, eaque præclara profert maiora bona. I.

DVo hîc profert maiora bona atque hæc ſanè præclara. Primũ eſt quod melioribus ineſt, ídque ſiue ſimpliciter, ſiue quatenus ſunt meliora, ſic fortitudo (inquit Ariſtoteles) præſtat robori. Atque hîc ſanè primò illud τὸ βελτίοσιν ὑπάρχον ſic explicat Maioragius, vt non ſolùm ad homines verùm etiam ad res alias referat, nam ſubdit, *quæ meliora ſunt*, vbi ſine dubio res vniuerſim intelligit meliores: quam ſententiam omnino expreſſerat, antea Victorius dum diceret in Commentario *Quæ meliora ſunt*: quin rebus quæ natura meliora ſunt, perſpicuè id attribuit. Et ſanè dum Ariſtoteles ait vt fortitudo roboti præſtat animi fortitudinem intelligit, robur corporis, ac propterea de maiori bono loqui videtur quod melioribus rebus ineſt in vniuerſum non melioribus hominibus tantùm. Denique cum antea dixiſſet bonum eſſe quod res eligerẽt ſi aſſumerent prudentiam, aptè pergitur, & quod melioribus ineſt, videlicet rebus. Veruntamen Riccobonus & alij quidam eiuſmodi bonum ad ſolos homines videntur contrahere. Atque huic explicatui fauere videntur quæ è veſtigio conſequuntur verba, vt iam iam conſtabit, quia illud βελτίους, etiam βελτίω legunt aliqui. Quanquam cum eò res tandem reuoluatur vt quod melioribus ineſt, ſiue hominibus inſit, ſiue rebus in vniuerſum, id eodem modo ſit maius bonum, nihil eſt quod contentioſum funem trahamus. Atque hinc licet intelligere Ariſtotelem dum ait quod melioribus ineſt ſiue ſimpliciter ſiue ex ea parte qua meliora ſunt, id afferre potuiſſe tam in ea ſpe-

ctans

Qans quæ ſunt meliora, quàm in bonum quod illis ineſt, quaſi diceret ſiue inſit abſo-
lutè ſiue qua parte ſunt meliora. Alterum eſt quod eligeret melior: quæ verba quo-
niam de homine pronunciantur, argumento ſunt illud quod melioribus ineſt, ad ho- II.
813 mines propriè pertinere, præſertim cum ſupra longo ordine meliora in hominibus
obſeruaſſet & exemplis illuſtraſſet; ita ut illud τὰ πράγματα obiter fuerit interpoſitū.
Et hinc eſt etiam vt fortitudinis exemplo explicet quod meliori ineſſe dixerat, quæ fortitudo animi eſt ac propriè hominis. Addit verò vel ſimpliciter vel quatenus melior, quod non magnopere interſit ſiue ſit ſimpliciter melior, ſiue ea in re melior haberetur. Quam rem exemplo illius explicat qui malit iniurias perferre. Atque hîc ſatis ſuperque conſtat Ariſtotelem quoque intellexiſſe maiorem illi laudem deberi qui perferret potiùs quàm inferret iniurias. Quod Socrates etiam affirmauerat apud Platonem.

PARTICVLA CLII.

ΚΑὶ τὸ ἥδιον, τοῦ ἧττον ἡδέος. τὴν γὰρ ἡδονὴν πάντα διώκει, καὶ αὐτοῦ ἕνεκα τοῦ ἥδεσθαι ὀρέγονται. ὥρισαι δὲ τούτοις τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ τέλος. ἥδιον δ᾽ ἐστὶ, τό, τε ἀλυπότερον καὶ τὸ πολυχρονιώτερον ἡδύ.

Riccobonus. ET iucundius quàm minùs iucundum. Voluptatem enim omnia ſequuntur & propter ipſum, vt iucunditate perfundantur appetunt. Definitum autem eſt his bonum & finis. Iucundius verò eſt tum minùs moleſtum tum diutius iucundum.

Maioragius. *ID etiam quod iucundius eſt, magis eſt expetendum quàm minùs iucundum, nam omnia voluptatem ſequuntur; & eius ipſius cauſa iucundè viuere cupiunt: quibus rebus boni, finiſque natura iam a nobis ſupra definita eſt. iucundius autem illud eſt quod & minùs habet moleſtiæ, & diutius perdurat.*

IVcundius eſſe magis expetendum quàm minùs iucundum, ac propte-
814 rea eſſe maius bonum, de vera iucunditate ac ſincera compertum eſt:
de minùs honeſta controuerſum: quin apud ſapientes falſum. Sed populariter loquenti in vniuerſum res iucundior minùs iucundæ anteponitur. Confirmat ſententiam Ariſtoteles quia omnia ſequuntur voluptatem, & eius gratia iucundè viuere cupiunt: quod item vniuerſim verum & populariter. Et quoniam ſupra boni iucundi mentionem fecerat, & quod eſt iucundum finis ac boni locum obtinere dixerat, id in præſens reuocat in memoriā, vt confirmet quod eſt iucundius, eſſe magis expetendum ac magis bonum cenſendū. At enim quid tu Ariſtoteles iucundum appellas hoc tempore? quod (inquit) minùs habet moleſtiæ, perdurátque diutius. Et ſanè non deerant qui in doloris ac moleſtiæ vacuitate collocarent ſummum bonum aut etiam iucunditatem, & ideo id iucundū dicit quod minus habet moleſtiæ: addit quod perdurat diutius ac diuturna afficit voluptate: nam momentanei aut breuis voluptatis iucunditatiſue ratio vix ac ne vix quidem habetur vlla.

PARTICVLA CLIII.

ΚΑὶ τὸ κάλλιον τοῦ ἧττον καλοῦ. τὸ γὰρ καλόν ἐστιν ἤτοι τὸ ἡδὺ ἢ καθ᾽ αὑτὸ αἱρετόν.

Riccobonus. ET honeſtius quàm minùs honeſtum. Nam honeſtum eſt aut iucundum, aut per ſe eligendum.

ET quod pulchrius eſt minus pulchro. Nam pulchrum aut eſt iucundum aut propter ſe expetendum. Maioragius.

HIc τὸ κάλλιον honeſtius aliqui, aliqui pulchrius interpretantur: nam geminam illam notionem vox habet ſubiectam: etſi crediderim pulchrius exponendum quod quod iucunditati affines videri ſoleãt res pulchræ. Quanquam de rebus iucundis verba fecerit antea etſi quoniã τῷ καλῷ iucunditatem quoque attribuit, itaut ſit iucundum & propter ſe expetendum, generaliter ac fuſo vocabulo vſus. Sed quicquid ſit aptè poſt 815
ea quæ iucundiora ſunt profert ea quæ ſunt magis honeſta vel pulchra, tum bonum & iucundum & honeſtum eſſe poſſit & vtroque bono gaudere.

PARTICVLA CLIV.

ΚΑὶ ὅσον αὐτοὶ αὑτοῖς ἢ φίλοις βούλονται αἴτιον εἶναι μᾶλλον, ταῦτα μείζω ἀγαθά, ὅσων δὲ ἥκιστα, μείζω κακά. καὶ τὰ πολυχρονιώτερα τῶν ὀλιγοχρονιωτέρων, καὶ τὰ βεβαιότερα τῶν μὴ βεβαιοτέρων· ὑπερέχει γὰρ ἡ χρῆσις τῶν μὲν τῷ χρόνῳ. τῶν δὲ, τῇ βουλήσει· ὅταν γὰρ βούλωνται, ὑπάρχει μᾶλλον ἡ τοῦ βεβαίου.

ET quorum ipſi ipſis, aut amicis volunt cauſa eſſe magis, eà maiora ſunt bona, quorum verò minimè volunt, maiora mala. Et diuturniora quàm minus diuturna. Et firmiora quàm minùs firma. Superat enim vſus, illorum quidem tempore, horum verò voluntate. Nam quãdo volunt, adeſt magis vſus rei firmæ. Riccobonus.

EA quoque maiora bona ſunt, quorum ſibi homines, aut amicis authores eſſe malunt, quorum autem minimè volunt auctores eſſe, ea maiora ſunt mala. & diuturna bona breuioribus, & ſtabiliora incertioribus; nam diuturnorum vſus tempore praſtat, ſtabiliorum autem voluntate; quoniam quod ſtabile ac firmum eſt, voluntatibus noſtris praſto ſemper adeſt. Maioragius.

ID veriſſimè affirmatur. Nam quam nos ipſos diligimus aut amicos, maius nobis bonum atque illis optamus, ac propterea authores eſſe boni iſtius cupimus. Etſi enim nihil prohibet quominus bonum ab alijs etiam & vndecumque expectamus, ſi tamen nos ipſos authores eſſe cupiamus, meliora planè diligamus. Contra verò quo magis defugimus authores eſſe aut nobis aut amicis alicuius rei: hanc eò magis eſſe malam conſtare poteſt. Elegantet verò bonum hoc a nobis ad amicos transfert, 816
vel nobis cum amicis promiſcuè facit commune, quòd amicus ſit nobis voluntate & amore coniunctus, quæ coniunctio eſt maxima, itaut hac de cauſa duo corpora vnius animi ac voluntatis dicantur amici.

PARTICVLA CLV.

ΚΑὶ ὡς ἂν ἐκ τῶν συστοίχων, καὶ τῶν ὁμοίων πτώσεων, καὶ τἆλλα ἀκολουθεῖ. οἷον τὸ ἀνδρείως καὶ κάλλιον καὶ αἱρετώτερον τῇ σωφρόνως, καὶ ἀνδρεία σωφροσύνης. αἱρετώτερα καὶ τὸ ἀνδρεῖον δὲ ἢ τοῦ σωφρονεῖν.

ET vt ex coniugatis & ſimilibus caſibus etiam alia conſequuntur, vt ſi quod fortiter agitur & honeſtius & magis eligendum quàm quod temperanter. etiam fortitudo quàm temperantia magis eligenda, & fortem eſſe quàm temperantem. Riccobonus.

Maiora gius.

ET eo pacto, quo a coniugatis, & caſibus ſimilibus etiam alia conſequuntur, vt ſi fortiter ſe gerere pulchrius, & magis expetendum eſt quàm temperanter, etiam fortitudo magis erit expetenda quàm temperantia, & fortem eſſe magis quàm temperantem.

LOcus a coniugatis tritus eſt apud Rhetores. Ex hoc igitur maioris boni formam elicit Ariſtoteles: ac ſi verbi gratia fortem eſſe maius ſit bonũ quàm temperantem, fortitudo etiam (inquit) melior ſit quàm temperantia. ac profectò obuius eſt eiuſmodi locus & popularis, itaut cum de maiore bono agitur ſe ſe offerat paſſim. ſic qui militares labores æſtimet & oſtendat, militiam quoque laborum pleniſſimam eſſe oſtẽdat. quod in alijs ſexcentis colligas licet tantiſper varians coniugatorum caſus aut nomina.

PARTICVLA CLVI.

817 ΚΑὶ ὃ πάντες αἱροῦνται τοῦ μὴ ὃ πάντες. καὶ ὃ οἱ πλείους ἢ οἱ ἐλάττους. ἀγαθὸν γὰρ ἦν, οὗ πάντες ἐφίενται ὥστε καὶ μεῖζον, οὗ μᾶλλον.

Riccobonus.

ET quod omnes eligunt, quàm quod nõ omnes. Et quod plures quàm quod pauciores. Nam bonum erat quod omnes appetunt. Quare etiam maius quod magis.

Maiora gius.

ET quod omnes expetunt, maius eſt, quàm quod non omnes, & quod plures, quàm quod pauciores: bonum enim id eſſe diximus, quod omnes expetũt. itaque maius id bonum eſt quod magis expetitur.

Duo eaque affinia profert maiora bona.

DVo hîc exprimit maiora bona: quæ magnam habent inter ſe affinitatẽ. Primum eſt id quod omnes homines expetunt: maius eſt enim quàm quod non ab omnibus planè expetitur. Alterum eſt quod expetunt plures: id enim maius eſt bonum quàm quod expetunt pauciores. Quam rem vel vtranque vel priorem in primis cõfirmat quod ſtatuerat id omnino eſſe bonum quod appetunt omnes. Hîc tamen duæ eæque graues ſe ſe offerunt dubitationes. Vna eſt quia effati confirmatio quæ continetur verbis ijs. *Bonum enim id eſſe diximus quod omnes expetunt*, efficit quidem id maius eſſe bonum quod expetunt omnes quàm quod non omnes: ſed id eſſe maius bonum quod plures expetunt quàm quod pauciores, nequaquam videtur efficere. Quanquam proportione quadam id explicãdum, itaut quoniam bonum ac ſummum bonum eſt aut æſtimatur quod appetunt omnes, maius quoque bonũ ac magnum id habeatur quod a pluribus expetitur non a paucioribus. Altera eſt quia pergit Ariſtoteles, *quare etiam maius quod magis*: vbi variat terminos: non enim dixerat maius eſſe bonum quod magis expetitur quàm quod minùs, ſed quod a pluribus quàm à paucioribus. Itaque omnino crediderim tertium maioris boni genus. idque affine proferri quod colligitur ex dictis; quia quemadmodum maius eſt bonum quod ab omnibus appetitur quàm quod
818 non ab omnibus, & quod a pluribus quàm quod a paucis, ita quod magis appetitur, quàm quod minùs in maioris boni loco habendum eſt. Sic gloria quæ expetitur ab omnibus; ſic diuitiæ, maius erunt bonum quàm moderatæ opes, quia a pluribus illæ, hæ a paucioribus exoptantur: denique maius quoque bonum erit bona valetudo quàm magnum corporis robur, quia illa magis expetitur. Atque hæc ſanè maiora bona cum poſſint & verò ſoleant a quibuſdam in controuerſiam reuocari, præſertim a ſapientibus, qui & gloriam ſtatuunt contemnendam & diuitias & id genus alia multa; nõ tam ex confeſſis, quàm ex controuerſis depromerentur.

Dubitatur I.

Reſpondetur.

Dubitatur II.

Additur tertium bonum idque affine item & ſimile.

PARTICVLA CLVII.

Καὶ ὃ ἀμφισβητοῦντες, ἢ οἱ ἐχθροὶ, ἢ οἱ κρίνοντες, ἢ οὓς οὗτοι κρίνουσι. τὸ μὲν γάρ, ὡς οἱ πάντες φασίν ἐστί· τὸ δέ, κύριοι καὶ οἱ εἰδότες.

ET quod controuerſantes vel inimici, vel iudicantes vel quod iſti iudicāt. Illud enim eſt, perinde ac ſi omnes affirmarent. hoc verò perinde ac ſi potentes ac ſcientes. Riccobonus.

ET quod aut aduerſarij, aut hoſtes, aut diſceptatores aut qui verè iudicare poſſe cenſentur. Illud enim perinde eſt, ac ſi omnes tales eſſe faterentur, hoc autem ac ſi qui in ſua poteſtate rem habent & eius valde ſunt intelligentes. Maioragius.

Maius bonũ profert qđ ex quadripartito, quin ex q̃n quepartito veluti fonte dimanat

QVî obſecro id quod aduerſarij ac cæteri iſti quos quadripartito commemorat, maius bonum eſſe cenſuerunt, tale erit bonum? non aduerſariorum & hoſtium iudicio hęrendum quos iuuat nos fallere? *Timeo Danaos vel dona ferentes*, inquit Poëta; ſed tamen id eo conſilio id protulit Ariſtoteles quia illud bonum intelligat eſſe maius quod vtrinque aduerſarij ac cæteri illi id fateantur. Cum enim ij qui alioquin diſſentire ſolent in hoc cōueniant itaut neuter audeat aduerſarium erroris aut mendacij arguere, ſatis intelligitur rem ad veritatem eſſe propenſam & clariorem videri quàm vt diſſimulari poſſit aut pernegari. 819 Ex quo fit vtque vel de Annibale & Scipione & Plutarcho vel de P. Cornelio & Fabricio ex Cicerone, exempla profert Maioragius, cautè figūranda ſint: alioquin Ariſtoteleæ ſententiæ minùs reſpondeant. Et quoniā nihil prohibet quominus & Iudices ijs operam nauent ſuam qui non aduerſarij ſint aut hoſtes, aut quod maximè refert controuerſentur, ſed illius tamen iudicium requirant & præſtolentur, itaut de re quam pari conſenſione probant, illius requirār iudicium, id quoque maius bonum eſſe ſtatuit, Ariſtoteles, de quo iſti, etſi alienum quoque iudicium requirunt, conſentiunt inter ſe. Ita quidem quinque hominum genera profert; aduerſarios, hoſtes, controuerſantes, iudicantes & in vniuerſum iudicantium iudcio ſe exponentes. At enim vnde nam probas Ariſtoteles maius bonum habendum quod ij cenſuerint? Inde quia qui iudicant ſcientia excellere ſolent & authoritate præſtare, itaut probanda ſit eorum ſententia: cæteri multi ſunt, itaut difficile ſit eos non rectè ſentire cum tantopere inter ſe conſentiant omnes. Et hoc eſt quod ſubdit, *Illud enim eſt perinde ac ſi omnes affirmarent, hoc verò perinde ac ſi potentes & ſcientes*. Hoc verò maius bonum inter controuerſa referendum non eſt quod dubitemus; cum nihil prohibeat quin iſti omnes interdum decipi poſſint & iudicio aberrare.

PARTICVLA CLVIII.

Καὶ ὅτε μὲν ὃ πάντες μετέχουσι μεῖζον. ἀτιμία γὰρ τὸ μὴ μετέχειν. ὅτε δέ, ὃ μηδεὶς, ἢ ὃ ὀλίγοι σπανιώτερον γάρ.

ET interdum cuius omnes participes ſunt, maius eſt, dedecus enim eſt non eſſe participem, interdum cuius nemo aut cuius pauci, quia rarius. Et magis laudanda: quia honeſtiora. Riccobonus.

ATque interdum illud maius habetur, cuius omnes participes ſunt; labes enim atque ignominia eſt non illud participare: interdum illud cuius nemo aut pauci ſunt participes, id enim eſt rarius. Maioragius. 820

Duo

Duo rurſus proferũtur maiora bona, quæ tamen inter ſe pugnare videantur.

DVo in hac Particula offeruntur maiora bona, quæ tamen inter ſe pugnare videantur. Primum eſt illud cuius omnes interdum ſint participes. At verò *interdum* quia non ſemper id eueniat vt ſit maius bonum cuius participes sũt omnes, ſed propemodum raro: nam cum omnes furtiuæ prædæ verbi gratia aut rapinæ fuerint participes, id verò non inter maiora bona, ſed ne inter bona quidem, eſt numerandũ. Et ideo acutè Ariſtoteles ſubdit tunc planè eſſe maius bonũ cum dedecus afferat non habẽri. Sic cum dedecus afferat in ea Vrbe morari in qua ciuium prærogatiuis haud gaudeas, ſed quaſi extorris habearis, ſatis intelligitur decus è contrario accedere ſi ciuium prærogatiuis gaudeas. Quod igitur dedecus afferat id non maius eſt bonum, etſi eius omnes ſint participes. Contra verò (& hoc erit alterum) maius bonum interdum illud erit cuius nemo aut pauci ſint participes. Sic totius terrarum orbis Monarchia maius quidem bonum cenſeatur quàm vnius Regni dominatus, ſed tamẽ ea eſt quam nemo vnquam verè adeptus eſt: ſic etiam qui vocẽtur patres patriæ ſunt perpauci: atque hoc ipſum efficit vt maius bonum cenſeatur & ideo ſubdit *quia rarius*. Atque hæc etiam nõ immeritò inter bona controuerſa numerari inde conſtat, quia vtrinque exceptiones occurrunt maximæ, cum tam ea quæ ſunt communia omnibus, quàm quæ aut pauci aut nemini contingunt, & bona & mala eſſe poſſint. Nam ſi dicas decus aut dedecus id demum prohibere, cum decus vero bono, dedecus malo quaſi adſtipulator accedat, iam decus etiam & dedecus in hominum opinione plerunque poſitũ eſt, itaut de illis diſſentiant inter ſe præcipuè verò ſapientes a vulgo diſcrepent, quin ſapientes ipſi inter
521 ſe item non raro altercantur. vnus denique idémque nutat interdum, itaut nihil certi ſtatuat facilè aut inueniat.

PARTICVLA CLIX.

KΑὶ τὰ ἐπαινετώτερα. καλλίω γάρ. καὶ ὧν αἱ τιμαὶ μείζους ὡσαύτως, ἡ γὰρ τιμή, ὥσπερ ἀξία τίς ἐστι. καὶ ὧν αἱ ζημίαι μείζους.

Riccob. ET magis laudanda quia honeſtiora. Et quorum honores maiores, itidem. Nam honor tanquam precium quoddam eſt. Et quorum pœnæ maiores.

Maior. *ET quæ laudabiliora; nam eadem ſunt honeſtiora. & ea quibus maiores honores tribuuntur; honor enim tanquam æſtimatio quadam eſt, & quibus pœna maiores conſtitutæ ſunt.*

Tria rurſus maiora proferũtur bona.

TRia ſe ſe maiora bona obijciunt in hac Patticula. Primum eſt eorũ quæ magis ſunt laudanda, quam quæ minùs laudanda. Et quanquam per ſe conſtare poſſet ſatis, quæ laudanda ſunt magis, maiora quoque eſſe bona. Ratio tamen Ariſtotelis addit pondus, dum ſubdit, quia honeſtiora. Ex quo intelligitur ea vel vna vel maximè eſſe laudanda quę ſunt honeſta; quæ igitur magis honeſta, magis laudanda. Quapropter prudentia, quippe magis honeſta quàm pulchritudo aut robur corporis ac fortitudo magis erit laudanda; etſi corporis quoque pulchritudini ac fortitudini ſua erit laus, cum honeſtate non careant. Alterum eſt illud cui honores maiores habentur: ſatis conſtare poteſt id cui maior habetur honos, quàm cui minor, inter maiora bona numerandũ. Itaque Religio cui maior quàm Iuris prudentiæ habetur honos, maius bonũ cenſenda erit. Id tamen inde confirmat Ariſtoteles quia honor eſt tanquam precium, quod eſt æſtimatio ac præmium: quo etiam fit vt id cui maior honor impenditur, in maiore æſtimatione ſit ac maiore præmio, quippe maius bonum efficiatur. Neque verò non
522 interim animaduertere licet duas iſtas boni formas in controuerſiam vocari poſſe: ſiquidem de honeſtate quoque ambigitur ſæpè, itaut quæ honeſtatis nomine laudãtur, facilè in cõtrouerſiam venire poſſint; idémque dixerim de ijs quibus maius tribuitur præmium quæue in maiore æſtimatione eſſe ſolent; nõ enim apud omnes ſunt huiuſmodi.

I.

II.

modi. Atque idem dixerim de tertia maioris boni forma quam ſubijcit dum ait, *& quorum pœnæ maiores*: nihil enim prohibet maiores interdum pœnas ijs imponi & irrogari quæ mediocria ſunt peccata aut errata, aut ſaltem a quibuſdem mediocria reputantur, ac ſummatim magnáne an leuia ſeu mediocria cenſenda ſint, ambigitur. Sed iã de tertio hoc bono aliquid dicamus atqui illud exemplis illuſtremus perinde ac priora duo. Sic igitur ſtatuamus nimirum.

Tertium hoc binum quale.

Quibus rebus conſeruandis aut propugnandis maiores pœnæ adhibentur, ea eſſe maiora bona quam quæ minori pœna prohibentur, vt publicus theſaurus, patria, vita, res ſacræ; conſtat enim hæc maioribus pœnis prohiberi quàm res priuatas aut maioris momenti. Quanquam fortaſſe ζημίαι hîc damna ſignificant & detrimenta, itaut ſententia ſit. Et quorum damna quæ ſcilicet patimur, maiora ſunt: verè enim quo quæque res maiorem affert iacturam, eò maius eſt bonum, vt ſi quis fortunas amittat, patriam, amicos. Itaque nos ijs aſſentimur qui ζημίαν vnam mulctam aut pœnam quæ a legibus irrogetur, valere exiſtimant, quod hîc affirmatè omnino ſtatuit Victorius. Nã pro quocunque damno vſurpatur ab optimis Authoribus & quacunque iactura, Itaque ζημίαν ποιεῖν. hoc eſt iacturam facere inuenias. Imò Ariſtoteles in libro V. Moralium capite quarto ζημίαν opponit τῷ κέρδει idest lucro. quo nomine & Xenophon & Iſocrates & alij multi ζημίαν inculcãt. Neque verò loquitur Ariſtoteles hoc in loco de pœnis (quod 823
item pugnat Victorius) quaſi verò locos etiam attingat qui ad maiora pertinent mala; vt quoniam maiores attigit honores, nunc maiores etiã attingat pęnas. Nam in maioribus bonis verſatur adhuc Ariſtotelis oratio atque ait ea quoque eſſe maiora bona quæ maioribus prohibentur pœnis, vel quorum iactura maius affert detrimentum. vt mirum ſit virum doctiſſimum tam facilè vno eodémque loco bis & grauiter lapſum eſſe.

PARTICVLA CLX.

Καὶ τὰ τῶν ὁμολογουμένων ἢ φαινομένων μεγάλων μείζω. καὶ διαιρούμενα δὲ εἰς τὰ μέρη τὰ αὐτὰ μείζω φαίνεται· πλειόνων γὰρ ὑπεροχὴ φαίνεται. ὅθεν καὶ ὁ ποιητής φησι, πεῖσαι λέγουσαν τὸν μελέαγρον ἀναστῆναι. ὅσα κάκ' ἀνθρώποισι πέλει, τῶν ἄστυ ἁλῷ. λαοὶ μὲν φθινύθουσι, πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει. τέκνα δέ τ' ἄλλοι ἄγουσι. βαθυζώνους τε γυναῖκας.

ET quæ ſunt confeſſis, & ijs quæ apparent magna, maiora & quę diuiduntur in partes, ipſa maiora apparent: plurium enim exuperantia apparet, vnde & Poëta ait illam perſuaſiſſe Meleagro, vt exurgeret exponentem. Quot mala concurrunt, quando ſunt Oppida capta. Occidunt homines tectiſque incendia miſcent. Aſt alij abducunt natos, necnon mulieres ornatè cinctas.

Riccobonus.

ET quæ maiora ſunt eis, quæ omnes magna eſſe confitentur; aut quæ magnorum ſpeciem præſeferunt. Et quæ in partes diſſecantur, maiora videntur: nam in eis apparet plurium rerum quadam exuperantia. Vnde etiam Poeta ſcribit Meleagrum ab vxore ad bellum hac ratione fuiſſe concitatum, cum illa narret. Quot mala concurrunt quoties crudeliter Vrbem, Diripiunt hoſtes: pereunt iuuenéſque ſenéſque, Ilicet ignis edax euertit tecta domorum, Abducunt alij natos. 824

Maioragius.

Alia tria ſuccedunt bona.

TRia in hac particula maiora profert bona. primum illud eſt quod ijs eſt maius de quibus in confeſſo eſt magna eſſe: talis eſt prudentia ſi cum doctrina aut temperantia conferatur. Denique magnis quibuſdam poſitis & conſtitutis, de quibus nulla ſit dubitatio, id quod iſthæc ſuperet maius bonum ſit neceſſariò. Alterum eſt quod tale videatur, cuiuſmodi eſt gloria ſi cum diuitijs comparetur: etenim gloria qualis qualis ſit, maius atque excellentius bonum videri ſolet diuitijs. Atque hoc bonum fortaſſe inde contro-

I. III.

controuerſum videri poſſet adhuc, quod vt boni ſpecies interdum fallit homines; ſic glorię interdum ſpecies decipiat, quę ſi careat virtute, minùs bonum eſt quàm diuitię. Secus de primo bono quod bonis confeſſis præſtabat: niſi tamen bona illa confeſſa populariter æſtimentur, quid enim ſi iuſtitia verbi cauſa, quæ iure inter cõfeſſa bona numeratur, ac temperantia & liberalitati, quæ item inter confeſſa bona ſunt numerãda, meritò anteponitur, vulgo ſpernatur, itaut diuinæ & vtilitas, quæ ad controuerſa vergunt bona illi anteponãtur? Tertium & poſtremum id eſt quod in partes multas ſecari poteſt, quæ ſingulæ bonæ ſint: virtus enim, quoniã in multas partes ſecatur ſeu in virtutes, quæ bonæ ſunt ſingulæ maius quoddam bonum exiſtat neceſſe eſt. nam maiorem quãdam veluti copiam & quaſi exceſſum refert. Sed Ariſtotelis declaremus exemplũ, quod ex IX. Iliados ſumptum eſt, vbi Meleagri vxor mala veluti in partes diſſecat, quę immineant ab hoſtibus Vrbi. Hîc igitur aptandum eſt exemplum bonis, vt quam habet proportionem malorum, quæ diſſecat, varietas, ad malum vniuerſum eandem habeant bona quæ in partes tribuuntur ad bonum, quod diſtribuitur vniuerſim. Dum verò Maioragius totam hanc rem Ciceronis ac Vergilij exemplis illuſtrat copioſè, nõ inutiliter ſanè legatur, pleraque enim aptiſſimè cadunt in hũc locum. Dum verò Me- III.
825 leagri vxor apud Ariſtotelem ait *ἄγουσι βαθυζώνους τε γυναῖκας. abducunt ornatè cinctas mulieres.* Id verò an in Homero legatur in præſens & cur ſummatim Homericus Codex quẽ terimus non omnino cõſentiat cum Ariſtotelis verbis, ex Victorio intelligas. Tametſi eas voces *ἄγουσι βαθυζώνους τε γυναῖκας*, non in omnibus Ariſtotelis Codicibus reperiũtur.

PARTICVLA CLXI.

Καὶ τὸ συντιθέναι καὶ ἐποικοδομεῖν. ὥσπερ ἐπίχαρμος διά τε τὸ αὐτὸ τῇ διαιρέσει. ἡ γὰρ σύνθεσις ὑπεροχὴν δείκνυσι πολλήν. καὶ ὅτι ἀρχὴ φαίνεται μεγάλων καὶ αἴτιον.

Riccobonus. ETſi componantur ac deſtruãtur, vt Epicarmus faciebat, tum propter idem, quod euenit diuiſioni, nam compoſitio exuperantiam demonſtrat multam: tum quod principium apparet magnorum & cauſa.

Maioragius. *PRaterea componendo & quaſi ſuperſtruendo fit vt maius aliquid videatur; quẽadmodum Epicarmus facere conſueuit nam partim eadem ferè ratione, qua diuiſio, etiam compoſitio, magnam oſtendit exuperantiam, partim quia principium & cauſa rerum magnarum eſſe videtur.*

Non omnino ſuperiori diſſimile ſubijcit bonum, quæ enim ex multis cõponuntur, vt in ædificatione vſu venire ſolet, aut augentur vt humana corpora, ijs bonis maiora ſint neceſſe eſt ex quibus componuntur augentúrque. Ita quidem quod dictum eſt de bono illo quod in plures partes ſecabatur, fatendũ eſt de illo qnod conflatur ex pluribus. Itaque hîc ſanè quoniam Fpicarmi interierunt monumenta, non licet exẽpla proferre ad quæ prouocat Ariſtoteles. tu tamen Maioragij exempla conſulas quæ huc affert multa ex M. Tullio. Tametſi an bono aptiora ſint quod ex multis cõflatur, quàm *Superioribus aſſimile profertur bonũ*
826 ei quod in partes ſecatur, non facilè ſtatuerim. Sed vt vt ſit, illud exẽplo tuto eſſe poſſit, nimirum beatitudo quæ ex bonis tũ animi tum corporis tum fortunæ cõflatur. Verè enim beatitudo maius ſit bonũ. Atque hinc licet animaduertere quî eiuſmodi bonũ exceſſum habeat, & magnorum principiũ & cauſa videatur. Atque hoc quoque bonũ ad confeſſa aut cõtrouerſa pertinebit prout ex confeſſis aut ex controuerſis fuerit cõflatum. quin ſi ex cõfeſſis conſtet, adhuc apud vulgus in controuerſiã reuocari poſſit & ad controuerſa bona detorqueri. Cum enim in diuitijs atque opibus vel in corporis voluptatibus ac delicijs non defuerint qui collocarẽt beatam vitã, aut hæc quaſi ſummum bonum amplectantur, quis non videat propoſitam beatitudinem quæ ex tripartita varietate conſtet inter bona controuerſa, ſaltem ob importuniſſimorum quorundam hominum inſcitiam reuocari poſſe?

PARTICVLA CLXII.

Ἐπεὶ δὲ τὸ χαλεπώτερον καὶ σπανιώτερον μεῖζον, καὶ οἱ καιροὶ καὶ αἱ ἡλικίαι, καὶ οἱ τόποι καὶ οἱ χρόνοι, καὶ αἱ δυνάμεις ποιοῦσι μεγάλα. εἰ γάρ, παρὰ δύναμιν, καὶ παρ᾽ ἡλικίαν, καὶ παρὰ τοὺς ὁμοίους, καὶ εἰ οὕτως, ἢ ἐνταῦθα, ἢ τότε, ἕξει μέγεθος καὶ καλῶν, καὶ ἀγαθῶν, καὶ δικαίων, καὶ τῶν ἐναντίων. ὅθεν καὶ τὸ ἐπίγραμμα τῷ ὀλυμπιονίκῃ. πρόσθεν μὲν ἀμφώμοισιν ἔχων τραχεῖαν ἄσυλαν, ἰχθῦς ἐξ ἄργους εἰς τεγέαν ἔφερον. καὶ ὁ ἰφικράτης αὐτὸν ἐνεκωμίαζε λέγων. ἐξ ὧν ἀπῆρξε ταῦτα.

QVoniam verò difficilius & rarius eſt maius, etiam occaſiones & ætates, & Riccobonus.
loci & tempora, & facultates reddunt magna. Si enim ſupra facultatem &
ſupra ætatem & ſupra ſimiles, etſi ſic vel ibi, vel tunc habebit magnitudinem &
honeſtorum & bonorum & iuſtorum & contrariorum vnde & epigramma in 827
olympionicen; His humeris dura impoſita mihi Vrbe redibam. Ex Agro preſſus
piſcibus ad Tegeam. & Iphicrates ſe ipſum encomio ornauit dicens ex quibus
extiterunt hæc.

QVoniam autem, id quod difficilius eſt, & rarius, habetur maius; accidit vt etiam occaſiones, ætates, loci, tempora, facultates res magnas efficiant. Si quid enim ſupra vires & ſupra ætatem, & ſupra æquales & ſi opportunè, ſi loco, ſi tempore geſtum fuerit, magnitudinem habebit & in rebus honeſtis & in bonis & in iuſtis, atque etiam in contrarijs. Quo ſenſu factum eſt epigramma in victorem illum Olympiorum ludorum; His humeris ante impoſita mihi Vrbe redibam. Ex Agro preſſus piſcibus in Tegeam. Et Iphicrates ſeipſum laudans, ita dicebat; Ex quibus initijs ad hæc perueni. Maiora gius.

Bonum varium proponit prout varia ſunt quæ illud circunſtãt.

EX multis veluti circumſtantijs æſtimat nouum hoc quod proponit
bonum: ac primò ex difficultate: verè enim quod difficilius comparatur bonum, id verò maius eſſe ſolet quàm quod paratur facilè. Deinde quod ſit rarius: nam hoc etiam maius cenſeri ſolet quàm quod obuium ſit. Ad hæc occaſio rem auget redditque maiorẽ. Si enim ægrotanti opportunum adhibeas medicamentum, id verò maius videatur quàm quod minus opportunè, etſi magnum offeratur. Aetas quoque valet ad boni augendam æſtimationem, nam qui prudenter ſe geſſerit adoleſcens, aut ſtrenuè certauerit ſenex, is bonum augeat propter ætatem. Quanquam ἡλικίας non omnino incommodè ad tempora quoque referas quaſi verò plurimum interſit qua ætate aut ſeculo geſtum fuerit aliquid; qua enim ætate ignota erat Antipodum regio, maius fuit eam luſtrare, quàm hoc tempore, quo ad eos acceſſus patet & curſus. Quãquam cum à tempore etiam maioris boni ſtatuendi ducat argumentum, ſatiùs ætatem ad homi-
nem referre, quaſi verò plurimum intereſſe poſſit num vel adoleſcens vel adulta ætate 828
aut virili aut ſenili aliquid geſſerit. Denique ne longum faciam, & locus & tempus & facultas auget bonum. Et vt de loco ac tempore ſileam de quibus partim diximus, partim facilè quiſque exempla rationémque excogitare poſſit ac proferre, facultas hîc vires ſignificare poteſt: quo fieret, vt quò quisque maiore cum virium mediocritate bonum procuraſſet, eò bonum huiuſmodi facinus reputandum eſſet maius. poteſt etiam ingenium ac ſolertiam indicare; nam qui maius ingenium aut maiorem induſtriam ſolertiámque oſtenderit, is maius operi conciliet pondus: tametſi Ariſtoteles facultatem ad vires ſiue corporis ſiue ingenij retulit non obſcurè. Et ideo addit eum qui ſupra facultatem & vires & ætatem, præſertim ſui ordinis, aut illo vel hoc modo, aut in hoc vel illo loco ſeu tempore, honeſta, iuſta, bona effecerit ſeu geſſerit, hunc boni magnitudinem augere. Sed cur ait καὶ τῶν ἐναντίων ſeu contrariorum?

non

non eò ſpectat, mea quidem ſententia vt de maiori malo verba faciat, aut id certa proportione intelligendum velit, ſed quia ille quemadmodum bono ex ætate, loco, tempore & facultate conciliauit pondus, ita idem augeat, ſi ex contrarijs ac duris conditionibus id effecerit. & ideo appoſitè ſubijcit eius qui in Olympicis vicerat Epigramma,

His humeris dura impoſita mihi vrbe redibam
Ex Argo prorſus piſcibus ad Tegeam.

Huc etiam pertinet Iphicratis quod ſubijcit dictum. *Ex quibus initijs ad hæc perueni?* Cum enim ab Athenienſibus Imperator delectus eſſet, memor ſe ex ſutore ortum, id prædicabat, bonum augens quod ex infimo ſtatu eò prouectus eſſet.

PARTICVLA CLXIII.

829 KAὶ τὸ αὐτοφυὲς τοῦ ἐπικτήτου. χαλεπώτερον γάρ. ὅθεν καὶ ὁ ποιητὴς φησιν. αὐτοδίδακτός εἰμι.

Riccobonus. ET natiuum, quàm aſcitum: difficilius enim: vnde & Poëta ait, Sum mihimet doctor.

Maioragius. *ATque id, quod innatum, atque inſitum eſt, aſſumpto & aduentitio maius, quoniam etiam difficilius eſt, vnde Poeta inquit. Ipſe meo didici Marte.*

NAtiuum bonum in maiore exiſtimatione habendum, quàm externum ſiue aduentitium conſtat ſatis, cum ſolidius ſit & magis proprium. Sed cur maius ea de cauſa cenſeatur quod ſit difficilius, difficile eſt explicatu: præſertim verò quia natiuum bonum ſuapte ſponte, ac ne nobis interdum cogitantibus ſe ſe offert ac prodit: aduentitium contra non ſine labore paratur. Sic nobilitas ſponte oritur, honor paratur labore. *Natiuum bonum & quale pro maiore bono habeãtur.* Egregiè tamen hoc explicat Victorius dum ſcribit difficilius dici quia paucis ac propterea rarius ac difficilius a Natura id conceditur. Sic pulchritudinis bonum, licet ſuapte ſpõte inſit alicui, difficilius dicitur, quia non facilè conceditur a Natura. Atque huc pertineret Ariſtotelis exemplum ſeu Phæmij dictum, *Nullum doctorem habui*: illud enim ſibi bonum contigiſſe indicat, quod difficilè cerneretur in alijs vt proprio Marte id eſſent adepti. Ex quo fit vt non inde iudicandum ſit maius quia ſit perfectum & abſolutum, ſed quia a ſe quod perrarum & difficile eſt non ab alio didicerat. Deſumptum verò eſt exemplum ex Odyſſeæ XXII. vbi Phœmius quam canendi artem oſtentaſſet, ſeu quæ caneret propria induſtria paraſſe diceret: hoc enim, quippe rarum difficilè inuenitur, ac propterea magis eſt æſtimandum. Atque hîc ſanè Maioragius dum prolixè docet Naturæ bonum illi anteponendum quod arte paratur & induſtria, non mihi videtur Ariſtoteli canere: nam Phœmius ſua ſe induſtria
830 ea didiciſſe ait quæ caneret. Denique Ariſtoteles tum demum maius cenſet inſitum bonum, cum non facilè a Natura tribuitur, ac propterea rarum ſit ac difficilè concedatur, quia naturaliter potiùs quàm ſtudio paretur.

PARTICVLA CLXIV.

KAὶ τὸ μεγάλου μέγιστον μέρος. οἷον, Περικλῆς τὸν ἐπιτάφιον λέγων, τὴν νεότητα ἐκ τῆς πόλεως ἀνῃρῆσθαι, ὥσπερ καὶ τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ εἰ ἀξαιρεθεῖν.

ET eius quod magnum eſt, maxima pars, vt Pericles funebrem orationem habens, ſi iuuentus ex ciuitate ſublata ſit, perinde eſſe ac ſi ver ex anno ſublatum ſit. *Riccobonus.*

ET rei magnæ maxima pars, vt Pericles, cum funebrem orationem haberet, dixit iuuentutem è ciuitate bello ſublatam, non aliter ac ſi ver ex anno tolleretur. *Maioragius.*

Quæ pars in toto excellit maius bonum ſtatuitur.

QVid ſibi velit Author hoc in loco perſpicitur ex Periclis exemplo qui in oratione quã habuit de ijs qui pro patria cecidiſſent, affirmauit perinde eſſe iuuentutem occubuiſſe, atque Vrbi eſſe ereptam, ac ver ex anno ſublatum eſſe. Significat enim id quod in aliquo toto maius eſt ſeu maioris virtutis & exiſtimationis, id maius bonum cenſeri poſſe. quãuis autem Herodotus hoc dictum tribuit Gelonio Syracuſano; nihil tamen prohibet quominus a Pericle fuerit pronunciatum: præſertim quod non idem ſpectauit vterque cum Gelonius ſuas copias intelligeret quæ ab Athenienſium exercitu remotæ fuerant.

PARTICVLA CLXV.

KAὶ τὰ ἐν χρείᾳ μείζονι χρήσιμα, οἷον τὰ ἐν γήρᾳ καὶ νόσοις.

ET in neceſſitate maiore vtilia vt in ſenectute & morbis. *Riccob.*

ET quæ in grauiori tempore ſunt vtilia vt in ſenectute & in morbo. *Maior.*

Aliud ex ijs quæ circũſtant maius profert bonum.

ID tacitè & vniuerſim indicauerat ſupra dum diceret occaſione quoque aliquid videri maius, tacitè enim ea quoque complexus fuerat quæ ob neceſſitatem magis vtilia videri poſſent. Quod igitur tacitè ac genera- 831
tim indicauit de occaſione, hic apertè ac ſigillatim docet de neceſſitate: quamrem egregiè confirmat exemplo: quæ enim præſidia in maiore afferuntur neceſſitate, aut in morbo aut ſenectute, illa maiora cenſenda ſunt, ſic etiam qui duris temporibus ſuccurrat alteri, maius reddit bonum. Itaque ſapienter Cicero, qui Planci beneficia extollit quod ſibi exuli collata eſſent ac periclitanti.

PARTICVLA CLXVI.

KAὶ δυοῖν τὸ ἐγγύτερον τοῦ τέλους: καὶ τὸ αὐτῷ ἢ ἁπλῶς.

ET ex duobus quod propius accedit ad finem. & quod ipſi quàm quod ſimpliciter. *Riccob.*

Maiora-gius. *ET duobus præpoſitis id quod fini propinquus eſt etiam maius, & quod priuatim alicui prodeſt, maius eſt ipſi quàm quod omnibus abſolutè.*

PLana res eſt quæ de priore affertur bono: dum enim finem expetimus, quidni ex duobus vnde ad finem contendimus, illud ſit maius bonum quo finem attingimus? Quanquam fieri quoque poteſt vt id præſidio ſit nobis finem attingentibus dum leui præſidio indigemus: cum tamē antea maiori indigeremus, ſed res populariter æſtimanda non phyſica ſubtilitate. Ita quidem ad parandas copias militares ſiue commeatum & arma melior erit præſens pecunia quàm Vrbium Regnorúmque dominatus. Neque verò inficias ierim dubitari poſſe interdū num id quod propius ad finem videtur accedere, facilè ab eo recedere quoque poſſit vt ſi quæramus num melior ſit ad victoriam optimus Dux cū inerti aut imbelli milite, aut ſtrenuus miles cum imperito Du- *Noua maioris boni forma dua afferūtur.*
832 ce: ſeu num peditatus verè vtilior ſit quàm equitatus; ſed vbi conſtet vtrum fini propoſito magis conducat obtinendo, id ſine dubio melius cenſendum erit. Iam verò quod pertinet ad bonum alterum id populariter item accipiendum eſt; Nam reuera maius eſt bonum quod communius: communius verò bonum nos etiam attingit ac propterea in maioris bono loco eſſet quàm proprium. Sed tamen quoniam proprium bonū æſtimari vulgo magis ſolet, idcirco in præſentia æſtimatur maius, vt ſi quis frugum abundantiam anteponat propriam publicæ. Quanquam fieri poteſt vt propriū ac priuatum aliquod bonum ſpectet hîc Ariſtoteles quod nō idem planè ſit nobis cōmune cum cæteris. vt ſi quis ieiunium aut laborem anteponat optimis epulis aut quieti quæ cæteris communiter prodeſſe ſolent, quod ſibi interim vtilior ſit labor ac ieiunium conferat magis.

PARTICVLA CLXVII.

KAì τὸ δυνατὸν τοῦ ἀδυνάτου. τὸ μὲν γὰρ αὐτῷ, τὸ δ' οὔ.

Riccobonus. ET id quod fieri poteſt quàm quod non poteſt. Illud enim eſt ipſi bonum: hoc verò nequaquam.

Maioragius. *ET quod fieri poteſt, melius, quàm quod non poteſt, illud enim in ipſo eſt qui liberat, hoc autem non.*

ID quoque populariter accipiendum: nihil enim prohibet quominus id quod fieri poteſt, detrimentum ſit. & ideo quod fieri poteſt, & melius & peius eſſe poteſt quàm quod fieri nequit: ſed eſto id quod fieri poteſt, hîc ex eorū genere ſit quæ nullum afferre poſſint detrimētum, ſed vtilitatem & emolumentum. verùm qui non perperam cum eo quod ſit ἀδύνατον & ex iis quæ fieri nequeunt conferatur aliquid ac peius meliusne iudicatur? Tametſi id quod fieri nequit ex iis eſt in præſens, quæ exiſtūt *Quod fieri poteſt maius eſt bonū & qui.*
833 illa quidem, ſed nobis contingere nequeunt; vt immortalitas corporis, & ſi quid huiuſmodi. Ergo cum ad nos illud attineat quod fieri vt lōginquitas vitæ, hæc nobis melior erit quàm huius vitæ immortalitas quæ, etſi optima per ſe ſit, nobis tamen in hac vita contingere nequit. Ita quidem licet immortalitas beatis mentibus maius ſit bonum quàm diuturna vita, nobis tamen mortalibus melior eſt diuturna vita quàm immortalitas. Eodémque modo melior eſt vitæ tranquillitas quàm beata atque animi periculo vacua expérsque vita: hæc enim etſi præſtat tranquillitati, non eſt huius mortalitatis ſed propria beatorum.

PARTICVLA CLXVIII.

KΑὶ τὰ ἐν τέλει τοῦ βίου. τέλει γὰρ μᾶλλον ἢ τὰ πρὸς τῷ τέλει.

ET quæ ſunt in fine vitæ. fines enim magis quàm quæ ad finem. *Riccobonus.*

ET quæ in ipſo fine vitæ manent, nam magis finis rationem habent, quæ ſunt ipſi fini accommodata atque vicina. *Maioragius.*

Bonum affert quod finē attinget vitæ, & qualis ſit hic finis.

QVi finem vitæ hîc beatam vitam intelligat (id quod citra controuerſiam faciunt interpretes) is commodè forſan ſtatuere poſſit ea eſſe meliora quæ huiuſmodi finis ſunt propria ſiue cum illo coniuncta. Sed quid ſi quis inficietur finem vitæ hîc beatitudinē appellari? Certè ille loquendi modus καὶ τὰ ἐν τέλει τοῦ βίου, *& quæ in fine vitæ*, indicare videtur non quæ conducunt ad beatam vitam, ſeu quæ inſunt beatæ vitæ, ſed quæ in ipſius vitæ extremo reperiuntur. Quare fortaſſe quiſpiam intelligat ea bona quæ mortalibus adhuc ſuperſunt dum vitæ impendet finis, ac ſummatim vitæ finem comitantur: cuiuſmodi ſunt facultates, amici, liberi & propinqui, & ſi quid huiuſmodi, itaut 834
quæ bona reſeruantur adhuc ſenectuti & extremo vitæ, maiora videri iis poſſint quæ anteacto tēpore nos comitantur. Sic ratio Ariſtotelis adamuſſim caderet: nam quemadmodum finis præſtat iis quæ ſunt ad finem, ita quę comitantur finem ad extremum, ſunt cæteris potiora. Quanquam, ne videar a communi ſentētia liberiùs recedere, eſto intelligat ea quæ, non dico proximè ad finem conducunt vt dictitant aliqui (nam quæ in fine ſunt intelligit Ariſtoteles, & ideo ſubdit fines anteponendos iis quæ ſunt ad finem) ſed quæ inſunt beatitudini, vt operatio ſecundum virtutem, honeſta voluptas, virtutes, & ſi quid huiuſmodi. Ita quidem hæc iudicanda eſſent maiora bona quàm cætera quæ ad beatam vitam conducunt.

PARTICVLA CLXIX.

KΑὶ τὰ πρὸς ἀλήθειαν τῶν πρὸς δόξαν. ὅρος δὲ τοῦ πρὸς δόξαν, ὃ λανθάνειν μέλλων, οὐκ ἂν ἕλοιτο. διὸ καὶ τὸ εὖ πάσχειν, τοῦ εὖ ποιεῖν δόξειεν ἂν αἱρετώτερον εἶναι. τὸ μὲν γὰρ κἂν λανθάνῃ, αἱρήσεται. ποιεῖν δ᾽ εὖ λανθάνων, οὐ δοκεῖ ἂν ἑλέσθαι.

ET quæ ſunt ad veritatem, quàm quæ ad opinionem. Terminus autem eius, quod eſt ad opinionem, eſt, ſi laturus eſſet eum non electurum. Quamobrē vt quis beneficio afficiatur, quàm vt afficiat, videtur magis eligendum eſſe. Illud enim etiamſi lateat, eliget vt autem beneficio afficiat, ſi lateat, non videtur eſſe electurus. *Riccobonus.*

ET quæ rei ueritatem ſpectantes, ſumimus anteponenda ſunt iis, quæ ad opinionem. eorum autem, quæ ad opinionem ſpectant, hæc definitio eſt, ut ea ſint quæ nemo aggrederetur ſi illam clam hominibus fore exiſtimaret. Hinc eſt quod quibuſdam accipere beneficium quàm facere præſtantius uideri poſſet: illud enim etiam ſi lateat, expetitur, conferre autem beneficium in alterum ſi lateat, non ſanè uidetur 835
quiſquam expetere. *Maioragius.*

Maius bonū id quoque eſt qđ ſpectat veritatem et de opinione.

QVantum præſtat opinioni veritas tantum ea quæ veritati ſeruiunt, iis antecellunt quæ opinionem gignunt. Sed vtinam liceat rationem explicare qua id confirmat: quæ enim per ſe res explorata eſt, ob rationis qua confirmatur obſcuritatem, inuoluitur vndique. Ergo dum opinionis affert definitionem vnde probandum eſt ea quæ ad opinionem pertinēt maiora eſſe bona quàm quæ ad veritatem, atque ait in eo eſſe poſitam vt quis non eligat quæ latitura eſſe iudicauerit, præterit primùm propriam ac

germanam

germanam opinionis definitionẽ quæ eſt cognitio cum formidine ac citra aſſenſum, ſiue iudicium incertum ac perſuaſio quædam: hæc enim cũ opinione reciprocantur. Ex quo fit cum vi opinio non modò pertineat ad ea quæ actione, verùm etiam quæ cõtemplatione continentur, id totum diſſimulet. Quorſum igitur opinionem ad ſolam actionem contrahere, & ijs terminare quę nemo eligeret ſi laterent? Sanè abſtruſa omnino & aliena videri poteſt huiuſmodi opinionis definitio, ſiue deſcriptio. Sed tamen ſi Ariſtotelis conſilium exploretur attentiùs percommodè cõponi poteſt res vniuerſa. Ac primùm ſtatuit ea quæ ad veritatem ſpectant, hoc eſt ſolida bona, ijs eſſe anteponẽda quæ pertinent ad hominum opinionem, hoc eſt ijs quæ non tam ſunt vera & ſolida bona, quam in hominum opinione collocata: quod ſanè per ſe longè plauſibile videri poteſt. Nam ſanitatem verbi gratia magis eligas quàm ſanum videri: ſiquidem valetudinem, non ad hominum opinionem expetimus ſed verè. Hoc igitur ſit primum. Alterum eſt mortales ſæpè errore abduci, opinionem hominum ac plauſum adamantes: ita fit vt non raro quis doctus vel ſtrenuus videri malit quàm eſſe. Ex quo fit vt quo tẽpore futurum exiſtimet vt hæc lateant, ea facilè negligat nec doctus fieri laboret aut ſtrenuus & huc pertinet propoſita opinionis definitio, quę pro ſubiecta materia eſt accipienda: ſi tamen definitio cenſenda eſt. ipſe enim Maioragij aliorúmque pace, crediderim ὅρος hoc in loco ſignificare normam ſeu regulam ad cuius præſcriptum aliqui
836 bonum expetunt, ad hominum opinionem ſeſe temperantes componentésque totos. Sed quicquid ſit, terminus iſte eo nomine introducitur vt intelligamus aliquos ad hominum opinionem ſectari bonum & laudem. Quid enim eſt vt animum ad doctrinas, aut corpus ad robur atque conſtantiam exerceamus, dicant aliqui cum hęc lateant, nec laudem nobis afferant vllam? Sic ſanè duo éaque cõtraria habemus hîc bonorum genera ad veritatem vnum, ad opinionem alterum ſpectans. Tametſi non ita ſunt contraria vt nequeant in eodem homine reſidere paſſim. Quandoquidem facilè cõtingat vt qui valetudinem optimam appetat ac veram nobilitatem tutáſque diuitias, is temperantiam, pietatem, fortitudinem atque conſtantiam ad aliorum oculũ opinionémque ſectetur & expetat, ac propterea in ijs exerceri negligat, cum animaduerterit fore vt huiuſmodi virtutes ac bona aliorum oculos lateant, ac laudem & plauſum pariant nullum. & hoc eſt quod eleganter ſubijcit Ariſtoteles, dum ait hinc fieri vt quibuſdam arrideat beneficium accipere potiùs quàm facere quod ſanè ad primam boni formam eſt referendum, quaſi verò beneficium acceptum ſolido reſpondeat bono ac veritatem ſpectet. Contra verò beneficium conferre (atque id pertinebit ad alterum) pertineat ad opinionem, ac proinde mortales ſi lateat, beneficium conferre nolint. Atque id ſanè ad vulgi exiſtimationem exprimitur: cum alioquin & beatius ſit beneficium conferre, & verò id plauſus gratia efficere, minùs perfectum.

PARTICVLA CLXX.

ΚΑὶ ὅσα εἶναι μᾶλλον ἢ δοκεῖν βούλονται: πρός ἀλήθειαν γάρ μᾶλλον. διὸ καὶ τὴν δικαιοσύνην φασὶ μικρὸν εἶναι, ὅτι δοκεῖν ἢ εἶναι αἱρετώτερον, τὸ δὲ ὑγιαίνειν, οὔ.

Riccobonus. ET quæcunque eſſe magis quàm videri volunt: ad veritatem enim ſunt magis. Quamobrem & Iuſtitiam aiunt rem paruam eſſe, quia vt quis videatur quàm vt ſit, magis eligendum eſt. De ſanitate verò nequaquam.

Maioragius. *ET quicquid magis optant homines; quàm videri maius eſt; nam ad veritatem magis accedit: ideo ſunt qui dicant Iuſtitiam tenuem puſillámque rem eſſe, quoniam præſtat iuſtum videri, quam eſſe, ſed bene valere non item.*

Docuit

Quale ſit bonũ quod nobis adeſſe potius volumus, quã videri.

DOcuit meliora eſſe quæ ad veritatem quàm quæ ad opinionem accommodantur. Sed quid ſi quis quærat de ijs quæ non ſimpliciter ſpectent veritatem, ſed tamen eam magis ſpectent quàm opinionem? Ait igitur in hoc etiã ea eſſe in maioris boni loco habenda quæ magis ſpectant veritatem; ita ut ea ſint expetenda quæ multo magis ſolida bona ſunt quàm opinione hominum conſtituta. Id quod Iuſtitiæ & ſanitatis confirmare videtur exemplo: nam ait Iuſtitiam apud aliquos rem paruam eſſe quia vt quis videatur iuſtus, eligendum magis videatur quàm iuſtum eſſe: contra verò eligi magis valetudinem quàm ſanum videri. Quæ ſanè exempla videntur afferri ad ea declaranda quæ in ſuperiore particula de vno atque altero bono dicta ſunt; nõ autem ad ea quæ ſtatuuntur in præſenti. Tametſi vbi ſanitatis exemplum, quod poſtremo loco affertur, ijs applices quæ vtrobique de bono ſtatuuntur quod pertinet ad veritatẽ, exemplum verò iuſtitiæ ijs quæ pertinent ad opinionem, optimè cum dictis conſentient. Itaque dum ſcribit Maioragius nunc Ariſtotelem ex dictis deducere id eſſe maius quod homines magis optant eſſe, rectè quidem: ſed dum mox ſubdit, hoc tamen ex opinione vulgi atque improborum hominum dicitur, id verò minùs rectè. quod ſi Iuſtitiæ exemplum haud cohærere videatur cum decreto cui ſubiungitur, animaduertendum eſt Ariſtotelem perinde diſputare ac ſi diceret euenire quidem vt aliqui Iuſtitiam puſillum quiddam eſſe affirment ac præſtare iuſtum videri quàm eſſe, ſed tamen reuera melius eſſe quàm videri iuſtum, quemadmodum ſanum eſſe melius quàm videri. Et hoc indicant ea verba *de ſanitate verò nequaquam*: quaſi dicat eſto in quibuſdam bonum ex opinione ſpectetur & expetatur, nam in ſanitate & ijs quæ homines ſibi ineſſe cupiunt accidit contrario. 838

PARTICVLA CLXXI.

KAì τὸ πρὸς πολλὰ χρησιμώτερον, οἷον, τὸ πρὸς τὸ ζῆν, ϗ εὖ ζῆν, ϗ τὴν ἡδονὴν, ϗ τὸ πράττειν τὰ καλὰ· διὸ ϗ ὁ πλοῦτος, ϗ ἡ ὑγίεια, μέγιστα δοκεῖ εἶναι· ἅπαντα γὰρ ἔχει ταῦτα.

ET ad multa vtilius, vt ad vitam & bonam vitam & voluptatem & adminiſtrationem honeſtorum. Quamobrem & diuitiæ & ſanitas res maximæ videntur eſſe. Omnia enim hæc ipſæ habent. *Riccobonus.*

ET quod ad multas res eſt vtilius vt ad viuendum & ad res honeſtas conficiendas; quamobrem diuitiæ & bona valetudo maxima eſſe bona videntur, quoniam omnes has commoditates in ſe habent. *Maioragius.*

Quod multas habet vtilitates, id quoque inter maiora bona numerãdum.

PLana ſententia. ſatis enim conſtat id eſſe in maioris boni loco habendũ quod ad multa conducit quàm quod ad pauca. Quare quod ad vitam tuendam confert, ad voluptatem ad honeſtatem & ad benè beatéque viuendum, ſine dubio ijs præſtat quæ ad pauciora ſunt vtilia. Ex quo fit vt & valetudo & diuitiæ & virrutes maxima videri debeant bona, cum ad plurima conducere ſoleant. Hic verò dum ſuum decretum confirmat diuitiarum & ſanitatis exemplo, ſpectare videtur illud Oraculi quod a Platone refertur dum valetudo primùm celebratur, tum diuitiæ honeſto labore comparatæ. Sed quicquid ſit, popularis eſt opinio & ad vulgarem ſenſum accommodata: vt non mirum ſi maxima dicat videri, eſſe verò non affirmet. 839

PARTICVLA CLXXII.

KAì τὸ ἀλυπότερον, ϗ τὸ μεθ' ἡδονῆς. πλείω γὰρ ἑνός. ὥστε ὑπάρχειν ϗ ἡ ἡδονὴ ἀγαθὸν, καὶ ἡ ἀλυπία.

Et

Riccobonus. ET minùs moleſtum & quod eſt cum voluptate. Plura enim ſunt vno. Quare eſt etiam voluptas bonum & indolentia.

Maioragius. *ET quod minus habet moleſtiæ & quod voluptati eſt coniunctum. Nam plura ſunt vno. Quare eſt etiam voluptas bonum, & indolentia.*

ID quoque perſpicuum videri poteſt: quod enim & dolore vacat omni & voluptatem affert, maius eſt bonum quàm quod dolore caret tantùm, ac ſummatim indolentiam non continet ac voluptatem. Atque id ſanè quod ſigillatim ſcribit de indolentia & voluptate cõmodè transferri poteſt ad cætera bona, ita ut id in quo duo aut plura coaleſcunt bona, ijs ſit anteponendum in quibus pauciora vel vnum tantùm reperiatur. Dum verò doloris vacuitatem ſiue indolentiam a voluptate diſtinguit Ariſtoteles, planiorem ſententiam ſequitur ac probabiliorem. Nam alioquin non deſunt qui voluptatem collocent in doloris vacuitate, atque hinc beatam quoque vitam comminiſcantur. *Quod minus habet moleſtia,ſed quoque maius eſt bonũ, præſertim ſi habet voluptatem.*

PARTICVLA CLXXIII.

ΚΑὶ δυοῖν ὃ τῷ αὐτῷ προστιθέμενον, μεῖζον τὸ ὅλον ποιεῖν.

Riccobonus. ET ex duobus quod eidem adiunctum maius totum efficit.

Maioragius. *ET duobus propoſitis, id quod eidem rei adiunctum, efficit vt totum maius ſit, magis expetendum.*

340 SI duo ſe ſe offerant bona quæ ſingula alicui addi poſſint & copulari, illud maius eſſe deprehendas vnde maius efficitur id cui adiungitur. quapropter ſi quis dubitet num fortitudo verbi cauſa an Iuſtitia maius ſit bonum, inde intelliget quæ ſit potior uirtus, ſi in bono Principe illas ſpectet in quo útraque requiri ſolet. Et quanquam fortaſſe contingat vt quod vni maius afferat incrementum, alteri afferat minus (quid enim prohibet quin Principi dum totus ad victoriam aſpirat, magis conducat fortitudo, etſi alioquin Iuſtitia vniuerſim in Principe maius ſit bonum?) veruntamen propoſita regula plerunque appareat vera cuicunque addatur ac ferè in vniuerſum. *Quod maius id redditur cui adiũgitur maius eſt bonũ & quomodo.*

PARTICVLA CLXXIV.

ΚΑὶ ἃ μὴ λανθάνει παρόντα ἢ ἃ λανθάνει. πρὸς ἀλήθειαν γάρ τινα ταῦτα. διὸ τὸ πλουτεῖν φανείη ἂν μεῖζον ἀγαθὸν τοῦ δοκεῖν.

Riccobonus. ET quæ non latent præſentia quàm quæ latent: ad veritatem enim hæc ſunt. Quamobrem diuitem eſſe apparebit maius bonum quàm videri.

Maioragius. *ET quæ cum præſentia ſunt, clam eſſe non poſſunt, maiora ſunt, quàm quæ latent, quoniam ad veritatem magis accedunt; itaque locupletem eſſe maius bonum videri poteſt, quàm exiſtimari.*

Facilè

Digitized by Google

Quæ nō latent bona ſunt maiora, & cur.

FAcilè contingere poſſit vt quæ non latent bona, iis maiora videantur quæ latent ac deliteſcūt: quæ enim ſit boni ſpecies aut æſtimatio quod abditum ſit & in obſcuro verſetur? Quapropter honor vnde homo in hac luce cum dignitate verſatur, maius bonum erit quàm abditus theſaurus. Quod ſi obijcias multa proferri poſſe bona quæ etſi deliteſcant, multis bonis præſtent quæ in aperto verſantur (quis enim neſciat pietatem ac patriæ charitatem aliáque virtutes multas etſi condantur animo, nobilitati diuitiíſque præſtare, quantumuis hæ ſplendeant vis) & ſaltem nomine maiora erunt quòd in aperto ſunt & ſuam exerunt vim ac pulchritudinem. Et idcirco ſubdere videtur Ariſtoteles, *ad veritatem enim hæc ſunt:* quaſi diceret tale illis momentum addere præſentiam dum in aperto verſantur, vt iis quoque præſtent, quæ tametſi 841
per ſe eximia lateant, & in obſcuro verſentur. Ita fieret vt populariter ſaltem eſſent maiora. Quanquam quoniam hæc boni forma iam antea videtur fermè explicata, & exemplum inſuper quod ab Ariſtotele profertur, dum ait, *Quamobrem diuitem eſſe apparebit maius bonum quàm videri*. cum decreto non cohæret, nec latentis boni rationem habet, idcirco libenter eos audirem ac ſequerer qui hunc locum paulò aliter legunt, & diuitem & eſſe & videri maius bonum eſſe affirmant quàm eſſe tantùm: quo fieret vt doceret maius eſſe bonum videri ſimul & eſſe, quàm eſſe ac latêre. Illud tamen obſtat quod decreti verba talem ſententiam ægrè ſuſtinent, quin repugnare videntur. Quod ſi dicas hîc duo conferri bona quorum vnum per ſe latêre nequeat, cuiuſmodi eſt gloria atque honor, alterum latêre poſſit vt diuitiæ (ſic enim Maioragius, qui priori bono tribuit principatum) iam exemplum rurſus diſſentiet a decreto cum latentis boni nullum in exemplo appareat veſtigium. Vt propterea locus facilè ſit deprauatus. Certè exemplum cum decreto vix ac ne vix quidem conſentit vndique. Niſi tamen dicas præſentia bona quæ lateant poſtponi præſentibus bonis quæ non lateant: & ideo rectè ſubijceret, ad veritatem enim hæc ſunt. Quod ſi addit, quamobrem diuitem eſſe apparebit maius bonum *τὸ δοκεῖν, quàm videri*, hæc verba *quàm videri*, quoniam illis opponuntur *diuitem eſſe*, ſignificabunt quoquo modo latêre, quaſi videri, abſit ab eſſe perſpicuum & patêre.

PARTICVLA CLXXV.

ΚΑὶ τὸ ἀγαπητόν. καὶ τοῖς μὲν, μόνον: τοῖς δὲ μετ᾽ ἄλλων. διὸ καὶ οὐκ ἴση ζημία 842
αἴτις τὸν ἑτερόφθαλμον τυφλώσῃ, καὶ τὸν δύο ἔχοντα. ἀγαπητὸν γὰρ ἀφῄρηται. ἐκ τίνων μὲν οὖν δεῖ τὰς πίστεις φέρειν, ἐν τῷ προτρέπειν καὶ ἀποτρέπειν σχεδὸν εἴρηται.

Riccobonus.

ET quod amandum eſt & aliquibus quidem ſolum: aliquibus verò cũ alijs. Itaque nō æqualis pęna eſt, ſi quis altero oculo vtentem cęcauerit, & duos habentem: quod enim amandum eſt, ſublatum eſt. Ac ex quibus quidem oporteat fidem afferre, tum ſuadendo, tum diſſuadendo fermè dictum eſt.

Maioragius.

ET quod amabile & cautum eſt, his quidem ſolum: illis autem cum alijs bonis coniunctum. quare non æqualis pœna legibus eſt conſtituta, ſi quis altero captum oculo cæcauerit, & ſi quis duos oculos habenti alterum effoderit. nam illi id ereptum eſt, quod maximè carum erat. Iam igitur vnde ſumenda ſint argumenta & in ſuadendo & in diſſuadendo ferè dictum eſt.

Quod carius eſt & amabilius inter maiora bona numerādum.

HAud dubiè quod carius & amabilius eſt inter maiora bona numerandum: quare filij verbi gratia cum amabiles & cari eſſe ſoleant & quàm amici cariores, in maioris boni loco habendi ſunt: idem dixerim de ſenſu oculi: hic enim, quippe cæteris amabilior & carior, præcipuum obtinet boni locum inter ſenſus omnes. Hoc tamen ſubdit Ariſtoteles, cum ſeorſim tum cum alijs bonis reperiri poteſt: ſeorſim vt cum quis vnicum habeat filium aut

vnicum

vnicum oculum: coniunctim cum liberis mult.s aut vtroque oculo gaudeat. Et hinc eſt (addit Ariſtoteles) vt non æqualis pœna ijs ſit impoſita, qui altero oculo cæcauerit duos habentem, aut luſcum orbauerit quique vnico gaudeat oculo cui propterea hic ſit amabilior & carior. Et ſanè ei qui luſcum cæcauerit multò maior debetur pœna. Itaque Iulianus Iureconſultus ſcribit Aquilia lege teneri illum qui eluſcauerit diſcipulum quod eſt non communi pœna ſed maiore. Quapropter Locrenſis illius lex
843 laudatur apud Demoſthenem in Oratione contra Timocratem qui ambôs illi oculos eruendos ſtatuiſſet, qui luſcum excęcaſſet.

Atque hæc f[illegible]mè ſunt (inquit Ariſtoteles) maiorum bonorum formæ ex quibus tum ſuaſio tum diſſuaſio petenda ſit. Vbi diligenter eſt animaduertendum maiora bona ſic efferri & illuſtrari ab Ariſtotele quæque valent ad ſuaſionem, vt minora attentiùs intuenti obtulerit ex quibus petenda eſt diſſuaſio. Et quanquam ſeptuaginta fermè maiorum bonorum genera protulerit, totidémque minorum, adhuc tamen alia ſupereſſe indicat: nam ait ea fermè eſſe, ſei. σχεδὸν εἴρηται, fermè dictum eſſe, quaſi verò aliæ quoque formæ occurrere ac proferri poſſint. In lucro tamen ponendum eſt quòd nõ facilè ſe ſe in conſpectũ dederint Ariſtoteli, aut ſi ſe dederint, eas tacitus prætererit: ſi quidem tam multas formas attulit, tantopere etiam illas variauit, vt ſatietatem interpreti, ne dicam faſtidium, creauerit maximam: præſertim verò quia pleræque formæ tanta breuitate & obſcuritate exarantur (vbique enim ingenij acumen exerit, vbique eſt Ariſtoteles) vt plus laboris exegerint quàm ſi copioſa & vberiore diſputatione texerentur.

CAPVT VIII.

PARTICVLA CLXXVI.

ΜΕγιστον δὲ καὶ κυριώτατον ἁπάντων πρὸς τὸ δύνασθαι πείθειν καὶ καλῶς συμβουλεύειν τὰς πολιτείας ἁπάσας λάβειν, καὶ τὰ ἑκάστης ἤθη καὶ νόμιμα καὶ συμφέροντα διελεῖν. πείθονται γὰρ ἅπαντες τῷ συμφέροντι. συμφέρει δὲ τὸ σῶζον τὴν πολιτείαν.

Riccobonus.
844 MAximum autem & potentiſſimum omnium eſt, vt poſſimus perſuadere, & egregiè deliberare, Reſpublicas omnes aſſumere & vniuſcuiuſque mores & inſtituta, ac vtilia diſtinguere. Perſuadetur enim apud omnes eo, quod vtile eſt. Vtile verò eſt quod ciuitatem conſeruat.

Maioragius.
MAximum autem & potentiſſimum omnium ad perſuadendi facultatem, & bene cõſulendum id eſt, ſi quis Reſpublicas omnes cognitas habeat, & vniuſcuiuſque mores, inſtituta atque vtilitates intelligat: omnes enim vtilitate mouentur. illud autem vtile eſt quod ciuitatis ſtatum conſeruat.

Varias Politiæ formas agnoſcendas, & cur.

OPportunè quidem varias Politias, ſiue ciuitatum gubernationes explorandas ſibi proponit atque earundem mores & inſtituta. Qui enim interim ea explorauerit quæ in ijs vtilia ſunt aut detrimentoſa, is tum rectiùs deliberet, tum faciliùs ſuadeat aut diſſuadeat, cum vtilitatem aut detrimentum inſpexerit & auditoribus commonſtrauerit. At enim quod tandem aut quale appellas vtile vnde commodè ſuadeamus? Id ſanè vnde conſeruetur ciuitas. Quapropter id maximè explorandum vnde ciuitas cõſeruatur incolumis. Iure autem eiuſmodi cognitionem maximam & potentiſſimam reputat in genere deliberatiuo. cum enim non quicquid vni conducit vrbi aut Politiæ, ſemper & æque conducat alteri; profectò non ſatis eſt noſſe quæ in vniuerſùm conducunt,

ducunt, aut varias illas rerum bonarum formas quas longo ordine percenſuit, neque rurſus in vniuerſùm noſſe maius aut minus bonum & vtile, ſed bonum & maius bonum pro Reipublicæ cui conſulas ſtatu: quod tum demum commodiùs agnoſcas cum ſigillatim eius mores & inſtituta perceperis.

Politiæ finis qualis germanus. Acutè verò hæc ad ſalutem ciuitatis & conſeruationem ſignificat dirigenda quia reuera bona gubernatio conſeruationem in primis ſpectare debet vnde Iuſtitia & pax vigere ac proinde ciuilis beatitudo exiſtere ſolet, non verò dominatus amplificationē in primis quam Reſpublicæ aliquæ ſibi maximè proponebant: id enim non modò ambitioſum eſt, verùm etiam periculoſum & detrimentoſum euadit ſæpè, & cum publico bono, quod ſpectandum eſt, ac beata vita ægrè conſentit vnquam. At enim ſit 845
Dubitatur. iſtud, verùm ſic nos interim in deliberatiuo genere inſtituit Ariſtoteles, vt publicè nos inſtituat, non verò priuatim: cum tamen ſæpiſſimè priuatim aliquid agendum
Reſpondetur. ac ſuadendum diſſuadendúmue ſit. Sed profectò certa ratione ac propoſitione a publica ad priuatam ſuaſionem deriuanda ſunt ea quæ præcipiuntur. Etſi enim Orator eſt tanquam Aſſecla politici viri, qui Reipublicæ præſit regendæ, ac publicum in primis bonum ſpectare debet, veruntamen priuatim quoque incidit ſuadendi occaſio & locus. Itaque cum priuatim agat exploranda illi ſunt quæ bona & vtilia aut magis bona & vtilia ſint iis quibúſcum priuatim agit; nam aliud verbi gratia conducat agricolæ, aliud mercatori, aliud militi; ita ut cuique adhibendæ ſint probationes pro ſtatu & animi ſententia, & pro eorum propenſione eloquentiæ faces admouendæ. Interim
Quid intelligendū Politia nomine. præſtat animaduertere Politiam hîc ab Ariſtotele propriè ſumi pro ciuitatis ſcilicet adminiſtratione in vniuerſùm, quæ deinde in eas formas diſtinguitur quas in proxima particula in medium afferret. Id quod monuiſſe volui quia alibi ſæpè Politiæ nomen, non in vniuerſùm ac propriè omnino vſurpat, ſed pro certa quadam gubernationis forma, quæ ex tota vel maiore (de hoc enim alibi) ciuium vniuerſitate pendet, quam nos Rempublicam appellamus, quámque Græci ipſi interdum Democratiam quod eſt populi dominatum (populum tamen pro tota ciuium vniuerſitate accipientes) nuncupant. Ex quo fit vt commodiùs nos Reipublicæ nomine hanc gubernationis formam appellemus ambiguitatem vitantes omnem. Iam igitur faciendum eſt vt
Ad varias Politiæ formas deſcendendum. quæ ſigillatim bona ſunt & vtilia aut magis bona & magis vtilia ſingulis Politiis, ideſt ſingulis ciuilis gubernationis formis ac ſpeciebus exploremus diligenter: quod tamen haud fieri queat niſi iſtiuſmodi Politias agnoſcamus priùs, ac mores & inſtituta teneamus. Et huc iam ſe ſe conuertet Ariſtoteles. Quanquam quî ſe conuertat iam 846
iam videbimus.

PARTICVLA CLXXVII.

Ἔτι δὲ κυρία μένει ἡ τοῦ κρινοῦ ἀπόφασις. τὰ δὲ κύρια διῄρηται κατὰ τὰς πολιτείας ὅσαι γὰρ αἱ πολιτεῖαι τοσαῦτα. καὶ τὰ κυρίά ἐστιν. εἰσὶ δὲ πολιτεῖαι τέσσαρες δημοκρατία, ὀλιγαρχία, ἀριστοκρατία, μοναρχία ὥστε τὸ μὲν κύριον καὶ τὸ κρῖνον, τούτων τι ἂν εἴη μόριον ἢ ὅλον τούτων.

Riccobonus. PRæterea dominatus eſt, domini enunciatio. Ac dominatus & Reſpublica diſtincti ſunt. Quot enim Reſpublicæ tot etiam dominatus ſunt. Atqui Reſpublicæ ſunt quatuor. Democratia, Oligarchia, Ariſtocratia, Monarchia. Quare dominatus & id, quod iudicat, harum erit particula, aut totum harum.

Maioragius. *PRæterea decretum id firmum eſt, quod ab illo ordine factum fuerit, in cuius poteſtate omnia conſtituta ſunt: ſumma verò poteſtates ſecundum Rerumpublicarum ſtatus diſtributa ſunt; quot enim Rerumpublicarum genera ſunt, totidem etiam ſunt ſumma poteſtates. ſunt autem Rerumpublicarum genera quatuor; Democratia, Oligarchia, Ariſtocratia, Monarchia. ita ſumma poteſtas quæ de rebus iudicet, aut eſt eorum generum aliqua pars aut totum.*

Spinoſus

Dubitatur de huius loci Oeconomia ſenſim que dilucidatur.

Duæ atque illæ graues ſe offerunt dubitationes.

SPinoſus profectò atque obſcurus ſe ſe offert locus. Etſi enim in pro-
greſſu licet intelligere publicas gubernationis formas & dominatus
inueſtigari, vt de iis conſtaret quorum mores & inſtituta agnoſcenda
eſſe monuerat, atque hinc fieri vt quatuor Politias ac dominatus fór-
mas in medium proferat, duo tamen interim ſe ſe obijciunt ſcopuli.
vnus eſt quia eo tenore verborum rem orditur, vt non ad rem propo-
ſitam declarandam aut inueſtigandam progredi, ſed nouam conquiſitionem ſeu rem
explicandam proponere videatur: id enim ſuadent ea verba quibus ad rem aggreditur
847 *Ἔτι δὲ κυρία μέν ἐστιν ἡ τοῦ κυρίου ἀπόφανσις*, quæ, vt interim verbum verbo reddam; valent,
Præterea verò dominatus quidem eſt domini aſſeueratio. Alter verò ſcopulus ille eſt, quia ne I.
illud quidem facilè intelligere licet, quæ ſit horum verborum vis atque ſententia; ita II.
ut quot interpretes conſulas, tot eæque diſſidentes ſententiæ offerri videantur. Ita-
que (vt huius rei ſpecimen tibi extet aliquod) Maioragius ſic vertit, *Præterea decretum
id firmum eſt quod ab illo ordine factum fuerit, in cuius poteſtate omnia conſtituta ſunt*, vbi vix
agnoſcas Græcorum verborum vmbram. Quin ſi a veteri huius loci Interprete orſus
ad recentiores vſque deuenias, ac ſingulos attentè conſulas, facilè magis ac magis hæ-
reas ſemper & impliceris. Ita fit vt Victorij ſententia etſi eam ſequatur Maioragius,
mihi quidem vehementer ſuſpecta ſit. Ait enim quandoque ſtatui nonnulla a quo-
piam quæ non ſatis certa ſint, & parum habeant authoritatis: ac propterea docere
Ariſtotelem inueſtigare oportere a qua parte Reipublicæ latum ſit decretum quod
latum ac firmum ſit. Sed profectò non video qua ratione id ex verbis iſtis colligam,
nec vbi Ariſtoteles id explicet aut concludat in progreſſu. Et ſanè, quanquam Reipu-
blicæ inſtituta aut etiam decreta noſſe conducat ſuadenti, ac propterea non ab re ſit
noſſe quæ rata ac firma, cenſenda ſint (ſi tamen non omnia rata ſint ac firma) verun-
tamen vel quia Ariſtoteles interim ſumit inſtituta & decreta Reipublicæ rata eſſe ac
firma, aut ſaltem alia firma alia infirma eſſe non indicat, vel quia Græca verba (id quod
caput eſt) non id præſeferunt, hærere adhuc cogor: præſertim vero quia Orator ve-
848 riſimilia ſectatur: quaéque probabilitatis referunt ſpeciem; ita ut non eius interſit
ſubtiliter inueſtigare quæ inſtituta atque decreta omnino rata ſint ac firma, ſed hoc
totum ad Politicum pertinet ac Legislatorem, quique leges & inſtituta perpoliat ac
renouet. Quo exemplo paulò poſt iubet Ariſtoteles vt Orator finem quoque noue-
rit ſingulis propoſitum Politiæ: vbi finem in vniuerſùm illi agnoſcendum ſtatuit, vt
autem verum ac germanum a falſo & ſpurio diligenter diſtinguat, id verò ne indicat
quidem: id enim Politicæ eſt ſubtiliùs animaduertere. Ariſtoteles igitur (quantum *Diluũtur, ac dilucidatur locus.*
quidem ipſe ſuſpicor) vt commodiùs Reipublicæ & gubernationis formas quas aſſu-
mendas dixit ſeu percipiendas, commonſtraret, illud interpoſuit, dominatum nihil
eſſe aliud quàm dominantis præceptum ſeu decretum: in domini enim decretis ac
iuſſis videtur poſita vniuerſim dominatus vis ac natura: ita quidem dominatus no-
tione poſita, vnde Politiæ genus conſtituitur, continenter ad formas ſeu ſpecies pro-
greditur, ſingularum differentias, vnde formæ ſingulæ conſtituuntur, & ex toto ge-
nere, differentijs ſuperadditis, veluti decerpuntur proferens. Cum enim dominatus
(*κυρίαν* enim id valere ex optimis Authoribus conſtat ſatis, ita ut *ἡ κυρία* & *τὸ κύριον*
reciprocentur) propriè ſit dominatus decretum, in quo vt diximus domini volun-
tas ac dominij vis ſita eſt & collocata, fit ſanè vt *τὰ κύρια*, dominatus inquam ipſi, di-
ſtinguantur ſecundum Politias, hoc eſt pro varietate gubernationum vnde variantur.
Ita illud conſequitur, vt quot ſunt Politiæ tot ſint dominatus: Politiæ verò ſunt qua-
tuor, videlicet Democratia, Oligarchia, Ariſtocratia, Monarchia, ac propterea qua-
tuor dominatus formæ ſtatuendæ ſunt. Atque hinc fit (ſubdit Ariſtoteles) vt domi-
nans aut qui iudicat decernitque ſit aliqua horum pars vel totum horum; quod eſt *CONTROVERSIA LI.*
vel ſit pars eius dominatus, vt contingit in Democratia & Ariſtocratia, in qua per vi-
849 ces ſuccedunt dominantes vel totum vt contingit in Monarchia: nam Oligarchia ad *NVM ea probãda ſint quæ in propoſita particula cõtinẽtur.*
vtranque partem inclinare poteſt. Hæc mea quidem ſententia, eſt huiuſce particu-
læ doctrina. Cui tamen etiam atque etiam dilucidandæ atque confirmandæ nonnul-
la addere lubet, atque adeò talem controuerſiam examinare. NVM ea probanda ſint
quæ in hac particula ſcribit Ariſtoteles. Ac primùm cur obſecro Ariſtoteles in vna *Dubitatur*
eadémque ſententia ſynonimis præter morem vtitur, vnde ambiguitas tam facilè

I. oriri ſolet? cum enim dixiſſet κυρία eſt domini enunciatio, τὰ δὲ κύρια (pergebat) di-
ſtinguuntur ſecundùm Politias. vbi cum κυρίαν quam in vniuerſum deſcripſerat, reti-
nere debuiſſet, atque in ſuas formas continenter diſtinguere, τὰ κύρια non τὴν κυρίαν
II. diſtinguit, nouum nomen proferens ac ſynonimon vſurpans. Iam verò cum hic om-
nes Politiæ formæ ſic exprimantur, vt alia nulla fingi aut excogitari poſſit, cur quæſo
interim ab explanatoribus populariter diſſerere dicitur Ariſtoteles? Profectò cum do-
minatui præſit & gubernationi vel vnus vnde Monarchia, vel omnes vnde Democra-
tia, vel multi vnde Ariſtocratia, vel pauci vnde Oligarchia, neceſſe eſt vt hæ planè nec
plures aut pauciores, ſint Politiæ formæ, ita ut non minùs verè, propriè & commodè
III. Politiæ formas enumerauerit, quàm (quod iſti dictant hoc in loco) populariter. Ad
hæc certum eſt in moralibus Oligarchiam inter vitioſas adminiſtrationes numerari,
atque Ariſtocratiæ tanquam bonæ opponi (atque hinc facilè accidit vt iſti quadri-
partitam diuiſionem iſtam popularem appellent) eodémque modo Democratiam;
quippe malam opponi Politiæ; cur non igitur Ariſtoteles hoc in loco aberrat longiùs?
Nam ſi tam bonas quàm improbras gubernationis formas afferre ſtatuerat, Tyran-
nidem quoque afferre debuit quæ opponitur Monarchiæ aut certè Regno, & Poli-
tiam quæ opponitur Democratiæ; quo fieret vt ſex non quatuor formæ proferendæ
eſſent. Denique ſi bonas quærebat, tres tantùm: ſi malas etiam ſex recenſendæ erant. 850

EXPLICATVR ac magna ex parte diruitur cõtrouerſia.

Hæc contra Ariſtotelem in propoſita particula. In qua tamen crediderim pleraque
poſſe dilui atque Ariſtotelis doctrinam retineri. Ac primùm quidem acutè, ni ma-
gnopere quidem fallor κυρίαν in κύριον conuertit. Etenim τὸ κύριον vſitatius quidem
illud erat ac notius: ſed tamen in præſens minùs commodè generi inde conſtituen-
do erat idoneum: contra verò κύρια aptiſſima: nam ex quatuor illis formis duæ ἀρχία
referebant, duæ κρατίαν, quæ omnes ad κυρίαν mirifica generis & formæ atque adeò
literarum conſenſione ad genus exprimendum reuocantur, quem ſanè vſum minùs
præſtabat κύριον. Ita quidem acutè per κυρίαν & commodè genus expreſſit: etſi ſta-
tim κύριον, quippe vſitatius nomen, vſurpandum cenſuit, & pro κυρία & genere ter-
rendum, vt ne tritum vocabulum defugiens, ingereret ſcrupulum.

Iam verò quod pertinet ad quadripartitam illam diuiſionem, rectè præcipere vi-
detur Ariſtoteles: idque tum quia reuera quilibet Dominatus vnde æſtimantur Poli-
tiæ formæ aut vnius aut omnium, aut multorum aut paucorum eſt, tum quia
(quantumuis peripateticis non omnes probentur, quod non omnes ab Ariſtotele
in moralibus bonæ reputentur) nihil prohibet quominùs hæ formæ ſingulæ con-
ſeruationem & ſalutem afferre poſſint, ac proinde bonæ ſint omnes. vt enim Mo-
narcha dum publicum bonum, ac non tàm ſibi quàm ſuis populis conſulit, bonam
gignit adminiſtrationem; ita & omnes vnde Democratia, & multi ac pauci, vnde
Ariſtocratia & Oligarchia, commune bonum ac populi vtilitatem ſpectare poſſunt.
ita ut hinc commodè ac perfectè deſcribi videantur formæ iſtæ. Neque verò mihi
objiciat quiſquam ex Peripateticis magis & minùs non variare ſpeciem ac formam,
ac propterea multos & paucos non eſſe idoneos ad duas formas Ariſtocratiam ſcili-
cet atque Oligarchiam, conſtituendas; nam ipſe contra ſi ſubtiliter agendum ſit; 851
objiciam ſpecies eſſe ſicuti numeros qui ſinguli variant ſpeciem, ac propterea mul-
tos & paucos poſſe ſatis duas ſpecies ac formas conſtituere. Ex quo fieret vt maius
& minus non variaret ſpeciem in genere qualitatis; & ideo magis aut minus calli-
dum verbi gratia, vel magis aut minùs album, non variabit ſpeciem, ſed in quan-
titate ſeu numero plus & minùs variabit ſpeciem. Quanquam in rebus humanis &
moralibus & populariter agendum: & ideo cum commodè dominatus diſtingui
primò poſſint & variari dominantium multitudine & paucitate non immeritò qua-
dripartita illa diuiſio retineatur. Cur igitur (vrgeas) alibi Oligarchiam & Democra-
tiam inter vitioſas reputat? Reputat fortaſſe, quia cum plerunque contingat vt mor-
tales auidiùs expetant dominatum, nec tam publicum quàm proprium adament cõ-
modum, hinc facilè deprauatur gubernatio; & quia faciliùs contingit vt pauci depra-
uent dominatum quàm multi (in multis enim authoritas & vis diſperſa eſt & debi-
lior, in paucis fortior, ita ut hinc faciliùs euertatur commune bonum;) fit ſanè vt Oli-
garchia malè audiat: etſi alioquin optima eſſe poteſt. Nam faciliùs eſt paucos inue-
nire prudentes & ſapientes quàm multos. Et ideo, ſi rei natura ſpectetur, faciliùs eſt vt
Oligar-

Oligarchia conducat mortalibus quàm Ariſtocratia: quamuis corrupta hominis natura & immoderata cupiditate admiſſa, Ariſtocratia melior eſt vſu, a periculo enim Tyrãnidis, cui Oligarchia vicinior eſt, ab eſt longiùs. Et hinc eſt vt Regnum ex ſe perfectior dominatus cẽſeatur, tametſi id habet incõmodi vt tyrãnidi vicinior ſit. vt enim ex optimo vino peracre fit protinus, ſic ex regia dominatione tyrannis. Quo fit vt vbi oẽs gubernent ſaltẽ per vicem confuſio & mala adminiſtratio in promptu ſit, cũ non omnes ſed perpauci ſint ſapientes. Atque hinc eſt vt Democratia & Ariſtocratia niſi
852 bonis legibus obſtringantur quas tueantur, breui corruant neceſſe ſit. Nec fortaſſe ab hac doctrina abeſt Plato, qui in libris de Republica (id quod Ariſtoteles ipſe aſſeuerat in ſeptimo Politiæ) quatuor iſtas formas profert. Cuius opinionis initia iecerat in Ciuili, vbi monuerat duo eſſe extrema Politiæ genera, videlicet Monarchiam & Democratiam, atque has duas gubernationes eſſe aliarum veluti matres. Quanquam Ariſtoteles qui data opera præceptori repugnauit, formas iſtas labefactare non dubitauit, ac tres tantùm excepit, quas etiam ſus déque exagitauit, obſcuréque ſine dubio pertractauit. ita ut modò pro Ariſtocratia, modò pro Regno, interdum etiam pro Politia, ſtare videatur. Atque ex his licet intelligere quid in reliquis dubitationibus a me propoſitis ſentiam. Tametſi nobis de Politiæ formis ſe ſe offert dicendi locus in noſtris Politicis diſputationibus. Etſi paulò poſt vbi de illarum fine agit Ariſtoteles, quin etiam in particula quæ de Oligarchia pauca quædam ſubijciam quæ huc plurimum pertinent.

PARTICVLA CLXXVIII.

Ἔστι δὲ δημοκρατία μὲν πολιτεία ἐν ᾗ κλήρῳ διανέμονται τὰς ἀρχάς.

Riccobonus. DEmocratia eſt Reſpublica in qua ſortes diſtribuunt magiſtratus.

Maioragius. *AC Democratia quidem eſt Reipublicæ ſtatus in quo ſortione tantùm magiſtratus diſtribuuntur.*

DEſcribit ſingulas Politiæ formas, ac primò Democratiam cuius primo loco mentionem fecerat, vbi videtur a minùs perfectis ad perfectas, ſeu mauis a vitioſis ad bonas progredi, quemadmodum eodem illas ordine & conſilio viſus eſt enumeraſſe paulò ante. A Democratia igitur ducto initio ait Democratiam eſſe Politiam in qua ſortes di- *De Democratia.*
853 ſtribuunt magiſtratus. vbi egregiè Victorius monet in alijs quoque Politijs vſu venire vt ſorte diſtribuantur magiſtratus, ſed tamen in illis & diuitiarum & virtutis rationem haberi cum in Democratia ſorti tantùm committatur magiſtratuum delectus, ac proinde nulla virtutis aut diuitiarum habeatur ratio. Atque hinc fit vt Maioragius propoſita verba ſic vertat, *Ac Democratia quidem eſt Reipublicæ ſtatus in quo ſortione tantùm magiſtratus diſtribuuntur*, vbi inhætens Victorij doctrinæ, addit *tantùm* quod Græcè reuera non extat.

CONTROVERSIA LII. Num rectè deſcripſerit Democratiã, & quatenus retineri poſſit

Quanquam eiuſmodi deſcriptio mihi quidem adhuc dubitationem affert magnam: ſiquidem nihil prohibet quominus populus dominetur (id enim ſignificat Democratia) & tamen non ſortis ſed virtutis aut diuitiarum aut vtriuſque habeat rationem, ac propterea ijs qui virtute præſtant aut diuitijs, mandet magiſtratus. Id quod apud Athenienſes accidit ſæpè dum (Platone teſte in Ciuili) Democratiam colerent. Atque idem ferè Romæ eſt factitatum cum aliquando ob Tribunitiam poteſtatem in Democratiam propemodum incidiſſent. Quin hoc quoque tempore

tum in liberis quibuſdam Italiæ Vrbibus, tùm apud alios, obſerues, apud quos populus eligendi habet facultatem, & tamen peritiæ ac virtuti nonnihil tribuit, præſertim belli tempore (id quod in Heluetiorum quoque ac Rhetiorum Democratia videre eſt) cum legatio ſit obeunda, aut inſtaurandæ leges, aut quid arduum vel non ordinarium peragendum. Denique dementes ij ſint qui non facilè peritioribus ac magis idoneis plus aliquid tribuant quàm rudibus & imperitis. Sed fortaſſe ſic loquitur Ariſtoteles quia cum paſſim euenire ſoleat vt populus ordinarios honores certatim ambiat, ac propterea non minùs pauperes quàm diuites, aut rudes quàm periti, magiſtratus petant, ad vitandas rixas & contentiones, delectus ſorti committi ſoleat. Illud tamen non eſt prætermittendum, Ariſtotelem, quippe qui non ijs aſſentiebat qui popularem ſtatum in multitudinis dominatu collocabant eò in Politicis progreſſum, vt poſt multa multas Democratiæ ſeu popularis ſtatus formas protulerit, inter quas eam primo loco numerat in qua ſeruatur æqualitas, ita ut diuites & pauperes in dominatu ſint pares: vbi (vt cæteras formas omittam quas in libro quarto longo recenſet ordine) in hanc ipſam ſententiam recidit qua in Democratiam deſcribit: vtrobique enim æqualitas eſt gubernationis fundamentum, dum enim forte diſtribuuntur magiſtratus, quòd hîc affirmat, fit ſanè vt pares ſint diuites & pauperes in dominatu quod affirmat in Politicis. Ibi tamen varias profert popularis ſtatus formas quas ex capite quarto per otium diſcere poſſis. Duo tamen interim affirmauerim vnum in Democratia propter egeſtatem & ignorantiam quæ duo graſſari ſolent in multitudine facilè gigni confuſionem præſertim ſi legibus non obtemperent: nam harum præſidio poteſt Democratia etiam vtcunque conſiſtere & nonnihil gubernationem ad æquitatem & rectum finem dirigere. Idémque dixerim ſi ita legibus ſoluta ſit, vt tamen viros prudentes, ſiue externos velis ſiue domeſticos, deligat qui iudicent & res arduas adminiſtrent. neque enim idcirco concidet Democratia, cum populus eligendo poteſtatem ac proinde præcipuas dominatus partes obtineat. Alterum eſt non omnino labem appellandam, ac tranſgreſſionem, vt peripatetici aliqui vocant, ſi legibus nitatur & publicum bonum ſpectetur, quod cum Platone fieri poſſe exiſtimamus. Tu tamen interim de Democratia cùm citatum locum tùm librum ſextum ferè totum percurras, atque illud obſerues futurum fuiſſe vt niſi Democratia quoque conſeruari poſſet (quanquam conſeruari poſſe res ipſa oſtendit in varijs Europæ Vrbibus) eius conſeruandæ rationem Ariſtoteles non tradidiſſet. Licet non inficias ierim ab optima Politia longè recedere, niſi diligentia, vſu, induſtria egeſtatis & ignorantiæ ſuperet incommoda. Quæ etiam vtiliter obſeruet Orator qui in Democratia verſetur, & ad Democraticos verba faciat.

854 4. Polit. cap. 4. ad ini.

855

PARTICVLA CLXXIX.

Ὀλιγαρχία δὲ ἐν ᾗ οἱ ἀπὸ τιμημάτων.

Oligarchia in qua qui valent cenſibus. — *Riccobonus.*

Oligarchia verò eſt, in qua ex cenſu magiſtratus eliguntur. — *Maioragius.*

De Oligarchia.

A Democratia ad Oligarchiam progreditur, quam ſecundo loco enunciauerat, ſtatuítque Oligarchiam eſſe Politiam (ſupplenda eſt enim ex dictis) in qua ad magiſtratus euehuntur qui valent cenſu. Atque huic ſanè deſcriptioni ſeu doctrinæ mirificè conſentit id quod noſter Author ſcribit libro quarto Politicorum capite quinto ad initium: vbi Oligarchiæ ſpecies enumerans, *Oligarchia* (inquit) *ſpecies vna eſt in qua magnum habentes cenſum ad gubernationem Reipublicæ recipiuntur: atque*

atque ita recipiuntur vt tenuis cenſus homines ad eum peruenire nequeant, ij verò qui tanta poſſident queant peruenire. Quod ſi dicas Ariſtotelem in propoſito Rhetoricæ loco vniuerſim ex cenſu conſtituere magiſtratus & Oligarchian, non verò ex ijs tantum qui maximo præſtant cenſu, ecce tibi Ariſtoteles qui pergit, *Alia ſpecies eſt cum a paruo cenſu eſt magiſtratus habilitas, atque hinc ſupplentur qui deſunt*. Sic Ariſtoteles: qui propterea comprehendit omnem cenſus amplitudinem vnde vniuerſim initium dederat Oligarchia. Tametſi hoc in loco ea verba *qui valent cenſibus* videntur eos indicare qui ſint prædiuites, ita ut hîc cenſum magnum intelligat vel vnum vel maximè.

CONTROVERSIA LIII. NVM Oligarchia cēſu cōſtituatur & in quo gradu ſeu quanti faciēda inter Politiæ formas.

856 Quanquam hæc quoque definitio ſeu deſcriptio ſuam eámque grauem habet dubitationem. Nam quid prohibet quominus pauci gubernent ac dominentur qui peritia magis & virtute, aut authoritate & nobilitate quàm cenſu & diuitijs præſtent? An fortè difficile eſt vt pauci aliqui in ciuitate reperiantur qui tum ingenio & experientia tum probitate ac prudentia cæteris antecellant? Minimè verò. Igitur ſine dubio conſtituent Oligarchiam, nec tamen ex cenſu peruenient ad Magiſtratum. Immo verò illud affirmauerim, hinc ſi non optimam at certè quæ ad optimam proximè accedat, gubernationem conflari poſſe. Democratiam enim ab optimo ſtatu propter multitudinis confuſionem, abeſſe ſatis conſtat: Ariſtocratia quoque in qua optimates multi dominantur, ac proinde ignari cum ſapientibus miſcentur, nonnihil a perfecto abeſt ſtatu. Supereſt igitur vt Oligarchia, quoniam paucos ſapientes inuenire in ciuili gubernatione facile eſt, proximè ac maximè omnium accedat ad optimam gubernationem, atque eam paucorum illorum ope tuetur qui probi ſint ac ſapientes. Quòd ſi addideris regium Dominatum ſeu Monarchiam eſſe ipſum optimum; equidem conceſſerim id quidem in diuina gubernatione, cum Deus & optimus & ſapientiſſimus ſit atque omnia pro ſua probitate & ſapientia mira facilitate adminiſtret. Idē fatendum eſt in Eccleſiaſtica Monarchia dum non humanæ imbecillitatis præfidat viribus, ſed in Dei qui illam conſtituit, ac ſe illi præſentiſſimum fore pollicitus eſt (& ideo flecti quidem poteſt Petri nauicula atque iactari, frangi aut mergi nullo modo poteſt) præſidio nitatur. Sed talis ac tanta fœlicitas humanæ Monarchiæ ſeu Regno contingere minimè poteſt, ídque ea maximè de cauſa quòd infinitis partibus impar ſit humanum ingenium & humana prudentia, impar etiam humana potentia, totius
857 Orbis terrarum gubernationi: quin ne mediocrem partem aliquā poſſit vnus idémque gubernare. & ideo Mundum defeciſſe nunquam vidit, nulla ætas quia ſapientiſſimus & potentiſſimus eſt eius Rector: Eccleſiaſticam quoque Monarchiam ex quo fundata eſt totis hiſce ſeculis aſſeruatam videmus, ita ut perfidos hoſtes ac Tyrannorum rabiem quotidie magis ac magis ſuperauerit, quod ſanè ſatis conſtat illi præſentiſſimum diuinum numen & a Deo planè illud pronunciatum fore ut nunquam ab eo deſeratur. At Monarchiæ quotquot hactenus extitere, omnes euerſæ ſunt, ac breui pleræque euerſæ, Regna item innumera exciſa, vix vt aliquorum ſuperſit nomen. Vt omittam huiuſmodi Monarchias ac Regna, ideo eſſe fragiliſſima & vitioſitati obuia quod permulti ex Regibus vel decedant ſine liberis, vnde mutatio ſequitur & perturbatio, vel eos delicatè nimis alant & ambitioſè ita ut tum delicijs diffluant ac libidine, tum ambitione incendantur & ſuperbia. Ita quidem ſupereſt vt cum paucos ſapientes ac probos non difficilè ſit reperire, quíque ciuili gubernationi ſint idonei, nulla potior gubernationis exiſtat forma quàm Oligarchia, dummodo non ſorte aut cenſu ſed fiat meliorum. Nam ſi obijcias tyrannidi fore obnoxiam, vbi honores (quod ſæpè accidit) mutant mores, iam Monarchia quoque ac Regnum humanum tyrannidi eſt obnoxia, ac multò magis quàm Oligarchia: quin pauci ij qui ex optimis deligantur, multò minùs quàm reliqui quot in cæteris Politijs dominantur, vitioſitati procliues erunt ac tyrannidi. Quod ſi ne id quidem propter humanam improbitatē perpetuum eſſe poſſit aut magnopere diuturnum, id ſanè humanæ corruptelæ ac rerum humanarum fragilitati tribuendum eſt, non Oligarchiæ ipſi. Ita quidem videri poſſit Ariſtoteles a ſcopo non parum aberraſſe, cum Oligarchiam & cenſu conclu-
858 ſerit & tantopere inſectatus ſit quaſi verò niſi improba eſſe non poſſit. Sed fortaſſe Ariſtoteles (vt id quod ab initio illi obiecimus diluam aut leuiam) ex cenſu conſtituit Oligarchiam, quia qui præſtent diuitijs, ſolent etiam authoritate præſtare cæteris, ita ut cū prædiuites pauci eſſe ſoleant, facilè contingat vt ex cenſu pauci iſti dominentur,

Digitized by Google

atque hinc exiſtat Oligarchia. Ac profectò opulenti ſolent in Vrbibus eſſe perpauci; præſertim ſi cum ijs conferantur qui vel egeni ſunt vel exiguas poſſident opes. Itaque nil mirum ſi magiſtratus ſibi vindicent ij qui cenſu atque opibus valent, ita ut Oligarchiam conſtituere dicantur qui præſtant cenſu. Id quod faciliùs etiam contingeret vbi lege cautum eſſet vt ijs tantùm honores ac magiſtratus mandarentur, qui certa quadam, ſed magna, cenſus ac diuitiarum præſtarent copia; alioquin nihil obſtat cur pauci iique pro ætate vel antiquitate generis ac nobilitate, aut (quod optabilius eſſe ſolet) ob prudentiam & probitatem obtineant dominatum. atque hinc etiam Cenſores profecti ſunt. Denique cenſus ſiue opes ac diuitiæ eæ ſunt quibus mortales non in Oligarchia ſolùm, verùm etiam in Monarchia ſibi vindicant principatum, quin Politiam etiam & Democratiam labefactant facilè ſummos ſibi magiſtratus comparantes. pecunia enim ad honores aditum habet ampliſſimum & omnium Regina cenſetur paſſim; ita ut facilè in magiſtratus & dominatus irrepat omnes. certè Regiam dignitatem ac Romanum ipſum Imperium auro ſibi ac largitione paraſſe plurimos, compertum eſt.

PARTICVLA CLXXX.

Ἀριστοκρατία δὲ ἐν ᾗ οἱ κατὰ παιδείαν. παιδείαν δὲ λέγω τὴν ὑπὸ τοῦ νόμου κειμένην. Οἱ γὰρ ἐμμεμενηκότες ἐν τοῖς νομίμοις ἐν τῇ ἀριστοκρατίᾳ ἄρχουσιν. Ἀνάγκη δὲ τούτους φαίνεσθαι ἀρίστους, ὅθεν καὶ τοὔνομα εἴληφε τοῦτο.

ARiſtocratia in qua ex diſciplina. Diſciplinam voco a lege conſtitutam. Nam qui in legibus inſtiterunt, in Ariſtocratia dominantur. Neceſſe verò eſt hos apparere optimos vnde & nomen accepit huiuſmodi. 859 *Riccobonus.*

Ariſtocratia dicitur illa in qua magiſtratus diſtribuuntur ijs qui diſciplinam perceperunt; diſciplinam autem eam intelligo, quæ a lege coſtituta ſit, nam qui permanent in inſtitutis ciuitatis, in Ariſtocratia magiſtratus gerunt; neceſſe eſt enim, huiuſmodi viros optimos videri, vnde etiam Ariſtocratia nomen habet. *Maioragius.*

De Ariſtocratia. QVam tertio commoſtrauit loco, hanc tertiò deſcribit, atque Ariſtocratiam eſſe Politiam (ſupplenda eſt enim hîc quoque) in qua ex diſciplina eliguntur magiſtratus. At enim quam diſciplinam dicis Ariſtoteles? Explicat atque ait diſciplinam voco a lege conſtitutam: qui enim in legibus nituntur, in Ariſtocratia obtinent dominatum. Ait enim eſto ij qui nituntur in legibus ex diſciplina eligantur qui legum diſciplinam norunt ſectantúrque. Sed cur ij planè conflant Ariſtocratiam? Quia (inquit Ariſtoteles) apparere ſolent optimi, & ideo hinc inuenere nomen. Hæc Ariſtoteles: qui ſanè duo explicat ac docet quæ aptè cadere videntur in Ariſtocratiam. Ac primũ pertinet ad nominis ethymologiam & notationem vnde introducimur ad rei ipſius vim & naturam intelligendam. Quod ſe ſe offert dum ait eiuſmodi Politiam Ariſtocratiam ſeu optimatum dominatum appellari, quia qui præſunt & adminiſtrant, ij optimi videri ſolent. Alterum eſt ideo hinc exiſtere Ariſtocratiam, quia ex legum diſciplina regunt ij qui obtinent magiſtratum: quod ſanè pertinet ad rei vim ac naturam. Et Ariſtoteles de Ariſtocratia. quæ tamen in controuerſiam vocentur neceſſe eſt. Quæritur igitur: num aptè Ariſtocratiam definiuerit deſcripſerit ue. Etenim inde primo dubitatur quia quantumuis ethymon commodè fortaſſe interpretetur (quan quam id quoque examinabitur) rem ſanè ipſam ac naturam præpoſterè aut ſaltem obſcurè ac minùs perfectè declarat. Nam ſi quis in eas adminiſtrationes conijciat mentem in quibus optimates dominari ſolent intelliget hos partim pro ætate vel antiquitate & nobilitate, partim pro authoritate & potentia ac diuitijs, 860

partim

partim pro experientia & prudentia aut probitate euehi ad magiſtratus : ſed in-
primis vtilitatem ſpectari ab eligentibus & commoda quę inde aſſequantur (& ideo
amicis affinibúſque fauent in primis) & merita illorum quibus mandantur honores.
Denique minimum illud ſpectatur vt legum diſciplina imbuti ſint. Et ideo videas Ro
manos ſtatim atque exactis Regibus Ariſtocratię initia iecere (diu enim vni optimates
gubernarunt) nil minùs quàm legum diſciplina nitebantur : quin diſſi legibus carùere
rationem ducem ſequentes ac moderationem, frugalitatem, fidem, iuſtitiam vltrò am
plectentes. Veneta quoque Politia quæ multis ab hinc ſeculis Ariſtocratiam colit, affi-
nitatem & amicitiam, ſed merita in primis ſpectat aut etiam commoda & vtilitatem
dum creat magiſtratus. Iam verò quid Ariſtoteles ſi perpauci ſint iſti qui in legibus
inſiſtentes gubernant? Labefactabitur ne iſtinc Ariſtocratia? Quid ſi rurſus iſti perpau- *CONTROVERSIA LIV. Num Ariſtocratiam deſcripſerit rectè.*
ci quantumuis, ex legum præſcripto & diſciplina adminiſtrent præſtent diuitijs? Exi-
ſtét ne hinc Oligarchia, an verò Ariſtocratia? Certè hinc definitiones iſtas ſeu deſcri-
ptiones quaſi volũtarias, ne dicam infirmas ac leues, coarguas facilè. Vt omittam per-
paucos item ad Ariſtocratiam conflandam requiri ab Ariſtotele; ſic enim ſcribit libro
tertio de Republica capite quinto, *Neceſſe eſt ciuitatis poteſtatem aut penes vnum eſſe aut pe*
nes paucos aut penes multos, atque hinc Regium, Ariſtocratium, Politicum ſtatuit regimẽ
in quo ſi publica vtilitas ſpectetur bonum eſſe affirmat, alioquin labes & tranſgreſſio-
861 nes oriri vnde Tyrannis, Oligarchia, Democratia proficiſcatur. Ita quidem Democra-
tiam ex multis non ex omnibus conſtituens, Ariſtocratiam ex paucis, hanc in Oligar-
chiam conuertit. itaque ſi pauci iſti non publicum bonum ſpectent ſed proprium, la-
bes hinc exiſtet Oligarchiæ. Ita quidem vix nominis ethymologiam habeas quam in
propoſita deſcriptione probes; ſi tamen probãda ſit: nam ἄριστοι pro nobilibus & autho-
ritate præſtantibus ſi vſurpentur (quod fit paſſim a Græcis) hinc non legum ſtudioſos
ſed nobiles, diuites. celebres, præficias in Ariſtocratia. Præpoſterè igitur de Ariſtocratia
præcipit Ariſtoteles. Tametſi fortaſſe dici poſſit inde quidem Ariſtocratiam, quia ſal-
tem legum vel ſolùm vel maximè habenda eſſet ratio non nobilitatis atque huiuſmo-
di aliarum rerum quæ percenſebantur. Ita fieret vt Ariſtocratia ex propoſito delectu
iurè exiſteret ſi in magiſtratuum conſtitutione diſciplinæ illius haberetur ratio, ſiue il-
li pro legum diſciplina iudicẽt & gubernent: Oligarchia verò gigneretur ſi in delectu,
cenſus & diuitiarum habeatur ratio. Sed leue; ſubterfugium videri hoc poſſit, cum nõ
modò nominis notio hinc depereat, verùm etiam rei natura adhuc labefactetur ac for-
mæ illæ confundantur dum pauci adhuc gubernent, ac labes Ariſtocratiæ non Demo-
cratia pariat. Quid igitur obſtet ſi Platoni inhærentes, & quadripartitam illam diſtin-
ctionem ſectantes, in vnius, omnium, multorum & paucorum dominatum Politias
primò diſtinguamus, vnde tum Regnum primò & Democratia, tum verò Oligarchia
& Ariſtocratia commodiùs conſtituatur? Scio Ariſtotelem omnium gubernationem
non admittere, ſed improbare quod cum Politia ex ijs conſtet qui imperant & obtem-
perant, nõ omnes poſſint dominari; itaut hac de cauſa aut vni vnde Regnum, aut pauci
vnde Ariſtocratia aut multis vnde Politia tribuat dominatum : nos enim non omnes
862 vno eodémque tempore ſed per vices omnibus patere aditum ad magiſtratum affir-
mamus cum Democratiam dicimus: atque hanc etiam poſſe ſpectare publicam vtili-
tatem, itaut non ſit Ariſtocratiæ labes aut Reipublicæ: quin germanam eſſe Rempu-
blicam, cum populus qui ex nobilitate & plebe conſtat, verè Rempublicam cõſtituat:
alioquin multitudo etiam ſi publicum ſpectat bonum, commodiùs Ariſtocratiam
conficiat quàm Rempublicam vel adminiſtrationem ex optimatibus populóque per-
miſtam. Nam iſtas quoque gubernationum formas eſſe admittendas dubitet nemo.

PARTICVLA CLXXXI.

Μοναρχία δ' ἐςι κατὰ τοὔνομα ἐν ᾗ εἷς ἁπάντων κυριός ἐςι τούτων δὲ ἡ μὲν κατὰ τάξιν τινὰ βασιλεία : ἡ δὲ ἀόριςος, τυραννίς.

Monar-

MOnarchia eſt ſecundum nomen, in qua vnus omnium dominus eſt. Atque ex iis, quæ Monarchiæ nomine continentur, illa quidem, quæ ordinem quendam habet Regnum eſt: at indefinita tyrannis. *Riccobonus.*

MOnarchia eſt, vt nomen indicat, in qua vnus omnium dominus eſt: quæ ſi definita eſt, & ordinem quendam ſeruat, regnum vocatur; ſi verò inordinata, atque ex vnius libidine, tyrannis appellatur. *Maioragius.*

De Monarchia. QVam poſtremo propoſuit Politiam, poſtremo etiã deſcribit, aitq; eã eſſe in qua (id quod nomẽ indicat) vnus eſt omnium dominus. vbi videtur cùm ethymologiam ac notionem vocis, tùm vim ac naturam rei attingere & declarare: quod ſanè in reliquis Politijs nõ accidit in quibus ex ſortione, ex cenſu, ex legibus, ducitur explicandi ratio. Denique in iſtis ne ethymologiæ quidem conſeruatur ratio, niſi forte tantiſper in Ariſtocratia. Addit verò Monarchiam ſiue vnius dominatum, ſi ex ordine geratur & adminiſtratio recta ſit, gignere regnum, ſi inordinata ac præpoſtera, tyrannidem. ita quidem Monarchiæ notio anceps erit, & tam bonum quàm improbum dominatum ſignificabit, quod in Ariſtocratia aliter accidit, quæ ob diſciplinam non poteſt non eſſe recta. Niſi tamen merum nomen ſibi aſſumant, virtutem deſerant qui gubernant. Hæc de quadripartita iſta Politiæ varietate, vnde publici dominatus formæ afferuntur. 863

Hìc verò non poſſum non illud requirere, cur vna Monarchia biceps exprimatur, cæteræ Politiæ non item. Certum eſt enim & experientia compertum in cæteris iſtis Politijs poſſe magiſtratus ac dominantes perçquè rectè aut iniquè gubernare, ſeu proprium tantùm aut publicum bonum ſpectare. Ex quo fit vt magna in iſtarum Politiarum declaratione appareat confuſio; ac proinde nihil prohibeat quominus quadripartitam Platonis diſtinctionem ſequamur, ac ſingulas formas, prout dominantes rectè gubernent aut iniquè bipartitò diſtribuamus, itaut quatuor probæ, totidem improbæ, formæ conſtituantur. Denique ſi ſingulas & ab dominantium numero appelles, & a probitate vel improbitate rurſus diuidas perinde ac Monarchiam, non video cur non omnia conſentienter ſe habeant ac dilucidè: quod reuera in Ariſtotelea partitione interim requirendum eſt, præſertim quia Monarchiam in Tyrannidem ac Regnum diſtribuit, & tamen cæteras formas quæ item variæ diſtribui eodem iure poterant, prætermittit. Atque idem fermè dixerim ſi quis haſce formas ex medio vulgo huc allatas dixerit, & ad tripartitam illam diuiſionem quaſi tutiorem confugerit, quam in Moralibus, præſertim libro tertio, quarto & quinto Politicorum, ſectari viſus eſt Ariſtoteles. eædem enim ſe ſe offerunt dubitationes. Denique alia quoque multa de Monarchia & quæri & explicari poſſent vt de propoſita deſcriptione conſtaret planiùs. Sed quoniam paulò poſt Politiæ occurrent formæ, & Monarchia in primis, proindéque alia quædam attingere cogar quæ item in hunc conueniunt locum, pergam interim cum Ariſtotele, & ad ſingulatum Politiarum finem qui reuera in hoc argumento caput eſt ac vertex, deueniam. 864

PARTICVLA CLXXXII.

ΤΟ δὴ τέλος ἑκάστης πολιτείας οὐ δεῖ λανθάνειν. αἱροῦνται γὰρ τὰ πρὸς τὸ τέλος. Ἔστι δὲ, δημοκρατίας μὲν τέλος, ἐλευθερία: ὀλιγαρχίας δὲ πλοῦτος: ἀριστοκρατίας δὲ, τὰ πρὸς παιδείαν καὶ τὰ νόμιμα: τυραννίδος δὲ, φυλακή.

IAm finem cuiuſque Reipublicæ non oportet latere. Eligunt enim ea, quæ referuntur ad finem, ac Democratiæ quidem finis eſt libertas. Oligarchiæ verò diuitiæ. At Ariſtocratiæ, quæ pertinent ad diſciplinam & inſtituta. Tyrannidis autem cuſtodia. *Riccobonus.*

Maioragius. *OPortet igitur finem vniuſcuiuſque Reipublicæ cognitum habere: nam ea ſingula quærunt, quæ ad finem ſuum tendunt. eſt autem Democratiæ finis libertas, Oligarchiæ Diuitiæ, Ariſtocratiæ quæ ad diſciplinam legéſque ciuitatis pertinent, Tyrannidis cuſtodia.*

QVod primò ſtatuit finem ſcilicet agnoſcendum cuiuſque Politiæ, vt de
ijs quę ad finem pertinent commodè deliberemus, id verò certum eſt
quàm quod certiſſimum: ſiquidem non de fine deliberamus & con-
ſultamus (hîc enim ratus & fixus eſſe debet ac propterea tãquam cer-
tus proponitur) ſed de ijs quæ ad finem conducunt, cum tamen ex fine
ipſo æſtimanda ſint quæ ad finem conducunt. Sic Medicus, cum ſani-
tatem in finis loco propoſitam habeat, de ijs conſultat quæ ad propoſitum ſanitatis fi-
nem conducunt: ſic Dux cui propoſita eſt victoria. Sic Gubernator cui nauis propoſita
eſt ſalus: omnes enim fine conſtituto de ijs deliberant quæ ad finem perducant opus,
865 ſiue de medijs vt loquuntur Peripatetici aliqui. Itaque veriſſimè ſtatuit Ariſtoteles fi-
nem cuiuſque Politiæ agnoſcendum, quòd hinc ea cognoſcere liceat quæ ad finem re-
feruntur. Sed vtinam tam verè ſubinde ac rectè huiuſmodi fines proferret & conſti-
tueret: verendum eſt enim ne in ſalebras nos conijciat. Sed audiamus tamẽ. Ac primò *De fine Democratiæ.*
Democratiæ quidem finis (inquit) eſt libertas: quaſi verò non ſuam cæteræ quoque
Politiæ libertatem conſeruare ſtudeant & moliantur. Huc accedit quod in libero ſta- *Dubitatur.*
tu quem interim in Democratia obtinet populus, diuitias maximè ſibi parare ſtudet I.
quibus fermè caret. Quod ſi ſordidum finem diuitias repures, rectam ac tranquillam II.
adminiſtrationem qua benè beatéque viuat, proferre & poſſis & debeas: ciuilis enim III.
beatitudo omnibus cœtibus humanis propoſita eſſe ſolet ac debet. Sed iam de Oligar-
chiæ fine quem ſecundo loco refert, Ariſtotelis ſententiam audiamus. Oligarchiæ fi-
nis (inquit) ſunt diuitiæ. Sed profectò præterquamquod ſordidum ijs finem proponit, *De fine Oligarchia.*
nihil minùs proponit quàm quod proponendum videretur. Cum enim Oligarchia ex *Dubitatur.*
cenſu ac diuitijs conſtituiſſet Ariſtoteles, atque ijs tribuiſſet Magiſtratus qui diuitijs I.
præſtarent, nihil minùs quàm diuitiarum ſtudium ijs imponendum erat qui diuitijs
abundarent. Denique tranquillitas & pax atque adeò beata vita quam omnes publicè
priuatímque expetũt, iſtis, velit nolit, proponat neceſſe eſt: ſiquidem in moralibus hũc
cuique humano cœtui commonſtrauit finem. Paulò congruentiùs loqui videtur Ari-
ſtoteles de Ariſtocratiæ fine; ſubdit enim Ariſtocratiæ finem ea eſſe quæ pertinent ad *De fine Ariſtocratia.*
diſciplinam & inſtituta: vbi, quoniam legum ſtudium intelligit & quæ inde oritur di-
ſciplina, fit ſanè vt cum rectas leges intelligat rectámque diſciplinam (alioquin nec le-
ges & inſtituta nec diſciplina vocanda eſſet quæ illi proponit) ad honeſtatem, iuſtitiã,
ac proinde tranquillitatem beatámque vitam accedat propiùs. Tametſi ſatiùs fuiſſet *Dubitatur*
vt leges ac diſciplinam vnde ad bene beatéque viuendum contenditur apertè præſcri- I.
pſiſſet Ariſtocratiæ in finis loco. Denique dum poſtremò addit Tyrannidis finem eſſe *De fine Monarchia.*
cuſtodiã, multa peccat Ariſtoteles. Ac primò Monarchiæ finis in vniuerſũm erat pro-
866 ferendus: tum Regij dominatus ſigillatim, ad extremùm Tyrannidis, quanquam ty- *Dubitatur.*
rannidis finis reticendus erat potiùs quam proferendus: cum turpe ſit ea quæ ad tyrã- I.
nidem conſeruandam, ſeu Tyrannum cuſtodiendum pertinent, Oratorem ſuadere.
Huc accedit quod cuſtodia in Politijs ſingulis ſpectanda ſit, ac propterea nequaquam II.
ſit proprius tyrannidis finis: præſertim verò quia Oligarchia etiam & Democratia di-
ligenti indigent cuſtodia; illa propter aliorum inuidentiam vnde odiũ exiſtit, hæc quo-
niam qui in populo prꝫſtant ingenio ac prudentia, facilè aſpirant ad principatum; vtra-
que demum quia extrinſecus interiúſque labefactari poſſunt & corrumpi; cum tamẽ
Monarchia (ſi ipſi Ariſtoteli credimus) extrinſecus tantùm corrumpi poſſit. Denique III.
Monarchiæ finis afferendus erat, íſque honeſtus ac propterea tranquillitatis ac beati-
tatis poſſeſſio. Ita vt Ariſtotelea huiuſmodi doctrina tota vlcus videri poſſit. Quanquã *Reſpondetur.*
cum populariter loquatur (quanquam vtinã hac in re non populariter nimis & abie-
ctè) fortaſſe reſpondere liceat Democratiæ propoſuiſſe libertatem, quia cum in cęteris
Politijs ea fermè careat populus, de hac quippe ſuauiſſima, dies noctéſque cogitandũ:
etſi alioquin iuſtitia & tranquillitas non contemnẽda. Oligarchia quoque diuitias ſibi
eo con-

Digitized by Google

eo conſilio proponat, quòd hinc maximè Vrbis & cuſtodia & rerum abundantia & tranquillitas parari poſſit. Denique cum ijs artibus conſeruari dicantur Imperia & dominatus quibus parata ſunt, facilè exiſtimes Oligarchiam, quippe diuitijs paratam & cenſus ope, diuitijs quoque maximè omnium Politiarum eſſe conſeruandam. De Ariſtocratia verò nihil attinet dicere, cum ex legibus ac diſciplina tanquam ex fonte tranquillitatis ac beata vita manare ſoleat, itaut ſaltem ad fontem digitum intenderit Ariſtoteles. Denique, quoniam regnum ſuauiſſimum eſſe ſolet, &, vt ait Liuius, res inter Deos hominéſque pulcherrima, nil mirũ ſi cuſtodia pro illius fine ſtatuatur. Ea enim Regibus etiam perinde ac tyrannis ſpectanda eſt: ſiquidem cum fides regnandi cauſa facilè violetur, non modò malis Regibus ſed probis cuſtodia eſt perneceſſaria.

PARTICVLA CLXXXIII.

Δῆλον οὖν ὅτι τὰ πρὸς τὸ τέλος ἑκάστης ἤθη, καὶ συμφέροντα διαιρετέον: εἴπερ αἱροῦνται πρὸς τοῦτο. ἐπαναφέροντες.

MAnifeſtum igitur eſt, qui pertinent ad finem cuiuſque mores & inſtituta, & vtilia diſtinguenda eſſe, ſiquidem eligunt ad hæc referentes. *Riccobonus.*

PErſpicuum eſt igitur oportere diſtincta & cognita habere omnia quæ ad finem ſpectant. vt mores, vt inſtituta, res vtiles. Nam omnes quæcunque eligunt, ad finem ſuum referunt. *Maioragius.*

COlligit perſpicuum eſſe oportere mores, inſtituta & res vtiles quæ pertinent ad finem, diſtinguere, idque ea de cauſa quia quæcunque homines eligunt, ad finem iſtum referri ſolent. Vbi mireris quid cauſæ ſit cur *Dubitatur*
cõcludat perſpicuum eſſe circa ſingulas Politias mores, inſtituta & vtilia eſſe diſtinguenda, quod totidem verbis propoſuerat, & tamen prætermittat perſpicuum quoque eſſe Politiæ formas omnes noſſe, quod
item ſimul propoſuerat ab initio. Certè cum vtrunque & propoſuerit & declarauerit 868
(ſi tamen ſatis declarauit) par erat vt vtrunque perſtringeret epilogo, præſertim vt in
Reſpondetur. circulum perfectè rediret oratio. Sed fortaſſe poſteriorem propoſitionis partẽ, quippe quam tunc planè declarauerat, comprehendit epilogo, priorem partem prætermiſit, quod eam, etſi propoſuerat ſimul, explicauerat priùs. Denique ſatis videri poſſit id collegiſſe quod per ſe requiratur præcipuè: cognitio enim formarum illarum quæſita eſt morum, inſtitutorum ac rerum vtilium gratia ex quibus commoda oritur ſuaſio. Vt omittam non eſſe ab Ariſtotelis inſtituto alienum in epilogo ea colligere, quæ magis neceſſaria ſunt, vel ex vna alteram partem indicare. Atque hîc quidem (vt de huiuſce particulæ doctrina planiùs conſtet) non ab re fuerit obſeruare, tum demum *Quid de præſentis particulæ doctrina ſit ſentiendũ.* concedendum Ariſtotelis fines iſtos eſſe diſtinguendos, cum rectè ac iurè ſingulis illis Politiæ formis fuerint attributi quod nos magnopere dubitauimus præſertim verò quia mores & inſtituta quæ tyrannidi aut Oligarchiæ, quę tamẽ vnas diuitias in finis habeat loco; conducat, hæc improbo Oratori fortaſſe, bono certè nequaquam in mentẽ venire vix poſſint, a bono item coli ac dicẽdo exprimi, nullo modo. Atque hinc ſanè illud etiam colligitur iniquè facere Ariſtotelem qui Dialecticum, ſi captioſa vſurpet argumenta, Sophiſtam haberi iubet: Oratorem verò qui tyrannidis ac prauæ Oligarchiæ mores inducit & inſtituta, ac ſuaſioni referat, nomen amittere haud ſinit. Denique facilè intelligo Ariſtotelem Democratiam & Oligarchiam inter formas Politicas numeraſſe, quòd tritas gubernationis formas & in vſu poſitas, ne dicam profligatas, ſpectaret, quibus ſtylũ aptare ſoleret Orator & canere, ac propterea fines illos propoſuit formis illis forſitan non omnino temerè (ſcitè enim & omnino verè nunquã dixerim) ſed cur Monarchiam planè verterit in tyrannidem, & cum illam bipartitò diſtribuiſſet antea, mox βασιλείαν ſuppreſſerit, non video, niſi tamen tacitè indicare voluit nullam per idem tempus fuiſſe βασιλείαν, ac nomine quidem Reges appellatos fuiſſe, re, quoniam

niam proprium commodum ſpectarent omnes, Tyrannos fuiſſe omnes. Atque hac fortaſſe de cauſa in Politicis, tyrannidem in ſæuam & mitem diſtribuit, quod videret Reges ſaltem mitem illam tyrannidem exercere, Regnum, quod egregiam & prudentiam & probitatem & induſtriam requirit quibus Vrbes farctæ ac tectę ſint, non inueniri. Quamuis quoniam ibi philoſophabatur & in vniuerſum etiam Politiæ tradebat precepta, nil mirum ſi boni quoque Regni conſeruandi rationem expreſſit: cum tamẽ hîc ad vnius tyrannidis cuſtodiæ Oratorem informare videatur.

PARTICVLA CLXXXIV.

Ἐπεὶ δὲ, οὐ μόνον αἱ πίστεις γίνονται δι' ἀποδεικτικοῦ λόγου, ἀλλὰ δι' ἠθικοῦ (τῷ γὰρ ποιόν τινα φαίνεσθαι τὸν λέγοντα πιστεύομεν: τοῦτο δ' ἐστὶν, ἂν ἀγαθὸς φαίνηται ἢ εὔνους ἢ ἄμφω) δέοι ἂν τὰ ἤθη τῶν πολιτειῶν ἑκάστης ἔχειν ἡμᾶς.

Riccobonus. ET quoniam non ſolùm fides fit ea, quæ demonſtrat, oratione, ſed etiam morata (nam eo quia cuiuſdam modi apparet is, qui dicit, fidem habemus, id eſt, ſi bonus appareat, vel amicus, vel vtrunque) oportebit mores Reipublicæ cuiuſque nos tenere.

Maioragius. *ET quoniam fides non tantum argumentis fit; ſed etiam oratione, quæ dicentis mores exprimit: (credimus enim ei qui ita affectus eſſe videtur; vt aut vir bonus appareat, aut beneuolus, aut vtrunque) opus eſt vniuſcuiuſque Reipublicæ mores bene cognitos habere.*

OPortere ait Oratorem cuiuſque Politiæ mores tenere, idque vt moratã reddat Orationem. Neque enim (inquit) ea ſolùm fides quæ ratiocinatione continetur, verùm etiam quæ morata oratione paritur, vſurpãda eſt; ita ut tum ἀποδεικτικὸς λόγος tum ἠθικός, tum demonſtratiua inquam
870 tum morata oratio adhibenda ſit ſuaſioni. Sed cur morata etiam? quia moratæ orationi in qua Orator vel bonus apparet, vel amicus vel vtrũque, fides haberi facilè ſolet. Hæc Ariſtoteles in præſentia, quibus in controuerſiam vocare cogor, NVM iurè moratam orationem ex politiæ quoque moribus & inſtitutis conflari iubeat. Qua ſanè in re dubitationes ſe ſe offerunt multæ. Ac primò quia cũ antea iuſſerit Ariſtoteles vt Orator exploret cuiuſque Reipublicæ ſeu Politiæ mores, nunc affirmare ac monere debuiſſet fore, vt iſtiuſmodi cognitione, moratam quoque orationem affingere poſſit, ſiue omnino illi faciẽdum vt iſtiuſmodi morum cognitionem ad moratam quoque orationem affingendam referret: & tamen tanquam de integro præcipit vt mores cuiuſque Politię (ſi tamen mores, qui hominis proprij ſunt, nõ temerè affingit Politiæ) agnoſcat ac teneat, quaſi non antea illi hanc morum cognitionem capeſſendam præcepiſſet. Deinde iamdiu ſignificauit Ariſtoteles vnas ratiocinationes ad artem pertinere, cætera omnia eſſe τὰ προσθῆκαι additamenta quædam, quæque in bene inſtituta Republica explodenda ſint: cur igitur quod iam antea exploſit, nunc præcipit ac probat? Ad hæc fidẽ ſeu probationem quæ in ratiocinatione conſiſtit, gigni affirmauit, διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι, quia demonſtret vel demõſtrare videatur; quaſi vero in argumentatione vtranque viam inire liceat: & tamen hîc ἀποδεικτικὸν tantùm λόγον memorat; quaſi hanc vnam viam admittat. Denique ab initio ad moratam orationem conflandam non beneuolentiam ſed probitatem retulit ac ſapiẽtiam, monuitque prudenti viro nos fidem adiungere & magis & celeriùs & verò in omnibus; præſertim ſi nihil certi habeamus; cum igitur in præſens beneuolentiam ac probitatem profert in medium? Quanquam, quoniam in ſecundo libro tum beneuolentiam ac probitatem profert, tum prudentiam, faciendum erat, vt dum beneuolen-
871 tiam hîc adderet probitati, prudentiam etiam adiungeret. quemadmodum è cõtrario in ſecundo, cum de morata oratione data opera verba faceret, haud committendum fuit,

part. 3. *part. 26.* *cap 3.*

CONTROVERSIA LV. Num moratam orationem ex politicis moribus iure deriuet. De qua re Dubitatur I. II. III. IV.

fuit, vt quam hoc in loco moratæ orationis conflandæ rationem indicarat, prætermitteret, ſed copioſè proſequeretur. certè quam in primo ex probitate & beneuolẽtia duxerat moratæ orationis formam, in ſecundo proſequitur diligenter. Hæc in propoſita dubitatione & Controuerſia. Sed reſpondeo tamen ac primùm ſupra τὰ ἔθη monuit percipienda, & hæc tota retinuit diſputatione: hîc τὰ ἤθη teneri iubet, quæ Ariſtoteli nõ eandem planè quam τὰ ἔθη, notionem offerũt: verè enim ſupra per ἔθη ſignificauit vſus & conſuetudines, quæ proximè accedũt ad inſtituta & leges: hîc per ἤθη ſignificat propriè mores & propẽſiones & affectus. Et ideo tam ſupra in particula vigeſimaſeptima & vigeſimaoctaua quam in libro ſecundo toto capite primo, in quo de morata oratione verba facit, ſemper ἦθος nunquam ἔθος vſurpat. Itaut non commodè vtrobique mores vertas ſed in priore vſus vel conſuetudines, quemadmodum vertit vetus interpres, mores in poſteriore. Tametſi alioquin τὸ ἦθος, quippe quod ab ἔθους (id quod Ariſtoteles ipſe obſeruat) deriuatur, cum ἔθος facilè confunditur a Græcis etiam. Ita quidem iurè, cum nouum morum genus proferret, ſeu antea vſus & conſuetudines, hîc mores intellgat, appoſitè tanquã de integro mores Reipublicæ explorandos proponit ſuadenti. Neque verò inſolens videri debet vt ij mores tribuantur Politiæ qui non vſus & conſuetudines ſignificent, ſed qui in priuatos homines cadere ſolent. Siquidem Reipublicæ etiam priuatorum hominum inſtar præſeferunt mores, dum ſuam quæque indolẽ, ſuos quęque mores, referre videntur, præſertim propter eorum qui in ea degunt & gubernant mores. Denique populariter loquitur Ariſtoteles, itaut non omnino propriè ſed certa quadam ſimilitudine & proportione hîc Reipublicæ tribuantur mores. An verò per additamenta illa moratam orationem exploſerit & quatenus exploſerit, nos ſuo loco diſputauimus, itaut non neceſſe ſit in præſens hac de re longum facere. Tantùm dicam ibi additamentorum nomine affectus vnos (horum enim gratia eò diuerterat) intellexiſſe: tametſi dum enthymemata tantùm ſeu ratiocinationes ad artem diceret pertinere, obtulit locum dubitandi de moribus etiam: quibus tamen alibi plurimum tribuit, itaut moratam orationem interdum κυριωτάτην appellauerit. De qua re noſtras item Diſputationes conſulito. Num verò fidem non ſolùm per demonſtrationem (oratoriam tamen) verùm etiam per ea quæ demonſtrationis ſpeciem quandam referunt tantùm, effici iubeat, diſputauimus item copioſè. Quòd ſi hîc prioris tantum formæ ſeu fidei meminit, nil mirum, cum id ferè obiter attingat ac per tranſennam & propterea breuiter & preſsè; itaut quod breuiter interim ac preſsè indicatur, ex ijs planiùs intelligi velit quæ iam antea prolixè diſſeruit ſuo loco: id enim Ariſtoteli paſſim vſitatum eſt. Et ideo nihil mirum ſi vel ab initio reticuit beneuolẽtiam, vel hîc reticet prudentiam, dum ea commemorat quæ moratæ orationis ope capitur vtilitas: nam id quoque pleniùs hauriri vult ex proprio veluti fonte, nimirum ex ſecundi initio, vbi de morata oratione agit copioſiùs. Atque ibi commodiùs perueſtigabitur cur nihil ibidẽ de eo moratæ orationis genere quod ex cognitione Politicorũ morum inſtitutorúmque gignitur. Denique per moratam orationem beneuolentiam reticet, tum quia beneuolentia ac probitas maiorem quandam vim habet ad animos conciliandos, tum quia reuera morata illa oratio qua ciuitatis exprimuntur mores, & priùs & commodiùs oſtendunt dicentem eſſe probum & ciuitatis illius peramãtem, quàm prudẽtem, præſertim apud multitudinem quæ dicentis beneuolentia & probitate capitur, prudentiam interim vix quidem reputat. Sed de hac re in ſequenti particula pleniùs in qua ſic pergit Ariſtoteles.

Reſpondetur. *Ad I.* *lib. 2. mor. c. 1. ad in.* 872 *Ad II.* *III.* *IV.* *V.* 873

PARTICVLA CLXXXV.

ΤΑ' μὲν γὰρ ἑκάστου ἦθος πιθανώτατον, ἀνάγκη πρὸς ἑκάστην εἶναι. ταῦτα δ' ἐληφθήσεται διὰ τῶν αὐτῶν. τὰ μὲν γὰρ ἤθη φανερὰ κατὰ τὴν προαίρεσιν. ἡ δὲ προαίρεσις ἀναφέρεται πρὸς τέλος.

CViuſque enim mores maximè idoneos ad faciendam fidem, neceſſe eſt in quaque eſſe. Hæc verò accipientur ex iiſdem. Nam mores apparent ex prę-electione: at prælectio refertur ad finem. *Riccobonus.*

Mores

Maioragius.

MOres enim cuiuſque ciuitatis oratione expreſſi, neceſſe eſt vt ad perſuadendum vim habeant maximam; quæ quidem ex eis, quæ antè dicta ſunt, facilè cognoſci poterunt. Nam ex eo quod ſibi quæque ciuitas propoſuit, apertè mores cognoſcuntur: proponunt autem ea ſibi quæ ad finem referuntur.

CONTROVERSIA LVI. Qui ex morũ cognitione morata oratio poſſit exiſtere. Dubitatur I.

OBſcutus ſanè locus ac ſpinoſus, quique controuerſiam offerat grauiſſimam, atque inprimis illud nobis conquirendum ſit quî tandem ex cognitione morum morata exiſtat oratio. Et ſanè quî morata gignatur oratio, atque illa capiendis animis ac propterea ſuaſioni idonea, ſatis conſtat dum Orator dicendo probos ſibi affingit mores, aut ſe auditorum ſtudioſum oſtendit, vel prudẽtem ac proinde fide dignum: etſi enim non cuiuſque eſt moratam hanc orationem probè gignere ac pro dignitate, cum facilè in aſſentatoris aut impudentis aut arrogantis ſuſpicionem venire poſſis, dum vel
874 alios magnificè laudes vel teipſum prudentem bonúmue oſtentes; veruntamen ſi artẽ egregiè occules, ac naturaliter loqui uidearis, nihil prohibet quominus & probus & prudens & auditorum ſtudioſus ac beneuolus videri poſſis. Sed qua obſecro ratione id aſſequaris, dum non tuos ſed Vrbis & Politię in qua dicis, exprimis mores? profectò qui alienos effingit mores, ſimius videri poſſit veriùs quàm moratam orationem effingere. Et tamen Ariſtoteles ait moratam orationem gigni ſi Orator Politiæ exprimat mores. Ac profectò dum me moderatum oſtendo atque auditorum peramantẽ, aut prudenter diſſero, non me quidem ſimium aut mimum oſtendo. quin verè mihi animos conciliare auditorum: ſed dum me gnarum Vrbis morum oſtendo, quî hinc me amicum vel bonum (quod ait Ariſtoteles) vel vtrunque referã, non video. At enim II.
ſaltem dum ſe gnarum illius morum Vrbis oſtendit Orator, prudentiam ac ſapiẽtiam illis ſuam probet: nam morata oratione prudentiam quoque exprimi ac fidem gigni, docuit ab initio. Docuit quidem cum diceret viris prudentibus facilè ac celeriùs & in omnibus adhiberi fidem: ſed tamen hîc prudentiam prætermittit omnino, ac iubet vt vel bonus vel amicus vel vtrunque ſe morata oratione oſtendat. Itaque commodiùs vel minùs incommodè dixiſſet, ei, qui dicit, fidem haberi, dum ſe morum illorũ oſtendit gnarum, quia prudentem interim ſe oſtendit ac ſapientem. Quid plura? vel hîc qui III.
in Politia illa loquitur externus eſt ac peregrinus, vel ciuis: ſi peregrinus, facilè contingat vt ſe prudentem ac ſapientem oſtendat qui ſibi eius Vrbis mores comperros eſſe indicet: ſed Ariſtoteles non de peregrino loquitur, cuiuſmodi eſſet legatus aliquis, ſed de ciue vel vno vel maximè. Ac ciuis non magnam ſibi ſapiẽtiæ laudẽ conciliet, multò verò minùs probitatis aut beneuolentiæ, ſi ſe morum ſuę Vrbis ac rerum domeſticarũ
875 gnarum oſtẽdat. Ita ut tota hæc Ariſtotelis præceptio nutare videatur: præſertim verò quia codices hoc in loco nec græcè nec latinè inter ſe conſentiũt, ſed variant mirificè, quemadmodum paulò poſt demõſtrabitur. Agedum igitur quoniam res eſt perdifficilis, explanatores conſulamus. Etſi enim tanta eſt interpretũ varietas atque diſſenſio, *Explicatur*
vt videri poſſim Iſthmum perfodere ſi rem vndique perſpicuam reddere nitar, tentandum tamen eſt. Dum igitur Barbarus & Brocardus hac de re ſilent penitus, dum Riccobonus Ariſtotelis verba paraphraſticè ſic perſequitur vt dubitationẽ attingat nullã: Maioragium nobilem interpretem audiamus, qui ſic ſcribit. *Qui audiunt, facilè credunt ei, quem aut virum bonum, aut beneuolum aut vtrunque exiſtimant: putant autem eum virum bonum qui mores & inſtituta maiorum laudat, & ea diligenter eſſe ſeruanda cenſet, & præcipuè quę ad religionem attinent: vt ſi Iudæus apud Chriſtianos verba faciens chriſtianam fidem & religionem ſummis laudibus extolleret, & mores atque inſtituta Chriſtianorum Oratione ſua vehemẽter approbaret.* Sic iſte qui tamen mihi tantiſper a ſcopo deerrare videtur dum ad laudẽ confugit qua capiuntur animi, non ad cognitionem eorum morum in qua nititur Ariſtoteles. Quanquam, mea quidem ſententia, aptè pergit Maioragius, *morum ſimilitudo facilè conciliat amicitiam. quare cum Auditores aut iudices intelligunt Oratorem ſibi eſſe ſimilem, & idem velle ac nolle quod ipſi volunt aut nolunt, ſtatim ei fiunt amici, libentèrque audiunt, & dictis fidem adhibent.* Sed Victorium audiamus, qui ſanè, etſi dubitationem diſſimulat omnẽ, videri tamen poſſit aliquid ad rem percommodè attuliſſe dum ait. *Exiſtimabunt qui audient, ſtudioſique illius Reipublicæ ſunt, huiuſcemodi eſſe dicentem: nec ad tempus eum ita loqui in-*

 telligent:

*telligent: vt cum ſenſus eorum tangat, eadémque, quæ ipſi probant, commendet, orationem eius om-
nem recipiant, totóſque ſe illi dent*: ſignificat igitur tunc moratam orationem gigni ex Re- 876
publicæ moribus & inſtitutis, cum ſe eorum ſenſui accommodat, eiuſdémque genij
& ingenij oſtendit, &, vt dicam paucis, earum humores (vt vulgo dicitur) affectúſque
& inclinationes præſefert ac ſequitur. quam rem eleganter confirmat Socratis doctri-
na, ſic pergens, *Socrates quoque apud Platonem in Gorgia non diſſimilem huic ſententiam protu-
lit affirmauit enim cunctos homines gaudere cum audiunt orationem quæ conueniat moribus & na-
turæ ipſorum: qui autem delectantur alicuius ſermone facilè etiam illo capiuntur ac perſuadentur.*
Hæc Victorius cuius mihi ſententia & probatur interim & probabitur magis ſi quæ
docet, cum verbis illis conſentient, *hæc verò accipientur ex ijſdem*, & quæ ſequuntur in hac
eadem particula. De qua re paulò poſt. Nunc illud moneo moratam orationem iſtam
non tam ex cognitione quàm ex expreſſis illorum moribus & inſtitutis gigni, licet co-
gnitio antecedat neceſſe eſt ad quam orationem conformet Orator. Quapropter vt
rem exemplo illuſtremus, ſi fortè ciues illi quibuſcum agit Orator iniuria affecti ſint
ab finitima Vrbe de qua optimè meriti eſſent, ac propterea non poſſent non ſubiraſci
ac pœnas repetere, præſertim qui ſe iniuriarum intolerantes oſtendiſſent ſæpè atque
offenſiones vlti eſſent, Orator facilè illorum capiet animos, ſi ingrati animi crimen re-
prehenderit ac beneficiorum immemores omni contumelia dignos affirmarit, quin
perfidos habendos & dignos quibus iniurię rependantur, atque adeò prolixè rependã-
tur: pręſertim ab ijs qui anteacto tempore opem illis tulerint ac fidem in omnibus prę-
ſtiterint ſuam. Si inquam hæc & huiuſmodi alia ſentire videatur, haud dubiè ſe ciuium
illorum mores ac ſenſus non modò perſpectos habere, ſed exprimere, atque illorum
propenſioni & indignationi obſecundare, vnde & beneuolus & prudens habeatur.

Poſterior particulæ pars explanatur quæ eſt obſcuriſſima.

Sed iam quę ob preſſum dicendi genus & codicum varietatem ſuccedunt tenebrę, 877
depellamus, ſi fieri poſſit, & germanam reliquæ huius particulæ ſententiam requira-
mus. Ergo vt certa ab incertis diſtinguamus, & a facilioribus ad difficiliora declaranda
progrediamur, ſic primũ ſtatuo, illud τὸ μὲν γὰρ ἑκάστου (ſic enim Riccobonus legit inter
cęteros) commodiùs legi ἑκάστης quemadmodum reponit Victorius. Nam Ariſtoteles
non mores cuiuſque hominis ſed cuiuſque Politiæ maximam vim habere ſignificat ad
fidem eis faciendam ſi ijdem in Oratoris pelluceant oratione, & ideo vetus interpres
legit *cuiuſque vitæ ciuilis*, & Maioragius vertit *vniuſcuiuſque Reipublicæ*, itaut pro ἑκάστου
ἑκάστης legendum ſit. non inficior tamẽ ἑκάστου in idem fermè recidere. Nam ſenſus eſſet
cuiuſque mores, ab Oratore ſcilicet expreſſos, maximè idoneos eſſe ad fidẽ faciendã.
ex qua generali propoſitione efficeretur Politiæ quoque mores eſſe idoneos ad fidem
faciendam ſi ab Oratore dicendo exprimantur. Quo in loco illud πρὸς ἑκάστην, rectiùs
πρὸς ἕκαστον legeretur: vt propterea altera lectio omnino ſit retinenda. Sed quò deinde
ſpectant quæ ſequuntur verba, ταῦτα δὲ λυφθήσεται διὰ τῶν αὐτῶν? Riccobonus vertit,
Hæc verò accipientur ex ijſdem: Quo fit vt percipere haud liceat quid per *Hæc*, intelligat
Ariſtoteles, quidue *ex ijſdem* illi ſignificet. ita fit vt quæ rurſus ſubijciuntur verba, præ-
ſertim quod attinet ad προαίρεσιν illam, in varias ſententias diſtrahũtur. Sed quæſo alios
interpretes conſulamus. Ergo Sueſſanus vocem illam ταῦτα refert ad mores. Qua in re
veterem quem explicat, ſequitur interpretem qui cum ſcripſiſſet, *Mores enim cuiuſque
neceſſariò maximè perſuadebunt ſi ad vnamquamque fuerint*: è veſtigio pergebat, *Hi autem ex
ijſdem accipientur*: eodémque modo vertit Maioragius: nam cum dixiſſet, *Mores enim* 878
cuiuſque ciuitatis, oratione expreſſi, neceſſe eſt vt ad perſuadendum vim habeant maximam, per-
gebat, *qui quidem ex eis quæ antea dicta ſunt facilè cognoſci poterunt*. Victorius verò cum di-
xiſſet, *Mos enim ſingularum neceſſe eſt ſit maximè accommodatus ad ſingulis fidem faciendam*,
pergebat ſtatim, *Hæc autem obtinebuntur ope earundem rerum*: vbi licet per ταῦτα non videa-
tur intelligere mores, cum vertat, *hæc* (credo quòd illud τὸ ἦθος illum retardauit) tamen
reuera mores intelligere videtur in commentario. Nam ſcribit, *Intelligit indolem ac mo-
res*. Vt mirum ſit Riccobonum ſcriptum reliquiſſe, *Nam in vnaquaque Republica mores
ipſius maximam vim ad perſuadendum habeant neceſſe eſt*, vbi τὸ ἦθος multitudinis numero
exprimens cômodè pergere poterat *ij verò accipiuntur ex ijſdem*, & rurſus in paraphraſi,
hæc ipſa ex ijſdem intelligentur. Sed nihil eſt cur a vetere interprete diſcedamus quem al-
ter etiam ſequitur, vertens, *ij autem* (ſcilicet mores) *reperientur ex ijſdem*, & verè locus ſic
vertendus, ſi græcam œconomiam ſequamur, *Oportet mores Politiarum cuiuſque habere*

nos:

nos:(cuiuſque enim (Politiæ ſcilicet) *mos aptiſſimus ſit ad perſuadendum cuique neceſſe eſt) ij autem ſumentur per eadem.* Vbi verba τὰ ταῦτα (de cæteris enim paulò poſt) omnino ſunt referenda ad τὰ ἤθη: nam τὸ ἦθος per ſuſpenſionem orationis interponitur. Itaut rectè Sueſſanus & Maioragius ſequantur veteres interpretes: Victorius verò ſententiam aſſequatur quidem, ſed minùs commodè ταῦτα vertat *hæc*, cum ſupra verterit mores. Et ideo quanuis indolem ac mores per τὰ ἤθη accipere poſſumus, tamen nihil erat cur non mores tātùm intelligeret ac verteret. At enim ſit iſtud: verùm dum pergit mores iſtos ſumantur διὰ τῶν αὐτῶν, quo ſpectat? Sueſſanus *Ex eiſdem* (inquit) *accipientur, ſubaudi ex quibus finis ſeruatur, hoc eſt ex conſuetudinibus & legibus & vtilibus: igitur ex eis cognoſcuntur*
879 *mores.* Eandem ſententiam ſequitur Victorius in commentario dum ſcribit auxilio earundem rerum percipi, ideſt conſuetudinum inſtitutorum ac rerum vtilium quæ ipſis rebus publicis conducunt. Tametſi mox ſententiam mutare videtur, ſicut Sueſſanus etiam illud *ex iiſdem* poſtea exponit ex iiſdem finibus. Maioragius verò vertit, *Ex ijs quæ ante dicta ſunt facilè cognoſci poterunt*, & in commentario ſcribit, *Vim maximam ad perſuadendum expreſſi oratione mores habent, qui facilè cognoſci poſſunt ab eo qui intelligat quid ſibi quæque ciuitas propoſuit*, vbi reuera illud διὰ τῶν αὐτῶν, quanquam declarat ſatis: tametſi fortaſſe intelligit ipſe quoque cōſuetudines inſtituta & res vtiles cum hęc antea dicta ſint. Ita quidem dum pergit Ariſtoteles τὰ μὲν γὰρ ἤθη φανερὰ κατὰ τὴν προαίρεσιν ἡ δὲ προαίρεσις ἀναφέρεται πρὸς τὸ τέλος, *mores enim perſpicui fiunt ex prælectione; prælectio autem refertur ad finem*, ſignificaret ea quæ eliguntur ac diriguntur ad finem, cuiuſmodi ſunt conſuetudines inſtituta, res vtiles. Dum enim Politiæ ſingulæ ijs vtuntur ad finem ſibi propoſitum, id ex electione faciunt. ita quidem quantum ex hiſce gryphis colligere licet; dū ciues certas conſuetudines ſectantur ac certa inſtituta, certáſque res vtiles quibus finē ſuæ Politiæ propoſitum attingant, atque illa præeligunt, Orator qui ijſdem vtitur ad aliquid ſuadendum, clam eorum ciuium capit animos, cum ſe ad eorum mores temperat & propenſionem ſectatur. Atque hinc fortaſſe licet Ariſtotelis ſententiam probare. Etſi enim cū auditores iam præelegerint, videri poſſit temerè Orator eis aliquid ſuadere velle, attamen hîc ex ijs quę anteacto tempore elegiſſe videantur, occaſionem arripiendam oratori ſtatuit Ariſtoteles vt ſe illis genio, ingenio, moribus ſimilem dicendo effingat (atque hinc morata quam quærimus orietur oratio) & ad ea quę in cōſultationem veniunt deliberanda impellant. Hæc habui quibus explanarem ſpinoſum
880 hunc locum & difficillimum. In quo tamen Sueſſanus rurſus mutat ſententiam, quā quoniam non paucis proſequitur, ex illo hauriat qui allatam explicationem non ſatis probet. In qua etiam, ipſe quoque magnopere vereor non illud διὰ τῶν αὐτῶν referendū ſit ad Politias, quaſi verò dicat eos mores quos percipi iuſſit in Politijs, ex ijſdem Politijs aſſumēdos. quin addiderim cætera verba ideo ſubijci quia tacitè dubitare potuiſſet quiſpiam quomodo ex ijſdem Politijs accipiendi eſſent ac pergnoſcēdi earum mores; & ideo reſpondet Ariſtoteles inde poſſe percipi quòd cum ea quæ ad finem pertinent præeligant, & in hac præelectione mores ſe ſe offerant, fit ſanè vt non difficile ſit eos percipere. itaque cum Politiæ ſuum oſtendant ſtudium in ijs quæ eligunt ac dirigunt ad finem, ac proinde affectus, conatus, propenſiones vnde pellucent mores; mores ex ijſdem Politijs aſſumere liceat Oratori.

PARTICVLA CLXXXVI.

ΩΝ μὲν οὖν δεῖ ὀρέγεσθαι προτρέποντας ὡς ἐσομένων, ἢ ὄντων: καὶ ἐκ τίνων δεῖ τὰς περὶ τοῦ συμφέροντος πίστεις λαμβάνειν: ἔτι δὲ τῶν περὶ τὰς πολιτείας, ἠθῶν καὶ νομίμων διὰ τίνων τε καὶ πῶς εὐπορήσομεν, ἐφ' ὅσον ἦν τῷ παρόντι καιρῷ σύμμετρον, εἴρηται. διηκρίβωται γὰρ ἐν τοῖς πολιτικοῖς περὶ τούτων.

Riccobonus. AC quæ quidem oportet appetere illos, qui ſuadent tanquā futura, vel præſentia vnde oporteat de vtili fidem ſumere, præterea verò de rerum publicarum moribus & inſtitutis, tum quibus tum quomodo abundabimus, quātum erat præſenti tempori accommodatum, dictum eſt. Exquiſitè enim diſputatum eſt in Politicis de his.

SEd iam quæ ſibi proponere debeant illi qui ſuadent aliqua tanquam futura & Maioragius.
inſtantia, & unde poſſint argumenta de eo, quod vtile eſt, ſumere, & præterea
de moribus & inſtitutis, quibus ſinguli ciuitatum ſtatus reguntur, quibus rationi-
bus, & quomodo poſſimus dicendi copiam habere, quantum decuit in hac arte quæ- 881
rere, diximus: nam in libris de Republica de his accuratiùs pertractatum eſt.

PErorat Epilogo vniuerſam Deliberatiui generis tractationem, & copio-
sè perorat, itaut dum ſiue colligat dicta, ſiue tranſitione vtitur ad dicen-
da (hæc enim iam iam vtetur ſubdens, *Poſt hæc autem dicamus de virtute &*
vitio & honeſto & turpi) prolixè diſputet & copiosè. Ita fit vt ſi in rerum
explicatu preſſus, in epilogis certè & trāſitionibus copioſus videri poſ-
ſit. Nihil tamē prohibet quominus eiuſmodi epilogi & tranſitiones ma-
gnum afferant adiumentum: ſiquidem tanquam filum offerunt quod in curſu ora-
tionis teneamus ne facilè aberremus. Pertinet verò hic epilogus ad quartū huius libri
caput & quatuor quæ quartum proximè conſequuntur, cum enim ad quarti initium
de Deliberatiuo genere ſibi diſputandum propoſuiſſet, ac propterea de quibus & ex
quibus ſit Deliberatio, diſſeruit in quarto de quibus eſt deliberatio tum in quinto de
ijs ex quibus conficitur bonis: ita quidem cum de bonis in vniuersùm ac de illius for-
mis egiſſet ac partibus, mox de bonis confeſſis & controuerſis in ſexto, tum de bonis
comparatis in ſeptimo, denique de moribus inſtitutiſque Rerum publicarum in hoc
octauo verba fecit. Ob id igitur de ijs dictum eſſe ait: addit quantum tamen præſenti
tempori accommodatum erat, quia exquiſitè de ijs agere (id quod ipſemet ſubijcit) per
tinet ad Politicam. Verè enim de moribus & inſtitutis Politiæ in Politica diſputatum
eſt tum copioſiùs tum accuratiùs. Nam de bonis quæ in priore Epilogi cōcludit parte
non in Politica ſed in libris de moribus vbi de beata vita verba fecit. Itaut dum de ijs ait
in Politicis exquiſitè diſputatum, ſpectet ea tantùm quæ ad mores pertinent & inſti-
tuta, quæ poſtremò commemorauit.

At enim cur ait ſe dixiſſe de ijs quæ appetere oportet ſuadentes tanquam futura vel
præſentia? certum eſt enim deliberationem eſſe de rebus futuris tantùm, ac propterea
ſpectare futurum tempus, non res præſentes ad deliberationem pertinere. An ita lo- 882
quitur quia in Deliberatiuo genere Orator ſic ſpectat futurum tempus, vt præſens etiā
aſſumat? ægrè quidem crediderim, quia hîc ait ſe dixiſſe quæ vel futura vel præſentia
oportet ſuadentes appetere: at præſentia non appetuntur, ſed ad ſummum aſſumuntur
in deliberatione. An igitur præſentia commemorat quia ſuaſor præſentium quoque
cognitionem appetit, vt hinc propoſitiones conficiat? Minimè verò: nam profectò hoc
nomine præterita quoque appetenda illi eſſent, quandoquidem conſtat propoſitiones
ex præteritis quoque rebus duci vel maximè, cum res anteactæ nos de futuris inſtruāt.
Sed fortaſſe præſentia dixit quia latè patent (non enim Phyſico more loquitur aut ma-
thematico) ac propterea de ijs etiam deliberamus vel retinendis vel antiquandis quæ
ſunt præſentia; & ideo ait ex his fidem ſumi de vtili. Hæc ad propoſitum ſcrupulū, qui
non exiguus ſanè eſt, tollendum. Nam ea Victorij verba, *Traditum eſt quæ appetere propo-*
nereque ſibi oportet eos qui dicendo ad aliqua impellere quoſpiam vt futura aut inſtantia conātur.
qui huic modo explicando aptare poſſint non video: is enim qui inſtantia ſeu præſen-
tia appetit ac ſibi proponit vt ad aliqua impellat auditores, adhuc rem futuram ſpectat
& de qua deliberandum ſit: & ideo adhuc oſtendendum erat Victorio quî ad inſtātia
vel præſentia impellat auditores. Denique ſi appetere, hic valeret ſibi proponere, quod
optare videtur Victorius ſeu interpretari, nō modò inſtantia ſeu præſentia, verùm etiā
præterita, ac multò magis appetere, hoc eſt ſibi proponere, debuiſſet: nam rerum ge-
ſtarum exempla nos de futuris admonent vel maximè. Atque ex dictis licet animaduer-
tere quid de Sueſſani explicatu ſit ſentiēdum qui præſentia memorari, ait quoniā non
ſemper futura ad quæ Orator hortatur, veniunt (eius verbis vtor) ſed ſunt perſuaſiones
CONTROVERSIA LVII. ad futura, quaſi eſſent futura & ventura; quæ ſanè cum ijs omnino pugnant quæ ab Ari- 883
ſtotele de Deliberatiui generis tempore futuriſque rebus præcipit apertè ſatis. vide ſupra pag. 181.
NVM iure ſigni- Iam verò antequam aggrediamur ad genus Demonſtratiuum quod continenter in
proximo capite nono tractatur & explicatur ab Ariſtotele, Peruelim equidem vt ab
Ari-

Ariſtotele illud requiramus quo conſilio aut quàm verè profeſſus ſit ſe hactenus illa *ficet ſe ex-*
pertractaſſe & explicaſſe quæ pertinent ad Deliberatiuum genus; verendũ eſt enim ne *plicaſſeq;*
plurima ſuperſint adhuc dicenda quaéque dicta & explanata longè ſuperent numero *pertinẽt ad*
ac mole. Id totum igitur diſceptandum proponimus & ad controuerſiam reuocamus. *ſuaſionẽ et*
Ergo illud obſeruandum eſt diligenter affirmaſſe quidẽ Ariſtotelẽ in fine capitis ſepti- *diſſuaſionẽ*
mi ſe de iis egiſſe quæ valent ad ſuadendũ & ad diſſuadẽdum, ac rurſus ad initium noni
ſignificare, Deliberatiuo explicato, iam ad Demonſtratiuum genus accedendum eſſe.
Sed tamen reuera non abſoluit & omnia quæ pertinent ad genus Deliberatiuum. nam
primò Diſpoſitionis & Elocutionis præcepta quæ Deliberatiuo quoque ſunt neceſſa-
ria, nondum attigit: quæ tamen conſultò reliquit quòd in tertio hæc reſumantur, &
tractentur pro generibus omnibus opportunè. Itaque in capite octauo perorauit ea
tantùm quæ pertinent ad Inuentionem.

Quanquam neque de hac omni ex parte verba fecit. nam Inuẽtionem argumento-
rum reuocauit ad tria capita, prout a rebus, a perſona dicentis, ab Auditore, ducuntur:
a rebus propter enthymemata, a perſona dicentis propter mores, ab Auditoribus pro-
pter affectus. & tamen hactenus non præſtitit niſi ea quæ pertinent ad enthymemata.
itaur pro genere Deliberatiuo mores adhuc & affectus explicandi ſint.

Quin neque etiã abſoluit ea omnia quæ pertinent in hoc genere ad enthymemata:
884 nam enthymemata ſeu ratiocinationes, ſeu mauis fides & probationes, diſtribuit in ar-
tificioſas & artis expertes, & tamen de expertibus artis nihil adhuc. Quid quod ne illa
quidem attigit quæ ad enthymemata pertinent in vniuerſùm, ac propterea Delibera-
tiuo generi cum cæteris communia cẽſeri ſolent? etenim cum & proprias ſingulorum
generum propoſitiones & communes excogitauit vnde cõflentur enthymemata, pro-
prias Deliberatiui generis propoſitiones proſecutus eſt ille quidem, communes non-
dum ſe ſe in conſpectum dedêre. Quod ſi communes loci enthymematis ac Delibera-
tiuo generi ſeruiunt, hos quoque in obſcuro verſari hactenus ſatis conſtat.

Quin dubitari poſſet num quod attinet ad hoc genus, de exemplis egerit ſatis. nam
ad artificioſam fidem viſus eſt cum enthymematis exẽpla quoque reuocare eaudém-
que cum propria tum communia, perinde ac de propoſitionibus & enthymematis di-
ximus, conſtituere: & tamen communis hæc de exemplis præceptio, quam tamen ad
Deliberatiuum genus maximè pertinere neceſſe eſt, latet adhuc. Sed ſuum quæque lo-
cum, nec inopportunè, habebũt. nam quemadmodum Diſpoſitionem & Elocutionẽ *Explicatur*
reiecit ad tertium, quòd communiter ſeruirent omnibus generibus; ſic de affectibus &
moribus diſputabit in ſecundo, quòd hæc, licet ad artificioſam probationem pertineãt,
tamen communia ſint tribus generibus omnibus. atque eádem planè ratione alibi de
propoſitionibus communibus déque communibus locis inſtituet nos copioſè.

Eodémque modo non inopportunè fidem expertem artis tractauit. etſi enim hæc
tractatio videbatur attingẽda poſtquam expleta fuiſſet artificioſa, & propterea in fine
885 ſecundi, tamen quia fides artificioſa quæ ex tabulis, teſtibus & huiuſmodi aliis, peculia-
rem affinitatem habet cum genere Iudiciali, vix vt cum cæteris commercium habeat,
idcirco totam hanc tractationem fidei expertis arte coniunxit cum genere Iudiciali,
interpoſuitque in medio artificioſæ fidei explicatu, ante affectus ſcilicet & mores.

Exempla verò & iam antea ad inductionem reuocauit (de qua tamen re diximus eo
in loco) & quod pertinet ad eorum principia & elementa, breuiter declarauit: reliqua,
præſertim quod eorum intereſt varietatis, proſequitur in ſecundo.

Ita ſanè quæ pertinent ad genus Deliberatiuum reuera perpauca abſoluit hactenus
Ariſtoteles: nimirum ea tantùm quæ ad Inuentionem artificioſam pertinent, ídque ſi-
gillatim tantũ, ſeu quod attinet ad proprias artificioſæ fidei propoſitiones, quę ex rebus
ipſis ducuntur ac pertinent ad enthymemata. Cætera ſuis quæque locis reſumet ac
perſequetur.

Hæc te monere volui vt tum vim propoſiti Epilogi agnoſcas & quàm latè pateat, tũ
vniuerſam Ariſtoteleæ Rhetoricæ Oeconomiam ac texturam hîc planè in promptu
habeas, vnde ad nouum genus diuertit. Sic licebit nobis vela pandere non ſine magna
ſuſcepti itineris perſpicuitate.

Et tamen vnum atque alterum explicare cogor antea ut omnẽ dubitationi locũ prę-
cidam. Primum eſt cur Ariſtoteles qui profitetur ſe docuiſſe quæ pertinent etiam

SEd iam quæ ſibi proponere debeant illi qui ſuadent aliqua tanquam futura & Maioragius.
inſtantia, & vnde poſſint argumenta de eo, quod vtile eſt, ſumere, & præterea
de moribus & inſtitutis, quibus ſinguli ciuitatum ſtatus reguntur, quibus rationi-
bus, & quomodo poſſimus dicendi copiam habere, quantum decuit in hac arte quæ- 881
rere, diximus: nam in libris de Republica de his accuratiùs pertractatum eſt.

PErorat Epilogo vniuerſam Deliberatiui generis tractationem, & copio-
sè perorat; itaut dum ſiue colligat dicta, ſiue tranſitione vtitur ad dicen-
da (hæc enim iam iam vtetur ſubdens, *Poſt hæc autem dicamus de virtute &*
vitio & honeſto & turpi) prolixè diſputet & copiosè. Ita fit vt ſi in rerum
explicatu preſſus, in epilogis certè & trāſitionibus copioſus videri poſ-
ſit. Nihil tamē prohibet quominus eiuſmodi epilogi & tranſitiones ma-
gnum afferant adiumentum: ſiquidem tanquam filum offerunt quod in curſu ora-
tionis teneamus ne facilè aberremus. Pertinet verò hic epilogus ad quartū huius libri
caput & quatuor quæ quartum proximè conſequuntur. cum enim ad quarti initium
de Deliberatiuo genere ſibi diſputandum propoſuiſſet, ac propterea de quibus & ex
quibus ſit Deliberatio, diſſeruit in quarto de quibus eſt deliberatio tum in quinto de
ijs ex quibus conficitur bonis; ita quidem cum de bonis in vniuersùm ac de illius for-
mis egiſſet ac partibus, mox de bonis confeſſis & controuerſis in ſexto, tum de bonis
comparatis in ſeptimo, denique de moribus inſtitutiſque Rerum publicarum in hoc
octauo verba fecit. Ob id igitur de ijs dictum eſſe ait: addit quantum tamen præſenti
tempori accommodatum erat, quia exquiſitè de ijs agere (id quod ipſemet ſubijcit) per
tinet ad Politicam. Verè enim de moribus & inſtitutis Politiæ in Politica diſputatum
eſt tum copioſiùs tum accuratiùs. Nam de bonis quæ in priore Epilogi cōcludit parte
non in Politica ſed in libris de moribus vbi de beata vita verba fecit. Itaut dum de ijs ait
in Politicis exquiſitè diſputatum, ſpectet ea tantùm quæ ad mores pertinent & inſti-
tuta, quæ poſtremò commemorauit.

At enim cur ait ſe dixiſſe de ijs quæ appetere oportet ſuadentes tanquam futura vel
præſentia? certum eſt enim deliberationem eſſe de rebus futuris tantùm, ac propterea
ſpectare futurum tempus, non res præſentes ad deliberationem pertinere. An ita lo- 882
quitur quia in Deliberatiuo genere Orator ſic ſpectat futurum tempus, vt præſens etiā
aſſumat? ægrè quidem crediderim, quia hîc ait ſe dixiſſe quæ vel futura vel præſentia
oportet ſuadentes appetere: at præſentia non appetuntur, ſed ad ſummum aſſumuntur
in deliberatione. An igitur præſentia commemorat quia ſuaſor præſentium quoque
cognitionem appetit, vt hinc propoſitiones conficiat? Minimè verò: nam profectò hoc
nomine præterita quoque appetenda illi eſſent, quandoquidem conſtat propoſitiones
ex præteritis quoque rebus duci vel maximè, cum res anteactæ nos de futuris inſtruāt.
Sed fortaſſe præſentia dixit quia latè patent (non enim Phyſico more loquitur aut ma-
thematico) ac propterea de ijs etiam deliberamus vel retinendis vel antiquandis quæ
ſunt præſentia; & ideo ait ex his fidem ſumi de vtili. Hæc ad propoſitum ſcrupulū, qui
non exiguus ſanè eſt, tollendum. Nam ea Victorij verba, *Traditum eſt quæ appetere propo-*
nereque ſibi oportet eos qui dicendo ad aliqua impellere quoſpiam vt futura aut inſtantia conātur.
qui huic modo explicando aptare poſſint non video: is enim qui inſtantia ſeu præſen-
tia appetit ac ſibi proponit vt ad aliqua impellat auditores, adhuc rem futuram ſpectat
& de qua deliberandum ſit: & ideo adhuc oſtendendum erat Victorio quî ad inſtātia
vel præſentia impellat auditores. Denique ſi appetere, hic valeret ſibi proponere, quod
optare videtur Victorius ſeu interpretari, nō modò inſtantia ſeu præſentia, verùm etiā
præterita, ac multò magis appetere, hoc eſt ſibi proponere, debuiſſet: nam rerum ge-
ſtarum exempla nos de futuris admonent vel maximè. Atque ex dictis licet animaduer-
tere quid de Sueſſani explicatu ſit ſentiēdum qui præſentia memorari, ait quoniā non
ſemper futura ad quæ Orator hortatur, veniunt (eius verbis vtor) ſed ſunt perſuaſiones
CONTROVERSIA LVII. NVM iure signi- ad futura, quaſi eſſent futura & ventura: quæ ſanè cum ijs omnino pugnant quæ ab Ari- 883
ſtotele de Deliberatiui generis tempore futuriſque rebus præcipit apertè ſatis.
Iam verò antequam aggrediamur ad genus Demonſtratiuum quod continenter in vide ſupra pag. 181.
proximo capite nono tractatur & explicatur ab Ariſtotele, Peruelim equidem vt ab
Ari-

Ariſtotele illud requiramus quo conſilio aut quàm verè profeſſus ſit ſe hactenus illa pertractaſſe & explicaſſe quæ pertinent ad Deliberatiuum genus; verendū eſt enim ne plurima ſuperſint adhuc dicenda quæque dicta & explanata longè ſuperent numero ac mole. Id totum igitur diſceptandum proponimus & ad controuerſiam reuocamus. Ergo illud obſeruandum eſt diligenter affirmaſſe quidē Ariſtotelē in fine capitis ſeptimi ſe de ijs egiſſe quæ valent ad ſuadendū & ad diſſuadēdum, ac rurſus ad initium noni ſignificare, Deliberatiuo explicato, iam ad Demonſtratiuum genus accedendum eſſe. Sed tamen reuera non abſoluit & omnia quæ pertinent ad genus Deliberatiuum. nam primò Diſpoſitionis & Elocutionis præcepta quæ Deliberatiuo quoque ſunt neceſſaria, nondum attigit: quæ tamen conſultò reliquit quòd in tertio hæc reſumantur, & tractentur pro generibus omnibus opportunè. Itaque in capite octauo perorauit ea tantùm quæ pertinent ad Inuentionem. *ficet ſe ex- plicaſſeque pertinē: ad ſuaſionē et diſſuaſionē*

Quanquam neque de hac omni ex parte verba fecit. nam Inuētionem argumentorum reuocauit ad tria capita, prout a rebus, a perſona dicentis, ab Auditore, ducuntur: a rebus propter enthymemata, a perſona dicentis propter mores, ab Auditoribus propter affectus. & tamen hactenus non præſtitit niſi ea quæ pertinent ad enthymemata. itaut pro genere Deliberatiuo mores adhuc & affectus explicandi ſint.

Quin neque etiā abſoluit ea omnia quæ pertinent in hoc genere ad enthymemata:
884 nam enthymemata ſeu ratiocinationes, ſeu mauis fides & probationes, diſtribuit in artificioſas & artis expertes, & tamen de expertibus artis nihil adhuc. Quid quod ne illa quidem attigit quæ ad enthymemata pertinent in vniuersùm, ac propterea Deliberatiuo generi cum cæteris communia cēſeri ſolent? etenim cum & proprias ſingulorum generum propoſitiones & communes excogitauit vnde cōflentur enthymemata, proprias Deliberatiui generis propoſitiones proſecutus eſt ille quidem, communes nondum ſe ſe in conſpectum dedêre. Quod ſi communes loci enthymematis ac Deliberatiuo generi ſeruiunt, hos quoque in obſcuro verſari hactenus ſatis conſtat.

Quin dubitari poſſet num quod attinet ad hoc genus, de exemplis egerit ſatis. nam ad artificioſam fidem viſus eſt cum enthymematis exēpla quoque reuocare eamdémque cum propria tum communia, perinde ac de propoſitionibus & enthymematis diximus, conſtituere: & tamen communis hæc de exemplis præceptio, quam tamen ad Deliberatiuum genus maximè pertinere neceſſe eſt, latet adhuc. Sed ſuum quæque locum, nec inopportunè, habebūt. nam quemadmodum Diſpoſitionem & Elocutionē reiecit ad tertium, quòd communiter ſeruirent omnibus generibus; ſic de affectibus & moribus diſputabit in ſecundo, quòd hæc, licet ad artificioſam probationem pertineāt, tamen communia ſint tribus generibus omnibus. atque eádem planè ratione alibi de propoſitionibus communibus déque communibus locis inſtituer nos copioſè. *Explicatur*

Eodémque modo non inopportunè fidem expertem artis tractauit. etſi enim hæc tractatio videbatur attingēda poſtquam expleta fuiſſet artificioſa, & propterea in fine
885 ſecundi, tamen quia fides artificioſa quæ ex tabulis, teſtibus & huiuſmodi alijs, peculiarem affinitatem habet cum genere Iudiciali, vix vt cum cæteris commercium habeat, idcirco totam hanc tractationem fidei expertis arte coniunxit cum genere Iudiciali, interpoſuítque in medio artificioſæ fidei explicatu, ante affectus ſcilicet & mores.

Exempla verò & iam antea ad inductionem reuocauit (de qua tamen re diximus eo in loco) & quod pertinet ad eorum principia & elementa, breuiter declarauit: reliqua, præſertim quod eorum intereſt varietatis, proſequitur in ſecundo.

Ita ſanè quæ pertinent ad genus Deliberatiuum reuera perpauca abſoluit hactenus Ariſtoteles: nimirum ea tantùm quæ ad Inuentionem artificioſam pertinent, idque ſigillatim tantū, ſeu quod attinet ad proprias artificioſæ fidei propoſitiones, quę ex rebus ipſis ducuntur ac pertinent ad enthymemata. Cætera ſuis quæque locis reſumet ac perſequetur.

Hæc te monere volui vt tum vim propoſiti Epilogi agnoſcas & quàm latè pateat, tū vniuerſam Ariſtoteleæ Rhetoricæ Oeconomiam ac texturam hîc planè in promptu habeas, vnde ad nouum genus diuertit. Sic licebit nobis vela pandere non ſine magna ſuſcepti itineris perſpicuitate.

Et tamen vnum atque alterum explicare cogor antea ut omnē dubitationi locū præcidam. Primum eſt cur Ariſtoteles qui profitetur ſe docuiſſe quæ pertinent etiam

ad diſſuaſionē, ea reuera non attigerit? nam ſuaſionis gratia vtile ac bonū protulit vnde
quis ſuadeat, ac propterea & de ſummo bono egit, & de illius partibus, itaut & animi
& corporis & fortunæ bona longo ordine percenſuerit & declarauerit. Atque eâdem
de cauſa egit et iam de bonis cōfeſſis, de controuerſis, de bono maiore & minore, itaut
omnem angulum excuſſerit in quo boni aliquid lateret. Sed de malis & detrimētoſis
rebus vnde ducitur diſſuaſio ne verbum quidem, cum tamen profiteatur ſe quicquid
non modò ad ſuadendum, verum etiam ad diſſuadendū valet peræquè demonſtraſſe.
Neque verò quiſpiam reſpondeat ſuaſionem & diſſuaſionē quippe quæ ſunt contra-
riæ ſub eodem genere verſari, ac proinde ad eandem diſciplinam pertinere. Etenim vi- 886
dendum eſt quî ex ijs quæ pro ſuaſione allata ſunt, hauriri poſſint argumenta ad diſ-
ſuaſionem cum eſſet neceſſarium mali, vnde aditus aperiendus eſt diſſuaſioni, vim &
naturam (qualis qualis tandē ſit) populariter ſaltem explicare priùs tum illius formas
varias perſequi & mala tum confeſſa tum controuerſa tum maiora aut minora agno-
ſcere, ac detrimēta commemorare quæ ex propoſitis malis in Rempublicam manare
ſoleant. itaut conſtaret hinc calamitatem in eam importari poſſe quemadmodum ex
bonis illis quibus Oratorem ad ſuaſionem inſtruxerat, ad tranquillitatem beatámque
vitam. Quod ſi Ariſtoteles interim noſtram quod attinet ad diſſuaſionem requirebat
induſtriam paucis ſaltem id ſignificare debuiſſet ac nos de ratione & via ſummatim
admonere, qua peragrādus eſſet diſſuaſionis campus: Magiſtrum enim ac Doctorem
agebat & cui ſtatuendum eſſet ſe Tyronibus aut ſaltē non ſui ſimilibus præcepta tra-
dere. Alterum eſt quod pertinet ad cauſarum ſtatus, cæteri enim Rhetores in ijs expli-
candis deſudāt omnes, cum tamen apud Ariſtotelem de ijs altum ſilentium. Et tamē
poſtulaſſet ratio vt cum tam multa diſputaſſet de genere Deliberatiuo, rationem quo-
que ac viam oſtēdiſſet qua in Deliberatiuo genere ſtatus cauſarum liceret agnoſcere.
Hæc rurſus ſe ſe obijciunt quæ videri poſſint prætermiſſa. Qua in re quod attinet ad
priorem dubitationē, quid turò reſponderi poſſit non ſatis video, niſi dicamus Ariſto-
telem Auditores ſępè vſque adeò induſtrios & nauos requirere, vt ſibi potiùs ac Muſis
canere videatur quàm ad mediocritatē noſtram ſtylum dimittere. Neque verò quiſ-
piam obijciat Ariſtotelem in medium attuliſſe ea ſaltem quæ præcipua videri poſſent
non ſuadenti tantùm, ſed de quibus conſultandi locus eſſet maximè, ſiue deinde ſua-
dendum ſiue diſſuadendum eſſet. Etenim fateor quidem præcipua quædam attuliſſe. 887
quæ ſuadenda vel diſſuadenda ſint pro tempore. Fateor etiam fontes aperuiſſe ex qui-
bus argumenta ducenda ſint ſuadenti, & ideo de vtili & bono copioſiſſimè diſputaſſe:
ſed fontes diſſuadendi oſtendiſſe nullos. & hoc eſt quod præſtandum fuerat maximè:
præſertim quia plura ſunt quæ inter conſultandum ſint diſſuadenda quàm ſuadenda,
id enim paſſim obſeruant qui Curiam ac Senatum frequētant. Quin niſi priùs Sena-
tus principes multa reijcerent quæ conſultanda hinc illinc obtruduntur, perquā pau-
ciſſima eſſent quæ ſuaſione digna eſſent: quamplurima diſſuaſione eſſent tranſigēda.
Et ideo diſſuaſionis fontes aut longè latéque aperiēdi aut ſaltem breuiter ac ſumma-
tim indicandi. Nam quod diſſeruit de maiore ac minore bono, ſi quis id rectè æſtimet,
totum pertinet ad ſuaſionem: minùs enim bonum, ſi non perinde ac maius ſuaſioni
valeat, ſuaſioni tamen valet, nam bonum eſt: itaut ea tractatio vix ac ne vix quidem
quicquam ad diſſuaſionem cōferre poſſit. vt omittam diſſuaſionem ex malis propriè
ducendam ac detrimentis quæ a maiori bono abſunt paſſim. Quod verò pertinet ad
dubitationem alteram, vtinam non eos Rhetores curioſitas abduxerit ne dicam trāſ-
uerſos egerit, qui tam multi fuerunt in ſtatibus cauſarum. Sed vtrum curioſi nouato-
res fuerint ac proficui ante huius primi libri finem pro tenuitate noſtra conquiremus
ac ſtatuemus.

Hæc habui quibus ea explanarem ac dilucidarē quæ hactenus præcepit noſter Au-
thor Ariſtoteles. etenim quas interim dubitationes & multas & varias (ne quid ſcili-
cet diſſimularem) excitaui paſſim, eas partim in ſeptem & quinquaginta quas hacte-
nus interpoſui Controuerſijs, explicaui, partim in ijs quæ iam iam dicenda erunt, vnà
cum alijs plurimis quæ ſe ſe rurſus offerent dubitationibus, perſequar ac dilucidabo, 888
partim denique ſeorſim proprio volumine complectar & pertractabo. cū enim multa
ſe ſe offerant, quæ paucis declarari haud poſſent ſed longiore diſputatione indigerent,
omnino faciendum putaui vt hæc in proprium volumen, quod hiſce Rhetoricis Cō-
mentarijs

Digitized by Google

mentarijs ſubijciam, conferrem. Itaque integro libro Oratorias Diſputationes habebis in quibus præcipuos eloquentię Authores ſe ſe tibi in conſpectum dabunt qui ſuas illi rationes, hoc eſt ſua decreta, tueantur. Noſti enim id dialogis tributum eſſe vt præclariſſimarum artium Authores atque Magiſtros veluti ab inferis excitent, & in congreſſum adducant. Ita ſanè tũ Ariſtoteles tum Plato atque Oratorum vertex M. Tullius præſto erunt, vt cum alia multa de tota dicendi ratione diſceptent tum quę nobis dubitationem crearunt maximè, faciant planiora. Quo fiet vt hinc commodè in medium afferatur & explicetur quicquid Plato de arte dicendi protulit, ac ſparſa illius decreta in vnum veluti corpus, vnde Platonica quoque Rhetorica exiſtat, coaleſcant & illuſtrentur.

Nunc quoniam inſtructiores ac paratiores accedere licet ad genus Demonſtratiuũ, quid de illo doceat Ariſtoteles, ſeu quibus ad illud aggrediatur, audiamus.

CAPVT IX.

PARTICVLA CLXXXVII.

889 *Μετὰ δὲ ταῦτα λέγωμεν περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, καὶ καλοῦ, καὶ αἰσχροῦ. οὗτοι γὰρ σκοποὶ τῷ ἐπαινοῦντι καὶ ψέγοντι.*

Riccobonus.

POſt hęc autem dicamus de virtute & vitio, & honeſto & turpi: res enim huiuſmodi propoſitæ ſunt ei qui laudat, ac qui vituperat.

Maioragius.

DEinceps autem de virtute & vitio, de honeſtate & turpitudine, dicamus: laudanti enim & vituperanti ſunt hi propoſiti fines.

AGgreditur Ariſtoteles ad genus Demonſtratiuum: atque ait, Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας καὶ καλοῦ καὶ αἰσχροῦ λέγωμεν, hoc eſt, Poſtquam de genere Deliberatiuo præcepimus, atque illa complexi ſumus quæ ad ſuadendum pertinent ac diſſuadendum, de Virtute & vitio, de honeſto ac turpi dicẽdum eſt. Sed cur obſecro, Ariſtoteles de genere Demonſtratiuo dicturus, de Virtute ac Vitio, de honeſto & turpi, diſputandum proponis? an non ſatius eſſet de laude ac vituperatione differere, cum hæ ſint partes Demonſtratiui generis, & ad eas omnia ſint in hoc genere referenda? Declarat ipſe ſtatim rem vniuerſam: nam hi ſcopi, inquit, ei ſunt propoſiti, qui laudat & vituperat. quaſi diceret. Verè quidem dicitur Demonſtratiui generis partes atque adeò campum vniuerſum eſſe laudem & vituperationem: itaut qui in Demonſtratiuo verſatur genere, huic in alicuius laude aut vituperatione longè ac latè verſandum ſit, quod etiã docuimus multò antea, verũtamen illud quoque veriſſimè affirmari poteſt, laudem ex virtute & honeſtate perẽdam eſſe, vituperationem ex improbitate & turpitudine, itaut hæc ſint veluti ſcopi, in quos intueri is debeat, qui ſiue laudat ſiue vituperat. Ita operæpretium eſt, vt is qui Demonſtratiuum genus declaraturus ſit, de Virtute quoque ac vitio, de Honeſto ac turpi, verba faciat. Hoc fuit Ariſtotelis conſilium, hæc ratio cur hoc initio vteretur. Qua tamen in re grauiſſima fuiſſe Ariſtoteli

Sũma Conſilij & ſententiæ Ariſtotelis in hoc loco.

CONTROVERSIA LVIII.

Iure ne de Iudiciali genere agat poſterius, de Demonſtratiuo prius.

890 ſe ſe offert Dubitatio & Controuerſia: ſiquidem videtur omnino faciendum vt ſecundo loco non de Demonſtratiuo genere ageret, ſed de Iudiciali. Et ſanè cur de Deliberatiuo egerit primo loco, non contendo, quandoquidem ratio & cauſa in promptu eſt. Continet enim res grauiſſimas pacem, bella, fœdera, leges, Religionem, & id genus alia. Itaq; ab Ariſtotele lib. I. appellatur καλλίονον καὶ πολιτικώτερον pulchrius & cũ ciuili

cap. 1.

bono coniunctius. At cur de Demõſtratiuo agat ſecũdo loco, & ante Iudiciale, id verò dubitatur cũ poſſit videri temerè factũ. Iudiciale enim genus continet res graues, fortunas, vitam, dignitatẽ: eſt etiam magis publicũ, ſed in primis cum Reipublicæ ſalute

Quod non iure id faciat Probatur. I.

a bono

ac bono coniunctiſſimum. contra verò Demõſtratiuum continet res fermè priuatas,
atque In priuatis perſonis exornandis aut vituperandis, verſatur. quin ſæpè oſtentatio-
II. nis gratia vſurpatur, itaut inde planè (ſi multis credimus) Epidictici ac Demonſtratiui
nomen inuenerit. imò verò ſçpè non tam ſeriò, quam animi gratia retinetur teſte Ari-
III. ſtotele ipſo, itaut ad muta quoque animantia reuocetur interdum ac res ludicras, &
hac de cauſa a multis Sophiſtarum proprium cenſetur quorum eſt facundiam oſten-
IV. rare & apud vulgus gloriam captare. Vt minimè mirum videri debeat apud M. Tulliũ,
hoc eſt Oratorem grauiſſimum ac diſertiſſimum, vix fortaſſe orationem vllam in hoc
genere reperiri. & hac etiam de cauſa ſcribit alicubi totum hoc cauſæ genus ſpretum
fuiſſe curia & pulſum foro. Quid eſt igitur quod Ariſtoteles ſuum ſtudium cõferat ad
V. hoc genus pertractandum, aut ſaltem non priùs diſputet de Iudiciali? præſertim verò
quia in Capite III. priùs declarauit finem, partes, tempus, vno verbo naturam Delibe-
VI. ratiui ac Iudicialis quàm Demonſtratiui. Quid plura? idem Ariſtoteles in capite I. ſcri- 891
Contraria ſententia defenditur & confirmatur multis.
bit Deliberatiuum ac Iudiciale eſſe τῆς αὐτῆς μεθόδου, eiuſdem inquam rationis, & viæ:
itaut qui Deliberatiuum explicaſſet, huic è veſtigio de Iudiciali dicendum eſſet. Sed
reſpondeo. Vbi conceſſeris & cõſtitueris iurè Deliberatiuum fuiſſe primo loco expli-
catum ab Ariſtotele (concedas verò oportet ſiue præſtantiæ rationem habeas ſiue fa-
cilioris doctrinæ: cum ea tractet quæ in cõmuni ſunt poſita, & a ciuibus paſſim diſce-
I. ptari ſolent ac teri: præcipuè verò quod hoc genus cum Oratoris qui eſt Reipublicæ
veluti cuſtos, munere eſt coniunctiſſimum) ſanè concedas neceſſe eſt Demonſtratiuũ
cohærenter tractari ac Deliberatiuo debuiſſe ſubiũgi: idque propter affinitatem ma-
ximam & coniunctionem vnde conſociari ac coniungi & poſſunt & debent. Et quidẽ
in Deliberatiuo ſuaſio & diſſuaſio ducitur maximè ex ſummo bono & eius partibus:
nimirum ex bonis corporis, fortunæ, ſed in primis animi, cuiuſmodi eſt prudentia, for
titudo, Iuſtitia ac virtutes reliquæ. At Demõſtratiuum genus in virtutum tractatione
nititur totum, quia laudatio (vt audietis) ex virtutibus ducitur maximè. Et hac de cau-
II. ſa Ariſtoteles in capite V. cum eò deueniſſet vt de virtutibus diſputandum eſſet a qui-
bus maximè ducitur ſuaſio, hanc virtutum tractationem reiecit ad genus Demõſtra-
tiuum, quòd diceret virtutes eſſe communes vtrique generi: quare ſic perorabat locũ
illum. *De virtute, quoniam maximè proprius de laudibus locus eſt, tunc diſſeremus, cum de laude*
III. (quod eſt de genere Demonſtratiuo) *verba faciemus*. Ita ſanè quemadmodũ rectè reie- *part. 105 ſeq. infr. cap. 5.*
cit virtutum tractationem ad Demonſtratiuum genus, quoniam eæ ſunt Demonſtra-
tiui generis magis propriæ; ita videndum fuit ne virtutum ac proinde generis Demon
ſtratiui tractatio reijceretur longiùs, cum pertineret ad Deliberationem: multò verò
minùs tractatione, Deliberatiuæ minùs affini qualis eſt Iudicialis, anteuerteretur. 892
Contraria diluuntur argumẽta.
Neque verò obſtat quòd Iudiciale continere videatur res grauiores quàm Demon-
ſtratiuum aut cum Reipublicæ bono magis coniunctas, itaut genus magis Politicum
dici poſſit; nam id facit quidem aliquo modo ad dignitatem ac nobilitatem aut etiam
ad neceſſitatem, non ad ordinem doctrinæ ac docendi rationem & viã, cuius maximè
habenda eſt ratio hoc tẽpore. Atque hac de cauſa parum refert, quòd Demonſtratiuũ
genus interdũ a Sophiſtis & oſtentationis gratia, aut minùs ſeriò quàm Iudiciale, fue-
rit vſurpatum. nam præterquamquod poteſt etiã ſæpè & a grauiſſimis Oratoribus &
neceſſitatis gratia ac ſeriò vſurpari, ſanè in præſens ordinis & facilitatis habenda eſt ra-
tio, vt dicebã, quæ omnino poſtulat vt Demõſtratiui generis tractatio cũ Deliberatiui
tractatione iungatur. Quod ſi interdum ſcribit M. Tullius, genus Demonſtratiuum
ſpretum curia & pulſum foro, iam id pronũciauit cum aduerſariorum partes ageret,
non ſuã ſententiã conſtitueret, itaque paulò poſt illud & probat & retinet, multorum
quoque pace vſurpat & colit, quemadmodũ vberiùs docebimus paulò poſt. Nã ab Iſo
crate & Demoſthene quoque retineri ac ſtrenuè coli compertũ eſt. vt omittam nobis
hoc tẽpore Ariſtotelẽ inſtar omniũ eſſe poſſe qui eius perinde ac Deliberatiui ac Iudi-
cialis, rationem habet diligenter, ac digniſſimum illud exiſtimat de quo accuratiſſimè
præcipiat. Neque verò refert quicquã q̃d ab initio viſus ſit Iudicialis mentionẽ feciſſe
priùs, huiúsque finem, partes ac tẽpus exploraſſe antea: nam neque id ſolemne eſt ac
perpetuũ Ariſtoteli, qui propterea in fine capitis tertij Demõſtratiuũ enumerat priùs,
nec niſi leuitatis eſſet, pugnare id primo loco aut ſecũdo tertióue declarandũ, de quo
fortè primo aut ſecũdo tertióue loco mentionem feceris. opportunitas. n. & doctrinæ
ratio

893 ratio ſpectanda eſt maximè. Atque hanc ſpectaſſe crediderim in fine capitis tertij, vbi de genere Deliberatiuo primùm tum de Demonſtratiuo, ad extremùm de Iudiciali (quem planè ordinem hic colit ac retinet) dicendum eſſe monebat. Vnum illud momenti non exigui videri poteſt, quod ſcribit Ariſtoteles Deliberatiuum & Iudiciale eiuſdem eſſe methodi ſeu rationis & viæ. Quid eſt enim quod tractatione diſiungantur, quæ eandem docendi viam idémque artificium requirunt ac poſtulant? Sed reſpondeo tamen Ariſtotelem non negare interim Demonſtratiuum quoque eſſe eiuſdem methodi, ſed ea tantùm de cauſa Iudicialis & Deliberatiui mentionē fecit, quòd priſcos Rhetores reprehenderet, qui Deliberatiuo generi ſprero, toti ſe ſe ad Iudiciale contuliſſent. & ideo monebat, eſſe eiuſdem generis, quod eſt ad ciuile bonum referri, Oratoriſque induſtriam peræquè requirere, denique iiſdem Rhetoricæ partibus contineri: quod tamen de Demonſtratiuo non modò peræquè affirmare, verùm etiam potiore iure ſtatuere licet: cum propter ſummam quæ illi cum Deliberatiuo genere intercedit, coniunctionē ac neceſſitudinē, nō modò eiuſdē generis in vniuerſùm, verū etiam eiuſdem ferè ordinis & facultatis dicendum ſit: cum vtrunque virtutum morúmque tractatione indigeat, vtrunque eâdem veluti cultura effloreſcat. & hoc eſt quod docuit Ariſtoteles tum ſupra vbi monebat de virtutibus non Demonſtratiui gratia agendum tantummodo, ſed Deliberatiui etiam; tum in fine capitis decimi, vbi docebat ea, quæ de virtutibus laudationis ac Demōſtratiui generis gratia dicta eſſent, leui veluti flexu ad Demonſtratiuum poſſe referri (quanquam ibi de re hac tota explicatiùs) imò referenda eſſe omnia. Ita ut iurè ac meritò noſter Author Ariſtoteles ad Demonſtratiuum genus aggrediatur hoc tempore.

894 Alacri igitur animo adeſte mihi Auditores. Nam Ariſtoteles recta nos deducit ac pulcherrimo ordine diſputat. Quanquam antequam ad propoſita Ariſtotelis præcepta redeam, lubet pauca quædam vos admonere de huiuſce generis tum notione tum definitione. De notione quidem, vt quoniam varijs nominibus appellari ſolet, ſubiecta generi huic notio & ſignificatio conſtituatur. De definitione verò vt de tota huius generis vi ac natura conſtare poſſit. Ita demum his cognitis ac perſpectis quæ ſubinde præcepta nobis dat Ariſtoteles de hoc genere cauſæ, intelligenter magis ac maiore cum vtilitate explicabuntur. nunc de priore. Appellant Græci paſſim hoc cauſæ genus *ἐγκωμιαστικὸν*, à laude ſcilicet ſeu laudatione ducto nomine: quaſi verò laudationis gratia ſit comparatum. quamuis enim ad vituperationem quoque pertinet, a meliore tamen parte placuit illud appellare. Latini vix ac ne vix quidem vllam habent vocem qua *ἐγκωμιαστικὸν* exprimat. Nam Quintilianus qui laudatiuum vertit, parum latinè vertit: qui etiam exornatiuum dicunt, longè minùs emendatè loquuntur. nam exornator proeo qui laudat, exornatio pro laude, rectè vſurpatur, at exornatiuum a bono latinitatis Authore, nullo modo. Itaque quoniam Græcorum nominum fœlicitatem nobis interdum æmulari non licet, nec vno verbo *ἐγκωμιαστικὸν* reddere, pluribus vtamur neceſſe eſt, in laude poſitum dicentes. Neque verò prætermittendum eſt hoc loco *πανηγυρικὸν* quoque a Græcis appellari: ídque ea de cauſa quod in publicis ſpectaculis ac celebritatibus, quas *πανηγυρικὰς* vocant, haberentur paſſim. fuit enim in more poſitum, vt multi eloquentiæ probandæ cauſa atque adeò oſtentandæ in publicis celebritatibus & conuentibus, quales erant Olympici, Nemæi & id genus alij, laudationes haberent: ac quemadmodū Tragœdi Tragœdijs, Comędi Comœdijs, ita Ora-

Iam reditur ad explicatū. & de generis Demōſtratiui appellationibus notioneque diſſeritur.

895 tores aut etiam Sophiſtæ, qualis inter cæteros fuit Gorgias Leontinus & Polus Agrigentinus, laudationibus publicis in hiſce conuentibus ſe ſe oſtentarent: quæ propterea panegyrici ſunt appellatæ a conuentibus illis & celebritatibus. & hac de cauſa fortaſſe Ariſtoteles ſcripſit in capite tertio *περὶ τῆς δυνάμεως εἶναι θεωρὸν* hoc eſt huic facultati & eloquentiæ quæ in hoc genere oſtentaretur, ſpectatorem reſpondere: huiuſmodi enim Oratores veluti ſpectaculum dabant. Quanquam non eſt negandū a probatiſſimis quoque Oratoribus huiuſmodi panegyricos interdum habitos eſſe & vſurpatos, qui non vnius oſtentationis gratia ad illos deſcenderent. & hinc factum eſt vt quæ priuatim etiam aut certè extra iſtiuſmodi celebritates haberētur laudationes, panegyrici interdum dictæ ſint, vt ex Plinij Iunioris panegyrico ſatis conſtat, in quo Traiani proſequitur laudes. Immo verò vſu quoque receptum eſt vt Poëmata quibus alicuius laudes celebrentur, panegyrici (id quod apud Claudianum in primis obſerua-

Digitized by Google

re licet) a quibuſdam appellentur. Tametſi vel quia eiuſmodi appellatio non ſatis exprimit vim ac notionem huic generi ſubiectam (ducitur enim non a cauſæ natura ſed a celebritate illa in qua forte laudationes illæ habeercutur) ſiue quia Panegyrici ad Deliberatiui quoque generis cauſas traducti ſunt. Quemadmodum, Cicerone teſte, de Iſocratis Panegyrico ſatis conſtat, qui in Deliberatiuo verſatur genere, & conſultationem non laudationem continet, idcirco minùs libenter noſtrum hoc genus Panegyrici nomine appellabo. Ita ſanè tutiſſimum erit noſtrum hoc genus Demonſtratiuum (quod Quintiliani pace dixerim) cum M. Tullio appellare. Etſi enim M. Tullius græcum nomen ἐπιδεικτικὸν vſurpat interdum; ſæpè tamen demonſtratiuum appellat illud, atque ἐπιδεικτικῷ reſpondere teſtatur. Hæc de nomine. Nã qui eloquentiam profitentur, his nominum quoque ratio habenda eſt diligenter: cum præſertim his inſuper tanquam gradibus ad definitiones aſcendamus quod iam iam præſtabimus. 896

De eiuſdẽ Demonſtratiui generis Definitione.

Ergo cum ſatis conſtet iurè ab Ariſtotele hoc in loco Demõſtratiuum explicari genus, cúmque conſtitutum ſit alio potiore nomine ἐπιδεικτικὸν Ariſtotelis genus haud appellari poſſe quàm Demonſtratiui nomine, age dum Demonſtratiui generis definitionem in medium afferamus, atque vniuerſam illius naturam explicemus. Igitur Demonſtratiuum genus cum ex M. Tullio I. de Inuẽtione tum ex Authore ad Herenniũ libro I. eſt illud quod tribuitur in alicuius certæ perſonæ laudem aut vituperationem: quod eſt oratio in qua certa aliqua perſona laudatur aut vituperatur. quapropter dum Oratio dicitur, cum Deliberatiuo conuenit ac Iudiciali. Dum rurſus ſubijcitur [in laudem aut vituperationẽ] ab iiſdem diſtinguitur. Siquidem Iudiciale in accuſatione aut defenſione, Deliberatiuum in ſuaſione aut diſſuaſione, verſatur. Atque hæc definitio mirificè etiam conſentit cum Ariſtotelis doctrina. Ariſtoteles enim in libro primo capite III. ad initium quemadmodum in medium affert tria genera cauſarum, quas τῶν λόγων complectitur nomine vniuerſas, ita eaſdem ſuaſione & diſſuaſione, accuſatione & defenſione, laude ac vituperatione, diſtinguit. Et quidem poſſent etiam diſtingui fine, quia Deliberatiuo vtilitas, Iudiciali ęquitas, Demonſtratiuo honeſtas, propoſita eſt: poſſent vtcunque diſtingui tempore etiam, quia Iudiciali præteritum, Deliberatiuo futurum, Demonſtratiuo præſens, ſolet eſſe propoſitum. Sed tamen longè melius fuit ſubiectæ materiæ varietate, vnde etiam partium varietas oritur, ea ſeiungere ac diſterminare: finis etiam ac tempus quoniam extrinſecus aſſumuntur, extrinſeca ſunt quodammodo: materiæ verò varietas, quæ tanquam differẽtiam ac formam refert, intima eſt hiſce generibus. & hinc etiam (vt id obiter notem) licet cæterorum generum Definitiones agnoſcere: ſi enim ea recolantur quæ de tribus iſtis generibus dicta ſunt ab 897
Ariſtotele, facilè intelligere licet Iudiciale genus eſſe Orationem alicuius accuſationi aut defenſioni tributam: Deliberatiuum verò orationem ad certę alicuius rei ſuaſionẽ diſſuaſionémue comparatam. Quamuis enim eas definitiones nõ ſperno, quę in primo tum de Inuentione tum Rhetoricorum ad Herennium vulgatæ ſunt, quas tamen ipſi attulimus, ex Ariſtotelis decretis hauſtæ ſunt ac deriuatæ. Sed de his aliàs copioſiùs. Nunc ad propoſitam Demonſtratiui definitionem redeo: quandoquidem non omnino caret dubitatione. Itaque illud quærere lubet atque in Controuerſiam reuocare, vtrum propoſita Demonſtratiui generis definitio probanda ſit. Ac primum quidem improbanda omnino videtur, ſiquidem ſcribit Ariſtoteles Demonſtratiui generis orationes, vno verbo laudationes οὐ μόνον ἀνθρώπου ἢ θεοῦ, ἀλλὰ καὶ ἄψυχα ἐπαινῶν καὶ τῶν ἄλλων ζῴων τὸ τυχόν: hoc eſt non modò homines aut Deum, ſed etiam inanimata & animaliũ quodlibet exornare: & hac de cauſa propoſitiones ſibi parandas proponit, vnde in ſingulis laudandis verſare poſſimus pro dignitate. Quam rem Quintilianus etiam confirmat libro III. capite IX. ubi in Ariſtotelis veſtigijs inſiſtens, quadripartitam iſtam rerũ varietatem Demonſtratiuo ſubijcit generi. Quid plura? cum apud veteres laudationẽ cum Dijs tum mutis animantibus, rebus etiam pluribus animæ expertibus tributam inueniamus, itaut ab Ouidio Pſitacus, a Virgilio Apes, a Luciano Muſcha, ab alijs Dodonea quercus, fontes & id genus alia ſexcenta celebrentur, quis non ſentiat aut ſuſpicetur temerè vnum hominem laudationis Demonſtratiuíque generis materiã ab iſtis effici? Veruntamen non eſt cunctandum affirmare propoſitam definitionem videri poſſe optimam: nam ab eo quod primum eſt ac princeps, quódque vſurpatur paſſim, nimirũ ab homine vel certè a perſona, ducitur. etenim mutæ animantes ac cætera oĩa

CONTROVERSIA LIX. Num propoſita Demõſtratiui generis Definitio probanda ſit. Demõſtratur nõ eſſe probandã.

II.

III.

Contraria ſentẽtia retinetur.

quæ

898 quæ ratione carent, quemadmodum virtutis ac vitij non ſunt participes, ita nec veræ laudis aut vituperationis: minùs itaque propriè laudantur aut vituperantur, in primíſque non ſeriò ac pro dignitate ſed ioci & vrbanitatis cauſa. & hoc eſt quod egregiè cautéque nos admonuit Ariſtoteles dum diceret χωρὶς σπουδῆς καὶ μετὰ σπουδῆς ἐπαινεῖν, & per iocum & ſeriò ſolere laudationes inſtitui. Quod ſi Deus ſaltem ſeriò laudatur, perſonæ nomine Deum quoque intelligere licet, cui, quoniam mente præditus eſt ac rurſus eſt ſingularis, meritò (id quod Boëtius ſubtiliter diſputat) perſonæ tribuitur. Tametſi ſatius eſt rem ſimpliciùs exponere ac populariter, ita ut ſtatuamus perſonæ nomine hominem intelligi, non Deum. præſertim verò quod quæ ſunt optima, vt eſt apud Ariſtotelem libro 1. moralium capite 12. non laudantur ſed honorantur. ſic fœlicitas non quidem laudatur, ſed tanquam aliquid laude melius expetitur. Rectè igitur Demonſtratiuum genus dicitur oratio poſita in alicuius perſonæ laude aut vituperatione.

Iam verò ex eâdem in memoriam reuocate vobis lubet huius generis & partes, & finem illi propoſitum & tempus. Hæc enim ſingulis generibus cauſarum tribui ſolent ab dicendi magiſtris, & verò tribuuntur ab Ariſtotele capite 3. Quemadmodum igitur Iudicialis generis partes ſunt accuſatio & defenſio Deliberatiui ſuaſio & diſſuaſio, ita Demonſtratiui laus & vituperatio. vt enim in iudicijs Orator in accuſando aut defendendo totus eſt, in conſultationibus verò & deliberationibus ad ſuadendum & diſſuadendum ſe ſe refert, ita in Demonſtratiuo totus in laude aut vituperatione verſatur. Rurſus quemadmodum Iudiciali iuſtum & iniuſtum, Deliberatiuo vtile aut detrimentum, ſic Demonſtratiuo honeſtum aut turpe propoſitum eſt. Tametſi nō eſt negandum in Deliberatiuo honeſtum quoque ac iuſtum ſpectari interdum: ſed tum demum cum priùs de vtilitate conſtiterit. Denique ſicut Iudiciale præteritum ſpectat tempus, Deliberatiuum verò futurum, ita Demonſtratiuo præſens tribuitur. Quanquam non inficias ierim præteritum quin & futurum quoque interdum aſſumi. *Demonſtratiui generis partes, finis, tēpus.*
899 certè in funebri laudatione non tam præſentia (quanquam hæc etiam aliqua ex parte) quàm præterita laudantur. Adoleſcentes etiam rerum futurarum ſpe commendamus potiùs quàm vt toti in præſenti virtute nitamur. & hoc eſt quod ait Ariſtoteles in capite 3. Demonſtratiui generis maximè proprium eſſe præſens tempus, cum ex ijs quæ inſunt laudentur aut vituperentur omnes; ſed tamen ſæpè aſſumi & in memoriam reuocari res præteritas, futuras etiam coniectura informari.

Nunc quoniam Deliberatiui generis tum appellationes varias & nomenclaturas, tū germanam notionem tum verò definitionem, partes, finem, tempus, agnouimus & explicauimus, iam illud ſupereſſet, vt ijs veluti præſidijs muniti, ad Ariſtotelea præcepta cominus aggrederemur. id quod iam iam efficiam, ſi priùs vnum breuiter explicauero, vt fidem liberem meam. etenim paulò ante cum obiectum eſſet Demonſtratiuum genus curia & foro pulſum eſſe, ſanè monui hac de re paulò poſt mihi dicendum vberius: præſertim verò quia ſi ab Oratoris munere ſit alienum ac reuera vno Sophiſta dignum, turpe eſſet in eo tempus operámque conterere. Agedum igitur totam hanc Controuerſiam explicemus; vel potiùs ijs occurramus quibus in ſuſpicionem adductum eſt hoc genus. Ergo vt id præſtemus hoc loco ac totam hanc ſiue calumniam ſiue accuſationem diſſoluamus, fateor Demonſtratiuum genus aliquando malè audiſſe, quaſi verò oſtentationis gratia eſſet comparatum. Sed hoc Sophiſtarum quorundam accidit culpa, qui ſiue quæſtus ſiue gloriæ cauſa laudationes vel potiùs ſuam dicendi vim in celebritatibus ac ſpectaculis oſtentabant vulgo: alioquin laudandi ac vituperandi virtus plurimùm cum publico & priuato bono coniuncta eſt, ac ſi ab prudenti Oratore inſtituatur, momentum habet maximum: præſertim verò quia *CONTROVERSIA DX. Num Demonſtratiuum genus ſit cũ cæteris retinendum.*
900 reliqua duo genera niſi Demonſtratiui quaſi fontibus, hoc eſt moribus & virtutibus, vituperatione & laude, irrigentur, areſcant neceſſe eſt. Et idcirco Iſocrates, Quintiliano teſte, vituperatione & laude Deliberatiuum ac Iudiciale concludebat, quaſi ſine illo ægrè eſſe poſſent: quod & M. Tullius & Author ad Herennium confirmarunt luculentè. Neque omnino audiendi ſunt qui pugnant a M. Tullio huius generis orationem habitam eſſe nullam. etenim quam ſiue ad populum, ſiue ad Senatum pro ſe habuit cum ab exilio rediiſſet; quam item ad Cæſarem pro Marcello, quam de Aruſpicum reſponſis, hæ ſanè ad Demonſtratiuum pertinent genus. eiuſdem etiam ali-

quæ

quæ ſunt, quarum extant aut fragmenta aliqua, aut veterum teſtificationes. Sed fac nulla extet a Cicerone; an non ex Iſocrate, Platone, Demoſthene aliiſque multis laudatiſſimis Oratoribus extant? an non funebres Orationes omnes quæ ex legis præſcripto habebantur aliquando, & verò interdum non ſine dignitate ac Reipublicæ bono habentur, Demonſtratiuo genere continentur? Quid? non ne idem M. Tullius dum eloquentiæ præcepta ſcribit, hoc quoque genus probat, excipit, excolit diligenter? Denique Ariſtoteles qui inſtar omnium eſſe poteſt, idem genus vſque adeò accuratè proſequitur, vt vel ex hoc ſatis conſtet nobis probandum eſſe ac retinendum. Nam ſi ioco vſurpatum fatetur interdum, aut oſtentationem aliquando præ ſe tuliſſe, profitetur etiam ſeriò, atque in primis in Deorum hominũque laudatione vſurpari poſſe & verò vſurpari conſueuiſſe. Ad extremùm ne illud quidem ad genus hoc explodendum valet quicquam quòd iactant aliqui eloquentiam ac dicendi artem, ſuadendi gratia eſſe comparatam, in Demonſtratiuo autem, ſuaderi nihil. Nam reuera Auditoribus (ſi quis rectè æſtimet (laudatione ſuademus eum honeſtate & cum virtute vitam traducere aut etiam traduxiſſe quem laudamus: flagitioſè ac turpiter quem vi- 901
tuperamus: ita ut ſuaſio hoc quoque genus attingat & contineat. Denique Demonſtratiuum genus eſſe momenti maximi & in humana ſocietate varios eóſque nobiles habere vſus ac propterea retinendum colendúmque eſſe, nos integra oratione (hanc inter eas quas edidimus inuenias) ſic demonſtrauimus, vt nõ neceſſe ſit eius vtilitatẽ, præſtantiam ac neceſſitatem proſequi longiùs. Hæc in vniuersùm de hoc genere atque adeò de propoſita particula vnde noſtra hæc profecta eſt Diſputatio. Nunc ad Ariſtoteleam dictionem redeamus: ac pauca quædam explicemus de quibus in propoſitione item nos admonet, dum ſubijcit.

PARTICVLA CLXXXVIII.

Συμβήσεται γὰρ ἅμα περὶ τούτων λέγοντας κἀκεῖνα δηλοῦν, ἐξ ὧν ποιοί τινες ὑποληφθησόμεθα κατὰ τὸ ἦθος, ὅπερ ἦν δευτέρα πίςις. ἐκ τῶν αὐτῶν γὰρ ἡμᾶς τε καὶ ἄλλον ἀξιόπιςος δυνησόμεθα ποιεῖν πρὸς ἀρετήν.

Contingет ſimul dum de his dicemus vt illa etiam aperiamus ex quibus cuiuſdam modi exiſtimabimur ſecundum mores quæ erat ſecunda fides; ex iiſdem enim & nos & alium fide dignum poterimus efficere propter virtutem. *Riccobonus.*

Simul etiam illud commodum conſequetur, vt dum hæc agimus, etiam illa declaremus vnde mores noſtros oſtendamus, quod erat ſecundum probationis genus, ex iiſdem enim locis & nos ipſos & alium quemlibet ita ornabimus vt tanquam probis viris & virtute præditis fides habeatur. *Maioragius.*

Virtutis honeſtatiſque cognitionem ad moratam orationem effingendã valere plurimùm.

Qvod ex virtutis honeſtatiſque cognitione ac tractatione commodum proponit Oratori referendum, vt ſcilicet ſe quoque probum inde ac virtutibus ornatum oſtendat, id verò non eſt quod magnopere in præſentia explicare nitamur. ſiquidem eiuſmodi commodum & vtilitatem proſequitur Ariſtoteles in 2. libro ad initium: vbi docet copioſè qua ratione Orator ex virtutum cognitione & honeſtatis ſe ſe optimis 902
moribus veluti effingere poſſit. Quanquam ne vos hoc tempore omnino ieiunos relinquam, vnum atque alterum admoneo breuiter. Primum eſt Oratoris eſſe & docere & delectare & flectere: docere enim neceſſitatis eſt (inquit M. Tullius) delectare ſuauitatis, flectere victoriæ. Itaque eò Ariſtoteles mentem coniecit, vt oſtẽderet qua ratione Orator doceat Auditores, qua delectet, qua flectat. Et quidem, vt doceat, enthymematis ſeu ratiocinationibus orationem inſtruendam oſtendit: vt delectet, morum ſuauitate ac probitate: vt flectat, animorum affectibus & permotione. Ait igitur in præſenti fore vt Orator ex honeſtatis virtutiſque cognitione ac tractatione ſe ſe *Comm.*

probum

probum ac virtutibus ornatum oſtendat vnde ſuauitas ac decus orationi accedat ac delectandi partes expleat. ex quo etiam illud conſequitur & vna eadémque morum ſuauitate ac virtute facilius perſuadeat. viris enim probis ac prudentibus (inquit magnus rerum æſtimator Ariſtoteles) fidem habemus & citiùs & vehementius, & in omnibus & in ijs maximè quæ in ambiguitate verſantur. Verè enim vir probus ac prudens maiore facilitate ac proinde celeriùs perſuadebit: vehementiùs quoque ac maiori cum Auditorum aſſenſione ſibi fidem conciliabit: in omnibus etiam: cum nulla in re æſtimandum ſit virum prudentem ac probum nos fallere: denique in ijs maximè quæ ambigua ſunt, quia par eſt vt auditor vbi hæreat, faciliùs in probi viri ſententiam deſcendat ac ſapientis, quàm eum ſequatur, cuius probitas ac ſapientia nequaquam perſpecta ſit. hoc primum. Alterum eſt magnum inter Platonem & Ariſtotelem hac in re ſe ſe diſſidium obijcere. vterque enim prudentiã ac probitatem in Oratore commendat: ſed alia atque alia ratione. Plato enim anticipatam quandam requirit in Oratore virtutem quæ teſtata ſitatque vſu ipſo cognita & comprobata. ita ut tanquam domo afferat ille virtutem in Senatum & forum. Contra verò Ariſtoteles iſtud virtutis genus quaſi ab arte alienũ labefactat ac reijcit, iubétque vt Orator probitatem ac virtutem inter dicendum exprimat atque orationis virtute ſibi apud Au-
903 ditores conciliet. Itaque Plato virtutem anticipatam, Ariſtoteles dicendo expreſſam, requirit: quaſi verò lenitate vocis, ſuauitate orationis, differendi prudentia & virtute ſe ſe virum prudentem ac probum (qualis qualis tandem ille ſit) effingere debeat, vt alliciat animos & capiat, qua in re, etſi magnopere optandum eſt vt Orator vtroque virtutis genere, tam in quam anticipato quàm dicendo expreſſo, valeat, veruntamen vbi altera tantùm virtus ferenda ſit, non facilè eſt videre Platoni ne an Ariſtoteli ſit aſſentiendum. quapropter totam hanc rem, quoniam longioris diſputationis eſt, & verò opportuniorem habet locum in II. Rhetoricorum; veſtra bona cum venia ad proprium locum reijciam: præſertim verò quia quæ diximus, abundè ſatis locũ hunc quem explanamus perſpicuum ac dilucidum efficere poſſunt. conſtat enim cur dicat ex virtutis honeſtatíſque cognitione fore vt ſecunda fides quæque ad mores pertinent declarentur, & cur Orator inde ἀξιόπιστος ac dignus fide habeatur. Nam ſi quis vrgeat vt de hac re aliquid ſtatuam in præſentia aut breuiter ſaltem indicem, ſic ſtatuo. ipſe quidem malim guttam anticipatæ probitatis ac veræ virtutis quàm dolium virtutis ac probitatis dicendo expreſſæ & aſſimulatæ.

PARTICVLA CLXXXIX.

Ἐπεὶ δὲ συμβαίνει καὶ χωρὶς σπουδῆς καὶ μετὰ σπουδῆς ἐπαινεῖν πολλάκις οὐ μόνον ἄνθρωπον, ἢ θεὸν, ἀλλὰ καὶ ἄψυχα καὶ τῶν ἄλλων ζώων τὸ τυχὸν, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ περὶ τούτων λήπτεον τὰς προτάσεις. ὥστε ὅσον παραδείγματος χάριν εἴπωμεν καὶ περὶ τούτων.

904 *Riccobonus.* QVoniam verò contingit & iocosè & ſeriò laudare ſæpenumero non ſolùm hominem, aut Deum, ſed etiam inanimata & aliorum animalium quodlibet, eodem modo & de his ſumendæ ſunt propoſitiones. Itaque quodammodo exempli gratia dicamus etiam de his.

Maioragius. *ET quoniam ſæpè fit, ut uel animi gratia, uel ſeriò ſtudioséque laudemus non tantùm hominem aut Deum ſed etiam ea, quæ anima carent, & quodcunque animal nobis uiſum fuerit, eodem modo, quo in ſuperiori genere fecimus, etiam de his rebus uidendum unde propoſitiones ſumendæ ſint. quare non exquiſitè, ſed exempli tantùm gratia de his etiam dicamus.*

Digitized by Google

QVadripartita materiæ varietate indicata, quæ ſi non propriè ac vera laude & vituperatione continetur vniuerſa (neque enim vera laus mutis animantibus, multoque minùs lapidibus & id genus alijs tribuatur) at certè continetur quod hominis ac Dei (ſi placet) intereſt, ait ſe pro ijs omnibus propoſitiones laudationi ac vituperationi accommodatas afferre decreuiſſe, vt inde ratiocinationes conflari poſſint. quanquam reuera quas affert propoſitiones, quóue fontes laudationi aperit ac vituperationi, hæc hominibus tantùm laudandis ac vituperandis inſeruiunt: ita vt potiùs inde nobis anſa ſit quodammodo arripienda rerum cæterarum laudandarũ (quacunque ratione tandem laudari poſſint aut vituperari) quàm quod earum quoque rerum laudandarum præcepta expreſſerit Ariſtoteles, Imo verò neque vituperationis propoſitiones in medium attulit: ſed tantùm ad extremùm ex contrarijs peti iuſſit, quia ſcilicet qui ornandi ac laudandi artem calleat, quæ ex honeſtatis & virtutis cognitione exiſtit, is è contrario ſibi propoſitiones ex vitijs & turpitudine conflare poſſit vnde ſeruiat vituperationi. Itaque hominis laudandi præcepta explicabit, ac propoſitiones nobis proponet ante oculos: reliqua nobis noſtra induſtria colligenda relinquet. Addit verò ſe pingui minerua dicturum, vel certè non ſubtiliter de his diſputaturum, quia cum in oratorio puluere verſetur, populariter non ſubtiliter virtutum momenta æſtimanda, ac de illis præcipiendum ſit. Atque his propoſitionem abſoluit rerum de genere Demonſtratiuo dicendarum, ad Tractationem iam iam aggreſſurus. 905

Comm.

PARTICVLA CXC.

Καλὸν μὲν οὖν ἐστιν ὃ ἂν δι' αὑτὸ αἱρετὸν ὄν, ἐπαινετὸν ᾖ: ἢ ὃ ἂν ἀγαθὸν ὄν, ἡδὺ ᾖ ὅτι ἀγαθόν. εἰ δὲ τοῦτό ἐστι τὸ καλόν, ἀνάγκη τὴν ἀρετὴν καλὸν εἶναι: ἀγαθὸν γὰρ ὂν ἐπαινετόν ἐστιν.

Riccobonus.

AC honeſtum quidem eſt quod cum per ſe eligendum ſit, laudabile eſt vel quod cum bonum ſit, iucundum eſt quia bonum. Quod ſi hoc eſt honeſtum, neceſſe eſt vt virtus honeſta ſit, bona enim cum ſit, laudabilis eſt.

Maioragius.

PVlchrum igitur id eſt quod cum propter ſe ſit expetendum, eſt etiam laudabile: uel quod cum bonum ſit, eſt etiam iucundum quatenus bonum. quod ſi pulchrum eſt huiuſmodi; neceſſe eſt uirtutem eſſe pulchram, quoniam cum ſit bona, eſt etiam laudabilis.

Dubitatur de ordine.

AD rem aggreditur Ariſtoteles, ab honeſtate ducto initio: cuius vim & naturam vna atque altera deſcriptione declarat & repræſentat. Sed ſtatim miretur quiſpiam & quærat cur ab honeſto potiùs quàm a virtute ducat initium. An non tu Ariſtoteles de virtute & vitio, de honeſto ac turpi, dicendum propoſuiſti? Sic ſanè. Cur igitur nunc ab honeſto quod poſteriore loco poſitum eſt, & verò virtutem contemtatur, initium facis, atque adeò commutato ordine differis, ne dicam præpoſtero & perturbato? Verùm enimuero Auditores appoſitè differit, ac rectà nos ducit accuratiſſimus Ariſtoteles. etenim honeſtas eſt finis laudationi propoſitus; ut enim ſuadenti utile, defendenti iuſtũ, ita laudanti honeſtũ tanquam ſcopus ac finis propoſitum eſt. 906 & idcirco de uirtute ipſa quà honeſta eſt & proinde laudationi accommodata, in hoc genere uerba facit Orator. & hac de cauſa de uirtute nõ antea diſputabit quã honeſtã eſſe argumẽtis docuerit. Iurè igitur ab honeſto ducit initium, unde uirtus etiã, quippe honeſta, ad laudationem referri ſolet. nec propterea nõ ex arte & conuenienter priore

loco

loco virtutem, poſteriore honeſtatem, proponit, licet de honeſtate priùs agendum eſſet; a parte enim ad totum, ſiue a forma & ſpecie ad genus, progreſſus eſt: quandoquidem virrus etſi honeſtatem antegreditur, éſtque veluti flos honeſtatis, minùs ſe ſe fundit quàm honeſtas.

Explicatur prior Honeſti definitio.

Nunc propoſitam Honeſti definitionem ſeu deſcriptionem dilucidemus. Ait igitur Honeſtum eſt id quod per ſe expetitur ſiue eligitur, & eſt laudabile. vbi quoniam ſolum bonum expetitur, nec poteſt homo expetere quicquam quod bonum non ſit, aut ſaltem boni haud referat ſpeciem, idcirco dum dicitur Honeſtum eſt id quod expetitur, perinde eſt ac ſi diceretur eſt bonum quod expetitur. Additur verò *ex ſe* aut *propter ſe ipſum* vt bonum honeſtum diſtinguatur a bono vtili quod non propter ſe expetitur, ſed propter alterum. Trita eſt enim & peruulgata illa bonorum diuiſio in vtile, iucundum & honeſtum, & hac de cauſa, quoniam honeſtum, vt Iuſtitia verbi gratia, aut modeſtia quæ eſt bonum honeſtum, per ſe expetitur, diuitiæ verò quæ ſunt bonum vtile, expetuntur propter aliud, addit Ariſtoteles honeſtum *δι' αὑτό*, propter ſe ipſum inquã eligi & exoptari. Verùm cur addit ad extremùm, & eſt laudabile? Victorius & Maioragius ſcribunt hæc verba fuiſſe addita propter vitam quia hæc etiam ſit per ſe expetenda, nec tamen ſit laudabilis. Sed magnopere vereor vt viris iſtis alioquin eruditiſſimis
907 aſſentiri poſſim. nam ne hoc tempore diſputem vtrum vita ſit laudabilis nec ne, ſanè Ariſtoteles libro 1. Moralium capite 12. perſpicuè ſatis oſtendit cur Honeſtum non modò per ſe expetendum, verùm etiam laudabile appellarit. Scribit enim ex bonis quę per ſe expetuntur quædam eſſe laudabilia vt Iuſtitia & Virtus in vniuersùm, quædam honorabilia vt Deus & beata vita. nam quod eſt optimum inquit, & præſtantiſſimum, maius aliquid requirit quàm laudem: honorem enim poſtulat & cultum. & ideo beatam vitam, Deum, vno verbo, id quod eſt optimum, colimus, admiramur, veneramur, non laudamus. Ergo hoc in loco Ariſtoteles addit, *& eſt laudabile* vt intelligamus ſe hoc in loco de bono illo loqui quod eſt quidem per ſe expetendum, & ideo bono vtili antecellit, ſed tamen quod ſit non admirabile ſed laudabile: bonum enim optimum & pręſtantiſſimum, diuinum potiùs eſt appellandum quàm honeſtum: honeſtum contra quoniam intra virtutum fines verſari ſolet, ac ſummatim optimi ac diuini haud ſibi arrogat decus ac nomen, laudabile eſt appellandum.

Hæc igitur eſt germana huius Definitionis ſententia. Honeſtum eſt bonum quod expetitur, illud quidem propter ſe, ac propterea bono vtili præſtat & antecellit, ſed tamen eſt laudabile, ita ut honorabili ac diuino, ſiue optimo & præſtantiſſimo, dignitate concedat. Par enim eſt vt Deo ac beatæ vitæ honeſtum cenſeatur inferius.

CONTROVERSIA LXI. Num propoſita Honeſti definitio probanda ſit.

Quanquam interim in Controuerſiam reuocet aliquis propoſitam honeſti definitionem, ac pulcherrimam quoque aduerſus illam afferat dubitationem. Etenim pro patria mortem occumbere eſt honeſtum quàm quod honeſtiſſimum: & ideo eleganter Flaccus, Pulchrum & decorum eſt pro patria mori; & tamen non eſt per ſe expetendum: licet enim ſit laudabile, expeti tamen vix ac ne vix quidem poteſt, cum naturaliter a morte abhorreamus, nec ad mortem expetendam, quoniam extremum malorũ
908 eſt, adduci poſſimus. Falſum itaque eſt, honeſtum eſſe per ſe expetendum. Huc accedit quod honeſtum eligendum fortaſſe ſit cum ad beatam vitam conducat; expetendum, cum non ſit ipſa beata vita, nullo modo, aut non facilè. Grauis ſanè dubitatio, ſed reſpõdeo tamen. tum demum honeſtum eſt pro patria mori, & verò conuenientiſſimum, cum moriendo Patriæ prodeſſe liceat: neque enim inconſideratè effundenda eſt vita & inconſultò, neque ex hac vitæ ſtatione in qua a Deo collocati ſumus, temerè decidẽdum; ſed cum patriæ bonum ac decus ſperatur: ita fit vt qui tali opportunitate vitam pro patria, a qua illam accepit & cui omnia debet, recuſet effundere, is non poſſit ſine aliqua ignominiæ nota vitam traducere. cum igitur longiùs præſtet honeſtè mori quã turpiter viuere, ratio ipſa dictat mortem pro patria (vbi id opportunitas tulerit) eſſe expetẽdam, & idcirco naturalem timorem, vnde naturaliter a morte abhorremus, rationis imperio conculcandum; ita ut quantumuis appetitus inferior repugnet, ſuperior qui eſt ratio ipſa, timorem omnem expugnet. mori igitur pro patria, vt eſt honeſtiſſimum, ita per ſe expetendum, & verò expeti poteſt rationis imperio: id quod ijs accidere ſolet faciliùs qui vel gloriam ſibi proponunt (ſi enim moriendum eſt, cur non honeſtè & cum gloria mori eligamus & expetamus?) vel ſe beatæ vitæ præmia (quod lon-

giùs præſtat)poſt mortem manere intelligunt, ſi pro patria, aut etiam pro Iuſtitia aut Religione ceciderint. ijs enim qui futuræ vitæ præmia expetant ac ſperent, mors accidere ſolet iucundiſſima. Denique ſic eligenda eſt honeſtas, vt quoniam beatam vitam continet poteſtate, atque illam affert, expetenda quoque ſit, ac per ſe toto pectore amplectenda. Tametſi nihil prohibet quominus citra beatæ vitæ finem per ſe quoque expetatur cum miras habeat ſuauitates, non ſordida ſit aut oneroſa, quemadmodnm ea ſunt quæ alterius tantùm gratia appetuntur vt diuitijs contingit. Hæc ad propoſitas 909
dubitationes in propoſita Controuerſia,

Dubitatur Quanquam dubitatio altera ſe ſe obijcit ſtatim, cum enim bonum honeſtum ab vtili, laudabile ab honorabili, hac definitione diſſociauerit Ariſtoteles, cur non illud a iucundo etiam diſſociauit? Sed hoc magnopere non fuit operæ pretium. nam iucundũ,
Reſpondetur. ſi honeſtate careat, non eſt verum bonum, ac boni ne nomen meretur quidem. quod ſi cum vero bono ſit coniunctum, iam nihil eſt quod ab honeſto, adde ab vtili etiam, ſi placet, interdum, arceatur. verè enim tripartita illa diuiſio popularis eſt potiùs quàm omnibus perfecta numeris; quandoquidem honeſtum & vtile rectè diſſociantur, iucundum quoniam a bono emanat potiùs quàm ſit bonum ipſum, ægrè ab honeſto diſſo-
Explicatur poſterior Honeſti definitio. ciatur, interdum etiam non turpiter cum vtili etiam coniungitur. Et hac ipſa de cauſa Ariſtoteles (vt ego quidem ſentio) alteram ſubiecit definitionem vel potiùs deſcriptionem, ſcribens honeſtum eſſe id quod eſt iucundum, ſed quà bonum tamen non quà iucundum. vbi ſignificat honeſtum poſſe etiam ſtatui id quod eſt iucundum, dummodo tamen hæc iucunditas bona ſit; quaſi diceret, multa videri & haberi iucunda quæ verè non ſunt bona, vt ſunt pleræque corporis iucunditates, & in vniuerſùm impuræ voluptates. quare quæ voluptates & iucunditates bonæ ſint, has honeſtas quoque cenſeri patitur. & ideo voluptatem quæ in vero bono nititur τὸ καλὸν ſiue honeſtum ha-
Docetur virtutem eſſe honeſtam. beri poſſe. Iam verò cum Ariſtoteles Honeſti vim ac naturam pro loci opportunitate declarauerit ſatis, ad virtutem ſe confert: ac docet eſſe honeſtam; ídque quia cum ſit bona, ſit etiam laudabilis. quanquam diminuta videri poſſet ratio: nam docẽdum erat
Dubitatur. virtutem eſſe honeſtam vel quia ſit per ſe expetenda & laudabilis (hæc enim erat prior Honeſti definitio ſeu deſcriptio) vel ſaltem quia ſit iucunda, ídque quà bona eſt. nam hæc erat altera Honeſti deſcriptio. & tamen Ariſtoteles hoc vno colligit virtutem eſſe 919
Reſpondetur. honeſtam, quia cum ſit bona, eſt etiam laudabilis. Sed quantum aſſequi coniectura poſſum, tacitè Ariſtoteles omnes illas Honeſti prerogatiuas ſeu conditiones in uirture deſignat, licet nec per ſe expetendam eſſe recolat nec iucundam. dum enim ait eſſe laudabilem, acutè cernentibus (induſtrijs enim ſcribit Ariſtoteles & nauis) indicat eſſe per ſe expetendam. quia cum id quod eſt per ſe expetendum, diſtribuatur in honorabile & laudabile; qui uirtutem laudabilem fecerit, is per ſe quoque expetendam eſſe indicauit. nam eſſe iucundam etiam, nihil erat quod magnopere de uirtute repeteret, uel quia per ſe conſtaret ſatis (is enim operatur ſecundùm uirtutem, qui facilè & cum uoluptate operatur) uel quia reuera uoluptas non tam ad naturam honeſtatis pertineat, quàm ex illa oriatur. uoluptas enim, ut docet Ariſtoteles in poſtremo libro Moralium, ex bono emanat potiùs quàm ſit ipſum bonum. Hac igitur de cauſa uirtutem tum bonam tum laudabilem eſſe monuit: iucundam uerò aut per ſe expetendam, repetẽdum non iudicauit. Niſi tamen dicas ad priorem Honeſti definitionem ſpectaſſe tãtùm, dum diceret uirtutem eſſe bonam & laudabilem: quaſi uerò ſignificare decreuiſſet & expetendam (id enim bonum ſignificat) & per ſe expetendam, ſimúlque laudabilem eſſe; laudabile enim eſt etiam per ſe expetendum.

PARTICVLA CXCI.

Ἀρετὴ δ' ἐστι μὲν δύναμις, ὡς δοκεῖ ποριστικὴ ἀγαθῶν, καὶ φυλακτικὴ δύναμις, εὐεργετικὴ πολλῶν καὶ μεγάλων, καὶ πάντων περὶ πάντα.

Virtus verò eſt facultas, vt videtur quæ parat bona & quæ conſeruat: facultas quæ beneficia facit multa & magna & omnia in omnibus. *Riccobonus.*

Virtus

Digitized by Google

Maioragius.

911 *Virtus autem eſt, vt ferè videtur, facultas comparandi quæ bona ſunt, & eadem conſeruandi & facultas & multa & magna in alios merita conferendi; & qua poteſt omnes omnibus in rebus adiuuare.*

Quo conſilio has afferat Virtutis definitiones.

MVlta ſunt & varia quæ honeſta cenſeri & poſſunt & debent: quæque propterea digna ſunt, vt ab Oratore diligenter expendantur, vt in laudatione, quoniam ab honeſto ducitur, pro dignitate verſetur. Sed tamen virtutes in primis quippe quæ honeſtate ſunt pleniſſimæ, explicandæ ſunt diligenter & ad laudationis vſum referendæ. Itaque Ariſtoteles de virrute tum vniuerſim tum ſigillatim diſputat copioſè. Sed tamen ita diſputat vt Oratori maximè ſeruiat. Principiò igitur (vt de virtutis natura ac vi conſtet) pulcherrimam quandam & nobilem illius definitionem, vel potiùs binas aut etiã ternas illius deſcriptiones, in medium affert: ac Virtus (inquit) eſt facultas quæ parat bona eádemque conſeruat. Et ſanè Virtus, ſi quis eam ex interioribus Philoſophiæ penetralibus reperar, eſt habitus quidam animi in mediocritate conſiſteus, vnde quis ex electione pro rationis norma operatur; hæc inquam eſt germana virtutis (de morali loquor, quæ præcipuè ſibi vendicat virtutis nomen) vis ac notio. Sed tamen Ariſtoteles, quoniam in Oratorio puluere verſatur, eam ex medijs hominum ſpacijs deriuat quò multitudini probetur facilè. quis enim neget virtute paſſim bona & parari & conſeruari? Porrò ſi amicos inter bona numeres (numerandi verò ſunt vtique & inter externa bona percenſendi) quid virtute amabilius & ad animos amicitiáſque cõciliandas accommodatius? Quid ſi opes ac diuitias bona æſtimas quemadmodũ Academici & Peripatetici æſtimant, virtus ſanè opibus diuitiiſque parandis maximè omnium idonea videri poteſt. Itaque Iuriſconſulti atque ij omnes qui ſiue ciuili ſiue militari virtute excellunt, opes etiam ſibi virtute comparant magnas. quamuis enim

Prima Definitio.

912 diuitiæ a viro probo & ſapiente non magnopere æſtimentur, ac virtuti longè inferiores ducantur, nihil tamen prohibet quo minùs parari poſſint: vt enim corpus vmbra, etſi non vmbræ gratia exiſtat corpus, conſequitur, ita fermè diuitiæ ciuilẽ militatémque virtutem, etſi alia de cauſa virtutes iſtæ quærendæ ſint, conſectantur. Et quamuis mercatura etiam & illiberalibus artibus congregentur diuitiæ, hę tamen ſordidæ ſunt, quæque vix quicquam ſplendoris afferant poſſidenti: quas verò parit virtus, hæ honeſtæ ſunt & dignitatem ac ſplendorem adiungunt. Denique ne longum faciam, nobilitas ac nominis celebritas inter bona numerari ſolent. At quis non animaduertat nobilitatem virtute vel vna vel maximè acquiri & comparari? ſanè quam principes ciuibus nobilitatis prærogatiuam concedunt, hæc nullo modo cum ea nobilitate conferri poteſt quæ propria maiorúmque virtute parari ſolet. Nam de nominis ſplendore & gloria nemo non videt nominis veluti immortalitatem virtute excitari & propagari. iurè igitur ait Ariſtoteles virtutem eſſe facultatem patandi bona. Addit verò conſeruandi, quia virtus niſi benè parta conſeruare valeat, longè imbecilla facultas videri poſſit ac diminuta. verè enim ac ſcitè vſurpari illud ſolet,

Non minor eſt virtus quàm quærere parta tueri.

Itaque Pyrrhus Epyrotarum Rex inde ſibi crimen vituperationémque cõtraxit, quòd cum in Vrbibus expugnandis atque hoſtibus profligandis militarem virtutem oſtenderet, quas tamen vrbes ac prouincias ſuo regno ſubieciſſet, has conſeruare haud noſſet. Nec mirum: nam difficile eſt etiam parta tueri, quin fortaſſe longè maior ad res conſeruandas quàm ad parandas requiritur virtus, neque enim ijſdem ſemper artibus res conſeruantur, quibus parantur, ſed nouæ artes ac maiores requiruntur: armis enim & fortitudine Vrbes expugnes, quas pacis artibus ac ciuium beneuolentia con-
913 ſeruare oporteat: labore ac ſtudijs diuitias pares, quas frugalitate & parſimonia tueri debeas. Denique nobilitatem ac nominis gloriam aſſiduis vigilijs ac ſtudijs compares, quam tamen honeſta morte firmiſſimam reddas. Itaque pulcherrima illa Salluſtij ſententia quæ a Græcis ſapientibus ad Latinos fluxit Regna & imperia ijſdem artibus quibus parata fuerint, conſeruari, tum demum egregia ac tuta videri poteſt cum ars ac virtus ſpectetur in vniuersùm, non priuata aliqua aut ars aut virtus. Quapropter ſtatuendum eſt Regna parari labore, induſtria, vigilantia, fortitudine; ac fortitudine, vi-

gilantia, induſtria, labore, conſeruari, alioquin qui dixerit eſſe neceſſarium vt bello conſeruentur Regna quæ bello fuerint parata; falſum dixerit quàm quod falſiſſimũ. Vigilantia igitur & induſtria in vniuerſum, ac virtutibus in primis ac bonis artibus paretur & conſeruetur neceſſe eſt. Ex quo fit vt virtus quam ad bona paranda & conſeruanda requirit Ariſtoteles in vniuerſum (vt dicebam) accipienda ſit. Fateor quidẽ prudentiam maximè omnium virtutum valere ad regna ac bona comparanda & conſeruanda: ſed tamen prudentia varias deinde virtutes tanquam adminiſtras refert bonis & parandis & conſeruandis; ita ut non vna eadémque virtute parentur & conſeruentur: ſed virtute tamen. Quin etiam illud addiderim virtutem, vbi de Regno parando & conſeruando agamus, non tam propriè quàm populariter vſurpandam; ita vt laborem, vigilantiam, induſtriam, frugalitatem, vel pro virtutibus excipiamus quibus affines ſunt, vel prudentiæ aliarúmque virtutum aſſeclas & adminiſtras eſſe fateamur. Denique virtus bono parando & conſeruando optimè valet, cum optimæ quoque artes & optima ſtudia pro opportunitate & prudentiæ præſcripto ijs parandis & conſeruandis adhibeantur.

Secunda Definitio. Iam verò alteram Virtutis deſcriptionem affert Ariſtoteles atque ait eſſe facultatẽ quæ beneficia confert multa in mortales & magna. & rectè quidem. is enim antecellere virtute iudicatur qui multa & magna beneficia in genus humanum conferre ſolet: hinc enim diuinam largitatem ac beneficentiam imitamur quæ mortalibus proſpicit omnibus. hinc ſolem quoque æmulamur qui perpetuis veluti laboribus & curſibus mortalium vtilitati tanquam inuigilat ac nullam Terrarum Orbis plagam non ſua luce & pulchritudine, floribus etiam, frugibus ac fructibus vberrimis, complet. Denique his artibus, beneficentia inquam erga mortales, & meritis Herculem, Bacchum atque alios multos in cœlum aſcendiſſe putauit antiquitas. neque enim quicquam diuinius aut pulchrius excogitari poteſt, quàm de mortalibus benemereri. Vt propterea ſapienter, quod ſæpè ſolet M. Tullius, ijs qui ſuos ciues ac patriam iuuerint, certas in Cœlo ſedes ſcripſerit conſtitutas. 914

Tertia Definitio. Addit verò καὶ πάντων περὶ πάντων, vel vt nouam quandam virtutis deſcriptionem pauciſſimis afferat, ac virtutem omnibus mortalibus ad omnia adiumentum afferre doceat, vel certè expolitione quadam vtitur, vt ſignificet virtutem eſſe facultatem quæ mortalibus multa & magna afferat beneficia, atque adeò omnibus ad omnia cõferre poſſe. verè enim virtus & in rebus ſecundis nos efficit moderatos, & in aduerſis perfugio ac ſolatio eſſe ſolet, & vt paucis multa complectar omnes hominum ordines atque in rebus gerendis omnibus iuuare poteſt. Denique non aqua, non ignis tot vſus habet in cœtu hominum quot habet virtus: quin propè dixerim ne ſol quidem ipſe tot mortalibus ſuppeditat commoda & adiumenta, quot illis virtus, excellens præſertim, afferre ſolet. Vt propterea iure ad virtutem Tullianum illud referre poſſis & affirmare, Virtus res ſecundas ornat, aduerſis perfugium ac ſolatium præbet, delectat domi, non impedit foris, pernoctat nobiſcum, peregrinatur, ruſticatur. Sed iam ad virtutis formas ſeu partes cum Ariſtotele deſcendamus.

PARTICVLA CXCII.

Μέρη δὲ ἀρετῆς δικαιοσύνη, ἀνδρεία, σωφροσύνη, μεγαλοπρέπεια, μεγαλοψυχία, ἐλευθεριότης, πρᾳότης, φρόνησις, σοφία. ἀνάγκη δὲ μεγίστας εἶναι ἀρετάς τὰς τοῖς ἄλλοις χρησιμωτάτας, εἴπερ ἐστὶν ἡ ἀρετὴ δύναμις εὐεργετική. διὰ τοῦτο τοὺς δικαίους καὶ ἀνδρείους μάλιστα τιμῶσιν. ἡ μὲν γὰρ πολέμῳ, ἡ δὲ, καὶ εἰρήνῃ χρήσιμός ἐστιν αὐτοῖς. εἶτα ἐλευθεριότης. προΐενται γὰρ καὶ οὐκ ἀνταγωνίζονται περὶ τῶν χρημάτων, ὧν μάλιστα ἐφίενται ἄλλοι. 915

PArtes autem virtutis ſunt Iuſtitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, manſuetudo, prudentia, ſapientia. Neceſſe verò eſt maximas eſſe virtutes quæ alijs vtiliſſimæ ſunt. ſiquidem eſt virtus facultas quæ beneficia facit. idcirco iuſtos & fortes maximè honorant, hæc enim in bello, illa verò etiam in pace, vtilis eſt ipſis. & liberales; nam & effundunt & non certant de pecunijs quas maximè appetunt alij. *Riccobonus.*

Partes

Maiorã gius.

PArtes autem virtutis ſunt iuſtitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, manſuetudo, prudentia, ſapientia. Neceſſe eſt autem omnium virtutum eas eſſe maximas, quæ ſunt alijs vtiliſſimæ, ſiquidem virtus eſt facultas beneficia conferendi. Atque hac de cauſa iuſti & fortes viri maximè honorantur: hi enim in bello, illi verò etiam in pace multis vtiles ſunt: deinde liberales; ideo ſunt in honore, quòd fortunas ſuas erogant, neque de pecunijs digladiantur, quarum reliqui mortales magnopere cupidi ſunt.

DIxit de virtute in vniuersùm, cuius vim ac naturam pro oratorio vſu mirificè explicauit; nũc de eiuſdem virtutis, ſiue partibus, ſiue ſpeciebus diſſerit ſigillatim. Principiò verò virtutes enumerat ſingulas, atque ait virtutes ſeu virtutis partes eſſe iuſtitiam, fortitudinem, tem-
916 perantiam, magnificentiam, magnanimitatem, liberalitatem, manſuetudinem, prudentiam, ſapientiam. Quo in loco requirat fortaſſe quiſpiam cur Ariſtoteles nulla diſtinctione adhibita, ordine etiã nullo retento, in vnũ veluti faſcem coniecerit virtutes omnes. (Dubitatur) Et ſanè certum eſt virtutum gradus eſſe varios, itaut ſapientia ad mẽtem pertineat, ac celſiſſimam animæ veluti ſedem obtineat. contra verò temperãtia & fortitudo circa inferiorem animæ partem verſantur, atque iraſcendi & appetendi vim moderantur: prudentia & iuſtitia mediã veluti ſedem obtinent. quid eſt igitur quod eas non pro gradus ratione ac dignitate diſpoſuit & collocauit? Præterea certum quoque eſt mentis virtutes eſſe multas, nimirum ſapientiam, quæ eſt rerum præſtantiſſimarum cognitio, ſcientiam quæ in rebus ſi non præſtantiſſimis, quoquo modo tamen æternis, occupatur; intelligentiam ſeu mentem (hanc intellectum, impolito nimirum nomine, appellant Peripatetici aliqui) qua prima principia contemplantur: quorum ea etiam eſt dignitas vt perpetuæ veritatis dicãtur. cur igitur vnius ſapientiæ mentionem fecit? Ad hæc vbi manſuetudinis ratio habenda ac mentio facienda erat, eodem ac potiore iure & clementia & aliæ virtutes aliquæ poterant numerari: ſed in primis meliori ordine diſponi ac percenſeri. quid eſt enim quod prudentia & ſapientia ad extremùm conijciantur, fortitudo & iuſtitia quaſi principes ante alias collocentur?

Sed tamen (ſi quis attentiùs æſtimet) appoſitè omnino virtutes percenſuit Ariſtoteles, nec in vnum veluti faſcem, ac temerè & caſu, illas coniecit. (Respon…tur.) eas enim fermè enumerauit prout propiùs ad virtutis vim & naturam accederẽt, qua virtutem deſcripſerat vniuerſam. cum enim virtutem facultatem eſſe dixiſſet, qua bona comparamus & conſeruamus, aut vnde multa & magna beneficia in humanum genus conferre ſolemus, atque adeò mortales omnes in omnibus iuuamus, quis non videat iuſtitiã principem ſibi locum in hiſce virtutis muneribus vindicare, tum fortitudinem, inde tem-
917 perantiam ac reliquas deinde prout fermè enumerantur ab Ariſtotele? & hoc eſt id de quo continuò nos admonuit cum diceret iuſtitiã eſſe maximam virtutem quòd mortalibus vtilitatem domi militiæque afferat. fortitudinem ſequi, quòd in bello maximè & ad Rempublicam tuendam ſit neceſſaria. Denique harum virtutum enumerandarum ratio ferè ab vtilitate ducta eſt tota, quòd virtutis, quam definierat, vim ſpectaret hoc tempore. Vt propterea artificio non careat hæc virtutum enumeratio. & hac de cauſa nec ſcientiæ aut mentis mentionem fecit, cum hæ ad ſolam contemplationem attineant: ſapientiam verò recenſuit, quòd eius nomine non modò rerum diuinarum, verùm etiam humanarum notitiam, quæ mortalibus iuuandis neceſſaria eſt, deſignaret. Denique clementia etſi quæ huiuſmodi virtus alibi numeratur, manſuetudinis aliarúmque enumeratarum virtutum nomine comprehenditur. Sed iam ad definitiones ſingulas veniamus.

PAR-

PARTICVLA CXCIII.

*Ἔστι δὲ δικαιοσύνη μὲν, ἀρετὴ δι' ἣν τὰ αὑτῶν ἕκαστοι ἔχουσι, καὶ ὡς ὁ νόμος. ἀδι-
κία δὲ δι' ἣν τὰ ἀλλότρια οὐχ ὡς ὁ νόμος.*

IVſtitia eſt virtus per quam quæ ſunt ſua ſinguli habent: & vt iubet lex. Iuſti- *Ricco-*
tia per quam aliena, non vt præcipit lex. *bonus.*

*ESt autem iuſtitia virtus per quam ſinguli res ſuas habent, & eo modo quo lex
præcipit, iniuſtitia verò per quam aliena contra legem poſſidentur.* *Maiora-
gius.*

IVſtitia inquit Ariſtoteles eſt virtus per quã ſua quiſque habet ac prout
lex præcipit. Vbi duas iuſtitiæ conditiones refert. prima vt per eam ſua
quiſque bona poſſideat ac retineat: nam vbi rerum diuiſio introducta
eſt iuſtitia ſanè poſtulat vt ſua quiſque retineat atque illis perfruatur.
Altera vt illis vtatur & perfruatur legitimè & ex legis præſcripto ac nor- 918
ma; neque enim æquum eſt vt quis vtatur bonis ad ſicarios alendos &
graſſatores, aut eis amicos lædat, patriæ commoda oppugnet, Rempublicam euertat,
tyrannidem occupet. quin neque etiam vt auarè illis aut libidinosè vtatur. Etenim ho
mines ſinguli ſunt Reipublicæ partes: ac propterea ſic ſe gerant oportet, vt ſuarum re-
rum vſum cum Reipublicę vſu, dignitate ac ſalute coniungant. Neque enim nobis ſo-
lùm nati ſumus, ſed ortus noſtri (vt ait Cicero) partim patria vendicat, partem amici,
iuſtitia igitur ea virtus eſt quæ iubet quidem vt ſua quisque bona poſſideat & pacificè
poſſideat; ſed legitimè tamen & ex rectæ rationis legiſque præſcripto. Quanquam ſi
quis dixerit hinc illud etiam indicari, iuſtitiam efficere vt quis non modò ſua bona pa-
cificè retinere poſſit, verùm etiam ea oppignorare, donare, diuendere, abalienare & in
alterius dominium pro arbitratu transferre, non repugnarim: nam id quoque iuſtitiæ
beneficio ac præſidio efficimus. Quanquam cum iniuſtitiam ſubinde illam eſſe dicat
per quam aliena non vt lex præcipit habentur, ita vt iniuſtitia in non legitima bonorũ
poſſeſſione collocetur, propoſita iuſtitiæ, cui iniuſtitia opponitur, deſcriptio videtur
ad vnam bonorum poſſeſſionem pertinere, cætera interim præteriri: quare illud & vt
lex, nimirum iubet aut diſponit, vix ea ſpectaret quæ deinde circa bona legitimè exer-
cemus. Niſi tamen dicas vtrobique id intelligi & verbis illis deſignari: qui enim poſſi-
det ex legis præſcripto, id abalienare quoque poteſt, vt diximus: qui ſecus poſſidet, is
nullo modo abalienare poteſt: quod ſi fuerit, id ſanè non ſecundum legem fecerit.
Iam verò ex hac Iuſtitiæ definitione ſatis intelligere licet veriſſimè prouerbium
illud fuiſſe pronunciatum. Nihil dictum quod non priùs dictum. vix enim ex varijs Iu- 919
ſtitiæ definitionibus quæ a varijs traditæ ſunt, vllam inuenies quæ ab Ariſtotelea hac
quicquam differat. Quare dum ab Vlpiano veſtro, Auditores optimi, Iuſtitia defini-
tur conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuens, facilè animaduertere li-
cet per conſtantem illam & perpetuam voluntatem, legitimam legis diſpoſitionem,
quam vocant ſeu conſtitutionem deſignari, qua tribuitur quidem vnicuique ius ſuũ,
ſed ita tribuitur vt ex recta ratione (id enim valet perpetua illa voluntas & conſtans) ac
legitimè tribuatur. & huc etiam referri poteſt altera Iuſtitiæ definitio quam protulit
M. Tullius V. libro de finibus, vbi Iuſtitiam definiuit animi affectionem quæ ſuum
cuique tribueret & ſocietatem humanã tueretur, vbi duas illas planè Ariſtoteleæ de-
finitionis conditiones a nobis explicatas deſignauit. Idem ferè in II. libro de Inuentio-
ne, vbi virtus, inquit, eſt habitus animi communem vtilitatem conſeruans ac ſuam
cuique tribuens dignitatem. Denique quoniam longum eſſet ad omnia, qui Iuſtitiam
æqui facultatem definiunt, ij mihi quidem omnia, etſi preſsè, complecti videntur quę
de Iuſtitia dicuntur.

Neque verò in Iuſtitiæ muneribus diſtribuendis non idem prouerbium eſſet veriſ-
ſimum. nam veſter Vlpianus Iuſtitiæ munera & officia eſſe ait Honeſtè viuere, Alte-

rum

rum non lædere, Ius ſuum cuique tribuere. & hoc fermè eſt quod ſcribit Ariſtoteles in V. Ethicorum, vbi ait Iuſtitiam tum in pactis ac promiſſis tum in rebus contrahendis verſari, ac ius ſuum vnicuique in primis tribuere, huc etiam ſpectat quod ſcribit M. Tdllius in I. de Officijs, Iuſtitiam poſtulare vt nemini noceas niſi laceſſitus, communibus pro communibus vtaris, proprijs verò proprijs.

Iurè autem Iuſtitiæ cognitio ac vis ad honeſtatem & ad laudationis vſum refertur
920 ab Ariſtotele. Siquidem vt ait Cicero, ſine Iuſtitia nihil poteſt eſſe laudabile. & ideo acutè Ariſtoteles in libro V. Ethicorũ, Iuſtitiam comparauit cum Veneris ſtella, quã orientem Luciferum, occidentem Heſperum, appellamus. quin iurè etiam eiuſdem ſtellæ pulchritudini Iuſtitiæ pulchritudinem antepoſuit. quanquam, mea quidem ſententia, iurè ac meritò Iuſtitiam cum Sole ipſo comparare, eandem etiam (aut ego fallor) Soli anteponere licuiſſet. Sol enim interdiu lucet mortalibus ac ſuum ſplẽdorem obijcit & pulchritudinem; Iuſtitia nullo vnquam tempore occidit, nullo tẽporis momento non ſuam lucem ac pulchritudinem oſtendit. Sol oculis corporis tantùm occurrit, Iuſtitia intelligentiæ ac menti: ille interdum obeſſe ſolet mortalibus, itaut terra etiam areſcat præ ſolis æſtu & ardore: itaque Aſtrologi multi affirmare non dubitarũt nonnullas Terrarum regiones reperiri quæ ob Solis ardorem non habitentur: Iuſtitia nunquam obeſt mortalibns, prodeſt ſemper, ac ſua luce & pulchritudine vbique mortalibus effloreſcit. quapropter iure a Poëtis Virgo pulcherrima & pudicitię ſtudioſiſſima dicitur, iurè aurea auréoque ſæculo Aſtreæ nomine floruiſſe cenſetur. Sed in primis iurè ac meritò a M. Tullio Domina & Regina virtutum appellatur. imperat enim nobis erga Deum religionem, erga parentes pietatem, erga amicos fidem, in mortale genus vniuerſum moderationem & æquitatem. Denique ſapienter a Pythagoreis mater dicitur ac nutrix virtutum reliquarum. Iam verò quæ ſtatuit de Iuſtitia per quam ait aliena non perinde ac lex præcipit poſſideri aut attingi, commodè intelligi poſſunt ex ijs quæ de Iuſtitia dicta ſunt: rerum enim contrariarum diſciplina éadem. Tametſi non me fugit immenſum adhuc iniuſtitiæ declarandæ & conſtituendæ campum patêre poſſe; præſertim cũ in multis ſæpè iniuſtitia cum Iuſtitia pugnare videatur, itaut non facilè ſit ſtatuere qui ſint certi Iuſtitiæ aut iniuſtitiæ fines; tanta eſt enim in rebus humanis varietas & ambiguitas, vt Iuſtitia fluctuate videatur, ac poſſe in contrarias partes facilè ac perſpicuè propemodum deriuari.

PARTICVLA CXCIV.

921 ἈΝδρία δέ, δι' ἣν πρακτικοί εἰσι τῶν καλῶν ἔργων ἐν τοῖς κινδύνοις, καὶ ὡς ὁ νόμος κελεύει, καὶ ὑπηρετικοὶ τῷ νόμῳ. δειλία δὲ τοὐναντίον.

Riccobonus. FOrtitudo per quam actores ſunt honeſtorum operum in periculis & vt lex præcipit atque adminiſtri legis. Timiditas contrarium.

Maioragius. *FOrtitudo eſt uirtus per quam homines res honeſtas in periculis aggrediuntur, eáſque gerunt ut lex præcipit & ſe legum miniſtros præbent. timiditas uerò uitium eſt contrarium.*

DIſputat de Fortitudine Plato in eo dialogo qui Laches inſcribitur ſeu de fortitudine: vbi nõ modò diſputat de vi ac natura fortitudinis, verũ etiam ad fortitudinem cohortatur quam a pueris capeſſendam colendámque monet. Sed copioſiſsimè Ariſtoteles III. Moraliũ capite VI. & tribus quæ proximè conſequuntur. atque hinc veluti hauſit ac delibauit quæ hoc in loco breuiter de ea virtute præcipit. eo autem loco monebat primùm, fortitudinem eſſe habitum animi, qui in mediocritate conſiſtat, itaut ex electione operemur. quæ omnia fortitudini, cum reliquis moralibus virtutibus communia ſunt, inde verò diſſociat fortitudinem ab ijs quibúſcum conuenit virtutibus,

Digitized by Google

tutibus, quia fortitudo inter timiditatem & audaciam media collocetur, quæ duo extrema vitia declinet tanquam infames ſcopulos. quanquam non tam quæ vitia fortitudini opponantur requirimus hoc tempore, ſed qualis qualis ſit campus in quo planè verſatur. Atque hac ipſa de cauſa ſubijcit Ariſtoteles videri fortitudinem in malis ſuperandis perferendíſque verſari. qu anquam non in omnibus paſſim, ſed quæ periculi habent plurimum, cuiuſmodi in bello occurrũt. ac talia denique ſunt quæ horrorem afferre ſolent, quale in primis eſt mortis periculum.

At enim ſi ita eſt Ariſtoteles, ſicarij, graſſatores, pyratæ, fortiſſimi cẽſendi ſunt, qui
quotidie periculis grauiſſimis ſæpè etiam morti ſe ſe obijciunt. Ita etiam Catilina qui 922
ſe vitæ diſcrimini obiecit vt patriam occuparet, fortiſſimus habendus erit. Minimè
verò, inquit Ariſtoteles. nam operæpretium eſt vt periculum honeſtum ſit. itaque iurè
fortiſſimus habitus eſt Horatius Cocles qui pro patriæ ſalute aperto mortis periculo
ſe ſe obiecit, quin illud etiam addit Ariſtoteles, ex legis præſcripto ſubeunda eſſe pericula,
vt quis fortiſſimus habeatur. Quapropter Torquati filius Manlius qui & periculo
ſe ſe obiecit grauiſſimo, & pro patriæ dignitatẽ certauit, victoriam etiam retulit, a
fortitudinis laude aberit, quòd inuito parente, hoc eſt Imperatore, atque adeò eius
præcepto violato, cum hoſte congreſſus ſit: quocirca morte affectus eſt etiam, tãtùm
abeſt vt fortiſſimi viri laudem præmiáque retulerit. Contra verò Mutius Sceuola: hic
enim (teſte Alicarnaſſeo libro V. Romanarum Antiquitatum, & Liuio libro II.) non
antea Tyberim tranauit, ſéque in Porſenæ contulit caſtra vt eum, ſi quo modo poſſet,
interficeret, ac patriam ab obſidione liberaret, quàm Senatum adierit, ac poteſtatem
hãc ſibi fieri poſtularit. Quare Senatus, Iuuene collaudato, vt feliciter pergeret, iuſſit.
Itaque & in periculis grauiſſimis iiſque honeſtis, & ex rectæ rationis legiſque imperio,
fortitudinis opera aggredienda ſunt. Qua in re illud etiam maximè refert ad perfectam
fortitudinem vt celſo animo & intrepido periculum ſubeas: id quod in Mutio
cernere licuit; quem ſcribunt a Porſena comprehenſum, nec colorem mutaſſe, nec
vllum timoris indicium dediſſe, quin mortem minitanti Porſenæ præclarum illud reſpondit,
ſe ſe ad mortem perferendam non minùs quàm fuiſſet ad cædem, paratiſſimũ
eſſe. Romani enim eſſe fortia & agere & pati. Tametſi vnum adhuc nos admonebat
Ariſtoteles vt fortitudo perfecta eſſet: nimirum omnino oportere vt non præmij aut
pœnæ gratia tantummodo facinus aggrediaris; non neceſſitate, non propter victoriæ
ſpem, non vſu aut ira tantùm; ſed ex electione ac virtutis vnius aut maximè ſtudio.
quocirca non mihi Homerus in Diomede aut Hectore probatur quos fortiſſimos 923
duces fatetur. hos enim pugnam inſtituentes inducit ne timiditatis arguerentur. virtutis
enim ſtudio, non ignominiæ timore, fortia gerenda ſunt. Ita etiam iurè Ariſtoteles
ab fortitudinis gloria Troianos illos abfuiſſe ſcribit, qui decertarunt illi quidem
ac ſtrenuè decertarunt, ſed tamen, niſi Hector pœnam illi mortémque turpiſſimam
minitatus eſſet, pugnam detrectaſſent. Sic non eos planè fortes cenſet Ariſtoteles qui
tum demum periculum ſuſcipiunt cum ſe inde incolumes ſperant diſceſſuros: denique
non neceſſitas, non ſpes victoriæ, non infamiæ timor, ſed honeſtas ad pericula ſubeunda
nos impellat oportet ac publici boni opportunum ſtudium.

PARTICVLA CXCV.

Σωφροσύνη. δ᾽ ἐςι ἀρετὴ καθ᾽ ἣν πρὸς τὰς ἡδονὰς σώματος, ὕτως ἔχωσιν, ὡς ὁ νόμος κελέυει. ἀκολασία δὲ τὐναντίον.

TEmperantia eſt virtus per quàm ad voluptàtes corporis ſic ſe habent vt lex præcipit: intemperantia contrarium. *Riccobonus.*

TEmperantia virtus eſt, cuius opera homines ita corporis voluptates moderantur, vt lex iubet. intemperantia uitium eſt contrarium. *Maioragius.*

De

DE temperantia egit Plato in Carmide Dialogo qui item de Temperan-
tia inſcribitur: vbi ſic de vi temperantiæ verba facit, vt ſimul mortales
cohortetur ad eius ſtudium, præcipuè verò adoleſcentes ac viros no-
biles: itaut vno eodémque tempore nos ad eius & cognitionem &
amorem incendere & informare nitatur. De illius tamen vi & natura
copioſiſſimè Ariſtoteles in libro IV. Moralium ad initium. Vbi ſanè
hãc virtutem fecit animi habitum in mediocritate poſitum, vnde ex electione operc-
mur: quæ omnia temperantiæ cum reliquis moralibus virtutibus ſunt communia,
924 quemadmodum etiam commune illis eſt vt a prudentia regantur: ſiquidem moralis
virtus niſi ad finem ab prudentia dirigatur, perfecta eſſe non poteſt. Materia verò ac
veluti campus in quo ſe exercet temperantia, ſunt corporis voluptates. quibus mode-
randis & in debita mediocritate continendis præeſt hæc virtus. neque verò ad omnes
corporis voluptates moderandas incumbit, ſed ijs tantùm præeſt quæ ex guſtatu per-
cipiuntur ac tactu. etſi enim auribus atque oculis voluptates multas capimus, odori-
bus etiam delectamur, quos odoratu haurimus; tamen vel quia hæ voluptates & iu-
cunditates non magnopere animos labefactant (voluptates enim tactus & guſtus vir-
tuti planè officiunt) vel quia illæ non ſunt nobis communes cum belluis (nam hanc
cauſam affert Ariſtoteles (non pertinent ad temperantiam. itaque Venus, Bacchus,
Ceres, vt breuiter dicam, ad temperantiam pertinent, & in his huiuſce virtutis decus
enitet ac pulchritudo.

Porrò autem Temperãtia quam vim habeat & quàm eximia & præclara virtus ſit,
nomen ipſum declarat quod apud Græcos inuenit. etenim inde σωφροσύνη dicta eſt, ſi
Ariſtoteli credimus, quòd σώζει φρόνησιν, quòd inquam prudentiam, mentem ac ſapien
tiam conſeruat: veriſſimè enim dici poteſt, prudentiæ ac ſapientiæ nihil magis obeſſe,
quàm Veneris ac ventris illecebras, & vno verbo intemperantiam: huic nihil magis
prodeſſe quàm iſtorum moderationem ac temperantiam. Itaque Xenophon Virtu-
tum omnium ſed inprimis ſapientiæ fundamentum appellauit temperãtiam. Et qui-
dem Pythagoram, Iſocratem, Platonem, Xenocratem alióſque multos qui ſapientiæ
laude claruerunt, temperantiſſimos fuiſſe legimus. Galenum quoque ſcribunt vno
temperantiæ præſidio ad centeſimum ac decimum annum perueniſſe. vt hinc intelli-
925 gere liceat, iurè a M. Tullio temperantiam valetudinis ac vitæ cuſtodem appellari,
quanquam qui Galenum ſcribunt temperantiæ præſidijs vitam quàm diutiſſimè pro-
duxiſſe; hos optaſſem, vt eidem tempetãtiæ tribuiſſent admirabilem Galeni tum Phi-
loſophiæ tum Medicinę notitiam. vt enim ad Hyppocratem Medicinę laude proximè
acceſſit, ita Philoſophiæ ſtudio & gloria cum Ariſtotele, cuius æmulator fuit maxi-
mus, decertauit. Eò verò maior eſt temperantiæ virtus, quòd non modò eſt aliarum
virtutum ſiue mater ac nutrix, ſiue comes & adminiſtra, verùm etiam frugalitatem
ſecum afferre ſolet ac parſimoniam: quę ſanè parſimonia eſt vectigal maximum: ſiqui-
dem non eſſe cupidum, non eſſe emacem, nõ edacem, in vectigalis certiſſimarúmque
diuitiarum loco habendum eſt. Denique quemadmodum intemperantia podagram
afferre ſolet, chiragram, rheumata, morbos ſexcentos, moleſtias infinitas adducit; ita è
contrario temperantia populis valetudinem ac corporis firmitatem, vigilantiæ ſtudiũ,
prudentiam, ſapientiam, ſexcenta commoda, innumeras opportunitates párere ſolet.
Itaque præclarè Menander Virtutum penum appellat temperantiam, atque illud ad
commẽdandam addit, quod ante oculos verſari deberet omnibus, atque altiùs in ani-
mis hærere. hominem rem præclaram eſſe ac venuſtiſſimam, dum temperantiam co-
lit: quòd ſi eam deſerat, non hominem ſed belluæ ſimillimum videri. quapropter ego
quidem Philoxemum illum de quo ſcribit Ariſtoteles, non tam hominem quã belluã
iudicarim. optabat hic a Dijs vt collum ſibi gruis collo concederet longius: quin Na-
turam accuſabat ac nouercam appellabat, quòd gruibus, quæ agreſti vtuntur cibo ac
rudi, longum palatum & collum dediſſet; homini verò qui cõquiſitiſſimis epulis frui
poſſet ac iucundiſſimis, collum ac palatum breuiſſimũ & anguſtiſſimum tribuiſſet.
Iam verò expeteret fortaſſe aliquis vt hoc locò doceam quo pacto temperãtia in Ve-
926 neris ac ciborum mediocritate conſiſtat, cum Virginitas & gaſtrimargia qua ventris
cupiditates edomamus ieiuniúmque ipſum tantopere a noſtris laudetur. Sed non eſt
hic locus ijs de rebus diſputandi. Quare tantùm dicam interdum in quibuſdam virtu-
tibus

Digitized by Google

tibus non tam mediocritatem rei quàm rationis eſſe ſpectandam. Ex quo fit vt opportuno tempore ac loco ac certis de cauſis Virginitas & ieiunium in mediocritate rationis ſint poſita. de qua tamen re non Oratoris ſed Philoſophi qui temperantiæ extrema diligenter explorat, ſed in primis Theologi, qui virginitatem ac ieiunij decus præ cæteris intuetur, eſt diſputare.

PARTICVLA CXCVI.

Ἐλευθεριότης δὲ, περὶ χρήματα εὐποιητική. ἀνελευθερία δὲ τοὐναντίον.

Liberalitas quæ in pecunijs benefacit: illiberalitas contrarium. Riccob.

Liberalitas eſt qua pecunijs ſuppeditandis pluribus benefacit, cui contraria eſt illiberalitas. Maior.

NVnc de Liberalitate. Eſt autẽ Liberalitas animi habitus qui ex electione pendet atque in mediocritate conſiſtit, more ac modo aliarum moralium virtutum quibúscum cõuenit, illius verò extrema vitia ſunt auaritia & prodigalitas, ſiue vt eſt apud M. Tullium, effuſio. nam prodigalitas reuera minùs latinè dicitur ne dicam barbarè. materia denique ac veluti campus quem excurrit, ſunt pecuniæ, &, vno verbo, quicquid pecuniæ aut numi æſtimatione metimur. Forma & ratio, ſiue mauis vſus ac vis, in pecunijs accipiendis, multò verò magis in dandis, poſita eſt. etſi enim honeſtiùs eſt ac laudabilius aliquẽ beneficio afficere quàm affici, & (quod diuinitus accepimus) beatius eſt dare quàm accipere; nihil tamen prohibet quominùs quis vnde & quãdo oportet accipiens, liberalis cenſeri poſſit. & ſanè vbi quis ita animum comparauerit vt ex quibus & quando oportet, ſit ad recipiendum paratus, is liberalis cenſendus eſt. & idcirco is cum non eguerit ad oblatas opes & pecunias conſtanter repudiandas (quod ſanè virtutis habitum declarat) erit paratiſſimus. Quanquam hoc in loco Ariſtoteles 927
populariter & pro vſu oratorio æſtimat liberalitatem. cum enim longè difficillimum ſit multitudini perſuadere, eũ, qui munera accipiat, liberalitatis nomine iure ornari, cõtra verò qui ea tribuat cæteris, liberalitatis gloria facillimum ſit commendare, illud tantùm commemorauit, liberalitatem in pecunijs ſuppeditandis poſitam eſſe. & hac etiam de cauſa in libro IV. Moralium capite primo monebat non tam eos qui acciperent, quàm qui largirẽtur laudari: hos enim honeſta agere, illos tantùm nil turpe efficere, arbitramur. porrò autem, vt perfecta ſit hæc virtus, non modò quibus & quãdo oportet, ſed quantum oportet, ac pro facultate etiam lætóque animo, tribuẽdum eſt. quam rem eleganter etiam & copioſè proſequitur M. Tullius in lib. I. de Officijs. vbi ordinis etiam perſonarum, quibus tribuendum eſt, rationem habet diligenter, vt ſcilicet intelligamus Principem ac Rempublicam primo loco ſpectandam, tum parentes ac liberos; deinde verò cæteros neceſſarios & amicos; vt ne in diſtributione peccetur. Sed quoniam hac de re multa ex Platone & Ariſtotele haurire adhuc licet, quæ ſunt in promptu, ipſe illud vnum addã, Aurum ipſum nos quodammodo admonere, quales nos oporteat eſſe, vt liberalitatis partes impleamus: aurum enim duos veluti colores refert, pallorem & ſplendorem: pallorem quia, quemadmodum Cryſippus virtutum æſtimator optimus venuſtè admonebat, pallor multos eſſe auri inſidiatores declarat, ita ut ab auaritia longiùs ſit recedendum: ſplendorem, vt intelligatur, opes ac diuitias ad ſplendorem & dignitatem eſſe referendas; verè enim & acutè cecinit Flaccus,

> *Nullus argento color eſt ——*
> *Niſi temperato ſplendeat vſu.*

Ex quo ſanè fiet vt effuſionem etiam declinantes, opibus & pecunijs pro dignitate 928
vtamur ac liberalitatis laudem aſſequamur.

PARTICVLA CXCVII.

MΕγαλοψυχία δ'ὲ ἀρετὴ μεγάλων ποιητικὴ ἐυεργετημάτων: μικροψυχία δὲ τοὐναντίον.

Riccob. MAgnanimitas virtus magnorum effectrix beneficiorum : puſillanimitas contrarium.

Maior. *MAgnanimitas eſt virtus, quæ maxima in alios beneficia confert: huic contraria eſt animi paruitas.*

MAgnanimitas, ſi vocem ſpectemus, ſignificat animi magnitudinem, id
enim valet μεγαλοψυχία ſeu magnanimitas: ſi rem ac virtutem ipſam,
non omnino facilem habet explicatum, quin multis ac magnis dubita-
tionibus inuoluta eſt. Ac primùm dum hoc in loco ait Ariſtoteles. Ma-
gnanimitas virtus eſt magnorum effectrix beneficiorum, videtur eam
cum liberalitate confundere. nam ſi eò confugias vt dicas magnanimi-
tatem in effectione maximorum beneficiorum verſari, liberalitatem mediocribus eſſe
contentam; iam, præterquam quod eiuſmodi diſcrimen leue omnino videri poteſt,
magnificentia vrgebit rurſus: quaſi verò ſibi vel maximè conueniat beneficia in homi
nes conferre maxima. Deinde Ariſtoteles in libro 4. Moralium capite 3. magnanimũ
appellat eum qui ſe iurè ac pro dignitate maximis ornamentis dignum exiſtimet: itaut
quoniã maximum ornamentũ eſt honor, hoc ſe dignum oſtendat, eundémque ſibi ſtu
deat vindicare. quib. nihil fermè pugnantius ſcribi potuit: hîc. n. in accipiendis, ibi in
tribuendis, honorib. beneficiiſque verſatur. Denique magnanimitas videtur nõ certa
929 quædam ac definita virtus eſſe, ſed potiùs ex multis virtutibus conſtare, quaſi verò ſit
quidam veluti cumulus virtutum: maximos enim magnanimo tribui honores iubet,
quod maximis virtutibus affectus ſit: & hoc nomine principatu illum facit digniſſi-
mum, quod munus ſine magnis virtutibus tueri haud licet. Quid multa? & paratum
eſſe ait ad vitam pro patria effundendam, quod fortitudinis munus eſt, & ad beneficia
in amicos conferenda, quod, vt dicere cœperam, germanum eſt liberalitatis munus, &
ad ſummam conſtantiam & æquitatem in omnibus conſeruandam, quod Iuſtitiæ im-
primis eſt proprium. vt propterea mirificè magnanimitatem cum reliquis virtutibus
confundere, aut certè quendam illarum veluti cumulum efficere, videatur. His (vt di-
cebam) magnanimitati veluti tenebras videtur offundere. Sed nitendum eſt tamen,
vt eas diſpellamus. Ergo diligenter obſeruandum Ariſtotelem præcepiſſe quidem, vt
magnanimus debitum ſibi honorem vindicet pro dignitate, ſed tamen ad extremùm
paratiſſimum quoque eſſe iubet ad beneficia in alios conferenda: itaut id quoque ve-
riſſimum ſit quod hoc in loco ſcribit Ariſtoteles. ea verò de cauſa prætermiſit interim
magnanimum in honoribus ſibi vindicãdis verſari, expoſuit verò in magnis beneficiis
efficiendis occupari, vt Oratori, cui induſtriam interim locauit ſuam, inſeruiret. Vt
enim liberalitatem quam in muneribus accipiendis obſeruauerat in Moralibus, hîc
reticuit, quod non magnopere laudationi eſſet accommodata, quam verò in benefi-
cijs conferendis retulerat, quoniam laudationi eſſet aptiſſima, hîc vſurpauit expoſuít-
que diligenter, ita planè in magnanimitatis muneribus factitauit, id vnum commemo
rans, quod eſſet laudi & Oratori opportunum. Neque verò interim magnanimitatem
cum alijs virtutibus confundit: nam liberalitas in pecunijs, magnanimitas in magnis
beneficijs, quæcunque illa ſint, efficiendis verſatur. Quare quemadmodum quadran-
gulum triangulum continet, & tamen ab eo longè differt; ita magnanimitas liberali-
tatem interdum ſectatur (etſi excellenti quadam ratione ſectatur tantùm) cum tamen
930 interim alia multa ſpectans & moliens, liberalitatis præſtet longiùs. Et idem dixerim
dum cum magnificentia coire videretur: nam magnificentia in magnis ſumptibus
ſe ſe exercet tantùm: illa in magnis beneficijs vniuerſim. Et ideo ſemper optima ſpe-
ctat, ac celſo animo máximaque beneficia ſuppeditat mortalibus: ita vt non tam ex

virtutibus conſtet omnibus, quàm virtutibus reliquis quaſi quibuſdam gradibus ad optimum perueniat. & idcirco concludit Ariſtoteles longè arduum eſſe, magnanimum inuenire.

PARTICVLA CXCVIII.

Μεγαλοπρέπεια δὲ ἀρετὴ ἐν δαπανήμασι μεγέθους ποιητική. μικροπρέπεια δὲ τοὐναντίον.

MAgnificentia virtus in ſumptibus magnitudinis effectrix: paruificentia contrarium. *Riccobonus.*

MAgnificentia virtus eſt quæ in ſumptibus faciendis amplitudinem ſequitur. huic etiam animi paruitas & tenuitas eſt contraria. *Maioragius.*

ESt hæc virtus liberalitati affinis: tametſi liberalitas in pecunijs planè opipúſque erogandis verſatur, ac ſatis pecuniarum ac beneficij mediocritate cuſtoditur. Magnificentia contra in ſumptibus iiſque magnis poſita eſt, vnde Reipublicæ ac mortalium generi prodeſſe poſſit. ita fit vt magnificentiam liberalitatem contineat, non verò magnificentiam liberalitas. niſi tamen magnificentiam liberalitatis quaſi verticem facias, quemadmodum religio iuſtitiæ. Quo fit etiam vt niſi in diuites & opulentos hæc virtus non cadat, cuiuſmodi ſunt Reges ac Principes. Sic Cæſar Auguſtus magnificus videri potuit, qui Vrbem Latericiam inuenit, reliquit marmoream. Denique in rebus diuturnis, quæque poſteritati tranſmitti ſoleant, elucet magis hæc virtus. De qua 93 {
multa ſunt, in quibus Ariſtotelem conſulas libro IV. Moralium capite 4.

PARTICVLA CXCIX.

Φρόνησις δ᾽ ἐστὶν, ἀρετὴ διανοίας καθ᾽ ἣν εὖ βουλεύεσθαι δύνανται περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τῶν εἰρημένων εἰς εὐδαιμονίαν.

PRudentia eſt virtus rationis, per quam benè conſultare poſſunt de bonis & malis, quæ dicta ſunt pertinere ad fœlicitatem. *Riccobonus.*

PRudentia eſt virtus rationis per quam de bonis rebus & malis, quæ ad beatam vitam pertinent, homines boni conſulere poſſunt. *Maioragius.*

PRudentiam ait eſſe mentis ſeu rationis virtutem, per quam rectè conſultamus de ijs bonis quæ pertinent ad beatam vitam. appellat verò illam rationis virtutem, quia virtutes reliquæ in affectionibus moderandis verſantur, & immoderatis cupiditatibus coërcendis, præſertim fortitudo ac temperantia; prudentia in ratione ac mente ſedem obtinet, vnde moralibus virtutibus præeſt. & hæc eſt præſtantiſſima illa virtus, quam indicauit Ariſtoteles in beatæ vitæ definitione, cum diceret beatam vitam eſſe operationem in vita perfecta, hoc eſt omnibus bonis cumulatam, & ſecundum virtutem præſtantiſſimam, nimirum ex prudentiæ præſcripto. & hac de cauſa hoc in loco ait, prudentia nos conſultare de bonis quæ ad beatam vitam pertinent. hinc verò intelligere licet cur prudentia a M. Tullio appelletur viuendi ars: neque enim fieri poteſt, vt quicquam rectè & ex virtute inſtituamus, niſi prudentiam ducem ſequamur. Ita fit vt prudentia reuera non tam proprium ac certum veluti campum habeat quem excolat, quemadmodum propoſitæ virtutes firmè omnes, ſed in reliquis virtutibus dirigendis verſetur. Hæc de virtutibus Ariſtoteles, vt earum dignitate atque honeſtate cogni-

cognita, eas pro dignitate ad laudationes referamus. Quanquam quid eſt quod & moderationem & ſapientiam paulò antè enumerauit inter virtutes, cum tamen poſtea de
932 ijs ne verbum quidem? Sanè excitandus eſſet ab inferis Ariſtoteles ipſe qui hanc ſiue dubitationem ſiue accuſationem dilueret. Siquidem aut in proponendo & pollicendo inconſideratus, aut in perſoluendo immemor, videri poteſt. Sed tamen æquiores ſimus oportet, partim quia moderatio ex iuſtitia ac temperantia dignoſcitur, itaut non tam re, quàm verbis, ab illis diſſideat virtutibus: partim quia de ſapientia diſputabit nō multò poſt. Sed illud fortaſſe rurſus ſciſcitaberis, quid eſt quod ex extremis virtutum vitijs vnum pro ſingulis enumerauit, alterum prætermiſit? Nam fortitudo verbi gratia inter audaciam timiditatémque obtinet locum, & tamen Ariſtoteles vnius timiditatis mentionem facit. Verùm cum ea enumerauerit extrema vitia in quibus magis peccatur, quæque vituperationi ſunt accommodata magis (auaritia enim verbi gratia apud populum facilis eſt ad vituperandum, effuſio, quoniam liberalitatis imaginem quandam refert, non facilè) nihil eſt quod miremur. Seruit enim concioni & populo.

PARTICVLA CC.

Περὶ μὲν οὖν ἀρετῆς καὶ κακίας καθόλου, καὶ περὶ τῶν μορίων, εἴρηται κατὰ τὸν ἐνεστῶτα καιρὸν ἱκανῶς. περὶ δὲ τῶν ἄλλων οὐ χαλεπὸν ἰδεῖν. φανερὸν γὰρ ὅτι ἀνάγκη τά τε ποιητικὰ τῆς ἀρετῆς εἶναι καλά: πρὸς ἀρετὴν γάρ, καὶ τὰ ἀπ' ἀρετῆς γινόμενα: τοιαῦτα δὲ τὰ σημεῖα τῆς ἀρετῆς καὶ τὰ ἔργα.

Riccobonus. AC de virtute quidem & vitio in vniuersùm & de particulis dictum eſt quod præſenti tempori ſatis ſit. de alijs verò non eſt difficile videre: apparet enim neceſſe eſſe vt & ea quæ efficiunt virtutem, ſint honeſta, referuntur enim ad virtutem. Et quæ a virtute efficiuntur: eiuſmodi autem ſunt ſigna virtutis & opera.

933 *AC de virtute quidem & vitio, déque partibus eorum, quantum ad hanc præceptionem attinet, ſatis in præſentia dictum eſt: nam cætera dignoſcere non eſt difficile. Planum eſt enim eas res quæ virtutis efficientes ſunt, neceſſariò honeſtas eſſe; quoniam ad virtutem referuntur. Et quæ a virtute proficiſcuntur, quales ſunt virtutis ſignificationes & actiones.* Maioragius.

DE virtutibus explicatè ſatis & copioſè diſſeruit Ariſtoteles: vt ſcilicet, quoniam pleniſſimæ ſunt dignitatis & honeſtatis, pulcherrimum nobis aperiret campum in quo exultaret oratio. Ac profectò cum laudatio ab honeſtate ducenda ſit; virtutes autem inter res honeſtas principem obtineant locum, poſtulabat ratio vt de virtutibus dilucidè & copioſè diſputaret. Nunc ne ſuſpicetur aliquis præter virtutes nil propè reperiri, quod cum honeſtate coniunctum ſit (id enim Stoici venditabant) alia multa in medium affert Ariſtoteles quæ per honeſta videri poſſunt, & verò debent: quæque vberrimam argumentorum copiam ſuppeditant laudationi. Inter quæ ea primò numerat Ariſtoteles quæ ſunt τὰ τῆς ἀρετῆς ποιητικά, hoc eſt eas res quæ ſunt effectrices virtutum? induſtrijs ac nauis (id quod vos aliâs admonui) ſcribit Ariſtoteles: ac propterea nobis eas, quoniam non obſcuriſſimæ ſunt, agnoſcendas relinquit, atque induſtriæ committit noſtræ. eas igitur ipſe perquiram ac recenſebo, vóſque interim labore omni eximam ac liberabo. Ergo multa ſunt ac varia, mea quidem ſententia, ac principiò maiorum, præſertim verò parentum, virtus & ſplendor numerari poteſt: quandoquidem natura comparatum eſt, vt liberi ac poſteri parentum maiorúmque ſuorum virtute ac ſplendore facilè ad virtutem ac res præclarè gerendas incendantur. quamuis. n. id non vſqueadeò rarum ac fixum eſt, vt non in quibuſdam cōtingat aliter, quemadmodum in M. Tullij ac M. Aurelij liberis contingit, qui a ſuis parentibus magnopere degenera-
934 runt, veruntamen ſæpè etiā contingit, vt poſteri maiorū virtutē æmulentur. Sic Bruti, ſic Decij, ſic Marcelli, ſic Fabij, ſic Scipiones, qui in ſuorū Maiorū facta & virtutes perpetuò intuebantur. Denique fortes creātur fortibus, nec imbelles progenerant aquilæ

 columbas.

columbas.efficiēs quoque virtutis eſt educatio:vix.n.dici poteſt quàm magnum mo-
mentum habeat recta educatio ad virtutē. id quod egregiè ſanè declarauit Lycurgus
trito illo, ſed tamen ſcito, duorum catulorum exemplo qui ex eodem fetu ſuſcepti eſ-
ſent.cum enim longè diuerſam educationem nacti eſſent, factum eſt vt vnus acerri-
mus ferarum inſectator ac venator extiterit, alter deterrimus & inertiſſimus euaſerit
helluo.Sed ne longum faciam in hac re, vos, Auditores, Xenophontis Cyropediam
percurrite,ſed in primis Plutarchi librum de liberis educandis:atque intelligetis,nihil
eſſe,vnde magis ad virtutem informemur,quàm educatione. Ipſe tamen interim vnū
affirmauerim,ea quæ Aſtrologi aliqui ad aſtrorum aſpectus referre ſolent,potiore iure
ad educationem reuocari. Quod enim quis pronus ſit ad eloquentiam, aut militiam
ſectetur,aut mercaturam exerceat, tractet agriculturam,honores ſibi comparet, edu-
cationi veriùs quibus virtutum vitiorúmque initia ac ſemina iaciuntur,quàm Mercu-
rio cæteríſque ſyderibus adſcribatur.

Effectrix quoque virtutis cauſa eſt clariſſimorum Doctorum ac virorum conſue-
tudo;in primis verò optimorum amicorum neceſſitudo. Etenim verba & præcepta
ad virtutem magnum habent momentum : exempla verò longè maius : útraque, ſi
coniungantur,maximum. Quapropter qui cum Doctorum virorum præceptis opti-
morum amicorum exempla coniungat,his ſentiet ſe ad virtutem magnopere excitari, 935
proficiétque mirificè: denique res virtutis efficientes ſunt etiam ingenium facile ac
docile,doctrinarum ſtudium,labor, vigilantia,honeſtæ gloriæ cupiditas, verecundia,
infamiæ quoque ac dedecoris timor. Itaque M. Tullius, vt Populum Romanum ad
militarem gloriam excitaret, illum grauiſſimis verbis commonebat: videndum eſſe
ne eam gloriam amitteret,quam ei maiores cùm in alijs virtutibus tùm maximè in re
militari peperiſſent:nihil enim turpius excogitari poſſe,quàm non eam gloriam tueri,
quæ a maioribus veluti per manus tradita eſſet.His omnibus addas præmia virtutibus
propoſita:ac,ſi placet,pœnas vitijs impoſitas,a Principe:vix enim fieri poteſt ut uirtu-
ti ſit præmium,quin uiri ingenui ad ea capeſcenda non alacriter aſpirent,ac propterea
uirtutem colant. Nec tamen æmulatio prætermittenda eſt, nam ad uirtutem incendit
maximè.fac enim in eodem curriculo cum eo uerſeris qui tibi uirtute ac laude antecel
lat;hinc ſanè exciteris oportet,& ad parem gloriam, maiorem etiam ſi fieri poſſit, adi-
piſcendam incendaris. Sic Alexandrum Achillis gloria, Scipionem Alexandri, Cæſa-
rem Pompei, alios aliorum ad uirtutem ac laudem prouocauit æmulatio. Itaque
Themiſtocles(inquit M. Tullius)noctu ambulabat in publicum, quòd ſomnum ca-
pere non poſſet,quærentibúſque reſpondebat ſe Milciadis Trophæis a ſomno ſuſcita-
ri.Sic Ariſtotelem Iſocratis & Platonis laus ad eloquentiæ ac Philoſophiæ metam im-
pulit ac prouocauit,ſic M. Tullium Hortenſij gloria ad ſummam eloquentæ palmam
ob æmulationis ardorem euexit.Hæc ſunt quæ ab Ariſtotele τὰ τῆς ἀρετῆς ποιητικὰ ap-
pellantur.Iam uerò ſecundo loco recenſet καὶ τὰ ἀπ' ἀρετῆς γινόμενα,ſiue illa quæ ex uir-
tute dimanant,ſunt autem hæc,inquit Ariſtoteles, uirtutis σημεῖα καὶ ἔργα ſignificatio-
nes & opera. Per quæ omnia intelligere poſſumus monumenta doctrinarum,
quæ quis ſuis uigilijs reliquerit : templa quæ pro ſua pietate conſtruxerit;
ædificia magnifica quæ ad publicam utilitatem fabricarit:uirtutis inſi-
gnia quæ quis a Principe retulerit:prærogatiuas quæ a Republica
nobis attribuuntur, ſtatuæ, trophæa, uictus ex publico 936
& alia multa quæ per ſe quiſque obſeruet,
præſertim in laudatis uiris
ac ſtrenuis.

PAR-

PARTICVLA CCI.

Ἐπεὶ δὲ τά σημεῖα καὶ τὰ τοιαῦτα ὅσα ἐστὶν ἀγαθοῦ ἔργα ἢ πάθη, καλά· ἀνάγκη τε ὅσα ἀνδρίας ἔργα, σημεῖα ἀνδρίας ἢ ἀνδρείως πέπρακται, καλὰ εἶναι. καὶ τὰ δίκαια, καὶ τὰ δικαίως ἔργα· πάθη δὲ οὔ (ἐν μόνῃ γὰρ ταύτῃ τῶν ἀρετῶν, οὐκ ἀεὶ τὸ δικαίως καλὸν ἀλλ᾽ ἐπὶ τὸ ζημιοῦσθαι αἰσχρὸν τὸ δικαίως μᾶλλον ἢ τὸ ἀδίκως) καὶ κατὰ τὰς ἄλλας δὲ ἀρετὰς ὡσαύτως.

Riccobonus. ET quoniam ſigna & talia quæ ſunt boni opera, vel perpeſſiones, honeſta ſunt, neceſſe eſt, vt etiam quæcunque ſunt fortitudinis opera, ſigna fortitudinis, vel fortiter geſta, honeſta ſint: & iuſta & iuſtè ſe habentia opera, perpeſſiones verò minimè. In ſola enim hac inter virtutes, non ſemper quod iuſtè ſe habet, honeſtum eſt, verùm cum quis damnatur turpius eſt ſi id fiat iuſtè quàm ſi iniuſtè, & de alijs virtutibus ſimiliter.

Maioragius. *QVoniam autem ſigna & huiuſmodi res quæ ſunt alicuius bona opera, aut affectiones, honeſta ſunt, neceſſe eſt, vt quæcunque fortitudinis opera aut ſigna ſunt, vel fortiter geſta, ſint etiam honeſta. Et quæ iuſta ſunt opera, quæcunque iuſtè fiunt, non tamen quæ iuſtè patimur ſunt honeſta: nam in hac ſola virtute non ſemper, quod iuſtè fit eſt honeſtum: in luenda enim pœna, quæ legibus impoſita eſt, turpius eſt iuſtè quàm iniuſtè plecti, ſed in alijs virtutibus vno atque eodem modo ſe res habet.*

QVæ vniuerſim de virtutis ſignificationibus & operibus, ſiue de ijs, quæ a virtute proficiſcuntur ſigna & monumenta, pręcipit, ea ſigillatim in
937 fortitudinis, iuſtitiæ, temperantiæ ac reliquarum virtutum omnium ſignificationibus & monumentis obſeruari iubet; vt quoniã ſunt honeſta, inde etiam laudationis argumenta deriuemus. verùm, ſi placet, rem illuſtremus, fortitudinis exemplo. Laudandus ſit Romanus Dux aliquis, qui olim terra maríque præclarè geſſerit multa; iam explorandum erit, num ciuem aliquem ſeruarit in bello, vnde corona ciuica potitus ſit: num exercitum aut Vrbem obſidione liberarit, vnde obſidionalem coronam acceperit: num primus conſcenderit mœnia, vnde muralem coronam ſit adeptus: denique num arma ac ſpolia ex hoſtibus retulerit, num locum, & ordinem in pugna fortiter ſemper conſeruarit, caput magnis periculis obiecerit, quoties cum hoſtibus conflixerit, quot & quàm nobiles victorias reportarit, num cicatrices a pectore referat, quas in bello & pro patria acceperit. hæc & id genus alia commemoranda ſunt, ſi in hoc Duce vllo modo eniteãt. Ita M. Tullius Luculli, Pompei, Cæſaris victorias & fortia facta diligenter enumerat, ac fortitudinis argumenta ante oculos ponit. Sic M. Antonius M. Aquilium Imperatorem egregium eo maximè nomine ornare non dubitauit, quòd cicatrices multas referret pectore, quas etiam denudare ac populo oſtentare non dubitauit. Sic Plinius & alij Sicinium mirificè extollẽt quod centum viginti prælijs interfuiſſet, quinque & quadraginta vulnera, quorum cicatrices referebat, vultu ac pectore acceptas oſtẽderet. Quod verò ait perpeſſionis affectiones & ſigna quæ ſe ſe offerũt, in virtutibus omnibus valere ad laudem, in ipſa iuſtitia è contrario, acutè ſanè: nam reuera quæ perpeſſiones iuſtæ ſint, vitio magis quàm laudi vertendæ ſunt, indicant enim perpetientis crimen & vitium: contra in fortitudine verbi gratia: vbi quæ fortiter toleramus, a virtute proficiſcuntur ac virtutem indicant fortitudinis. Non minùs tamen acutè obſeruabat in Particula CCCIV. iniurias quæ a minore videntur iniuſtitia proficiſci, ſępè eſſe maximas: etſi in actionibus iuſtis iuſtitiæ maximæ argumẽta niſi maximæ actiones haud præbeant; ita ut in ipſa iuſtitia res maximæ, in iniuſtitia res minimæ, maximam declarent iuſtitiam & iniuſtitiam.

Digitized by Google

PARTICVLA CCII.

Καὶ ἐφ' ὅσοις τὰ ἆτλα τιμή, καλά. καὶ ἐφ' ὅσοις τιμὴ μᾶλλον ἢ χρήματα.

ET quibus præmia ſunt honor, honeſta ſunt,& in quibus honor magis quàm pecuniæ. *Riccobonus.*

ET ea quibus præmium propoſitum eſt honor, honeſta ſunt, & quæ magis honore, quàm pecunia compenſantur. *Maioragius.*

QVoniam alia ſunt adhuc plurima quę longè honeſta videri poſſint, quæ- 938
que laudationi mirificè ſeruiunt, cum tamen nec virtutes per ſe ſint,
nec virtutis effectricia, nec ſigna nec opera: vel certè ſi quæ ſint quæ ad
iſthæc reuocari poſſint, alijs veluti inſignibus ſe ſe offerunt, atque alio
gaudent nomine; idcirco ad hæc curſim veluti digitum intendit Ariſto
teles, nos eadem etiam curſim, aut certè maiore quàm ſuperiora breui-
tate, complectemur: præſertim verò cum ex dictis, explicatarum rerum more ac mo-
do, explanari & ornari poſſint.

Ergo honeſta ſunt ea etiam, quibus honor in præmij loco propoſitus eſt. Etſi enim
fieri poteſt, vt quis per ignauiam & inconſiderantiam aut etiam per improbitatem
præmia ijs proponat rebus, & factis, quæ reuera verum decus verámque honeſtatem
præſeferunt nullam; interdum etiam indecora ſint ac turpia, rarò tamen id contingere
ſolet, quin nunquam ferè, niſi honeſtatis obtentu & æquitatis. Denique populariter
loquitur Ariſtoteles, & ea ſpectans quæ in communi vſu poſita ſunt: communi verò
vſu receptum eſt vt præmia non malefactis ſed rectè factis honeſtiſque rebus propo-
nantur, vt eſt agrum benè colere, liberos multos Reipublicæ procreare, domum rectè
adminiſtrare: magiſtratum temperanter gerere & alia id genus plurima: nam his apud
priſcos Romanos ſua conſtituta erant præmia. Addit autem Ariſtoteles honeſta quo-
que videri illa, quibus honor magis quàm pecunia proponitur in loco præmij: rectè.
nam pecunijs illiberales ferè, honore ingenui ac generoſi, excitantur. denique pecuniæ
ſunt bonum vtile quaéque propter aliud expetuntur: honor ijs debetur quæ propter ſe
expetuntur vel maximè. vt propterea in præmium honor quàm pecunia honeſtiùs pro-
ponatur. Nam inficior tamen fieri quoque poſſe vt honeſtum factum pecuniæ præmio
compenſetur: neque enim id negat Ariſtoteles, & ſi negaret, verendum eſſet ne recla- 939
marent plurimi; ſed honoris præmium tantummodo anteponit. Sed quoniam dum
res curſim attingere inſtituo, rurſus ſe noſtra effundit Oratio; cohibebo illam magis ac
magis, & quæ in hoc honeſti genere ſequuntur, omnia fermè aceruatim & quibuſdam
veluti punctis perſequar Stoicorum more, aut certè complectar breuiùs.

PARTICVLA CCIII.

Καὶ ὅσα μὴ αὑτοῦ ἕνεκα πράττει τις τῶν αἱρετῶν, καὶ τὰ ἁπλῶς ἀγαθά, ὅσα ὑπὲρ τε πατρίδος τις ἐποίει παριδὼν τὸ αὑτοῦ, καὶ τὰ τῇ φύσει ἀγαθά, καὶ ἃ μὴ αὐτῷ ἀγαθά. αὑτοῦ γὰρ ἕνεκα τὰ τοιαῦτα. καὶ ὅσα τεθνεῶτι ἐνδέχεται ὑπάρχειν μᾶλλον ἢ ζῶντι. τὸ γὰρ αὑτοῦ ἕνεκα, μᾶλλον ἔχει τὰ ζῶντι, καὶ ὅσα ἔργα τῶν ἄλλων ἕνεκα: ἧττον γὰρ αὑτοῦ. καὶ ὅσαι εὐπραγίαι περὶ ἄλλους, ἀλλὰ μὴ περὶ αὑτόν. καὶ περὶ τοὺς εὖ ποιήσαντας δίκαιον γάρ. καὶ τὰ εὐεργετήματα. οὐ γὰρ εἰς αὑτόν. καὶ τὰ ἐναντία ἢ ἐφ' οἷς αἰσχύνονται. τὰ γὰρ αἰσχρὰ αἰσχύνονται καὶ λέγοντες, καὶ ποιοῦντες, καὶ μέλλοντες, ὥσπερ καὶ Σαπφὼ πεποίηκεν, εἰπόντος τοῦ δικαίου, θέλω τι τ' εἰπεῖν, ἀλλά με χωλύει αἰδώς αἰ δ' ἶχες ἐς ἐσθλῶν ἵμερον, ἠ καλῶν. καὶ μή τ' εἰπεῖν γλῶσσ' ἐκύκα κακόν, αἰδώς κέν σε οὐκ εἶχεν ὄμματα, ἀλλ' ἔλεγες περὶ τῷ δικαίῳ. καὶ περὶ ὧν ἀγωνιῶσι μὴ φοβούμενοι. περὶ γὰρ τῶν πρὸς δόξαν φερόντων ἀγαθῶν τοῦτο πάσχουσι καὶ

σι καὶ

Digitized by Google

σι. καὶ αἱ τῶν φύσει σπουδαιοτέρων ἀρεταὶ καλλίους, καὶ τὰ ἔργα, οἷον ἀνδρὸς, ἢ γυναικος. καὶ αἱ ἀπολαυστικαὶ ἄλλοις μᾶλλον ἢ αὐτοῖς. διὸ τὸ δίκαιον καὶ ἡ δικαιοσύνη καλόν. καὶ τὸ τοὺς ἐχθροὺς τιμωρεῖσθαι μᾶλλον, καὶ μὴ καταλλάττεσθαι. τό τε γὰρ
940 ἀνταποδιδόναι δίκαιον. τὸ δὲ δίκαιον καλόν. καὶ ἀνδρεῖον τὸ μὴ ἡττᾶσθαι. καὶ νίκη καὶ τιμὴ τῶν καλῶν. αἱρετά τε γὰρ, ἄκαρπα ὄντα, καὶ ὑπεροχὴν ἀρετῆς δηλοῖ. καὶ τὰ μνημόνευτα, καὶ τὰ μᾶλλον, μᾶλλον. καὶ ἃ μὴ ζῶντι ἕπεται. καὶ οἷς τιμὴ ἀκολουθεῖ, καὶ τὰ περιττὰ, καὶ τὰ μόνῳ ὑπάρχοντα, καλλίω. εὐμνημόνευτα γάρ. καὶ κτήματα ἄκαρπα. ἐλευθεριώτερα γάρ. καὶ τὰ παρ' ἑκάστοις δὲ ἴδια, καλά, καὶ ὅσα σημεῖά ἐστι τῶν παρ' ἑκάστοις ἐπαινουμένων. οἷον ἐν Λακεδαίμονι κομᾶν, καλόν. ἐλευθερίας γὰρ σημεῖον. οὐ γάρ ἐστι κομῶντα ῥᾴδιον οὐδὲν ποιεῖν ἔργον θητικόν. καὶ τὸ μηδεμίαν ἐργάζεσθαι βάναυσον τέχνην. ἐλευθέριον γὰρ, τὸ μὴ πρὸς ἄλλον ζῆν.

Riccobonus. ET quæcunque non ſui cauſa agit aliquis ex ijs quæ eligenda ſunt. & ſimpliciter bona; & quæcunque pro patria geſſerit aliquis, negligens ſuum ipſius: & naturaliter bona, & quæ non ipſi bona: ipſius enim cauſa talia ſunt. & quæcunque mortuo contingit vt adſint magis quàm viuenti. Id enim quod ſui cauſa eſt, continent magis quæ ſunt viuenti. Et quæcunque opera aliorum ſunt cauſa, minùs enim ſui. Et quæcunque bonæ actiones ſunt erga alios, ſed non erga ſe, Et erga eos qui benefecerunt, quia id iuſtum eſt. Et beneficia quia non ſunt erga ipſum. Et contraria ijs in quibus verecundantur. Nam verecundantur qui propria & dicunt & faciunt, & dicturi ſunt & facturi, vt etiam Sappho cecinit, cum diceret Alcæus, Volo aliquid loqui, ſed me prohibet pudor. Si veniſſes in bonarum rerum deſiderium, aut honeſtarum, neque dicere lingua tentaſſet malum, pudor nequaquam occuparet oculos, ſed loquereris de re iuſta, & de quibus anguntur, cum minimè metuant: quia in bonis quæ ad gloriam referuntur, hoc modo afficiuntur. Et qui natura ſunt meliores, eorum virtutes honeſtiores & opera, vt viri quàm mulieris. Et quæ voluptuariæ alijs magis, quàm ſibi ip-
941 ſis. Quamobrem iuſtum & iuſtitia honeſta eſt. Et inimicos vlciſci magis, & non reconciliari. Nam par pari referre iuſtum eſt. Iuſtum autem eſt honeſtum. ad fortitudinem verò pertinet non cedere. Et victoria & honor inter honeſta. Nam eligenda ſunt etiamſi nullum fructum ferunt, & excellentiam virtutis declarant. Et memorabilia. Et quæ memoria digniora ſunt, honeſtiora ſunt. Et quæ non viuentem ſequuntur. Et quæ honor conſequitur & quæ excellunt. Et quæ ſoli adſunt, honeſtiora ſunt. valde enim memorabilia ſunt. Et poſſeſſiones non frugiferæ, quia liberaliores. Et quæ ſingulorum ſunt propria, honeſta ſunt. Et quæcunque ſigna ſunt eorum, quæ apud quoſque laudantur, vt Lacedæmoni comam alere, honeſtum eſt. nam libertatis eſt ſignum. Non enim eſt ei qui comam alit, facile vllum obire munus ſeruile. Et nullam exercere operoſam artem, quia pertinet ad libertatem, nequaquam ad alterius arbitrium viuere.

Maioragius. *ET quæ cum ſint expetenda, potiùs aliena cauſa, quàm ſua fiunt. Et quæ ſunt abſolutè bona, & quæ neglecta propria ſalute pro patria geruntur ab aliquo. Et quæ bona dantur a Natura. Et quæ non illi ipſi qui habet, fructum afferunt; nam quæ afferunt, eius ipſius gratia ſunt. Et quæcunque mortuo ſæpiùs quàm viuo contingere ſolent; nam quæ viuo fiunt, ipſius gratia facta videri poſſunt. Et quæcunque opera fiunt aliorum cauſa, minùs enim ipſius gratia. Et quæ in alienis negocijs curandis benè conficiuntur, non autem in ſuis. Et quæ propter eos fiunt, a quibus beneficium acceptum fuerit: hoc enim iuſtum eſt. Et benefacta in alios, quoniam ad proprium*

*prium fructum non referuntur. Et eorum contraria propter quæ ſolent homines eru-
beſcere: nam propter turpia, cum autem dicunt, aut faciunt, vel cum dicturi factu-
rique ſunt, erubeſcunt, quemadmodum Alcæo Poeta reſpondit Sappho. Cum enim ille
dixiſſet, Cupio tecum quadam loqui, ſed me deterret pudor, illa ſic inquit: ſi te bona-* 941
*rum aut honeſtarum rerum deſiderium teneret, neque lingua tua flagitium aliquod
proferre tentaret, non ſanè pudor oculos tuos occupaſſet, ſed de re iuſta liberè verba
feciſſes. Et ea de quibus homines anguntur, cum tamen non metuant, ſunt honeſta:
de iis enim anguntur, & ſolliciti ſunt homines, quæ rectà ad gloriam tendunt. Hone-
ſtiores etiam eorum virtutes & opera ſunt, qui natura ſunt meliores vt viri quàm
mulieris. Et virtutes illæ quibus alij magis frui poſſint quàm illi, in quibus ſunt: qua
de cauſa iuſtum & iuſtitia honeſta eſt. Quinetiam hoſtes potiùs vlciſci, quàm cum il-
lis in gratiam redire, honeſtum eſt: nam par pari referre iuſtum eſt: quod autem iu-
ſtum, eſt etiam honeſtum: præterea viri fortis eſt, non pati ſe inferiorem eſſe. Victoria
quoque & honor in rebus honeſtis ſunt: expetuntur enim etiam, ſi nullum fructum
ferant, & quandam virtutis exuperantiam oſtendunt; & quæ memoriam alicuius
ornant, honeſta ſunt. Et quantò magis ornant, tanto ſunt honeſtiora. Et quæ mor-
tuum etiam ſequuntur. Et quibus honor comitatur. Et quæ eximia ſunt. Quæque ſo-
lus aliquis poſſidet, honeſtiora putantur; magis enim res huiuſmodi celebrantur. Et
prædia minimè fructuoſa: magis enim liberalia ſunt. Et quę propria ſingulorum
ſunt, habentur honeſta. Et quæ ſunt indicia rerum apud ſingulas gentes laudata-
rum; vt apud Lacedæmonios alere comam honeſtum eſt. eſt enim ingenuitatis ſi-
gnum, neque enim facilè eſt ei qui comam alit, aliquid ſeruile opus exequi Honeſtum
eſt etiam nullam artem exercere mercenariam. nam liberi hominis proprium eſt, non
ad alterius arbitrium viuere.*

PRimò igitur inter res honeſtas ea numerentur rurſus quæ aliena cauſa egerit aliquis, non propria; dummodo enim id ſit expetendum & eligibile, honeſtum cenſendum eſt: vt ſi iudex induſtriam & laborem ad litigatorum controuerſias ſtatim ſine ſumptibus ac periculis componendas referat, eorum vtilitatem & commodum proprio anteponens. Quo nomine Cicero etiam dignus videri potuit laude, ſi (quod ipſe ſcribit) in foro omne ſuum tempus amicorum temporibus tranſmittere non dubitauit.

Secundo loco ea numerentur, quæ quis bona pro patria geſſerit ſua item commoda negligens. vt ſi quis agrum malè cultum relinquat, vt laboranti Reipublicæ opem ferat: multò verò magis ſi propriam negligat ſalutem vt patriam incolumen ſeruet ac tueatur: quod cum alios multos feciſſe conſtat apud Romanos, tum M. Tullium in primis qui non dubitauit caput ſæpè grauiſſimis periculis obiectare vt ſanctam conſeruaret Rempublicam.

Tertio quæ ſunt naturaliter bona. nam ſi in aliquo reperiatur robur corporis & pulchritudo, ingenium, memoria, & ſi quid huiuſmodi, hæc verò honeſta videri poſſunt, & niſi ad improbum vſum referantur, laudatione digna ſunt. Sic oris & corporis ſpecies ac pulchritudo laudem inuenit in Pompeio quòd pudorem ac temperantiam colerer: ſic Lucullus memoriæ excellentia commendatur qui à præclaris artibus non abhorreret. ſic in primis Cæſar manſuetudinis & clementiæ laude celebratur ad quem maximè fictus a Natura videbatur.

Quarto quæ non habenti ſed alijs bona ſunt, dum enim bona aliqua poſſideat quiſpiam, quæ in aliorum vtilitatem redundent ſolùm, ea honeſta cenſeri debent, vt ſi quis publicæ vtilitati bibliothecam, forum, ædes, pontem, vias, fontem ſtruxerit ac parauerit: hæc enim ei debent laudem conciliare a quo profecta ſunt, licet ei vtilitatem afferrent nullam. Sic qui in fratres hæreditatem non ſemel diſtribuit Proculeius, immortalem laudem meritus eſt; ac propterea iurè Flaccus, Viuet extento Proculeius æuo Notus in fratres animi paterni: Illum aget pœna metuente ſolui Fama ſuperſtes.

Quinto

944 Quinto quæcunque mortuo contingere ſolent magis quàm viuenti, vt ſepulchra, vt publicus luctus, qualem Bruto Romanæ Matronæ impenderunt. Statuæ quoque & publica ornamenta, quæ tamen cur viuenti etiam impendantur & honeſta habeantur, nil obſtat. tametſi harum honeſtas rerum in mortuis, quoniam minor aut nulla ſubeſt ambitionis ſuſpicio, honeſtior videri debet. Quapropter funebris Platonis Oratio quam quotannis inſtaurari ac recitari iuſſit populus Athenienſis, pleniſſima dignitatis habita eſt quòd mortuis haberetur atque ijs planè qui pro patria fortiter cecidiſſent. Sic nos honorem & cultum ijs impendimus qui pro Religione vitam effundere non dubitarunt.

Sexto, Quæcunque opera fiunt aliorum cauſa, hîc autem de more populariter loquitur. nam licet fieri poſſit vt quis aliorum cauſa efficiat ac moliatur opera & monumenta minùs honeſta, ita ut laudationi argumentum ſuppeditent nullum, vſu tamen receptum eſt, vt ſi opera quædam & monumenta aliorum cauſa fiant, ea paſſim honeſto commodo ſeruiant ac dignitati. Videntur autem per hæc opera intelligi poſſe publicæ ædes, theatra, thermæ, publicæ ac viæ, & id genus alia. quo fieret vt ſupra dum quarto loco diceret honeſta quoque eſſe quæ non illi ipſi qui habet bona ſunt, licet illius cauſa ſint, alia intelligeret, ac fortè naturalia potiùs quam artificialia, vt ſunt agri, paſcua, horti & ſi quid huiuſmodi, vel certè vniuerſim illa ſignificauit quæ nobis tributa ſunt quidem vt commoda inde referamus, ſed nos tamen ea in aliorum vſum conuertimus, vt equos, arma, veſtes & ſexcenta id genus alia. Qua in re apud Romanos A. Regulus enituit, qui vt Reipublicæ dignitati conſuleret, libertatem ipſam atque huius vſuram lucis contemnere non dubitauit. Atque hunc longo interuallo is apud noſtrates ſuperauit, qui ſe ipſum venundari paſſus eſt vt captiuos è ſeruitute eximeret præſertim ne fidei iacturam facerent.

945 VII. Iam verò inter res honeſtas bonæ illæ actiones numerantur quæ propter eos geruntur a quibus accepimus beneficium: cuius rei cauſam illam affert, quòd id ſit iuſtum. ita quidem a Iuſtitia deriuat & colligit honeſtatem. Ac profecto beneficium reddere & iuſtum eſſe & honeſtum, per ſe ſatis compertum videri poteſt; quin ſi vberiùs etiam compenſetur ac referatur, æquiſſimum ſit. Et hac de causa ex Gratijs vna beneficio collocando, duæ reddendo, deſtinantur. Cicero etiam in reddendo beneficio fertiles agros ait imitandos qui plus ſatis reddunt quàm acceperint. Heſiodus quoque maiore menſura beneficium cecinerat eſſe reddendum. Quanquam quid ſi a perduelle ac patriæ hoſte beneficium acceperis? reddendúmne erit ac prolixè copioſiúſque reddendum? Fieri ne poteſt vt ei reddendum ſit beneficium, qui ſit impius & flagitioſus, quíque aqua & igne interdicatur ac ſummatim indignus ſit commodis vſuráque ipſius vitæ? Ego verò ſic ſtatuo. vbi citra Religionis ac Patriæ, quibus maximè debemus, offenſionem id facere poſſis, referendum eſſe crediderim: præſertim quia cautionem adhibere liceat, & illud eniti vt beneficio ipſo illum ad meliores fruges traducas. nam hoc ipſum quod illi purgando & ad bonas fruges reuocando impendas ſtudium, maximum beneficium eſt. Denique ita hæreat in animo acceptum beneficium, vt niſi honeſtate ac iuſtitia prohibearis, paratus ſis illud referre & cum fœnore etiam referre. Et huc fortaſſe ſpectauit Seneca cum diceret beneficium immortali memoria eſſe colendum: memoria enim & benè merendi voluntas (opportunè tamen loco ac tempore) deponenda eſt nunquam.

VIII. Benefacta quæ geſſeris aliorum gratia, honeſta ſunt, cum fructus & commodum alteri non tibi ſeruiat. Et rectè id quoque, ſiue id beneficio prouocatus feceris, ſiue ſponte ac benè merendi cauſa tantùm. id quod eâdem cautione intelligendum qua modò vſi ſumus. Ac fortaſſe Ariſtoteles qui dixit honeſtas eſſe bonas actiones
945 quæ beneficio reddendo aut alterius commodo ſtudendo gerimus, hoc planè conſilio dixit *bonas actiones*, quòd intelligeret non quaſcunque actiones eſſe bonas quæ beneficio reddendo impenduntur aut alieno commodo, ſed quæ debito tempore ac modo ſuſcipiuntur. Sic quam erga Marcellum atque alios clementiam oſtendit Cæſar, quoniam non ſibi commodum afferret ſed alteri, honeſtatem ac laudem præ ſe tulit eximiam: præſertim quod hinc Senatui vniuerſo qui pro Marcello ſupplex fuerat gratificatus eſt.

IX. Honeſta ſunt ea quoque quæ cum ijs haud cohærent immo pugnant, quorum

cauſa

cauſa nos pudor tangit & verecundia, quam rem Alcæi Sapphóque illuſtrat exemplo quod perſpicuum eſt. Id verò haud dubiè honeſtum eſt, ſi enim turpitudinem refert id cuius cauſa erubeſcibes, neceſſe profectò eſt vt quod huic aduerſatur honeſtum ſit. Quare cum turpe ſit ingrati animi timen, ac dignum vnde erubeſcamus, gratus animus ac relata gratia honeſta erit. Hic verò rubeus ille intelligatur qui verè (id quod exemplum indicat) minùs honeſtam habet cauſam: alioquin in adoleſcēte rubor honeſtus eſt Ariſtotele ipſo Authore. Et ideo iurè Terentius, Erubuit, ſalua res eſt. Neque tamen inficias ierim ruborem ac pudorem qui ex turpi cauſa oritur, qualis erat Alcæi pudor, malum eſſe (ſiquidem pudor, vt ait Cicero, & verecundia eſt cuſtos virtutis, ac nos in officio continere ſolet) ſed illud pugno eum qui in adoleſcente erumpit, præſertim ingenuo, cum per ſe bonum eſſe, tum à bona cauſa proficiſci. Crediderim tamen medium quendam pudorem reperiri quem ſubruſticum iurè appelles, qui non ex vitio, quemadmodum ſæpè in ſene, neque ex quadam animi moderatione, quemadmodum in adoleſcente, ſed ex repentina quadam commotione, aut ſi interrogetur, ex ignoratione, proficiſcitur.

X. Ea ſunt honeſta quorum cauſa citra metum anguntur homines: & præclarè: 947
nam vbi abſint ab honeſtate, ſi non pœnam, vituperium ſaltem pertimeſcet: contra verò vbi nullus ſubeſt timendi locus, angor honeſtus ſit. Sed quid ſi aliquis vel per impudentiam metum abiecerit, ac propterea ea de re citra metum angatur, quæ habeat turpitudinem? vt ſi quis eius quam turpiter deperiret, angatur gratia, ſed ne leui quidem tangatur metu? Addas igitur *cum aut non metuat aut nulla ſubſit metuendi cauſa*. Sic Alexander Macedo angebatur cum in Sygæum profectus, Achillis quem æmulabatur, tumulum inſpexiſſet: nihil enim erat cur metueret: etſi Homericam illi tubam inuideret: & ideo honeſta erat vel videri poterat eius affectio, cum angeretur citra metum ac timendi locum. Quocirca ſcitè monuit Ariſtoteles, homines in ijs quæ ad gloriam pertinent, ſic affici. Id quod in Themiſtocle item & Demoſthene intueri licuit, quorum prior vnius gloriæ cupiditate Milciadis trophæis veluti angebatur: hic antelucanis Opificum vigilijs induſtriam anteuerti ſuam indolebat, dum ad laudem properaret.

XI. Virtutes etiam & in vniuerſum opera, quo a melioribus ſeu ſtudioſioribus efficiuntur, eò ſunt honeſtiora; vt viri (inquit Ariſtoteles) quàm mulieris. Vbi tria obſerues. Primum Ariſtotelem, quippe qui de hominibus locutus erat hactenus, hîc quoque σπουδαιοτέρων nomine homines intelligere: etſi alioquin vox ad cæleſtes etiā quibus virtutes inſunt vel maximè & a quibus promanant opera, referri poſſit; præſertim ob rationem quam affert: nam quæ meliora ſunt natura, inquit, horum virtutes & opera ſunt honeſtiora: quod de beatis quoque mentibus non immeritò affirmetur: ſed vt dixi homines intelligit ſigillatim, nam populariter loquitur. Alterum eſt de virtutibus dubitari non poſſe in vniuerſum, de operibus poſſe: quid enim prohibeat quominùs vir, etſi natura præſtantior ſit quàm fœmina, minùs honeſta edat opera? niſi tamen dicas viros ſtudioſos ac bonos, quà boni ſunt ac ſtudioſi, non poſſe niſi honeſta edere opera. Tertium & poſtremum eſt Ariſtotelem viri exemplum afferre qui 948
natura præſtat mulieri, Sed tamen idem dici poſſe de libero & ſeruo, de duce & milite, de Imperatore & Iuriſconſulto, de Nobili & plebeio, de Medico & Nauta, de Architecto & adminiſtro, atque huiuſmodi alijs plurimis: quandoquidem meliores natura populariter vocat, intelligens conditione, ſtatu, educatione, meliores.

XII. Et quæ ἀπολαυστικαὶ alijs magis quàm ipſis, ſupple honeſtiores cenſendæ ſunt. At enim ἀπολαυστικαὶ ſiue fruibiles (vt ita dicam) quibus reſpondent? Virtutibus ſine dubio, ita ut virtutes quibus alij magis quàm nos fruimur, honeſtiores ſint. Et ſanè virtutes eſſe intelligendas certum eſt. nam ἀρεταί, virtutes inquam, iam tum commemoratæ fuerant. Quapropter, vt ſummatim dicam, ſtatuit virtutes, tum ſtudioſorum, tum ἀπολαυστικάς, quæ alijs magis proſunt quàm habenti, honeſtiores eſſe. & ideo ſubdit, quare iuſtum & iuſtitia honeſta ſunt, vbi iuſtitiæ profert exemplum, quia cū hinc ius ſuum vnicuique tribuamus, iuſtitia alijs magis quàm nobis affert emolumentum. Denique ſi ea vniuerſim intellexiſſet quibus fruimur, non dixiſſet αἱ ἀπολαυστικαὶ, ſed τὰ ἀπολαυστικά; ita ut cum ἀπολαυστικαὶ dixerit, ἀρεταὶ quarum iam tum meminerat, intelligantur. Itaque quod breuiſſimè ſed obſcurè ab Ariſtotele pronunciatur dum ait.

Digitized by Google

ait. καὶ ἀπολαυστικαὶ ἄλλοις μᾶλλον ἢ αὐτοῖς, pluribus, ſed perſpicuè, vertitur a Maioragio, dum ait, Et virtutes illæ quibus alij magis ſrui poſſunt quàm illi in quibus ſunt. quo fit vt longè aberrent ij qui uoluptuaria intelligunt, quæque delectationem afferunt ſiue turpem ſiue honeſtam, ad quam rem confirmandam perperam congerunt mul-
949 ta. cũ Ariſtoteles uirtutes fruibiles (ut rurſus ſic loquar) apertè intelligat. Etſi enim fateor ἀπολαυστικὰ ſæpè illa dici quæ uoluptatem etiam turpem afferunt, hîc tamen cũ ἀρεταὶ ἀπολαυστικαὶ nominentur, uirtutes intelligantur neceſſe eſt. Statuit igitur Ariſtoteles inter uirtutes eas quibus alij magis fruuntur & emolumentum capiunt, cæteris eſſe honeſtiores: ſic clementia vnde cæteris tantopere profuit Cæſar, digna fuit quæ bellicæ quoque virtuti a M. Tullio anteponeretur, quod in Oratione pro Ligario & in altera pro Marcello facit copiosè. Atque eâdem de cauſa liberalitas quam paulò ante in beneficijs conferendis ac pecunijs ſuppeditandis poſitam eſſe dixit, erit quàm temperantia honeſtior qua nobis fermè vtiles ſumus: ſic magnificentia, vnde publicis monumentis patriæ ac ciuibus prodeſſe ſolemus, maior virtus erit quàm frugalitas vnde nobis ipſis conſulimus.

XIII. Sed & inimicos vlciſci magis & non reconciliari honeſtius eſt, ſubdit Ariſtoteles: quod tamen ex vulgari quodam ſenſu profert. Etſi hoc interim vna atque altera ratione confirmat non contemnenda. nam & par pari referre iuſtum eſt (inquit ipſe) & ad fortitudinem alteri, præſertim hoſti, non cedere. Eiuſmodi verò ſententia quemadmodum a chriſtiana pietate, ſic ab meliorum Philoſophorũ ſenſu, diſſentit. Nam & Socratem & Platonem certum eſt docuiſſe ſatius eſſe iniuriam perferre quã inferre: id quod M. Tullius etiam confirmauit, qui quantumuis Lucullum aliquando laudaſſet quòd paternas inimicitias magna cum laude eſſet proſequutus, interdum etiam eos non reprehendat qui iniuria laceſſiti illam reponant; alibi tamen in Platonis ſententiam diſcedit; in primis verò Cæſaris clementiam extollit ac diuinis propemodum laudibus ornat qui iniurias obliuioni traderet. Quid multa? Ariſtoteles quoque ipſe (id quod iam antea obſeruauimus, & multò poſt etiam, nimirum in particula CCCII. recolemus; Idem confeſſus eſt; ita vt hoc in loco vulgi ſentẽtiam pro oppor-
950 tunitate arripiat. Quapropter qui iniurias ignoſcendas conceſſit aliquando ac laudi tribuit; is par pari referre in beneficijs non in iniurijs intelligat oportet vbi grauiter agat: eodémque modo, vbi quis ſine crimine alteri cedere poſſit, nihil eſt quòd fortitudinis laudem minui, ſed potiùs manſuetudinis ac probitatis decus augeri, intelligat. Itaque ſcitè ac ſupra mortem acutè Iuuenalis —— *minuti.*

Semper & infirmi eſt animi exiguique voluptas

Vltio —— & ideo muliercularum eſt ob impotentiam ac virium imbecillitatem dentem ac linguam vlciſcendi gratia acuere. Vt enim non eſt ira ſupra iram mulieris, ita mulieris & turpiter ferri ac percelli vlciſcendi cupiditate. Contra magnanimus, quò magis valet viribus & iniuriam referre valet, eò magis ignoſcit iniuriam. Neque verò id cũ ratione aut natura pugnat. Nam, vt Ambroſius ſanctiſſimus idémque prudentiſſimus Author obſeruat, Ioſeph cum toties poſſet iniuriã, eámque grauiſſimam, percommodè vlciſci, omnino recuſauit, & fratres complexus eſt ſuauiſſimè. etſi enim cœleſti præſidio adiutum id feciſſe credendum eſt, naturæ tamen bonitati id aſcribit ac manſuetudini qua præditus erat; ac propterea naturaliter quoque clementiam exercuiſſe & genio induſiſſe, indicat vir ſanctiſſimus.

XIV. Iam verò victoriam & honorem numerat inter honeſta, ídque ea de cauſa quia hæc expetenda ſint ſiue eligenda etiam ſi nullum fructum ferant: ſatis enim eſt vt virtutis excellentiam declarent. Sed vtinam victoria ſemper honeſta eſſet, verendum enim ne plerunque ob iniuſtitiam belli, ab honeſtate recedat. Sed vel in iuſto bello victoriam intelligit, vel populariter loquitur: victoria enim vulgò celebrari ſolet. Idem dixerim de honore. At enim victoria & honoris ex ijs ſunt quæ a nobis expetuntur? Honeſta victoria honeſtíque honores a viris bonis expetuntur, fateor: (etſi nõ ſemper, nec ab omnibus paſſim) minùs honeſta repudiantur. Itaque legimus Carolum Magnum dicere conſueuiſſe, fidem cuicunque victoræ anteponendam eſſe: quã rem exemplo etiam declarauit ſæpè. Denique fides, etiamſi hoſtibus & clam veluti
951 oppignoretur, ſeruanda eſt ac victoriæ anteponenda. Eſto igitur victoria & honor quæ cum iuſtitia coniuncta ſint, expetatur, & excellentiam virtutis declarent, ac extra

alias

alias vtilitates & commoda eligantur; ſecus tamen de cæteris ſtatuamus oportet, niſi vulgarem ſectemur exiſtimationem.

X V. Memorabilia quoque memorat inter honeſta, ac rurſus quæ memoria digniora ſint, quæ ſanè honeſtiora etiam reputet: ac talia quidem ſunt quæ Xenophon memorabilia literis commendauit, alij etiam plurimi, quantumuis alio ea nomine mandauerint monumentis, conſignarunt poſteritati: præſertim verò ex rebus geſtis quales apud Hiſtoricos legimus paſſim, vt de rebus geſtis ab Alexandro, Scipione, Pompeio, Cæſare, atque alijs multis. Sed quid ſi aliqua memoriæ commendentur, aut memorabilia cenſeantur quia ſint vel inaudita & noua, vel monſtroſa & prodigioſa, vel admiranda, vel etiam detrimentoſa, quæque vt a poſteris declinentur, literarum monumentis tradantur? An non Eroſtrati factum vel potiùs ſcelus memorabile fuit, ac propterea memoriæ commendatum eſt? Sic ſanè, & tamen ſcelus fuit, quódque ab honeſtate abeſſet quàm longiſſimè. Et hac de cauſa, etſi non potuit non perulgari, ac monumentis conſignari, lege tamen cautum fuit vt eius nomen ne vſurpari quidem poſſet ac memorari. Sed per excellentiam ſaltem ea cenſeantur memorabilia quæ memoria in primis ſunt digna, ac propterea non cum turpitudine ſed cum virtute coniuncta ſint, atque hæc cenſeantur honeſta, ídque eò magis quò magis referunt virtutem & dignitatem. Denique populariter loquitur Ariſtoteles, ac mortalium facta ſpectare videtur, & ea ſigillatim quæ digna cenſeri ſolent monumentis, ídque ſiue publica velis ſiue priuata, ſiue hiſtoriarum ac literarum, ſiue imaginum ac ſtatuarum aut alterius huiuſmodi, monumentis conſignetur. & hoc nomine

X V I. Loco ex memorabilibus, honeſta quoque erunt *μνημονευτὰ μᾶλλον, μᾶλλον, magis memorabilia, magis honeſta:* quò enim factum quódque fuerit præclarius ac proinde memorabilius, eò erit honeſtius. quo in loco qui Poëmata aut orationes intelligunt 955
quæ imaginibus ac ſtatuis anteponendæ ſint, & in vniuersùm ea quibus facta memoriæ conſignantur, non mihi ad Ariſtotelis aures locum videntur declarare: nam Ariſtoteles de factis memorabilibus loquitur, & ex ijs quæ magis memorabilia ſint, cenſet honeſtiora, non de monumentis ipſis verba facit, quaſi verò honeſtas ex monumentis ipſis quæ clariora aut minùs clara ſunt, ſit æſtimanda. Denique ſi quis cum Maioragio ſic locum interpretetur, *Et quæ memoriam alicuius ornant, honeſta ſunt: & quantò magis ornant tantò ſunt honeſtiora,* poſſit monumenta ipſa quibus facta commendantur, intelligere, & inde honeſtatis momenta æſtimare, ac propterea Poëmata imaginibus anteponere: ſed reuera *τὰ μνημονευτὰ* Ariſtoteli hoc in loco valent memorabilia, quod eſt facta memoria digna aut memoriæ conſignata, Itaque malim præclara optimorum Ducum ac virorum facta intelligere, cuiuſmodi & Lycurgi & Solonis & Ariſtidis & Catonis & Ciceronis fuere quæ nulli admiſta eſſent turpitudini, ſeu turpitudinis ſuſpicionem haberent nullam, ita ut vndique honeſta ac propterea memoria eſſent digna. Iam verò.

X V I I. Loco ea recenſet inter honeſta quæ non viuentem conſequentur. intelligit autem ſepulchra & quę mortuis attribuuntur, quæúe non in vita ſolùm verùm etiam poſt mortem nos comitantur. Ac iurè: nam adulationis ſuſpicionem declinant magis quæ mortuos conſequuntur, etſi interdum non ſatis declinant. Denique difficile eſt virum bonum ab improbo tam ante mortem quàm poſt mortem diſterminare: ſed tamen poſt mortem, cum liberum ſit de alicuius meritis loqui liberiùs aut ſtatuere, minùs difficile. & ideo quæ conſequuntur mortuum virtutis ac probitatis argumenta, honeſtiora videri ſolent. His adiungit,

X V I I I. Ea quæ conſequitur honor: cum enim honor virtuti honeſtíſque factis tribui ſoleat, par eſt exiſtimare illa quibus comitatur honor, eſſe honeſta. Etſi ne id quidem tutum eſt honeſtatis argumentum: præſertim dum alicuius ob ſummam amoris aut ſanguinis coniunctionem, aut per ambitionem tribuuntur. Rectè ſummis honoribus, ac poſt mortem, ornatus eſt Cæſar; cum particula eſſet, ac Patriæ hoſtis certiſſimus. Sæpè tamen honores decernuntur bonis ſic labores quos aduerſus Catilinam pro patria ſuſtinuit Cicero, honeſti cenſendi ſunt, quòd ſupplicationes & acclamationes non temerè ſint conſecutæ. His addit. 953

X I X. Quæ excellunt ſiue videntur eximia: hæc enim ſine dubio honorifica quoque ſunt. Nam ſi improba ſint, eximia cur cenſeantur, non video. Sic quæ Apelles pin-

xit

xit aut Phidias finxit, eximia videri poſſint, multò verò magis quæ Virgilius cecinit aut ſcripſit M. Tullius: ſed quæ Lartidius fur ſummus geſſit, aut de Mercurio commentantur Poëtæ, dum Ingenioſum furem atque adeò furum principem faciunt, eximia, aut excellentia videri, haud debent. Itaque populariter loquitur Ariſtoteles: præſertim quia excellentia, niſi rebus bonis, haud eſſet tribuenda.

XX. quæ ſoli adſunt, cenſet honeſtiora: idque ea de cauſa quia valde ſint memorabilia. Quæ ſentētia, vbi res quæ ſoli ineſt, inter bonas numeretur, ſine dubio excipienda eſt: alioquin repudianda: quid enim ſi alicui mortiferum aliquod venenum condendi inſit ſcientia, ac ſoli inſit? An non turpiſſimum potiùs quàm honeſtum id cenſeatur? Sed quoniam, non honeſta eſſe ait, ſed honeſtiora (honeſta enim eſſe ſumit, ac docet honeſtiora videri ſi ſoli inſint) commodè cadit. & ob id non memorabilia ſed valde memorabilia dicuntur ab Ariſtotele. quare cum honeſtum ſit ei qui de Patria benè meritus ſit, honores habere, ſupplicationes hac de cauſa togato Ciceroni decretæ, quia huic ſoli togatato decretæ ſunt, erunt non dico honeſtæ, ſed honeſtiores: aut ſaltem acclamationes (ſiue ſupplicationes mortali habitæ commoueant: quanquam Dijs, eius virtutis commendandæ cauſa habitæ, non mortali) quippe ſoli eo tempore habitæ, honeſtiſſimæ cenſendæ erunt. Atque hîc opportunè obſerues, videri Ariſtotelem maiora & minora ex honeſtis æſtimare, perinde ac maiora & minora bona contulit & æſtimauit in deliberatiuo genere. Quanquam id in eo genere prolixè fecit & accuratè, quòd minora bona diſſuaſionis cauſa æſtimanda eſſent, vel certè maiora ſuaſionis gratia dignoſcenda. hîc maiorem aut minorem honeſtatem breuiſſimè attingit, non vt minor ad vituperationem referatur, ſed vt rerum honeſtarum momenta commonſtret, ac maioris honeſtatis ac laudis veluti ſegetem offerat. ſed ad pēſum. Addit igitur Ariſtoteles.

954 XXI. Loco poſſeſſiones quoque non frugiferas inter res honeſtas referendas vel magis honeſtas cenſendas quàm frugiſeras; idque ea de cauſa quia liberaliores ſint. Verè enim qui viridaria & id genus poſſeſſiones quæ ſumptuoſæ magis ſunt quàm frugiferæ, retinet & colit, is non lucri cauſa ſed honeſtæ voluptatis ac ſplendoris id gratia faciat vnde illiberalis ac ſordidi crimen ſine dubio effugiat.

XXII. Addit ea quæ propria ſunt ſingulorum eſſe honeſta. Sic cum Athenienſium proprium eſſet eos in Pritaneo alere qui egregiè meriti eſſent de Republica, id honeſtum videri debet, quòd proprium ac ſolius Athenienſis Reipublicæ fuit. Hîc verò, quoniam non de honeſtioribus loquitur ſed de honeſtis (quæ enim honeſta ſint, ſine dubio honeſtiora videantur, dum vni tantùm inſint) atque ait eſſe honeſta quæ ſoli inſint, res commodè explicanda cum ſoli turpia quoque ineſſe poſſint. Itaque de honeſtis loquatur oportet, quæ ſi ſingulis inſint, honeſtiora videantur. Neque tamen id repetit quod ſtatuit paulò ante dum diceret quæ ſoli adſunt, eſſe honeſtiora, quia ibi non vt propria, vnde maior honeſtas conciliatur, ineſſe dixit, ſed adeſſe tantùm. Quanquam (vt verè fatear) hinc ægrè repellatur repugnantia. Et ideo ſatius ſit hîc *pulchra* interpretari non *honeſta*, quaſi dicat, & quæ apud aliquem tantùm ſint pulchra, ea eſſe honorifica; vt ſi quis Ciceronis imaginem ſolus haberet, aut Liuij, (quod de Galliarum Rege fertur) hiſtoriam vniuerſam: ita quidem locus & repugnantia & ambiguitate eximeretur vndique.

XXIII. Signa quoque illa refert inter res honeſtas vnde aliqui laudantur, vt comam alere apud Lacedemonios, id enim ingenuis tantùm licebat; ita ut coma ingenuitati eſſet ſignum, & idcirco inter eos comato nemini ſeruilia miniſteria obire lice-
955 bat. Sic apud Romanos nobiles Lunulas geſtabant in calceis: etſi rurſus Senatores purpura, equites aureis annulis diſtinguebantur cum inter ſe tum a plebe: nobiles item pueri bulla & toga prætexta ſecernebantur. idem dicerem de Venetis dum togati incedunt, niſi externi etiam aliqui toga gauderent. Sed quod de toga non planè affirmare licet, licet de legibus tutò proferre, cum ſoli inter Italos proprijs vtantur legibus quod eximiæ libertatis eſt argumentum.

XXIV. Honeſtum quoque eſt nullam exercere operoſam artem: hinc enim oritur vel certè apparet libertas: idē dixeris de ijs qui ad alterius arbitrium haud viuunt. vbi obſeruo hæc ſimul coniunxiſſe Ariſtotelem, quia qui operoſam tractant artem, mercenarij eſſe ſolent, & quà mercenarij, ſeruitutem potiùs præſeferunt quàm liber-

tatem ; ita ut ad alterius arbitrium viuere videantur quod mercenarijs contingit. Quanquam dum hinc ſerui illhinc domini ſe ſe offerebant, medij quidam intercedebant qui nec honeſtiſſimi haberi poſſent, nec inter ſeruos & illiberales penitus numerari : prout enim quis magis ac minùs ad alterius viuit arbitrium, aut nobiliorem vel minùs nobilem profitetur artem, plus minúſue ad ſummam honeſtatem accedit. Itaque iuſti exercitus Imperator, qui ſtipendio tamen a principe aliquo alatur, non omne tulit punctum honorificentiæ, quia mercede conductus eſt ; plus paulò abeſt Iuriſconſultus qui ſuam ille locat operam: etſi alioquin Iuriſprudentia inter excellentes artes ſit recenſenda ; Medicus abeſt adhuc longiùs ; cæteri qui infra Medicum numerentur, ad illiberales accedunt propiùs. Niſi tamen dicas Architectum citra mercedem, honeſtum videri poſſe: nec longè ab illo ſeiungendum Pictorem nobilem aut ſtatuarium qui artem tractet liberaliter.

PARTICVLA CCIV.

ΛΗπτέον δὲ, καὶ τὰ σύνεγγυς τοῖς ὑπάρχουσιν, ὡς καὶ ταὐτὰ ὄντα καὶ πρὸς ἔπαινον, 956
καὶ πρὸς ψόγον, οἷον τὸν εὐλαβῆ καὶ εὔψυχον, δειλὸν καὶ ἐπίβουλον: καὶ τὸν ἠλίθιον, χριςόν, καὶ τὸν ἀνάλγητον πρᾶον. καὶ ἕκαςον δὲ ἐκ τῶν παρακολουθούντων ἀεὶ κατὰ τὸ βέλτιςον. οἷον τὸν ὀργίλον καὶ τὸν μανικὸν ἁπλοῦν. καὶ τὸν αὐθάδη, μεγαλοπρεπῆ καὶ σεμνόν. καὶ τοὺς ἐν ταῖς ὑπερβολαῖς, ὡς ἐν ταῖς ἀρεταῖς ὄντας. οἷον τὸν θρασὺν, ἀνδρεῖον. καὶ τὸν ἄσωτον ἐλευθέριον.

SVmere verò oportet etiam ea, quæ vicina ſunt ijs, quæ adſunt, quaſi eadem ſint & ad laudem & ad vituperationem, vt cautum & animoſum, timidum & inſidioſum, & ſtolidum bonum, & indolentem ſenem, & vnumquodque ex conſequentibus ſemper ſecundum id quod optimum eſt vt iracundum & furioſum ſimplicem, & contumacem magnificum, & grandem, & qui ſunt in exuperationibus perinde ac in virtutibus eſſent vt audacem fortem & prodigum liberalem. *Riccobonus.*

Aſſumenda præterea ſunt ea quæ vicina ſunt & proxima rebus ipſis ipſis, vel ad laudem vel ad vituperationem ; vt, ſi cautum, & ſibi fidentem hominem, timidum & inſidioſum vocemus ; ſi fatuum bonum, ſi lentum manſuetum. Et in quaque re ſemper ex conſequentibus id quod optimum videtur, capiamus ; vt ſi iracundum & truculentum, ingenij ſimplicis hominem dicamus ; & ſi contumacem, magnificum & grauem, Et, qui in eo, quod eſt nimium, peccant. Si ita probemus quaſi in mediocritate virtutibúſque conſiſtant ; vt ſi temerarium fortem, prodigum liberalem, appellemus. *Maioragius.*

RAtionem ac viam oſtendit vnde quis & virtutem labefactare poſſit & vituperare quaſi vitioſitatem : & vitioſitatem contra, quaſi virtutem laudare. Id quod ſine dubio reprehendendum eſt, cum non tam boni Oratoris id ſit quàm improbi & Sophiſtæ. Res tamen eſt non inuſitata. Itaque legimus Oratores quoſdam (etſi hos tanquam ſophiſtas redarguit Socrates) cum ex illis quæreretur quam profiterentur artem, reſpondiſſe eam qua melior cauſa fieret deterior : contra verò deterior fieret melior. hoc enim tunc maximè efficitur cum virtus in vitioſitatem, vitioſitas in virtutem, dicendo per calliditatem conuertitur. Atque id eſt etiam quod docuit M. Tullius in Partitionibus cum obſeruaret vitia multa reperiri quæ virtutem videntur imitari. 957
Nam & prudentiam (inquit) *malitia & temperantia, immanitas in voluptatibus aſpernandis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis bono-*

honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur: & patientiam duritia immanis, & iuſtitiam acerbitas, & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam diſputandi prudentiam concertatio, captatióque verborum, & hanc oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi. Sic M. Tullius. Quanquam in Orationibus eiuſmodi præceptum coluit ſæpè, vt cum Cœlij vitia cohoneſtaret, aut Catilinæ tolerantiam ac frigoris, famis, vigiliæ, laboris contemptum in peruicaciam conuerteret, Antonij robur, gladiatoriam firmitudinem appellaret. Neque hanc orationis prauitatem contempſit Anthor ad Herennium, qui in tertio libro, *Videndum* (inquit) *ſi quo pacto poſſimus, iuſtitiam in ignauia ſiue inertia ſuſpicionem vocare aut improbam libertatem efficere: ſic prudentiam in garrulitatem conuertere: eodémque modo modeſtiam, ad inertiam, fortitudinem ad gladiatoriam temeritatem aut firmitudinem reuocare*. Quin etiam Quintilianus, tametſi Oratorem requirit bonum virum, & eloquentiam, niſi cum virtute coniunctam, non agnoſcit, tamen in tertio libro docet talem ac tantam virtutibus ac vitijs vicinitatem eſſe, vt quis pro temerario fortis, próque prodigo liberalis, pro auaro parcus, haberi poſſit. quæ tamen Ariſtotelica eſſe non diſſimulat. Ait igitur Ariſtoteles eſſe quoque aſſumenda quæ vicina ſunt & proxima, & ad honeſtatem ac turpitudinem, proindéque ad laudem ac vituperationem, referenda. Itaque cautus inter timidos reponendus, ſi vituperemus: quod ſi animoſus ſit ac ſui fidens, inſidioſus appellabitur: ſic lentum ac mollem in ſimplicem ac manſuetum conuertemus; eodémque modo ſi in laudatione perſiſtamus, id quod optimum eſt, ſpectabimus,
958 iracundum & furioſum ſimplicem reputantes, contumacem magnificum & grauem, ac ſummatim exceſſus ad virtutem traducentes, audacem quaſi fortem, prodigum tanquam liberalem, ornabimus. Sic Ariſtoteles, quem tamen, ne temerè aut minùs cautè hac in re audiamus, prouidendum eſt. Quod tum demum aſſequemur, ſi bonam cauſam amplectentes, & prout iuſta viſa fuerit, fouentes, ac ſummatim Iuſtitiæ & honeſtati patrocinantes, omnem iſtiuſmodi calliditatis, qua virtus in vitium, vitium in virtutē, commutatur, offenſionem ac neceſſitatem declinemus. Certè Periclem, qui ſemper ab concionis initio poſtulabat a Dijs vt ne quid temerè & imprudenter, ſed ne verbum quidem, illi ex ore excidere paterentur, exiſtimandum eſt huiuſmodi præceptum (ſi tamen non fictè ſed ex animo id poſtulabat) coluiſſe accuratè: id quod Socrates etiam in propria cauſa fecit, dum maluit honeſtè mori, quàm niſi virilem orationem atque ab omni aſſentatione & ſimulatione alienam vſurpare.

PARTICVLA CCV.

Δόξει τε γὰρ τοῖς πολλοῖς καὶ ἅμα παραλογιστικὸν ἐκ τῆς αἰτίας. εἰ γὰρ οὗ μὴ ἀνάγκη κινδυνευτικὸς, πολλῷ μᾶλλον ἂν δόξειεν ὅπου καλόν. καὶ εἰ προετικὸς τοῖς τυχοῦσι καὶ τοῖς φίλοις. ὑπερβολὴ γὰρ ἀρετῆς, τὸ πάντας εὖ ποιεῖν.

Riccobonus. NAm & id videbitur multis, & ſimul paralogiſmi vim habebit ex cauſa. Si enim vbi non eſt neceſſe, ad pericula paratus eſt, multò magis videbitur vbi honeſtum ſit. Et ſi paratus eſt ad largiendum quibuslibet, etiam erit amicis. excellentia enim eſt virtutis, omnibus benefacere.

Maioragius. *SIc enim imperitæ multitudini eſſe videbitur, Quin etiam ſubeeſt ratio, cur in errorem plerique ducantur, nam qui pericula non neceſſaria ſubit, multò magis*
959 *videtur id facturus, cum aliqua res honeſta poſtulabit: & qui pecunias temerè profundit, is etiam amicis facilè ſubueniet; nam ab exuperantia quadam virtutis prouenit, omnibus benefacere.*

Digitized by Google

PErſiſtit Ariſtoteles in ſententia, ac docet hoc artificio imperitam multitudinem decipi, ita tamen vt ratio quædam & cauſa errori ſubſit vnde decipiatur. Quare ſi quis eum laudet qui non neceſſaria ſubeat pericula, hoc eſt audacem, inde rationem conflabit non contemnendam ſi dixerit multò magis pericula ſubiturum cum honeſta ſe ſe & grauis obtulerit cauſa: vt ſi pro patria, pro religione, pro iuſtitia, ſit periclitandum. eodémque modo prodigum ornabit cum dixerit hunc, cum obuijs facilè largiatur, multò magis ſubuenturum amicis, cum illos ſenſerit indigere: ſi quidem excellentia liberalitatis & virtutis id habet vt ſe ſe fundat ad omnes. Ita quidem paralogiſmum ſeu fallacem rationem offert Ariſtoteles vnde vulgus facilè decipiatur: cauendus tamen omnino erit hac in re Ariſtoteles; & verò, vt paulò ante oſtendi, caueri facilè poterit ſi tum ab initio tum in progreſſu cauſæ honeſtatem circumſpicimus, & vt niſi honeſtam cauſam tueamur, diligenter prouiderimus.

PARTICVLA CCVI.

Σκοπεῖν δ᾽ ἐ καὶ παρ᾽ οἷς ὁ ἔπαινος. ὥσπερ γὰρ ὁ Σωκράτης ἔλεγεν, ἐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν. δεῖ δὲ τὸ παρ᾽ ἑκάστοις τίμιον λέγειν, ὡς ὑπάρχει. οἷον ἐν Σκύθαις ἢ Λάκωσιν, ἢ φιλοσόφοις. καὶ ὅλως δὲ τὸ τίμιον ἄγειν εἰς τὸ καλόν. ἐπεὶπερ δοκεῖ γειτνιᾶν.

COnſiderare etiam oportet, apud quos laus ſit. Quemadmodum enim Socrates dicebat, non eſt difficilè Athenienſes apud Athenienſes laudare; *Riccobonus.* quod autem apud quoſque in honore eſt dicendum eſt quaſi adſit vt apud Scythas, aut Laconas aut Philoſophos & omnino quod in honore eſt, reducendum eſt ad honeſtum, ſi quidem videtur eſſe vicinum.

SEd videndum eſt, apud quos quempiam laudes; nam (vt aiebat Socrates) non difficile eſt, Athenienſes Athenis laudare. Oportet autem, id, quod apud ſingu- *Maioragius.* *los in precio eſt, tale ſua vi eſſe dicere; vt apud Scythas, vel Lacones, vel Philoſo-* 960 *phos: & omnino quod in precio eſt, ad honeſtum referri debet; quoniam propinquum eſſe videtur.*

ALteram affert rationem ac viam vnde quis aliquid cohoneſtet ac laudet, ſi nimirum ſpectet eorum apud quos dicit exiſtimationē opinionémue, ſiue mauis eorum quos laudat, propenſionem ac mores. Et idcirco Socrates in Epitaphio apud Platonem, *Si oporteat* (inquit) *vel in Peloponneſo Athenienſes laudare, vel Athenis Peloponnenſes ornare, perdiſerto Oratore opus ſit. Quod ſi Athenienſes Athenis laudandos ſuſceperit, facilè id effecerit.* Sic Socrates. ac propterea vt non difficile ſit Athenienſes Athenis laudare, ſic facilè illud apud quemque laudabitur quod in honore eſt, & hoc dicendum erit. Quare ſi Scythas laudandos ſuſceperis apud quos militia & cædes hoſtium in honore ſunt, id planè commodè laudabis. Lacænis verò non teritatem probaueris, ſed furtū, prædiorum communitatem, breuiloquentiam; hæc enim omnia apud eos in honore ſunt. Eodémque modo Epicureis Philoſophis voluptatem, Stoicis virtutem commendaueris & honeſtatis nomine comprobaueris: ſiquidem id fermè varijs populis honeſtum videri ſolet, ſeu honeſtatis nomine laudatur quod apud eos in more ſit & honorificum videatur. Atque hoc ſanè præceptum ſine vlla dubitatione ſuperiori anteponendum erit quod paralogiſmo ſeu fallaci ratione carere poſſit, vel certè in multis rebus ad veritatem accedere. Denique propoſita nobis regula retenta præceptum quoque honeſtè retineatur. ſi enim illud proſpexeris, vt nil niſi honeſtum laudes, id ſanè tuis probabitur Auditoribus, ſi id ipſum apud eos in honore fuerit. Quanquam 961 Ariſtoteles molitur vt vitium ob vicinitatem quandam reuocetur ad honeſtum, quod cautione indiget.

PARTICVLA CCVII.

Καὶ ὅσα κατὰ τὸ προσῆκον. οἷον εἰ ἄξια τῶν προγόνων καὶ τῶν πρὶν πεπραγμένων. εὐδαιμονικὸν γὰρ καὶ καλόν, τὸ προσεπικτᾶσθαι τιμήν. ἢ εἰ παρὰ τὸ προσῆκον ἐπὶ τὸ βέλτιον καὶ τὸ κάλλιον. οἷον εἰ εὐτυχῶν μὲν μέτριος, ὁ δ' ἀτυχῶν μεγαλόψυχος, ἢ μείζων γενόμενος βελτίων καὶ καταλλακτικώτερος. τοιοῦτον δὲ τὸ τοῦ Ἰφικράτους, ἐξ οἵων εἰς οἷα. καὶ τὸ τοῦ ὀλυμπιονίκου. πρόσθεν μὲν ἀμφ' ὤμοισιν ἔχων τραχεῖαν. καὶ τὸ τοῦ Σιμωνίδου. ἣ πατρός τε καὶ ἀνδρὸς ἀδελφῶν τ' οὖσα τυράννων.

Riccobonus. ET quæcunque prout conuenit,vt ſi digna geſſit maioribus & de rebus ante geſtis. ad fœlicitatem enim pertinet, & houeſtum eſt adaugere honorem. Aut ſi præterquam cõuenit, in melius & honeſtius,vt ſi proſpera fortuna vtens, moderatus ſit, aduerſa autem magnanimus. aut qui maior euaſerit, melior ſit & placabilior. Atque huiuſmodi eſt illud Iphicratis, Ex quibus,in quæ:& illud, Olympionicæ, priùs quidem ambobus humeris ferebam durum &c. & illud Simonidæ, quaéque parentem habuit regem, fratrémque virúmque.

Maioragius. *ET quæcunque illi conueniunt, qui laudatur, dicenda ſunt; vt ſi res dignas maioribus ſuis geſſit; & ſi hæc alijs rebus, ab eo præclarè geſtis reſpondent; eſt enim beatum & honeſtum honori parto honorem adiungere. Aut ſi præter id quod conueniebat, aliquid in meliorem honeſtiorémque partem efficit; vt ſi cui res ſecundæ ſunt, is moderatus ſit; &, ſi cui fortuna eſt aduerſa, is magno ſit animo, aut opibus & dignitate auctus,melior & placabilior euaſerit. Tale fuit illud Iphicratis dictum, E quibus initijs ad quas res? & victoris Olympiorum; His humeris ante impoſita mihi corbe; atque illud Simonidis. Hæc habuit patrem, atque virum fratréſque tyrannos.*

960 SI quæ ad patriæ nobilitatem pertinent, nihil ferè prætermiſiſſet hoc in loco vnde nobilis laudatio, & verò cum honeſtate coniuncta, inſtitui poſſet. Quanquam quę de maioribus profert, analogia quadam & proportione ad patriam traduci poſſunt ac reuocari. Nam patria vtriuſque parentis, qui etiam inter maiores numerantur, quoquo modo ſubit locum. Ait igitur quæcunque, prout conuenit geſta fuerint aut inſint, ea honeſtatis nomine laudanda, vt ſi quis res dignas geſſerit ſuis maioribus: quibus verbis ſumit maiores res præclaras geſſiſſe, hunc verò oſtendit maiores ſuos fuiſſe imitatum. Hîc tamen; ne ſubterfugere videar, quæ iam iam ſe ſe offeret, dubitationẽ, obſerues Ariſtotelem affirmare hunc laudandum qui κατὰ τὸ προσῆκον egerit, quod eſt prout eum decet, ſeu prout conuenit: id quod ſtatim illuſtratur exemplo quod ſubijcitur, dum is ſuorum maiorum dicitur imitator, ſiue res ſuis maioribus dignas egiſſe fertur: ſignificatur enim id egiſſe quod omnino decet. Atque hoc interim obſeruandum: nam paulò poſt ob grauem quandam dubitationem erit repetendum. Primò igitur eum laudat qui res dignas egerit ſuis maioribus: id quod paſſim & apud Iſocratem inuenias dum laudat Euagoram, & apud M. Tulliũ dum laudat Pompeiũ quem ex Imperatoris caſtris Imperatorem prodijſſe ſignificat, Pompeium Strabonẽ parentem facilè intelligens: Contra verò Catilinam vituperat quòd a parente degenęraſſet, eodémque modo obiurgat Antonium. Denique obuia ſunt huius rei exempla innumera. Iam verò quem dixerat κατὰ προσῆκον egiſſe, extollit etiam ob res dignas rebus ab eodẽ antea geſtis. Nam nõ modò maiores ſed ſeipſum imitari poſſit ſi iã antea præclarè aliquid geſſerit: ſiquidem illud καὶ τῶν πρὶν πεπραγμένων vertendum eſt, & rebus antea geſtis, non de rebus antea geſtis, vt vertunt aliqui, ſententiam peruertentes.

tentes. Ita quidem oſtendit honeſtatem quoque ac laudem inde oriri ſi quis in 963
ijs inſtiterit veſtigijs quæ ſemel calcare cœperit honeſtatis ac virtutis, ita ut ſibi ſit ſi-
milis. Id quod in Pompeio ſatis extollit M. Tullius dum perpetuas illius & victorias &
virtutes, moderationem inſuper animi commemorat ac celebrat. Iurè verò addit, *ad
beatam vitam enim pertinet & honeſtum eſt augere honorem.* Nam quemadmodum nō vna
hirundo aut vnus flos gignit ver, ſed ex pluribus oritur, ſic non ex vna tantùm actione,
etſi præclara, eudemonia gignitur, hoc eſt beata vita, ſed ex pluribus. Eodémque mo-
do honeſtas requirit vt honorem ſemel partum augeamus, non tanquam inertes ac
ſegnes conſiſtamus: auget verò qui iterum atque iterum res præclaras frequentat; ita
ut ex his omnibus ſatis conſtet vertendum fuiſſe *ſi digna geſſerit & ſuis maioribus & re-
bus ipſis a ſe antea geſtis:* quemadmodum vertendum fuerat *ad beatitudinem enim id per-
tinet:* non ad fœlicitatem: fœlicitas enim ſeu εὐτυχία pertinet ad proſperitatem quæ
non electione paratur: eudemonia contra ex electione pendet. Sed iam ſuccedunt te-
nebræ. Etenim dum ſubdit, *aut ſi præter id quod decet;* magnopere dubitari poteſt quî
fieri poſſit vt qui παρὰ προσῆκον, præter id inquam, quod decet, aliquid facit, rem di-
gnam faciat. Quis enim rem dignam feciſſe dixerit illum qui præter id quod illum de-
cet aut quod conueniat, egerit? is enim violat officium ac decus, non rem dignam
facit. nam quod ſubdit in melius & honeſtius, quaſi verò & præter id quod decet &
meliùs atque honeſtiùs agere poſſit, nō video. Nam vt quis præter id quod decet, ideſt
vltra ac ſupra id quod tenetur, præclariùs aliquid agat & dignè agat, fieri optimè po-
teſt: vt contra id quod decet, agat, & tamen dignè agat non poteſt. Riccobonus ſic lo-
cum paraphraſticè interpretatur: *& cum præter id quod conſentaneum eſt, adhuc aliquid
quod melius & honeſtius habeatur, actum eſt:* quibus verbis dubitationem non modò non
tollit ſed ne mollit quidem, niſi tamen pugnes ea verba *præterquam conuenit* valere vl-
tra id quod conuenit, non extra aut contra quàm conuenit: ſic enim ſententia nullam
haberet repugnantiam. Sed profectò quantumuis παρὰ interdum valeat citra vel vl- 964
tra, verendum tamen vt poſſimus hîc παρὰ τὸ προσῆκον vertere vltra id quod decet, ita
ut & quod decet & plus aliquid egerit. Neque enim erat cur Ariſtoteles adderet *in
melius tamen & honeſtius*, ſi præter id quod decet valebat vltra id quod decet. Adde hîc
παρὰ τὸ προσῆκον opponi verbis illis κατὰ τὸ προσῆκον quæ aptè quidem opponuntur ſi
ſignificet contra ſeu extra id quod decet. Maioragius igitur vt verbi inſolentiam mol-
liat, ſic ſcribit. *Laudabile eſt aliquid honeſtè præter ſpem atque expectationem efficere, & præter
aliorum qui ſunt eiuſdem ordinis conſuetudinem.* Ita ſanè ea verba *præter id quod decet* inter-
pretatur præter ſpem atque expectationem & rurſus præter aliorum conſuetudinem,
quaſi verò is præter id quod decet, egiſſe dicatur, qui præter aliorum conſuetudinem
aut expectationem aliquid egerit. Quæ explanatio, quod pertinet ad cōmunem alio-
rum eiuſdem ordinis conſuetudinem, mihi quidem vehementer probatur. Etenim
populariter interim loquitur Ariſtoteles & ad communem vulgi ſententiam, cui vi-
deri ſolet illud decere quod paſſim vſitatum fuerit & frequentatum, & ideo intellige-
ret eum qui quàm cæteri conſtantior appareat, & ideo cogitur Ariſtoteles, dum po-
pularem ſententiam ſequitur, & hunc præter id quod decet agere ait, è veſtigio mo-
nere meliùs tamen & honeſtiùs. Et huc pertinent exempla dum quis in rebus ſecun-
dis ſit moderatus: nam id maiorem quandam virtutem requirit quàm conſuetudo
quærat: ſi quidem non efferri proſperitate, perdifficile eſt, quemadmodum celſo ani-
mo aduerſam fortunam perferre difficillimum. Atque idem tertium declarat exem-
plum dum quis opibus auctus & honoribus vnde mortales paſſim concipiunt ingen-
tes ſpiritus (verè enim effertur illud, honores mutant mores) & melior & mitior eua- 965
ſerit: ita ut ſummam quandam colat manſuetudinem. id quod contigiſſe ſignificat
Iphicrati & Olympico victori: quorum repetit exempla: nam vterque ſuam fateba-
tur ignobilitatem nec ſuum occultabat genus. Atque huc etiam ſpectat illud Simoni-
dis apud quem Archedicha, Regum & filia & ſoror & vxor, moderationem colebat
egregiè, Itaque præclarè Auſonius,

Fama eſt fictilibus cænaſſe Agathoclea regem,
Atque abacum Samio ſæpè oneraſſe luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea vaſis,
Et miſceret opes pauperiémque ſimul.

Quærenti

Digitized by Google

Quærenti cauſam, reſpondit. Rex ego qui ſum
Sicaniæ figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reuerenter habe quicunque repente
Diues ab exili progrediere domo.

PARTICVLA CCVIII.

Ἐπεὶ δ' ἐκ τῶν πράξεων ὁ ἔπαινος, ἴδιον δὲ τοῦ σπουδαίου τὸ κατὰ προαίρεσιν, πειρατέον δεικνύναι πράττοντα κατὰ προαίρεσιν. χρήσιμον δὲ τὸ πολλάκις φαίνεσθαι πεπραχότα. διὸ καὶ τὰ συμπτώματα, καὶ τὰ ἀπὸ τύχης, ὡς ἐν προαιρέσει ληπτέον. ἂν γὰρ πολλὰ καὶ ὅμοια προφέρηται, σημεῖον ἀρετῆς εἶναι δόξει καὶ προαιρέσεως.

ET quoniam ex actionibus manat laus, & proprium probi eſt quod fit ex prælectione, conandum eſt oſtendere actorem eſſe ex prælectione. Atque vtile eſt ſi ſæpè appareat egiſſe. Quamobrem & quæ contigerunt caſu, fortuitóque, quaſi ex prælectione ſumenda ſunt. Nam ſi multa & ſimilia proferantur, ſignum virtutis eſſe videbitur & prælectionis.

QVoniam autem laus in actionibus conſiſtit, & boni viri proprium eſt, in rebus gerendis delectum adhibere; danda eſt opera, vt oſtendamus, eum quem laudamus delectu adhibito res ſuas geſſiſſe: ad quod probandum vtile erit oſtendere
966 *ſæpiùs illum rectè feciſſe. Itaque illa etiam quæ caſu fortuitóque contingunt, tanquam conſilio ac ratione facta, laudare debemus. Nam ſi multa & ſimilia prolata fuerint, ea virtutis & conſilij ſignum eſſe videbuntur.*

EA quoque honeſta ſunt quæ ex prælectione geruntur: nam ea planè quæ ex prælectione geruntur, honeſta videri ſolent & cum virtute coniuncta ac propterea merentur laudem. At enim quid ſi prælectio rei ſit malæ? fateor prælectionem in bonam & malam partem cadere poſſe; ſed tamen illud quoque certum eſt, actionem niſi ex electione oriatur, bonam eſſe non poſſe: Ariſtoteles tamen interim ſumit eiuſmodi actionem quæ manet ex electione, probam eſſe, quia in eo inſiſtit quem dixerat prout conuenit agere, ac ſi præter morem agat, meliùs & honeſtiùs agere: & ideo hîc ait proprium probi eſt quod fit ex prælectione quia loquitur de probo quem dixerat id quod decet ſectari. Addit verò Ariſtoteles conandum eſſe oſtendere actorem huiuſmodi ex prælectione agere, & ſimul oſtendere id egiſſe ſæpè. & ob id ſuadet vt quæ caſu contigerint ac fortuitò, id ad electionem quoad eius fieri poſſit reuocemus vt laudem illi conciliemus. cum enim ſæpè hæc aut ſimilia geſſiſſe docebimus electionis ac virtutis ſigna proferemus, ac de ijs, quæ ſæpè geruntur, ſiue ad laudem ſpectent ſiue ad crimen (pro ut ſcilicet vel benefacta continent vel malè facta) in particula CCXIII. & in CCCVI. occurrent multa quæ vtiliter conſulas.

PARTICVLA CCIX.

Ἔστι δ' ἔπαινος, λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς. δεῖ οὖν τὰς πράξεις ἐπιδεικνύναι, ὡς τοιαῦται. τὸ δ' ἐγκώμιον τῶν ἔργων ἐστί. τὰ δὲ κύκλῳ, εἰς πίστιν. οἷον εὐγένεια, καὶ παιδεία. εἰκὸς γὰρ ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοὺς καὶ τὸν οὕτω τραφέντα, τοιοῦτον εἶναι. διὸ καὶ ἐγκωμιάζομεν πράξαντας. τὰ δ' ἔργα σημεῖα τῆς ἕξεώς εἰσιν. ἐπεὶ ἐπαινοῖμεν καὶ μὴ πεπραγότα εἰ πιστεύοιμεν εἶναι τοιοῦτον.

EST autem laus oratio quæ indicat magnitudinem virtutis. Oportet ergo a- Riccobo-
ctiones demonſtrare eſſe tales. Encomium verò operum eſt. At quę circum nus.
ſunt, ad fidem referuntur, vt nobilitas & educatio. Veriſimile enim eſt ex bonis
bonos eſſe, & ſic educatum, talem eſſe. Itaque etiam encomio celebremus eos, 967
qui egerunt. Opera autem ſigna habitus ſunt. quoniam laudaremus etiam qui
non egiſſet, ſi crederemus eſſe talem.

*AC laus quidem eſt oratio quæ virtutis magnitudinem explicat: quare res geſtas
eius quem laudamus, ita tractare oportet, quaſi a virtute profectæ ſint, lauda-* Maiora-
tio verò tota ab actionibus & operibus pendet. Quæ verò extrinſecus aſſumuntur, ad gius.
*fidem faciendam valent; vt nobilitas atque educatio, credibile eſt enim è bonis pa-
rentibus bonos naſci filios, & eum qui benè fuerit educatus, bonum futurum. Quare
laudamus eos qui iam præclarè aliquid geſſerunt. actiones enim & opera ſigna ſunt
habitus animi, & certè illum etiam laudaremus, qui nihil adhuc laude dignum geſ-
ſit, ſi certum haberemus eum talem futurum.*

LAudis vim explicat & encomiij. Sed quorſum? etſi enim vbi propoſi-
tiones requiruntur quæ præ ſe ferant honeſtatem ac laudem concilięt,
de laude conſtare debet: cur tamen hoc planè in loco, hoc eſt in medio
huiuſce conquiſitionis curſu, illam definiat, ſimúlque encomij natu-
ram declaret, incompertum videri poteſt. Ita ſanè quid doceat hîc Ari-
ſtoteles, perſpicuum: cur id doceat obſcurum. Exiſtimo igitur laudem
primò definiri vt ex eius definitione intelligatur, tum qualis & quanta eſſe debeat eius
actio aut virtus quę digna ſit laudatione, tum maximè qualem oſtendere illam debeat
qui laudationem inſtituit orator. ad quod ex eo conſtat quia ſtatim ac docuit laudem
eſſe orationem quę indicat magnitudinem virtutis, è veſtigio ſubdidit oportere actio-
nes demonſtrare tales, quod eſt oratoris officium eſſe tales demonſtrare eius quem
laudat actiones, quales requirit virtutis magnitudo ac laus. Sic ſanè, quoniam laus indi-
cat magnitudinem virtutis, fit vt magna virtus ſit demonſtranda. Ex quo etiam conſe- 968
quitur vt ne falsò aut temerè id demonſtrandum ſuſcipiatur, reuera debeat magna eſ-
ſe ipſa uirtus, vel ſaltem ad magnitudinem proximè accedere: ita fit ut oratoriæ ampli-
ficationi & induſtriæ ſit locus unde res augetur amplificatúrque ſæpè. Atque hinc
maximè oritur hiſtorici diſcrimen & oratoris. Hiſtorici enim eſt ita res alicuius geſtas
narrare ut ueritatem ipſam quoad eius fieri poſſit adamuſſim æquet, & ut ita dixerim
ad perpendiculum: narrat enim, ac rerum geſtarum prout geſtæ ſunt narrator eſt. O-
rator laudat atque ornat; ita ut exaggerare liceat & augere, ita ut ex mediocribus ma-
gnæ, ex magnis maximæ, uideantur, ornator enim eſt & laudator. Atque hinc etiam
fit ut alterum inter Oratorem & Hiſtoricum intercedat diſcrimen: ille enim non ob-
uias quaſque actiones affert in medium quas laudet, ſed magnas aut quæ magnis uici-
næ ſint, ac propterea ornari & poſſint & debeant. Hiſtoricus & exiguas & magnas nar-
rat prout hiſtoriæ exigit ueritas cui planè ſeruit. Non inficior tamen licere interdum
Hiſtorico quempiam & laudare & uituperare ut ex uirtute quam laudat, imitatio, ex
uitioſitate quam uituperat, pudor & cautio, conſequatur, ſed parcè id agendum, non
orationis uela pandenda Oratoris more. De qua re tota nos ſcripſimus in primo de Hi-
ſtoria libro. Iam uerò Encomium eſt operum: id quod libro primo Moralium docuit
his uerbis, *Encomia verò operum tum quæ a corpore tum quæ ab animo proficiſcuntur*: ita qui-
dem Encomium diſtinguit a laude. quam propoſito in loco ait eſſe uirtutis. Hîc uerò
quam Ariſtoteles affert laudis & Encomij differentiam, non omnino ægrè excepe-
rim; quantumuis laus quã uirtutis eſſe ait, cum Encomio utcunque miſceretur dum
Encomium dicitur operum quæ a corpore ſiue ab animo proficiſcuntur: nam hæc
ipſa opera uirtuti accepta ſunt referenda: ut enim uirtus ſic opera ab animo proficiſcũ-
tur, cui etiam corpus ſolet eſſe adminiſter & comes. Quanquam inde Ariſtotelis ſen-
tentiam perfectiùs agnoſcere ac tueri poſſumus, quòd uirtus propriè ſit immanens in
animo

Digitized by Google

animo(eſt enim habitus animi) opera quæ Encomio tribuuntur & ab animo profici-
ſcuntur, externa ſunt, non in animo inſita. Denique ubi conceſſero & actiones & ho-
neſta præcláraque opera a uirtute tanquam a fonte & capite promanare, illud etiam
uerißimè affirmauero, actiones ſeu πράξεις, quæ prætereunt ac ueluti præteruolant, eſ-
ſe ueluti laudis campum, ἔργα uerò ſiue opera quæ cõſiſtunt, eſſe materiam encomij.
& tamen in oratorio curriculo ſubtilis iſta diſtinctio laudi & encomio diſtinguendo
minùs accommodata uideri poſſet, quemadmodum parum a laude diſſidet adhuc En
comium, dum laus etiam requirit ut quæ ab ea proficiſcuntur actiones, magnas eſſe
demonſtret Orator. Tametſi Ariſtoteles quippe qui πρᾶξιν (ut dixi) tribuit uirtuti, en-
comio ἔργα, repugnantiæ locum relinqueret nullum. Sed aliena in primis hoc in loco
uideri debet diſtinctio Maioragij qui non modò laudem diſtinguit ab Encomio cum
Ariſtotele, ſed laudem a laudatione: quaſi uerò laus ſit uirtutis, laudatio operum, quǽ
que reciprocetur cum Encomio. Sentio enim laudem ac laudationem nil minùs quã
tale Latinis diſcrimen offerre. Fateor quidem Encomium interdum a laude aut lauda-
tione nonnihil diſſociari, quaſi uerò encomium ex multis conſletur uirtutibus, cum
tamen laus alicui uirtuti tribuatur. Et ideo encòmia canebantur dum quis celebrare-
tur, præſertim uictor, itaut egregia huius facta celebrarentur omnia. At enim Ariſto-
teles, ſi encomium eſt operum, cur in eo & patriæ & maiorum nobilitas & præclara
970 educatio celebratur paſſim? Prærogatiuæ iſtæ (inquit Ariſtoteles) operum ſunt comi-
tes, nec tam celebrantur quàm ad fidem faciendam extrinſecus aſſumuntur. Veriſimi
le enim eſt ex bonis bonos ortos eſſe, & eum qui honeſtè fuerit educatus, optimis mo-
ribus præditum eſſe. Sed cur inſert ſtatim Ariſtoteles, *Itaque etiam encomio celebramus
eos qui egerunt?* quia dixerat encomium eſſe operum, cum tamen conſtet præter opera
ipſa & præter ea quæ aſſumuntur extrinſecus, actiones quoque encomio celebrari; ita
ut & opera & authores ornet encomium. Ex quo fit ut inſita quoque uirtus laudetur.
Et iurè; nam inde reuera exiſtunt opera quæ ſunt propria encomij ſeges & argumen-
tum. Et ob id iurè pergit, *opera autem ſigna habitus ſunt*, quaſi diceret opera illa quippe a
uirtute ſeu uirtutis habitu profecta laudare: niſi enim a uirtutis habitu proficiſceren-
tur, non mererentur laudem. Et idcirco ſi caſu aut fortuito ea opera contigiſſent, non
ex electione ac uirtutis habitu, Encomium illis iurè deberetur nullum. Contra uerò
is, cui inſit uirtutis habitus, laude dignus eſſet, etiamſi opera non ederet: nam fieri po-
teſt ut occaſionis defectus aut impedimentum aliquod, opus prohibeat: ac propterea
ſubdit, quoniam laudaremus etiam qui non egiſſet ſi crederemus eſſe talem: tanta
enim ac talis eſt uis uirtutis, ut electio ſeu uoluntas agendi ſecundùm uirtutem, præ-
mium & laudem mereatur, quantumuis impediretur effectus. Hæc eſt loci huius uni-
uerſi, qui alioquin inuolutus uideri poteſt, explicata ſententia. In qua tamen unum ad-
huc atque alterum obſeruabo, præterea nihil. Primum eſt cauendum ne πράξεις]&
ἔργα confundamus dum praxis laudi, opera encomio tribuit. nam illę tranſeunt nec
opus relinquunt, firmum præſertim ac fixum, & moralium uirtutum ſunt uel maxi-
mè. opera ex ijs ſunt quæ perſiſtunt & ad artem in primis pertinent. Vt mirum ſit Vi-
971 ctorium hoc in loco dum encomij uim explicat, hæc actionibus tribuere, cum Ariſto-
teles operibus attribuat: nec actionibus niſi quatenus aſſumuntur. Et tamen Victorius
eas interdum confundit ubi illas Ariſtoteles opponit, atque hinc etiam encomium di-
ſtinguit a laude. Alterum eſt nobilitatem, indolem, generoſitatem, educationem & id
genus alia ſine dubio plurimum valere ad laudem. Quare in toto quaſi contextu ora-
tionis (inquit M. Tullius) hæc erunt illuſtranda, quemadmodum quiſque generatus,
quemadmodum educatus, quemadmodum inſtitutus moratúſque fuerit, quæ om-
nia mirificè & in Pompeio illuſtrat & in Archia Poëta. Sed de hac re diximus copioſè
iam antea cum uirtutis quoque cauſas explorari iuberet Ariſtoteles & ad honeſtatem
laudationémque referri. Quæ tamen egregiè expreſſit Horatius dum caneret,

Doctrina ſed vim promouet inſitam,
Rectíque cultus pectora roborant.

Hæc verò præſidia ideo τὰ κύκλῳ eſſe dicuntur quia veluti in orbem eum qui lau-
datur ſiue in circulum, complectuntur. Sic in tertio de motibus, pericula, labores, vul-
nera, neces, fortitudinem in circulum & cohibere & demonſtrare affirmauit.

PAR-

PARTICVLA CCX.

Μακαρισμὸς δὲ καὶ εὐδαιμονισμὸς, αὐτοῖς μὲν ταυτὰ: τούτοις δὲ, οὐ ταυτά. ἀλλ' ὥσπερ ἡ εὐδαιμονία τὴν ἀρετὴν, καὶ ὁ εὐδαιμονισμὸς περιέχει ταῦτα.

Riccobonus.

Beati verò effectio & fælicis effectio, inter ſe quidem eadem ſunt, at cum his non eadem: verum quemadmodum fœlicitas virtutem, ſic fœlicis effectio continet hæc.

Maioragius.

At verò beati & fælicis appellatio eadem eſt: differt tamen a laude atque encomio. Nam quemadmodum fęlicitas virtutem continet, ita fęlicis appellatio laudem & encomium complectitur.

Opportunè quidem (id quod paulò ante docuimus) vim ac naturam lau- 972
dis declarauir. Ex quo factum eſt vt non inopportunè vim quoqne ac
naturam encomij patefecerit. Quanquam enim ſubtiliter hæc explica-
uit, cum ab operibus ad actiones, ab actionibus ad habitus, quaſi gra-
datim aſcendere neceſſe ſit encomij ac laudis vim exploranti (etſi
reuera apud vulgus minùs ſubtiliter diſtinguuntur ac ferè promiſcuè
vſurpantur) veruntamen propoſitum diſcrimen ac præceptio vniuerſa cum philo-
ſophicis decretis conſentit ſatis: quemadmodum ex libris de moribus licet ani-
maduertere. Sed quorſum macariſmum in præſentia & eudemoniſmum (utar
Ariſtoteleis uocibus breuitatis ac facilitatis gratia) huc obtrudere atque illo-
rum vim in medium afferre? aut cur non potiùs famæ, honoris, gloriæ vim
ac naturam cum laude encomióque coniungere? Certè hæc propiùs ad laudem acce-
dunt & encomium, quam macariſmus & eudemoniſmus. Denique cur non ἀποθέω-
σιν quoque afferre atque illius vim explicare? Si enim peccandum, nauiter peccandum,
aut ſi fines prætereundi, nauiter prætereundi. Sed tamen cum ij qui laudatione orna-
rent præſtantes viros, eò etiam referrent orationem vt illos recolere ac numerare non
dubitarent, quos propterea macaros & eudemonas appellabant, placuit Ariſtoteli, do-
cere qualis eſſet laudationis vis dum beatitatem quoque illis affingerent. Cum enim
in demonſtratiuo uerſaretur genere quod in laudatione occupari in primis ſolet, non
ab re fuit beatitudinis quoque vim exprimere ad quam illi tam facilè a laudatione en-
comióque diuerterent. Neque mirum ſi honorem, famam, gloriam præterijt quæ vi-
ciniora ſunt encomio & laudi: ſiquidem hæc tria paulò ante, nimirum in capite 5. ex-
planauerat diligēter, alioquin quemadmodum encomium, ita hæc protuliſſet in me-
dium & explanaſſet. Niſi fortè dicas gloriam, famam, honorem, quoniam non neceſſa- 973
riò ſermone ac laudatione continentur, potuiſſe interim prætermitti, dum laudis no-
tio ac vis quæreretur; macariſmum & eudemoniſmum non item. cum enim paſſim
ab Oratore tribueretur præſtantiſſimis viris, qui ſiue in certaminibus, ſiue in bello ob
victoriam laudabantur, ſiue ob aliam rem præclarè geſtam celebrabantur, itaut pro
eorum temporum licentia mira facilitate mortalibus affingeretur, fuit hîc declaran-
dus quòd cum Demonſtratiuo genere eſſet coniunctiſſimus. & hinc eſt vt a multis
macariſmus & eudemoniſmus, germana inquam hæc beatitatis prædicatio, laudatio-
nis ſpecies. (quanquam non cum Ariſtotele philoſophantur ij) ſeu formæ aut etiam
encomij iu dicentur; quia ſcilicet prædicationem continent unde encomio & laudi af-
fines ſunt. alioquin eudemoniſmus & macariſmus per ſe citra prædicationem exiſtere
poteſt, &, vt Ariſtoteles ſignificat in ethicis, ſola opinione contineri. Iam verò ἀποθέω-
σιν quippe quæ a macariſmo & eudemoniſmo non diſſentit niſi voce, prætermitti po-
tuit tutiſſimè, cum ex illis de eius vi ac notione conſtare ſatis poſſit. Certè M. Tullius
qui ob Rempublicam a ſe defenſam apotheoſin affectauit, eam non modò ex Curij
qui Ciceronis Conſulatum apoteoſim appellauit, prædicatione, ſed extemplo etiam

ac

ac ſepulchro oſtentari optault. Ait igitur Ariſtoteles macariſmum & endemoniſmum inter ſe omnino conſentire, cum encomio & laude non item: quandoquidem ſuperioris ordinis ſunt: quare ſub macariſmo ſiue eudemoniſmo continetur quidem enco-
974 mium & laus quemadmodum continetur virtus, non tamen reciprocantur. Ideo autem ait eudemoniſmum continere virtutem quia beata vita cum cætera bona, tum maximè animi bona hoc eſt virtutes continet: Sic igitur eudemoniſmus, id inquam vnde quis beatus reputatur, continet encomium ac laudem. Atque hîc obſerua Ariſtotelem propriè ac ſignificanter loqui ſibíque in proprietate verborum ſimillimum eſſe; itaut vel hac vna de cauſa affirmare potuerit M. Tullius Ariſtotelem aureum orationis flumen fundere: magna eſt enim in Ariſtotelicis verbis proprietas, mirus candor, itaut ſignificantiſſima ac propterea aurea ſit eius oratio. Id quod in memoriam reuocaſſe velim vt intelligatur immeritò hîc interpretes fœlicitatem huc obtrudere eudemoniæ nomine, nam beatam vitam eudemoniæ nomine ſignificat ille quidem, fœlicitatem quam ipſe εὐτυχίαν appellat, nunquam. Denique hanc reputat proſperitatem quandam quæque nobis diuinitus concedatur aut a fortuna immittatur, itaut ex noſtris actionibus nullo modo pendeat: beatitudinem contra ex actionibus noſtris quæ ex perfecta virtute manent, pendêre ſtatuit: quas voces vocúmque ſignificationes conſtanter ſemper tuetur. eodémque modo M. Tullius beatam vitam in virtute & actione ſecundum virtutem collocat, fœlicitatem extrinſecus aduentare docet; itaut apud Ariſtotelem & M. Tullium, hoc eſt optimos dicendi & intelligendi Authores, fœlicitas & beatitudo differant quam longiſſimè.

PARTICVLA CCXI.

Ἔχει δὲ κοινὸν εἶδος ὁ ἔπαινος καὶ αἱ συμβουλαί. ἃ γὰρ ἂν ἐν τῷ συμβουλεύειν ὑποθοῖο, ταῦτα μετατεθέντα τῇ λέξει, ἐγκώμια γίνεται.

Riccobonus. Habet autem communem formam laus & conſilia. Quæ enim conſulendo præciperes, ea tranſpoſita dictione encomia fiunt.

975 Maioragius. *Habet autem quandam communem ſpeciem demonſtratiuum genus & deliberatiuum. nam quæ vtiliter in ſuadendo conſilia dantur, ea commutato dicendi genere, in laudationes tranſeunt.*

QVod ait Ariſtoteles laudem habere cum conſilijs communem formam, videri poſſet cum ijs pugnare quæ in capite tertio docuit de genere Deliberatiuo. Perſpicuis enim verbis docuit vtilitatem huic generi eſſe propoſitam: quo fit vt cum laus honeſtatem ſpectet, non eadem ſit vtriuſque forma: præſertim verò cum apertè pugnet Ariſtoteles deliberationem ab vtilitate ſic pendere vt cætera quæ aſſumuntur, cuiuſmodi
Par. 64. eſt Iuſtitia & honeſtas, citra vtilitatem ſpernantur. Et tamen Maioragius in Victorij ferè inſiſtens ſententia ſic vertit hunc locum, *Habet autem quandam communem ſpeciem Demonſtratiuum genus & Deliberatiuum*, quam rem in commentario proſequitur fusè. Sed profectò Ariſtoteles non ſtatuit communem eſſe formam Deliberatiui & Demonſtratiui, ſed laudis & conſilij: vbi per conſilium parænesin & adhortationem intelligit quæ ad idem genus demonſtratiuum cum laude reuocatur. Itaque Iſocratis parænetica orationes quæ ſine dubio ad Demonſtratiuum genus pertinent, moralibus præceptis pleniſſimæ ſunt quæ ſanè præcepta ea colenti laudem conciliant: & idcirco laus & conſilium ſeu præceptio habent communem formam, id eſt honeſtatem ac virtutem, tantúmque differunt quòd ſi ea præcipias, ſiue de illis conſilium des, ad conſilia pertinent, ſi ea laudes ad laudationem. Et ideo ait, quæ enim conſulendo præciperes, ea trãſpoſita dictione, quod eſt laudando non præcipiendo ampliùs, encomia fiunt, ita ſanè propoſita dubitatio corruit vniuerſa. Neque obijcias in Deliberatiuo genere conſultatione & conſilio anteuerti ſuaſionem: nam in hoc quem explicauimus, loco conſilium

ſigni-

ſignificat præceptionem & admonitionem non quæ ſuaſione anteuertit conſultationem. Et hinc eſt, vt qui conſilium dat, hic non ἐκκλησιαστὴς appelletur, quemadmodum: 976
is qui conſultat aut deliberat, appellatur in capite tertio: nec rurſus συμβουλευτικὸν γένος aut ἀγὼν ſiue συμβουλευτικὸς λόγος aut προτροπή, vnde Deliberatiuum genus deſcribitur, vſurpentur in præſens, ſed συμβουλαὶ quibus alicui conſilium damus, vt amicis dum extra concionem quoque monitis & adhortationibus præſto ſumus. Sed quæ ſequuntur rem efficient planiorem.

PARTICVLA CCXII.

Ἐπεὶ δ' οὖν ἔχομεν ἃ δεῖ πράττειν, καὶ ποῖόν τινα εἶναι, δεῖ ταῦτα, ὡς ὑποθήκας λέγοντας, τῇ λέξει μετατιθέναι καὶ στρέφειν. οἷον, ὅτι οὐ δεῖ μέγα φρονεῖν ἐπὶ τοῖς διὰ τύχην, ἀλλὰ τοῖς δι' αὐτόν. οὕτω μὲν οὖν λεχθὲν, ὑποθήκην δύναται. ὡδὶ δ', ἔπαινον· μέγα φρονῶν, οὐ τοῖς διὰ τύχην ὑπάρχουσιν, ἀλλὰ τοῖς δι' αὐτόν, ὥστε, ὅταν ἐπαινεῖν βούλῃ, ὅρα τί ἂν ὑπόθοιο. καὶ ὅταν ὑποθέσθαι, ὅρα τί ἂν ἐπαινέσειας. ἡ δὲ λέξις ἔσται ἀντικειμένη ἐξ ἀνάγκης, ὅταν τὸ μὲν κωλῦον, τὸ δὲ, μὴ κωλῦον μετατεθῇ.

QVoniam igitur tenemus, quæ oportet agere, & qualem eſſe, debemus ea, Riccobonus.
tanquam præcepta proferentes, dictione transponere & conuertere, vt, Non oportere valde gloriari iis, quæ a fortuna proficiſcuntur, ſed iis quæ propria ſunt. At ita quidem dictum præcepti vim habet: ſic verò laudis valde glorians, non iis quæ a fortuna dantur, ſed propriis. Quare cum laudare vis, vide, quid præciperes: & cum præcipere, vide, quid laudares. Dictio verò erit oppoſita ex neceſſitate, cum vnum quidem prohibens, alterum verò non prohibens transponetur.

CVm igitur ea ſint explicata, quæ virum probum agere oportet; ſi voluerimus Maioragius.
eadem ad præceptiones, ſuaſioneſque traducere; dicendi tantùm genus mutare, & conuertere opus erit, ut, ſi quis dicat; Non oportet quemquam efferri animo pro- 977
pter ea, quæ dantur a fortuna; ſed propter ea quæ in ipſo poſita ſunt. hoc præceptum erit, ſed illo modo laus; Animo ſe ſe efferebat non ob ea quæ data ſibi fuerunt a fortuna, ſed, quæ in ſe ipſo poſita habebat. Quare cum aliquem laudare volueris; conſidera quæ illi præcepta dares; cum autem præcipere volueris, quid eſſet in eo laudandum. Dicendi verò genus neceſſario contrarium eſt; cum id quod immutatur, ex prohibente in non prohibens transferit.

EX primis ipſis verbis intelligitur ea ſignificari quæ ad παραίνεσιν & cohortationem pertinent cum præcepta tranſponere iubemur: idem ſententiam præceptúmque illud indicat, *Non oportet iis gloriari quæ a fortuna proficiſcuntur: ſed iis quæ propria ſunt*, quod hortantis eſt & admonentis &, ex ipſiſſima Iſocratis parænesi deriuatur. Denique laudem in præceptionem, præceptionem in laudem ſic permutat vt ſatis indicet non Deliberatiuum genus ſed quæ ad Demonſtratiuum reducitur & laudationem & cohortationem intelligi. Quid plura? dum ait, *quoniam tenemus quæ oportet agere & qualem eſſe* (ſignificat verò virtutes quas paulò ante declarauit, & virum qui illis ornatus apparere debet vt laudetur pro dignitate) his ſine dubio docet nos, quippe qui iam audiuimus quæ in vita a nobis gerenda ſint & qualem eſſe oporteat bonum virum, iiſdem præcepta tradere poſſe illis quos cohortamur & inſtituimus: itaut iiſdem (mutato tamen tenore orationis) & cohortemur aliquem & ornemus & laudemus: quæ tamen in genus Deliberatiuum
non conueniunt; in quo vtile ſpectandum ſectandúmque eſt, atque ita ſectandum vt 978
honeſto etiam ſit anteponendum non rarò. Oratio igitur varianda prout vel laudamus vel ad virtutem cohortamur: quod dum facimus, contraria etiam (id quod ad-

dit

dit Ariſtoteles)vetamus:quod planè accidit non in deliberatione ſed in parœneſi & cohortatione. Et hinc eſt vt Iſocratis cohortationes partim vetent, partim præcipiant.

PARTICVLA CCXIII.

Χρηστέον δὲ, καὶ τῶν αὐξητικῶν πολλοῖς. οἷον, εἰ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μετ' ὀλίγων, ἢ ὃ μάλιστα πεποίηκεν. ἅπαντα γὰρ ταῦτα, καλά. καὶ τὸ ἐκ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν. ταῦτα δὲ παρὰ τὸ προσῆκον. καὶ εἰ πολλάκις τὸ αὐτὸ κατώρθωκε, μέγα γὰρ καὶ οὐκ ἀπὸ τύχης, ἀλλὰ δι' αὐτὸν ἂν δόξει. καὶ εἰ τὰ προτρέποντα καὶ τιμῶντα διὰ τοῦτον εὕρηται καὶ κατεσκευάσθη. καὶ εἰς ὃν πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήθη. οἷον εἰς Ἱππόλοχον, καὶ Ἁρμόδιον, καὶ Ἀριστογείτονα, τὸ ἐν ἀγορᾷ σταθῆναι, ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἐναντίων. κἂν μὴ καθ' αὐτὸν εὐπορῇς πρὸς ἄλλους ἀντιπαραβάλλειν. ὅπερ Ἰσοκράτης ἐποίει, διὰ τὴν συνήθειαν τοῦ δικαιολογεῖν. δεῖ δὲ πρὸς ἐνδόξους συγκρίνειν. αὐξητικὸν γὰρ καὶ καλὸν, εἰ σπουδαίων βελτίων, πίπτει δ' εὐλόγως ἡ αὔξησις εἰς τοὺς ἐπαίνους. ἐν ὑπεροχῇ γάρ ἐστιν. ἡ δ' ὑπεροχὴ τῶν καλῶν. διὸ, κἂν μὴ πρὸς τοὺς ἐνδόξους, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἄλλους δεῖ π[...]άλλειν. ἐπείπερ ἡ ὑπεροχὴ, δοκεῖ μηνύειν ἀρετήν.

Riccobonus. Vtendum eſt autem etiam eorum quæ valent ad amplificandum, multis vt ſi ſolus vel primus vel cum paucis, vel hic maximè fecit. Omnia enim hæc honeſta ſunt, & quod eſt ex temporibus & occaſionibus, ea enim ſunt præter id, quod conuenit, &, ſi ſæpe idem rectè egit. Magnum
979 enim, & non a fortuna, ſed proprium exiſtimabitur. Et ſi, quæ ſuadent, & honorant, propter hunc inuenta ſunt, & parata. Vt in quem primum encomium factum eſt, quod contigit Hippolocho, & vt Harmadio, & Ariſtogitoni ſtatuæ in foro fuerunt collocatæ. Similiter verò etiam in contrarijs. Et, ſi non habes ex ipſo copiam, cum alijs compara, vt Iſocrates faciebat, quia conſuetudinem non haberet dictionis iudicialis. Oportet verò cum illuſtribus conferre. Amplificandi enim id vim habet, & honeſtum eſt, ſi bonis melior ſit. Ac cadit iure amplificatio in laudes. In excellentia enim conſiſtit, & excellentia eſt honeſtorum. Quamobrem ſi non cum illuſtribus, at cum alijs oportet comparare, ſiquidem excellentia videtur indicare virtutem.

Maioragius. *Vtendum eſt etiam multis argumentis quæ amplificandi vim habeant, vt ſi ſolus, aut primus, aut cum paucis ſocijs feciſſe dicatur; aut ipſius potiſſimum in eo virtus enituit. hæc enim omnia ſunt honeſta. A temporibus etiam & occaſionibus amplificare licet: vt, ſi quæ præter expectationem facta fuerint; & ſi ſæpius eadem in re ſe rectè, feliciterque geſſerit. hoc enim magnum videtur; & non à fortuna ſed ab eius conſilio factum. Et ſi ea, quæ homines excitant & honorem adferunt, propter eum, quem laudamus, inuenta fuerint, & præparata; & in quem prima fuit edita laudatio, vt in Hyppolochum; ſicuti Harmodio & Ariſtogitoni primis in foro ſtatuæ collocatæ ſunt. eodem modo res ſe ſe habet in contrarijs. Quod ſi non poteris eum per ſe copioſè laudare; ex aliorum comparatione laudes eius amplificabis: quod Iſocrates faciebat ex conſuetudine docendi, quæ ad iudiciale genus pertinerent. Sed cum eis comparare opus eſt, qui cum laude vixerunt: ſic enim eius dignitatem amplificare poteris, ſi docueris, eum præſtantibus viris anteponendum. Cadit autem in exornationes potiſſimùm amplificatio: nam in exuperantia eſt, quæ ipſa rerum honeſtarum vna habetur: quare, ſi cum præſtantibus viris non potueris, cum alijs quibuslibet*
980 *conferas: omnis enim exuperantia virtutem quandam videtur indicare.*

IAm verò poſtremò loco honeſta & laudabilia ex varijs amplificandi
rationibus ac vijs deriuat. Amplificatur autem res, primùm, ſi quis eã 980
geſſerit ſolus: id quod & Vlyſſis exemplo declarari poteſt, dum vnus
ac ſolus arcum quendam valeret intendere: ac Mutij & Coclitis factis
confirmari, quorum vterque ſolus præclarum edidit facinus, dum hic
pontem contra Porſenæ defendit exercitum, ille mortem eidem inten
tare non dubitauit. Deinde ſi geſſerit primus vt Duillius, qui primus victor ex mariti-
ma pugna redijt ex Carthaginenſibus; aut Columbus qui primus inuenit, ſi tamen
primus, vt fertur, nouas terrarum regiones extra Oceanum: tum ſi nullos adminiſtros
aut ſocios habuit, qualis a Cicerone prædicatur Cæſar dum eius clementiæ laudem
partem nullam a Centurione aut milite decerpi affirmat, ac ne fortunam quidem il-
lius gloriæ quidquam ſibi vindicare: aut pro rei magnitudine paucos. Sic Leonidas La
cedæmonius qui ſe ſe maximis hoſtium copijs oppoſuit cum paucis quibuſcum for-
titer pro patria occubuit. Sic Lucullus cum paucis numeroſiſſimos Mithridatis Ti-
granisque fudit exercitus, ad hæc ſi rem maximè confecit & abſoluit ipſe, quemadmo
dum Cæſar qui propterea illud protulit Veni, vidi, vici. Sic Claudius Nero ad Metau-
rum Aſdrubalis potentiam ſic fregit & copias vt inter præclariſſima Romanorum fa-
cta eiuſmodi victoria numeretur. Hæ igitur conditiones honeſtatem præſeferunt ac
decus vnde luculenta habeatur laudatio. His adde tempus & immaturam qua id pere-
gerit occaſionem: nam hinc etiam virtus apparet ac ſumitur laus, vnde minuitur op-
portunitas. Sic Pompei enituit virtus quòd ſummo hyeme claſſem apparauerit, & ho-
ſtes, cum mare totum ac portus & inſulas occupaſſent, profligarit. Adde ſi is idem pe- 981
regit ſæpè: nam præterquam quod maius erit, ſatis conſtabit non caſu aut a fortuna ſed
ab electione ac virtute eſſe profectum. Id quod variæ ac multæ Pompei victoriæ decla-
rarunt, quas ex varijs Terrarum orbis partibus ac diuerſiſſimis hoſtibus reportauit.
Sed in primis id in Alexandro enitet, qui nullam vnquam Vrbem obſedit quam non
expugnarit, nullum prælium commiſit ex quo non victor diſceſſerit. Quòd ſi iſtius
cauſa fuerint inuenta & parata vel præmia vel monumenta aliqua, id etiam declarabit
cumulabitque virtutem ac laudem. Quare qui primus encomio potitus eſt, ſeu cui
primò ſupplicationes decretæ ſunt aut trophæa aut aurea ſigna erecta (quæ in Harmo
dio & alijs perſpecta ſunt) mirificè declarabitur laus. Quapropter quemadmodum in-
fra in Particula cccvi. crimen conflabit illi, cuius iniuria & iniuſtitia carceri cõſtruen-
do ac nouis legibus ferẽdis occaſionem dedit, ita hîc laudem conciliabit nouam præ-
mij & honoris formam inueniendi, occaſionem dediſſe. Denique declarabitur atque
adeò amplificabitur adhuc res geſta authoriſque virtus ac laus, ſi cum viro altero có-
que excellenti atque huius præclara actione non diſſimili, conferatur, & illuſtrior fuiſ-
ſe oſtendatur. Atque hæc ſanè amplificationis præcepta ſeruient vituperationi: nam ſi
quis ſolus, ſi primus, nefarium ſcelus patrarit, (idem tu de reliquis amplificationis ca-
pitibus colligitó,) is tantò magis vituperandus erit: cum hinc fœditas facti creſcat ma-
gis. Quare Heroſtratus qui ſolus Dianæ incendit templum, maiore hinc vituperatio-
ne dignus eſt. De qua re in Particula cccvi. vbi de maiore agitur iniuria. Quanquam il
lud hîc non reticebo quod æſtimandum eſt diligenter: nimirum Ariſtotelem hoc in
loco non eò ſpectare vt nos amplificandi rationem doceat, quemadmodum Sueſſanus
& Maioragius affirmant, ſed in laudis commonſtrandis locis perſiſtere ac perſeuerare,
ita tamen vt, quoniam locos explorat vndique ex quibus laus erui poſſit, non ea præ-
termittat quæ valent ad amplificationem: proinde hîc locos propoſitionum & enthy-
mematum profert adhuc, etſi ex ijs etiam haurit quæ valent ad amplificandum. Sic in
capite 14. maiores iniurias ex iiſdem quæ ad amplificandum valent, maioris iniuriæ
ducit propoſitiones, quæ obſeruare volui ne te hîc aut in capite 14. tranſuerſum agãt
iſti qui amplificandi rationem hîc tradi affirmant. Quare dum Maioragius ſcribit hoc
in loco, *Hoc demonſtratiuum genus amplificatione potiſſimum conſtat, & in eo licet ingenium &
artem oſtentare. Quare ſunt ea diligenter exquirenda quæ vim habeant amplificandi: quorum e ge-
nere quatuor hoc loco ponit Ariſtoteles*; rectè quidem, dum tamen fateamur in propoſi-
tionibus commonſtrandis laudationi accommodatis perſiſtere Ariſtotelem non
hinc ad amplificandi rationem nos edocendam ſe ſe conuertere. Quare dum Maiora-
gius Ariſtotelem de græcis conuertens ſcribit in propoſita particula, *A temporibus*

etiam

etiam & occaſionibus amplificare licet & quæ ſequuntur cautè legendus eſt: nam eſt quidem cur fateamur amplificationem cum laude eſſe coniunctiſſimam, ſed tamen non hîc de amplificatione præcipit Ariſtoteles, ſed ex ijs quæ amplificationi accommodata ſunt propoſitiones deriuat ac profert.

PARTICVLA CCXIV.

ὍΛως δὲ τῶν κοινῶν εἰδῶν ἅπασι τοῖς λόγοις, ἡ μ' αὔξησις ἐπιτηδειοτέρα τοῖς ἐπιδεικτικοῖς. τὰς γὰρ πράξεις ὁμολογουμένας λαμβάνουσιν. ὥστε λοιπὸν μέγεθος περιθεῖναι καὶ κάλλος. τὰ δὲ παραδείγματα τοῖς συμβουλευτικοῖς. ἐκ γὰρ τῶν προγεγονότων τὰ μέλλοντα καταμαντευόμενοι, κρίνομεν. τὰ δ' ἐνθυμήματα, τοῖς δικανικοῖς. αἰτίαν γὰρ καὶ ἀπόδειξιν δέχεται τὸ γεγονὸς μάλιστα διὰ τὸ ἀσαφές.

Riccobonus. OMnino autem ex ijs formis, quæ communes ſunt omnibus orationibus, amplificatio quidem aptior eſt ad demonſtratiuas; actiones enim confeſſas ſumunt, vt reliquum ſit magnitudinem adiungere, & pulchritudinem. Exem-
982 pla verò ad deliberatiuas; nam ex ante geſtis futura conijcientes, iudicamus. At enthymemata ad iudiciales: cauſſam enim & demonſtrationem recipit factum maximè, quia obſcurum ſit.

Maioragius. *OMnino verò ex vniuerſis dicendi formis, quæ tribus generibus communes ſunt, amplificatio demonſtratiuo generi maximè eſt accommodata. nam, qui laudant, res manifeſtas & certas ſumunt: itaque reſtat eis tantum magnitudinē, & pulchritudinem adiungere. Exempla verò deliberatiuo generi maximè conueniunt: nam ex præteritis futura conijcientes, quid ſit agendum, ſtatuimus. Argumentationes in iudiciali genere ſunt maximè neceſſaria: quod enim factum eſſe dicitur, propterea quod eſt incertum, cauſam & probationem requirit.*

AMplificatio eſt illa quidem communis tribus generibus, ſed tamen in Demonſtratiuum genus aptiſſimè cadit, quandoquidem in hoc commodè in medium afferre licet præclara aliorum facta de quibus conſtet, atque his amplificando magnitudinem & pulchritudinem adiungere. Sic M. Tullius Cæſaris clementiam, quoniam erga Marcellum erat perſpicua, ſic amplificat, vt maiorum omnium laudem ac virtutem, tum ipſiuſmet gloriam rei militaris, ſuperaſſe oſtendat. Iam verò exempla aptiſſima ſunt Deliberatiuo generi: ſiquidem ex rebus antea geſtis, quid gerendum ſit coniectura informamus. Enthymemata denique ſeu ratiocinationes Iudiciali: his enim quæ incerta ſunt (talia verò eſſe ſolent quæ in Iudicijs diſceprantur) clariora efficiuntur. Atque hinc ſanè qui exemplis delectarentur Oratores, paradigmatici dicti ſunt ab Ariſtotele. Id quod hiſtoriarum cognitionem requirit maximè, præſertim domeſti-
983 carum ex quibus tutior ducitur coniectura. Enthymemata verò ſeu ratiocinationes plurimum valent in Iudiciali: cum enim obſcura fermè in iudicium facta diſceptentur, ratiocinando maximè ad perſpicuitatem traducuntur. Atque enthymematis maximè delectatus eſt Demoſthenes in quibus magnum collocabat ſtudium, ita ut eius orationes & enthymemata oleum redolere dicerentur, quia frequentia ſcilicet in eo eſſent enthymemata & accurata, quæ omnia ad lucernam lucubrabat. & Enthymematicis quidem moralis Philoſophiæ cognitio non minùs eſt neceſſaria quàm Paradigmaticis cognitio antiquitatis. Ita ſanè quemadmodum paradigmatici dicebantur ij qui delectarentur exemplis, ita Enthymematici qui ratiocinationibus inſtruc-

Digitized by Google

rent orationes. Vtramque verò copiam adamauit M. Tullius & adhibuit orationibus; ita ut non facilè ſtatuas num exemplis magis & Enthymematis excellat oratoria illius virtus quod totum perfectum eſt tum ex Philoſophiæ ſtudio, tum ex hiſtoriarum, Græcarum præſertim & Romanarum, cognitione.

PARTICVLA CCXV.

Ἐκ τίνων μὲν οὖν οἱ ἔπαινοι καὶ οἱ ψόγοι λέγονται σχεδὸν πάντες, καὶ πρὸς ποῖα δεῖ βλέποντας ἐπαινεῖν καὶ ψέγειν, καὶ ἐκ τίνων τὰ ἐγκώμια γίνεται καὶ τὰ ὀνείδη, ταῦτ' ἐστίν. ἐχομένως γὰρ τούτων, τὰ ἐναντία τούτοις φανερά, ὁ γὰρ ψόγος ἐκ τῶν ἐναντίων ἐστίν.

AC vnde quidem laudes, & vituperationes ducantur fermè omnes, & in quæ oportet intuendo laudare & vituperare & ex quibus encomia conficiuntur, & probra, hæc ſunt. Cognitis enim his, quæ ſunt his contraria, patent. Vituperatio enim ex contrarijs eſt. Riccob.

Hæc ferè ſunt ex quibus laudationes omnes & vituperationes ducuntur; & quæ reſpicere eos oportet, qui laudant, & vituperant; & vnde encomia, opprobriáque conſtantur. his enim cognitis, quæ contraria ſunt, facilè cognoſcuntur. nam ex contrarijs vituperatio conſtat. Maior. 984

EPilogo concludit quæ dicta ſunt in nono capite, aitque hæc fermè eſſe ex quibus laus ducitur & vituperatio, & vnde encomia quoque conficiuntur & probra. At enim quæ obſecro docuiſti Ariſtoteles quod attinet ad vituperationes & probra? Hæc verò, inquit, ex his petenda ſunt quæ de laude & encomio præcepimus: ex contrarijs enim contraria cognoſcuntur. Et quanquam non ita facile eſt vituperationis locos ex laudationis locis deriuare, & orationem probroſam conſtituere, quin præceptis aliquibus inſtructiores nos reddi oporteat, veruntamen Ariſtoteles induſtrijs ſcribit & ingenioſis. Denique ex Ciceronis Partitionibus quemadmodum accuſationis & defenſionis, ita laudationis & vituperationis encomia haurire poſſis. Ex orationibus verò & Ciceronis & Demoſthenis, præſertim ex vtriuſque Philippicis, vſum agnoſcere.

CAPVT X.

De Genere Iudiciali. 985

De genere Iudiciali dicendum. Rerum dicendarum diſtributio

DEuenio iam ad genus Iudiciale: in quo ſanè, vt certo ordine noſtra progrediatur oratio; ea principiò proponere lubet quæ de hoc genere tractanda ſint & explicanda. Ergo Iudicialis generis vim & naturam exquiram primùm: tum verò eiuſdem generis partes, ſi nem, tempus affectúſque præcipuos, ad quos Iudices mouendi ſunt, breuiter commonſtrabo. Denique (id quod longioris operis erit ac temporis) propoſitiones inueſtigabo, quibus ratiocinationes conficere, atque in Iudicijs pro dignitate verſari liceat. Quod ſi etiam tempus aut locus id tulerit, ad extremùm docebo qua ratione iũ inuenta argumenta ſint diſponenda & collocanda, tum verò ſit exornanda & pronuncianda oratio.

Interim uos omnino attentos optatim Auditores optimi: idque multis ac magnis

de

Digitized by Google

de cauſis. Ac primùm quòd Iudiciale genus hoc tempore maximè omnium frequen- *Attenti cur optentur Auditores.*
tetur. Veriſſimè enim dici poteſt, Deliberatiuum, multò verò magis Demonſtratiuũ,
iam ferè obſoleuiſſe, itaut quodammodo exulare videantur. Iudiciale contra teritur
paſſim & colitur; itaut noſtra hac tempeſtate in foro atque Vrbibus propemodum
regnet ac dominetur. Huc accedit quòd forenſe hoc dicendi genus cum mortalium I. *Ratio.*
bono eſt coniunctiſſimum. Etenim retẽtis iudicijs, retinetur iuſtitia, colitur honeſtas, II.
pax ciuium ac tranquillitas Vrbium conſeruatur, bonæ artes atque optimæ diſciplinæ,
quibus ad benè beatéque viuendum contendimus, vigent & efflore ſcunt. Contra ve-
rò, ſublatis iudicijs, oppidò furtis omnia & rapinis, quin ſeditionibus ac cædibus, com-
plentur vndique: denique tolle iudicia, ac ſolem ipſum propemodum è Mundo ſuſtu-
leris. Quanquam non eſt quòd inficiemur Iudiciale genus & malitioſum eſſe & ſpino III.
ſum vndique ac perdifficile: ſiquidem non defuerunt olim vaſri quidam vel Sophiſtæ
986 vel Oratores qui meliorem cauſam deteriorem niterentur efficere: contra verò dete-
riorem in meliorem converterent: quo factum eſt vt multi progreſſu temporis huc
omne ſtudium, omnes fallendi artes, reuocarint, quibus iudicia, cum alioquin ſacro-
ſancta haberentur; ſpinis ac tricis maximis, nec ſine dedecore quodam, implicarunt:
proinde Iudiciale genus cum callidiùs in dies tractaretur & malitioſè, aſtutum ac ma-
litioſum haberi non immeritò coeptum eſt & perdifficile. Ac propterea maiorem
hoc tempore a nobis diligentiam attentionémque requirit: vt nimirum Iudicialis Elo
quentia cum Iuriſprudentiæ ſtudio coniungatur, ac Iuſtitiæ patrocinium etiam atque
etiam ſuſcipiatur. Denique eò magis in hoc Iudicialis generis curriculo elaborãdum,
quòd in eo reliqua duo genera magna ex parte inſtaurantur ac refloreſcunt. Neque IV.
enim fieri poteſt vt quis in iudicijs verſetur ſtrenuè, niſi & ad laudationem & ad vitupe
rationem appoſitè orationem conuertat ſuam: ſiquidem qui accuſat, vituperet etiam,
qui defendit laudet, neceſſe eſt; vſque adeò cum accuſatione vituperatio, cum defen-
ſione laudatio, coniuncta eſt. Atque idem de conſultatione ac deliberatione affirma-
uerim: ſiquidem & Oratori, & Iudici multò maximè, conſultandi ac deliberandi lo-
cus ſe ſe obijcit & neceſſitas: itaut in Iudiciali genere Eloquentia ipſa omni ex parte in-
ſtauretur, vigeat, efflore ſcat. Quãquam enim duo illa genera, Deliberatiuum inquam
& Demonſtratium, non per ſe interim attingantur, ſed Iudicialis gratia extrinſecus aſ-
ſumantur, nihil tamen prohibet quominùs ſummis Eloquentiæ viribus tractentur,
itaut tripartita Eloquentiæ varietas in Iudicijs eluceat mirificè. Agedum igitur ad in-
ſtitutum aggrediamur, atque id primò explicemus quod primò propoſuimus, Iudi-
cialis generis definitionem afferentes & explanantes.
987 Iudiciale Genus, ſi Ariſtotelem in conſilium adhibeamus, aliud nihil eſt quàm *Iudicialis Generis definitio.*
Oratio quæ in alicuius accuſatione aut defenſione verſatur. Quapropter qui
orationem eò conuertit, vt aliquem oratorio more ſiue accuſet ſiue defendat,
is in Iudiciali genere verſari dicendus erit. Ex his verò conſtat hoc genus cum
reliquis duobus generibus partim conuenire, partim verò, vt par eſt, ab ijſdem diſcre-
pare. conuenit quia Deliberatiuum quoque genus ac Demonſtratiuum & oratione
continentur & in certa re aut perſona aliqua occupantur: diſſident quia generis Deli-
beratiui Oratio in ſuaſione & diſſuaſione, Demonſtratiui in laudatione & vitupera-
tione, Iudicialis in accuſatione & defenſione, occupatur. Atque hæc ſanè definitio ex
Ariſtotele planè deſumpta eſt, qui in primo hoc libro Rhetoricorum capite 3. tripar-
titam illam cauſarum varietatem ad Rhetoricam dictionem reuocat priùs, tum verò
propoſitis diſcriminibus ſeparat ac diſiungit. Neque verò vos perturbet, quòd Au- *Dubitatur.*
thor ad Herennium libro 1. Rhetoricorum & M. Tullius in priore libro de Inuentio-
ne ſcribat genus Iudiciale eſſe id quod poſitum in Iudicio, habet accuſationem & de-
fenſionem: nam verbis vtcunque diſſident quidem, re nullo modo: ſi quidem cauſa *Reſpondetur.*
quæ in iudicio poſita, habet accuſationem & defenſionem, aliud nihil eſt, quàm Ora-
tio quæ in alicuius accuſatione aut defenſione verſatur. Niſi tamẽ te illud permoueat *Dubitatur*
quòd in Iudicio accuſationem & defenſionem requirere videatur Cicero, ne quis ſe *rurſus.*
Iudiciale genus tractare exiſtimet ſeu conſtituere, niſi in iudicio hoc eſt apud Præto-
rem ac legitimum Iudicem, agat, itaut in foro ac legitimo Iudicio accuſet ac defen-
dat. Et ſanè cum is qui extra forum criminetur accuſétue aliquem aut defendat, is ca-
988 lumniæ aut officij cauſa veriùs id faciat, quàm legitimi accuſatoris partes obeat aut

deſenſoris,ac propterea (quod caput eſt) non conſtituat Iudiciale genus, ſcitè *in Iudicio* interponitur. Sic ſanè ab Hiſtoricis qui ſæpè aliquem incuſant aut purgant, atque ab huiuſmodi alijs qui extra forum perſtringant vel tueantur aliquem, diſtinguetur Orator, & Iudiciale genus ab hiſtoria, aliorúmque maledictis aut laudationibus diſſociabitur.
Reſpondetur. Tametſi quoniam in Oratorio puluere verſamur, nihil erat quòd Ariſtoteles ſubtiliùs rem expenderet, cum legitimam accuſationem & defenſionem intelligeret quæ legitimum quoque Iudicium ac forum requirit & comprehendit, ac proinde germanum Iudiciale genus conſtituit.

Partes. Atque ex his, de huius generis partibus conſtare ſatis poteſt; quæ ſunt accuſatio & defenſio. Vt enim Deliberatiui partes ſunt ſuaſio & diſſuaſio, Demonſtratiui laudatio & vituperatio (quæ omnia ſuo loco docuimus copioſè) ita Iudicialis accuſatio & defenſio. int.3.l.1
Dubitatur. Quanquam illud fortaſſe perturbet aliquem atque hærentem habeat, quòd aliqui & in primis M. Tullius in priore libro de Inuentione, non modò accuſationem & defenſionem, verùm etiam petitionem & recuſationem, tribuunt huic generi, quaſi vero quatuor ſint illius partes non duæ tantùm: Ac profectò nihil prohibet quominùs aliquis citra criminationem & accuſationem aliquid petat a quopiam in Iudicio: hic contra citra omnem defenſionis laborem, recuſet poſtulata concedere.
Reſpondetur. Verùm idem M. Tullius, qui quaſi vulnus inflixit, vulneri adhibet medicinam. nam in poſte- 989
riore libro de Inuentione ſignificat petitionem & recuſationem ad accuſationem & defenſionem reuocari. Vt enim actor is dicitur qui ſiue criminando & accuſando ſiue petendo agit, reus qui ſiue criminationem ſiue petitionem depellit; ita accuſatio quodcunque crimen aut petitionem, defenſio quãcunque ſiue criminis ſiue petitionis depulſionem & inficiationem continet. Et quamuis reus interdum apud Iuriſconſultos is dicitur qui conuictus è iudicio diſcedit & reus, vt habetur in lege fin. ff. ad Legem Iuliam maieſtatis; ſæpè tamen reus dicitur qui accuſatori opponitur. Sic M. Tullius in 2. de Oratore; Reos (inquit) appello quorum de re diſceptatur. Proinde, vt ad rem redeam, accuſationis & defenſionis nomine actionem omnem & depulſionem intelligit Ariſtoteles; ita vt duæ ſint huius generis partes.
Dubitatur rurſus. Difficilius fortaſſe videri poſſet ad explicandum, quo pacto reprehenſio & excuſatio, aut rurſus querimonia & purgatio, non ſint partes generis Iudicialis.
Reſpondetur. Sanè Quintilianus libro 3. capite 4. viſus eſt plures cùm huic tùm alijs generibus affingere partes. Sed pace illius dixerim, reprehenſio & accuſatio, ſiue querimonia & purgatio non tam orationis ſunt quàm Epiſtolarum priuatíque ſermonis. Quod ſi ad orationes etiam transferantur, accuſatione & defenſione non ſecus ac petitio & accuſatio iurè ac meritò concluduntur. Hæc de partibus.

Finis. *Dubitatur.* Iam verò finis generi Iudiciali propoſitus ab Ariſtotele eſt iuſtum & iniuſtũ, qua- 990
propter quemadmodum Deliberatiuo vtile & inutile, Demonſtratiuo honeſtum ac turpe, ita Iudiciali iuſtum & iniuſtum, in finis loco propoſitum eſt. Quanquam diligenter eſt animaduertendum a quibuſdam non tam iuſtum & iniuſtum quàm æquũ & iniquum generi huic proponi. Iuſtum enim aiunt legibus hærere mordicus, ac poſtulare vt ad vnguem ſeruentur & ſummo iure cuſtodiantur. itaque iuſtum, inquiunt iſti, nihil de pœna remittit, nec minùs diuiti quàm pauperi, aut principi quàm priuato præeſt. Denique ſummum in omnes exercet ius: ſummum verò ius ſumma iniuſtitia. Hac igitur de cauſa ſtatuunt æquitatem eſſe finem: qua æquitas de Iuſtitiæ rigore remittat ac ſummum ius veluti emendet, clementiam cum pœna coniungens. Et hoc nomine Cicero 9. Philippica Seruium Sulpicium commendauit, quòd non tam iuſtum quàm æquitatem ſpectaret in iudicijs, & ciuile ius ad facilitatem æquitatémque referret. Quis non a Iudice Horatium ob interfectam ſororem per ſummum ius atque adeò ſæuitiam quandam morti deſtinatum fateatur, qui iam iam Curiatijs interfectis, Patriam a turpi ſeruitutis diſcrimine liberauerat, & clariſſima victoria varios populos hoſtéſque ipſos illi ſubegerat? At legis præſcripto damnabatur: proindeque niſi populi clementia & æquitas obſtitiſſet, non minùs turpiter quàm crudeliter fortiſſimus iuuenis cecidiſſet. Sic etiam Torquati filius qui magna cum gloria victor ex hoſte redijt ac non exiguam patriæ gloriam peperit, longè dignior fuit cui pater ignoſceret quàm vt ob vnum mandatum violatum miſerè necaretur. & tamen legis ſeu militaris præcepti vi, quòd ſcilicet non æquitas ſed ius ſummum ſpectaretur, neca-

tus

tus eſt. Denique (ne multa conſecter) Brutus, vbi æquitatem in conſilium adhibuiſ-
ſet, non ſuis oculis (feræ nimirum inſtar) liberorum nepotúmque ſupplicium ac mor-
991 rem ſpectaſſet: tantum abeſt vt ipſemet ſpoliari, ad palum alligari, verberari etiam ac
trucidari iuſſiſſet. Quanquam vt parens turpiſſimæ filij morti non interfuerit ſolùm,
ſed præfuerit, id verò omnem immanitatem ac ferarum ſæuitiam ſuperat quàm lon-
giſſimè. Hæc vt rigorem iuris ac veluti acerbitatem declinandam eſſe intelligamus,
ac propterea Iudiciali generi non, iuſtum ſed æquitatem in finis loco proponamus.
Verùm, Auditores, non magnopere eſt, quòd ab Ariſtotele diſcedamus, qui iuſtum & *Reſpondetur.*
iniuſtum finem huic generi propoſitum eſſe decernit. Nam vt omittam non tam fa-
cilè Brutum ac Torquatum ſæuitiæ damnandum qui ob patriæ charitatem & ad mi-
litarem diſciplinam tuendam filios percuſſerunt, reuera accuſator non tam æquita-
tem & clementiam ſpectat quàm iuſti vim & efficacitatem: reus etiam pro virili oſtē-
dit ſe iuſtum ſecutum eſſe. Itaque Iudicis partes ſunt quidem in ſententia ferenda
æquitatem amplecti, niſi tamen immane ſe ſe offerat ſcelus; ac iuris rigorem tempe-
rare, accuſator tamen iniuſtum, defenſor iuſtum, ſuæ affingit cauſæ. itaut quoniam in
præſens accuſationi defenſionique ac propterea accuſatori ac reo propoſitus finis re-
quiritur, iuſtum & iniuſtum ſpectetur in hoc genere. Et hinc animaduertere licet qui
ſint affectus ad quos in hoc genere mouet Orator. Qui enim accuſat, ad ſæuitiam, qui *Affectus.*
defendit, ad miſericordiam & clementiam, impellit. Ita ſanè quemadmodum in De-
liberatiuo ad ſpem & metum, in Demōſtratiuo ad delectationem aut deteſtationem,
ita in Iudiciali ad ſæuitiam aut miſericordiam, prouocat Iudicem. Quanquam non eſt
negandum orationes affectibus variari paſſim; ita ut quamuis in accuſatione ſæuitia,
in defenſione miſericordia, ſpectetur maximè, attamen pro opportunitate ſpes, timor,
amor, odium, affectiones denique omnes ſint permiſcendæ, de qua tamen re in 2. lib.
copioſè. Hæc de generis Iudicialis definitione, partibus, fine, affectibus.

Nam de tempore nihil attinet dicere, nemo enim non animaduertit in hoc genere *Tempus.*
præteritum tempus ſpectari ſemper. nam accuſari quiſquam aut defendi niſi de rebus
992 geſtis & anteactis nullo modo poteſt, quemadmodum conſultatio & deliberatio niſi
res futuras ac futurum tempus non ſpectat. Denique de tempore Demonſtratiui du-
bitare vtcunque licuit, cum huic non modò præſens ſeruiat, verùm etiam præteritū:
verùm de Iudiciali ac Deliberatiuo hæſitare nullo modo licet. Niſi tamen illud te per-
moueat quòd & in deliberatione res anteactæ, quippe indices futurarum ac prænun-
ciæ, aſſumuntur: & in Demonſtratiuo eius quem laudamus aut vituperamus, res ge-
ſtas a maioribus ipſis repetimus. Sed hæc aſſumuntur extrinſecus quemadmodum
diſputauimus alibi. Illud tamen fatendum eſt, tempus interim non phyſico planè
more ſpectandum ſed populariter: alioquin vbi quempiam laudes ob præſentem vir-
tutem & honeſtam actionem (anteactas enim aſſumi iam diximus) is ob actionem
quæ reuera effluxerit, laudetur neceſſe eſt: ſic qui accuſetur, ob crimen etiam facilè
accuſetur in quo perſeuerat adhuc ſordeſcátque; itaut præſens etiam ſpectetur tem-
pus. Sed nihil prohibet quominùs ibi præſens ob virtutis habitum actioníſque cele-
britatem, hîc præteritum ob patratum ſcelus, tempus ſpectetur maximè. Sed iam his
explicatis & conſtitutis quibus ad Iudicialem præceptionem ampliſſimum aditum
aperuimus, Ariſtotelem ipſum audiamus.

PARTICVLA CCXVI.

Περὶ δὲ τῆς κατηγορίας καὶ ἀπολογίας, ἐκ πόσων καὶ ποίων δεῖ ποιεῖσθαι τοὺς συλ-
λογισμοὺς, ἐχόμενον ἂν εἴη λέγειν.

Riccobonus. DE accuſatione autem & defenſione, & quot & qualibus oportet conficere
ſyllogiſmos, conſequens eſt dicere.

Maioragius. *REliquum eſt igitur vt de accuſatione & defenſione verba faciamus, & ex quot
numero, qualibúſque rationes colligere oporteat.*

Rerū dicē-darū Propoſitio.

PRoponit ea quæ explicanda ſunt hoc tempore, atque ait *περὶ δὲ τῆς κατηγορίας καὶ ἀπολογίας, De accuſatione & defenſione dicendum:* vt ſcilicet conſtet ex quot quibuſue conficiendi ſint ſyllogiſmi. Iure autem proponit ea quæ valeant ad ſyllogiſmum conficiendum, quia docere eſt neceſſarium: & ideo ab initio ratiocinationes appellauit *τὸ σῶμα τῆς πίστεως, corpus fidei faciendæ*, eâdémque de cauſa hactenus aliorum item generum 993
inueſtigauit propoſitiones. Quanquam priuata quoque ſe ſe offerebat ratio vnde propoſitiones haſce requireret diligenter; ſiquidem in capite 9. monuerat exempla maximè requiri in Deliberatiuo genere, in Demonſtratiuo amplificationem atque orationis magnificentiam, proíndeque lumina & ornamenta; in Iudiciali ratiocinationes dominari. ita ut hac etiam de cauſa ſint hoc in loco ea diligenter requirenda quibus ratiociuationes conflandæ ſint. Hæc eſt germana Ariſtotelis ſententia, etſi pingui eam Minerua hactenus explanaſſe velim. nam ſubtiliùs adhuc explicanda eſt, ídque varijs dubitationibus quæ interim ſe ſe offerunt longè ac latè propoſitis priùs, ac deníque explicatis. Etenim veriſſimè dici poteſt in hac breuiſſima particula plures ſe ſe offerre dubitationes quàm verba. & ideo Controuerſiam eam proponimus, NVM appoſitè de genere Iudiciali diſputandum proponat Ariſtoteles. Ac primò cur non ait *περὶ τοῦ γένους δικανικοῦ*, de genere, inquam, Iudiciali eſſe dicendum? Quòd ſi reſpondeas hoc planè ipſum ſignificare per accuſationem & defenſionem quæ ſunt Iudicialis generis partes, cur igitur non vniuerſim & de toto hoc genere ponit diſſerendum, ſed de propoſitionibus tantùm, quaſi verò hæ tantummodo ſint requirendæ? Profectò cum de genere Deliberatiuo priùs tum verò de Demonſtratiuo egerit, nunc ſupereſſe videbatur, vt de Iudiciali dicendum proponeret; vel ſaltem, ſi illud partibus illis

CONTROVERSIA LXII. NVM rectè de Iudiciali genere dicendū proponat. Oppugnatur.

I. deſcribere iuuabat, de eo longè ac latè verba faceret, ac propterea a definitione, parti-
II. bus, fine, tempore, initium duceret. Quòd ſi ne id quidem concedas, cum iam antea
III. in 3. capite ea explicauerit omnia quæ ad ſingulorum generum tum vim & naturam vniuerſam, tum partes tum fines ac tempus pertinerent, ac propterea illud planè ſuccederet vt propoſitiones Iudiciali generi accommodatas proferret de quibus in præſentia ponit agendum; ſit iſtud quoque, nam inde reuera nos ea deſumpſimus ferè, 994
IV. quibus Iudicialis generis definitionem, partes, finem, tempus, conſtituimus. Verùm cur haſce Iudicialis generis propoſitiones reliquas eſſe ait, quaſi verò hæ vnæ Iudicialis generis doctrinæ, ac tractationi explendæ ſupereſſent? Certè cum ſuperſint adhuc tum argumenta artis expertia, tum communes propoſitiones (hîc enim proprias intelligit, & ideo has vnas proſequitur) tum affectus, mores, rerum inuentarum diſpoſitio, atque orationis ipſius exornatio & elocutio, non video cur propriæ propoſitiones ſuperſint vnæ. Rectè. Sed tamen cauendum ne te Maioragius deceperit qui vertit, *Reliquum eſt igitur vt verba faciamus*, Nam reuera græcè eſt *ἐχόμενον ἂν εἴη λέγειν*, quod eſt *conſequens ſit vt dicamus*. & ideo rectè Brocardus & Victorius vertunt, ſequitur iam vt dicamus. Non enim id tantùm ſupereſſe indicat, ſed hoc ſuccedere quod explicetur hoc tempore: quaſi diceret. Quemadmodum hactenus vt inuentioni ſeruiremus, quandam propoſitionum veluti ſyluam oſtendimus vnde tum in genere Deliberatiuo tum in Demonſtratiuo ratiocinationes conficere poſſet Orator, ita hoc tempore quandam veluti ſyluam propoſitionum commonſtrabimus vnde argumentationes conflemus, quarum ope accuſare ac defendere pro dignitate valeat. Et hac de cauſa hoc in loco non tam vniuerſim de accuſatione & defenſione agendum proponit Ariſtoteles quàm de propoſitionibus quibus ratiocinationes conficiamus accuſationi ac defenſioni accommodatas. proinde & de fide artis experte, & de affectibus, & de moribus & de diſpoſitione & de elocutione opportuno loco tum dicẽdum proponet, tum continenter propoſitioni ac muneri ſatisfaciet, quemadmodum ſuo
V. loco conſtabit ſatis. Sed ſint iſthæc quoque verùm cur ait *ἐκ πόσων καὶ ποίων*? nam vt omittam harum vocum notionem apud Græcos eſſe varias, ita ut nobis in præſentia ambiguitatem creare poſſint, ſanè quibus referantur ſiue iungantur verba iſta *ex quot* 995
& qualibus (ſi tamen hoc modo vertenda ſunt) reticetur perperam. Siquidem ſi dicamus ex quot & qualibus ſcilicet propoſitionibus, fortaſſe non magnopere aberremus: nam ex propoſitionibus conflantur ſyllogiſmi, ſed tamen diuinatione vtemur. Itaque dum Victorius & Maioragius ſilent, nec ex quot & qualibus ſignificet Ariſto-

teles

Digitized by Google

teles ſtatuere audent; Riccobonus in Paraphraſi ſcribit, *De accuſatione & defenſione dicendum & quot & cuiuſmodi rebus oporteat confici ſyllogiſmos*: vbi *quot & qualibus* cum *rebus* coniungit non cum propoſitionibus, ac nos verius eludit, dum tam generaliter loquitur, quàm doceat. Quanquam illud eſt palmare quòd cum ipſe Ariſtoteles perſpicuis verbis ſyllogiſmum reſeruauerit Dialecticis, Enthymema attribuerit Oratori, hîc tamen ſyllogiſmi inſtituendi rationem proponit Oratori dum in Iudiciali verſetur genere. VI.
Quid quod modò, nimirũ in particula CCXIV. enthymemata Iudiciali generi attribuebat, nunc verò pauciſſimis interpoſitis verbis quaſi ſolum conuertens aut ſui immemor, eidem attribuit ſyllogiſmum? VII.
Hæc rurſus, vt conſtet reuera plures hiſce verbis nobis offerri dubitationes quàm verba. Quanquam his etiam licebit reſpondere. *Reſpondetur.* Et ſi enim fatemur Ariſtotelem preſſum eſſe hoc in loco, & breuiloquentia vti maxima, itaut ſibi ac ſui ſimilibus, ſi qui eſſent, ſolertiſſimis ſcilicet & ingenioſiſſimis, ſcribere videatur, veruntamen hiſce verbis propoſitiones deſignari, & locos argumentorum & enthymematum conſtabit paulò poſt. Syllogiſmi verò nomine ſine dubio intelligit enthymema quod attribuit Oratori: ſiquidem in Particula XXXV. & LXV. eodem ferè modo locutus eſt, ſyllogiſmu m attribuens Oratori, ſed tamen monens enthymema ſe intelligere quòd hoc ſit Oratorius ſyllogiſmus: cuius etiam rei affert cauſam in Particula XLVII. Nam etſi (inquit) clarior ab Oratore reticetur propoſitio, hæc tamen Auditori ſupplenda relinquitur, itaut in enthymemate delitescat ſyllogiſmus.
996 Proinde hoc in loco ſyllogiſmi nomine intelligit Oratoriam ratiocinationem: nec dubitat interdum promiſcuè ſyllogiſmũ pro enthymemate vſurpare. Ita ſanè conſtat Ariſtotelis propoſitionem in qua de Accuſationis defenſioniſque propoſitionibus ponit agendum, appoſitiſſimam eſſe. nunc vnde nam hiſce indicialibus propoſitionibus explicandis & commonſtrandis initium ducat, audiamus.

PARTICVLA CCXVII.

ΔΕῖ δὴ λαβεῖν τρία, ἓν μὲν τίνων καὶ πόσων ἕνεκα ἀδικοῦσι. δεύτερον δὲ πῶς αὐτοὶ διακείμενοι. τρίτον δὲ τοὺς ποίους καὶ πῶς ἔχοντας.

Riccobonus. IAm aſſumenda ſunt tria, vnum, quarum & quot rerum cauſa iniuria efficiant: alterum quomodo ipſi affecti: tertium quales & quomodo ſe habent.

Maioragius. *TRia verò ſunt, quæ in hoc genere ſumere oportet: primò quænam ſint, & quot, & quæ vt conſequantur, homines iniuriam faciunt. deinde quomodo affecti quempiam iniuſtè lædant, tum quos qualeſque offendant.*

QVid doceat ſiue aſſumat hoc in loco, non eſt vſque adeò obſcurum: verùm cur hæc aſſumat ſiue doceat, obſcurum videri poteſt. Sed quæ arripit, quippe minùs obſcura, dignoſcamus: tum inueſtigabimus obſcura. *Tria eſſe aſſumẽda vel potius declaranda prius.* Ergo tria aſſumenda eſſe monet. primum *τίνων καὶ πόσων ἕνεκα ἀδικοῦσι, quorum & quot cauſa iniuria afficiunt*; quod eſt quæ res ſint & quot eæ, propter quas homines aliquem ſolent iniuria afficere: alterum *πῶς αὐτοὶ διακείμενοι, qua ijdem rationi affecti ſint*, qui aliquem iniuria afficiunt: tertium *τοὺς ποίους καὶ πῶς ἔχοντας. qualéſnam iniuria afficiant, & quo modo ſe habeant ij qui afficiuntur iniuria.* Vbi ſanè quemadmodum in capite 3. monebat orationem ex tribus conſtare, ex re de qua dicitur; ex perſona quæ dicit, & ex eo apud quem dicitur; ſic non diſſimili ratione explicandum aſſumit in præſens quas ob res, qui & quibus iniuriam faciant.
997 Hæc, inquam, craſſa ſaltem minerua, non difficilè percipiuntur; nam ſubtiliùs paulò poſt explicabuntur: verùm quò ſpectent, id verò (vt dicere cœperam) obſcurum videri poteſt. ipſe igitur crediderim eò ſpectare. Iniuſtum (liceat mihi iuſtum & iniuſtum Græco more pro re iuſta & iniuſta vſurpare, quam Ariſtoteles *τὸ δίκαιον*, & *τὸ ἄδικον* vocat) Iniuſtum igitur eſt finis accuſationi propoſitus: itaut qui accuſat, iniuſti nomine accuſet oporteat. at verò qui iniuſtitiæ accuſatur, is ſine dubio alteri iniuriam

riam feciſſe dicitur: quandoquidem alterum aut in fortunis aut in honore aut in perſona, vno verbo, in ijs quæ nobis cara ſunt, quæque diligimus lædit afficitque iniuria. id quod a Græcis commodiùs quàm a Latinis & exprimitur & intelligitur, qui propterea iniuriam ſæpè ἀδικίαν appellant, quemadmodum τὸ ἀδικεῖν (quod interim ſatis conſtat ex Ariſtotele) iniuriam facere. Ariſtoteles igitur; vt ab initijs repetat accuſationis originem & cauſas, qui iniuria afficiant, quos afficiant, & quibus de cauſis afficiant, perueſtigat. Et hac de cauſa priùs declarat etiam quid ſit iniuria. Ita ſanè iniuriæ vi ac natura diligenter explicata priùs, mox a quibus, quas ob cauſas, & quibus iniuria fiat, docet: ac tandem hinc iniuſti naturam & cauſas accuſationiſque propoſitiones commonſtrat. hoc, ni fallor, eſt Ariſtotelis conſilium in tripartita hac propoſitione, quemadmodum in progreſſu dignoſcere licebit clariùs. Quanquam tuum ſit, Ariſtoteles, diligenter proſpicere, vt quæ aſſumis, ſcitè & opportunè aſſumas, quæque deinde traducas ad rem ipſam cuius cauſa aſſumuntur, & aptè referas. Nos enim tum demum fatebimur te conſultò digredi, vel rem propoſitam anteuertere, cum ad extremùm bellè omnia Iudiciali generi explicando atque intelligendo ſeruierint.

PARTICVLA CCXVIII.

Διορισάμενοι οὖν τὸ ἀδικεῖν, λέγωμεν ἑξῆς. ἔστω δὴ τὸ ἀδικεῖν, τὸ βλάπτειν ἑκόντα παρὰ τὸν νόμον.

CVm definiuerimus igitur quid ſit iniuria afficere, cætera perſequamur. Sit ergo iniuria afficere nocere ſponte contra legem. *Riccobonus.*

QVa ſingula deinceps declarabimus, ſi priùs, quid ſit iniuriam facere, definiuerimus. Eſt igitur iniuriam facere ſponte contra leges alicui nocere. *Maioragius.* 998

Ad tria illa rectè declaranda, iniuria vim & naturam declarat priùs.

QVæ tria propoſuimus, tum demum (inquit Ariſtoteles) explicabimus, cum a nobis quid iniuria ſit, fuerit definitum. & rectè. quis enim aptè ſatis explicare aut intelligere poſſit quibus, quas ob cauſas, & per quos iniuria inferatur, niſi priùs didicerit quid ſit iniuriam inferre, ac ſubiectam iniuriæ notionem ſeu mauis iniuriæ vim & naturam perceperit? Hac igitur de cauſa (atque ita propoſitione abſoluta, in qua etiam rerum dicendarum ordinem cępit oſtendere, ad Tractationem dilabitur) iniuriam definitione complectitur, atque ait ἔστω δὴ τὸ ἀδικεῖν, τὸ βλάπτειν ἑκόντα παρὰ τὸν νόμον. hoc eſt. ſit igitur iniuria, nocere ſponte contra legem. vbi tres iniuriæ obſeruat conditiones. prima vt is qui iniuria afficere dicitur, noceat; quî enim concipi poteſt, vt quis iniuriam inferat, niſi aliquo modo aut honorem aut perſonam aut fortunas, aut quæ nobis cara ſunt, lædat? Denique fieri quidem poteſt vt aliquem oderis atque illi damnum & iniuriam animo moliaris, ſed niſi odium erumpat, & ſic erumpat vt re ipſa lædas, iniuria exiſtere nullo modo poteſt. Altera cōditio eſt vt quis ſponte noceat, hoc eſt non ignorans, non inuitus, non neceſſariò: qui enim aut neceſſitate aut ignorans inuitúſque nocet, iniuriam inferre cenſendus non eſt. Quanquam fieri poteſt vt quis & noceat & ſponte noceat, & tamen adhuc iniuriam inferat nullam. vt cum pater errantem filium corrigendo moderatè lædit: aut Iudex de reo pœnas ſumit; id enim iurè facit, & ideo iniuriam infert nullam. quare neceſſe eſt vt qui nocet non ſolùm ſponte noceat, verùm etiam contra legem: atque ita demum iniurius atque iniuriam
inſerre dicendus eſt. & hinc fit vt qui accuſatur, ſæpè eò confugiat vt cum læſionem 999
ſeu offenſionem aut damnum inficiari nequeat, ſe vel inuitum, vel certè legitimè ac non contra legem, nocuiſſe aut læſiſſe dicat. Interim verò Ariſtoteles ne quis dubitaret, quid legis intelligat nomine, quid etiam ſit ſponte aliquid facere (nocere enim quid ſit ſatis ſupérque perſpicuum videri poterat) declarat vtrunque, ídque a lege incipiens, quare ſic pergit.

PARTICVLA CCXIX.

Νόμος δ' ἐστὶν, ὁ μὲν ἴδιος, ὁ δὲ κοινός. λέγω δὲ ἴδιον μὲν, καθ' ὃν γεγραμμένον πολιτεύονται. κοινὸν δὲ ὅσα ἄγραφα παρὰ πᾶσιν ὁμολογεῖσθαι δοκεῖ.

Riccobonus. LEx verò eſt, vna propria: altera communis. Voco propriam ſecundum quam ſcriptam ciuiliter agunt: communem, quæcunque non ſcripta apud omnes conſtare videntur.

Maioragius. *LEges verò ſunt vel propriæ vel communes propriam legem eam voco, quæ ſcripta eſt, & qua vtimur in Republica: communem verò quæ licet ſcripta non ſit, tamen ab omnibus probari confirmarique videtur.*

Quid intelligat legis, quam iniuriæ definiendæ adhibuit, nomine.

DIxerat eum iniuriam inferre qui & lædit & ſpontè lædit & contra legem. nunc quoniam per ſe ſatis conſtat quid ſit lædere, quid verò ſit ſpontè lædere, aut quid contra legem, non omnino perſpicuum eſt, duas haſce explicat conditiones: ac primò quid intelligat legis nomine, vel certè quas appellet leges & quàm latè pateāt. Ait igitur legem alteram eſſe propriam, alteram verò communem: & propriam eſſe quæ ſcripta eſt, quaéque Reipublicæ gubernandæ Ciuitatibúſque adminiſtrandis adhibetur: communem quæ non eſt ſcripta illa quidem, ſed apud omnes gentes videtur
1000 recepta. Vbi ſanè non facile eſt intelligere quam ſiue communem ſiue propriam dicat legem, quandoquidem partitio iſta in ſcriptam & non ſcriptam in vna eádemque Vrbe agnoſci ac percipi fortaſſe poteſt, in vniuerſùm & apud omnes homines vix ac ne vix quidem poteſt. cum enim nihil prohibeat quominùs aliqua lex apud nos ſcripta ſit, & tamen colatur a Barbaris apud quos non modò non ſit ſcripta, ſed ne extet ſcribendi ratio, vna eádemque lex ſcripta & non ſcripta, priuata & communis erit. Ergo rem hanc totam accuratiùs requiramus, Hanc Controuerſiam ſtatuentes NVM rectè ſit legum partitio in priuatam & communem, & quæ ſint leges iſtæ. An igitur per legem priuatam intelligit leges municipales quæ pro ciuitatum fermè varietate variantur, per communem verò ius ciuile, quod commune dicitur paſſim? minimè verò. Ius enim commune ac ciuile noſtrum ſcriptis ac publicis litteris continetur, commune verò Ariſtotelis non ſcriptum dicitur. An igitur per priuatam legem intelligit ſcriptā quancunque legem (ideo enim videtur illam appellare ſcriptam) per communem verò conſuetudines? Nam conſuetudines nec ſcriptæ ſunt, & verò vim obtinent legis. ſanè hoc pacto ſcriptæ legi non ſcripta appoſitè apponerentur. Ne id quidem. Siquidem non ſcripta dicitur ab Ariſtotele extare apud omnes gentes & apud omnes homines in confeſſo eſſe. & tamen conſuetudo variatur paſſim; itaut quæ apud Hiſpanos verbi gratia colitur & vim legis obtinet conſuetudo, Gallis inuiſa ſit. Imò verò vna eádemque conſuetudo in vna eádemque ciuitate modò colitur & in legis loco habetur, modò antiquatur & abrogatur. Denique infinitas propemodum conſuetudines obſeruare liceat apud Barbaros, quæ Græcis hactenus aut Latinis penitus inauditæ ſint. Eodémque modo multas apud nos conſuetudines obſeruare ac numerare, a quibus abhorrent Barbari; tantum abeſt vt ab eis in legis habeantur loco. Et tamen Ariſtoteles ait hoc genus legis omnibus gentibus probari, ab omnibus retineri. An
1001 igitur trito quodam & recepto more priuatam & communem appellat ſcriptam & non ſcriptam? Certè Iuſtinianus inter cæteros legem aliquando in ſcriptam & non ſcriptam diſtribuit. Hæreo. Nam per leges non ſcriptas eas plerique deſignaſſe videntur olim, quæ apud certas gentes vt apud Lacedæmones, non tam litteris conſignabantur, quàm veluti per manus poſteris tradebantur. Sic Lycurgi leges nunquam exaratæ ſunt, ſed memoriæ conſignabantur: quemadmodum è contrario Solonis leges carminibus illigatæ publicè canebantur. Ariſtoteles verò ſignificat leges non ſcriptas eas fuiſſe quæ non apud vnos Spartanos aut priuatam aliquam gentem, ſed apud omnes

CONTROVERSIA LXIII. NVM rectè in priuatā & cōmunem diſtribuatur lex: & quæ ſint hæ leges.

Varia de priuata cōmunique lege opiniones.

I. *Refellitur*

II. *Refellitur.*

III. *Refellitur.*

Authoris ſententia.

omnes homines vigerent, aut omnibus probarentur. Quid igitur? Sanè (vt aperiam
quod ſentio) Ariſtoteles per legem priuatã intelligit ſcriptas leges omnes, quas ideo
priuatas appellat, quia ſcriptæ leges non eædem ſunt apud omnes, quin paſſim miri-
ficè variantur, ac propterea priuatæ meritò appellantur. Itaque dotis leges verbi gra-
tia pro ſuo quæque vſu variant Vrbes, itaut extent quoque Vrbes apud quas viri do-
tantur, non vxores: alicubi etiam indotatum coniugium exiſtat. Denique ſcriptis le-
gibus alijs vtuntur Galli, alijs Veneti, alijs alij: & ideo ius ſcriptum ab Ariſtotele priua-
tum appellatur. quo nomine noſtrum quoque ciuile ſeu commune comprehendit.
tametſi enim commune ius noſtrum, ſi cum municipalibus legibus comparetur, nõ
immeritò commune appelletur, præcisè tamen ac verè commune non eſt, cum vix
apud paucas quaſdam Europæ gentes, idque aliqua tantùm ex parte, retineatur. Imo
verò ſuperioribus ſæculis ne in Italia quidem niſi apud paucos colebatur. Ius enim
Longobardorum in pleriſque Italiæ locis vigebat: quo etiam tempore Venetorum
leges quæ a communi iure diſcedunt, florebant, quemadmodum etiam florent hoc
tempore. Igitur, vt ad rem redeam, per ius priuatum intelligit Ariſtoteles ſcriptum ius
omne quodcunque illud ſit: verè enim priuatum eſt non commune, cum varietur
paſſim. per commune verò intelligit ius naturale; quod Natura atque adeò Naturæ 1002
Author Deus docuit omnes homines. & ideo legem non ſcriptam appellat commu-
nem & ſcriptæ priuataéque opponit; quia ſcilicet eam non Principum decretis, vt pri-
uatæ leges, ſed Naturæ inſtinctu doceamur. Sic apud omnes homines, niſi qui fortè
viuant ferarum more, atque adeò omnem exuerint humanitatem, hæ leges vigent,
& in confeſſo eſt, honeſtè eſſe viuendum, neminem lædendum, ius ſuum vnicuique
tribuendum, priuata item hoc tempore pro priuatis, publica pro publicis habenda, &
(vt omnia ſemel complectar) quod tibi velis faciendum alteri, quod nolis, minimè fa-
ciendum. Et de hac quidem lege ſcripſit M. Tullius, lex eſt recta & a Numine tracta
ratio, imperans honeſta, prohibens contraria. & rurſus: lex eſt Naturæ vis ac mens: ac
rurſus eſt æternum quiddam quod vniuerſum Mundum regit atque imperandi pro-
hibendique ſapientia. & ideo ſumma lex a Philoſophis dicitur ac propria Numinis lex
ſeu diuinæ mentis appellatur. atque hæc quidem communis lex ea eſt, quæ commu-
nem vtilitatem conſeruat & continet. quæ etiam ideo non ſcripta dicitur quia eſt na-
ta ac diuinitus hauſta ac deriuata: & ad huius normam conſtituenda eſt lex ſcripta,
itaut hæc tum demum recta ſit ac legis nomen mereatur, cum diuinæ reſpondeat.
alioquin παράνομος & veræ legi contraria dicenda eſt.

Quæ cum ita ſint, iam facilè animaduertere licet & plebisſcita, & ſenatuſconſulta,
& Principũ placita, & magiſtratuum edicta, ac reſpõſa Prudentum, vno verbo ſcriptã
quancunque hominum legem, Authore Ariſtotele, ad priuatam legem pertinere.
Imò verò commune quoque ius noſtrum (id quod dicere cœperam) Iuriſconſulto-
rum pace ad priuatam legem referri oportere: neque enim apud omnes eſt in confeſ- 1003
ſo, quin in Europæ veluti angulo teritur, ſi vniuerſas terrarum gẽtes, quibus pleriſque
ignotum eſt, ſpectare placeat. contra verò commune ius aut etiam cõmunis lex erit,
quam a Natura hauſimus & expreſſimus, quámque omnes non dico animantes, ſed
homines, Natura docuit. Neque enim mutæ animantes æquitatem colunt, aut ius
fáſue cognoſcunt: ſed homini tantùm id conceſſum eſt, cui propterea & præmia &
pœnæ propoſitæ ſunt. Vt mihi quidem licenter nimis, ne dicam præpoſterè, loqui ij
videantur qui ius naturale a Natura animantes omnes doceri dictitant.

Tria colliguntur.

Atque ex his tria lubet colligere. nam vbi ſemel cœpimus, opus abſoluendum eſt
vndique. Primum eſt longè ab Ariſtotele diſcedere, atque adeò cum ratione pugna-
re, qui ius primò in publicum & priuatum diſtribuentes, publico ea coërcent quæ ad
religionem & ſacrificia magiſtratúſque conſtituendos pertinent: priuatum in ius na-
turale, gentium & ciuile diſtribuunt. Cum enim ius naturale ſit illud quod Natura
docuit omnes homines ac propterea quam latiſſimè pateat & ſit communiſſimum;
quid eſt quod ius naturale ad priuatum ius traducant? quin etiam cum ea quæ atti-
nent ſiue ad religionem, ſiue ad publicam ſocietatem excolendam cum naturali iure
ſint coniunctiſſima (Natura enim duce Deum colimus & eiuſdem ſocietatem) quid
eſt quod ea naturali iuri opponere non vereantur? ſanè religio, pietas, publici boni
procuratio, iuris naturalis pars altera éaque potiſſima ſtatuenda eſt, tantum abeſt vt

ab

ab ea ſint diſſocianda. Alterum eſt ius gentium perperam a iure naturali diſiungi, ſi ius gentium (id quod iſti dictitant, an tamen iure, ipſi viderint) illud eſt quod Natura conſtituit inter omnes gentes; ſiquidem ad ius naturale erit reuocandum. Et ſanè ſi ad ius gentium ſeruitutes tantum referrent, contractus aliquos, ius legationis, adde II.
1004 etiam ſtipulationes quaſdam & promiſſiones, non ægrè ferendum eſſet a naturali iure ſeparari; verùm cum ab iſtis pietas erga patriam ac parentes, propulſatio quoque iniuriarum, & id genus alia reuocentur ad ius gentium, vix ac ne vix quidem aſſentiri poſſum. Tertium ac poſtremum illud ſit, legem Ariſtoteleo more in priuatam communémque diuidendam: ac priuatam eam habendam quæ ab hominibus ſancitur ac publicis literis conſignatur: vt enim vim obtineat legis, monumentis aliquo modo extet neceſſe eſt. Atque hoc pacto plebiſcitum ac tota illa legum varietas de qua paulò ante, ſub priuata lege continebitur, ac ſub eâdem Iuriſconſultorum pace, commune ius collocabitur. Ad communem legem ea pertinebunt quæ a Natura docemur, ac conſcientia teſte gerenda declinándaue intelligimus: cuiuſmodi eſt verbi gratia honeſtè viuere. neque enim fieri poteſt, vt quis flagitioſè viuat & turpiter, quin a cõſcientia quæ eſt naturæ veluti adminiſtra, reprehendatur & crucietur. Fateor quidẽ multa ſe ſe obijcere, de quibus non ſtatim conſtituere liceat, num ad priuatam an verò ad communem legem pertineant, ſiue num hominum præcepta an Naturæ exiſtant. Quare ſi quis ex me requirat num vxori vnicum virum ducendum eſſe Naturæ an hominum lege conſtet, ſine vlla dubitatione reſpondebo Naturæ: alioquin incerta eſſet proles, hæreditas, pater, vnde perturbaretur humana ſocietas. at ſi quis quærat vtrum naturæ an verò hominis lege præcipiatur viro, ne vno eodémque tempore niſi vnicam ducat vxorem, id verò paulò obſcurius videri poſſet: ſiquidem adhuc certa & proles & hæreditas eſſe poteſt, certi etiam parentes: denique perturbatio vix vlla cernitur. quanquam perturbatio, ſi quis acutiùs cernat, ſequitur non exigua, quæque mutuam coniugum caritatem, quæ tantopere neceſſaria eſt in liberis educandis familiáque regenda, minuere atque adeò tollere poſſit, rixáſque gignere atque diſcordias a quibus Natura & Oeconomia abhorret. itaque doctiſſimis viris credide- III.
1005 rim ad ius naturale pertinere, ſed non primarium tamen & perſpicuum; itaut humana quoque lege apud perpolitas nationes fuerit declaratum, quæ tamen lex in naturalem ſpectarit. Vtpropterea conſtet quidem quicquid prohibetur aut imperatur (id enim eſt legis munus) ad priuatam aut communem legem pertinere quidem: Sed tamen vnde quodque iuris præceptum manarit, & a quo fonte, non ſtatim in omnibus cerni poſſit, ſed diligenti meditatione ſit explorandum. Atque hæc dixiſſe velim non quidem vulgatas Iuriſconſultorum partitiones coarguendi ſed Ariſtotelis doctrinam tuendi cauſâ. Ex quibus omnibus illud intelligi velim Ariſtotelem, qui quo pacto lex læderetur requirebat, per legem tam priuatam quàm communem legem intelligere; tametſi communem maximè, cui error ſubeſſe nullo modo poteſt. Etſi illud quoque fatendum eſt hoc tempore ius quoque naturæ ſcriptum dici poſſe: vſqueadeò legibus ea quoque comprehenſa ſunt penè omnia, quæ Natura ipſa per ſe docet. Quanquam id commodi affert vt legiſlatoris quoque authoritate, certis etiam pœnis, (præmijs etiam interdum) muniatur, ſimulque prolixè explicetur. Et idcirco fieri quidem poteſt vt quædam ſcriptis commendentur & Principis authoritate muniantur, quæ non facilè videantur ex Naturæ fontibus hauſta, quæque ad Ius gentium declinent magis; ſed tamen pleraque & illa inprimis quæ cum optima ratione coniuncta ſunt, ad Naturale quoque ius pertinent; itaut Naturæ in primis acceptum ſit referendum. Sed ad penſum. præſertim quia de hac re nonnulla ſubijcienda erunt adhuc in Particula CCXCIII.

PARTICVLA CCXX.

Ἑκόντες δὲ ποιοῦσιν, ὅσα εἰδότες καὶ μὴ ἀναγκαζόμενοι. ὅσα μὲν οὖν ἑκόντες, οὐ 1006
πάντα προαιρούμενοι. ὅσα δὲ προαιρούμενοι, ἑκόντες καὶ εἰδότες ἅπαντα. οὐδεὶς γὰρ ὃ προαιρεῖται ἀγνοεῖ.

Riccobonus.

SPonte autem faciunt quæcunque ſcientes & non coacti. Ac quæcunque quidem ſponte non omnia præeligentes. quæcunque verò præeligentes, ſponte & ſcientes omnia. Nemo enim quod præeligit ignorat.

Maioragius.

SVa ſponte dicuntur facere qui ſcientes faciunt & a nemine coacti. non tamen quæcunque ſponte faciunt, etiam conſultò & delectu adhibito faciunt. Sed quæcunque faciunt conſultò & adhibito delectu, ea ſcientes omnia faciunt; neque enim quiſquam, quod ignorat id eligit.

Quid ſit ſponte lædere, quod erat altera legis conditio.

DEclarat quid ſit ſponte lædere, atque ait, tum demum ſponte quempiam lædere, cum ſciens ac non coactus lædit: quis enim dixerit ſponte agere qui vel ignorans vel coactus agit? multo verò minùs qui ignorans ſimul & coactus agat. ſi tamen is agere dicendus eſt qui cogatur. quam rem copiosè diſputat libro 3. Ethicorum cap. 1. His addit in præſens eos qui conſilio & ex electione agunt, hos non coactos ſed ſcientes ac propterea ſponte agere: cum tamen non quiſquis ſponte agit, is ſtatim electione agat & conſilio. ſiquidem verè quidem ſponte agit qui electione agit, non è contrario.

Dubitatur. Quo in loco illud ſciſcitetur aliquis quis ſit & qualis ille qui non coactus & verò ſciens ac proinde ſponte agit, cum tamen ſine conſilio & deliberatione ſeu electione agat. Nam ſi iratum aut ebrium proferas, res ſanè eſt intellectu perdifficilis: quia non licet animaduertere qualem ſcientiam habeat is, qui ſubitò ira percitus ſine vllo conſilio aut præmeditatione lædit. Huc è contrario accedit quòd electio fieri poteſt momento temporis: & idcirco nihil prohibet quominùs is qui repentè irritatus repentè lædit, electione lædat. etſi enim electio diuturna meditatione careat, electio tamen eſt. nam ſi dicas non eſſe omnino perfectam, electio erit tamen. Denique puer etiam ac bellua cognitionem quandam habent & ex cognitione operantur. quid igitur prohibet quominùs ſponte lædere, vt propterea iniuria afficere dicantur? vel 1007
certè ſi id belluæ deneges, cur id non homini deneges, dum perturbatione ac ſine cōſilio agit, non video.

Reſpondetur. Sed quoniam hæc pertinent ad librum 3. Ethicorum, clauſula hæc ſit. Inter pueri (puerum hìc appello qui nondum vllum habeat rationis vſum) ſeu belluæ cognitionem & hominis eligentis atque meditatione animi aliquid aggredientis notitiam, videri mediam quandam cognitionis ac proinde actionis rationem ac viam reperiri, quæ irati hominis ſit aut perturbati, etſi enim conſilio non agit & electione, non tamen naturali tantùm inſtinctu & cognitione agit quemadmodum bellua & puer, ſed maiore quadam cognitione & ſcientia, quæ mentis eſt & intelligentiæ ex quo fit vt licet repentè agat homo ac ſubitò, rationis imperio poſſit ab iniuria temperare; id quod multi faciunt: & ideo pœna digni ſunt ij etiam qui iræ æſtu verbi gratia & ſine conſilio lædunt: tametſi minùs peccent ac maiori excuſatione digni ſint: & ideo ab Ariſtotele non tam iniuſti (iniuſtos enim vocat qui ex electione faciunt) quàm iniuſtè agere dicuntur. Ita fit vt pueri & belluæ non dicantur iniuria aut etiam honore afficere: contra homo perturbatus & iniuria & honore afficere poſſit. ſiquidem rationis imperium actionem prohibere potuit, quod non accidit belluis, quæ licet non iniuriæ agant, agunt tamen naturaliter, & ratione prohibentur aut retardantur nulla. Sed de ijs quæ a nobis fiunt ſiue per vim ſiue per ignorationem, atque adeò de re hac tota videndus eſt Ariſtoteles lib. 3. Moralium cap. 1. & lib. 5. cap. 6.

PAR-

PARTICVLA CCXXI.

1008 Διὰ δὲ προαιροῦνται βλάπτειν, καὶ φαῦλα ποιεῖν παρὰ τὸν νόμον, κακία ἐστὶ καὶ ἀκρασία. ἐὰν γάρ τινες ἔχωσι μοχθηρίαν, ἢ μίαν ἢ πλείους, περὶ δὲ τοῦτο ὃ μοχθηροὶ τυγχάνουσιν ὄντες, καὶ ἄδικοί εἰσιν. οἷον ὁ μὲν ἀνελεύθερος περὶ χρήματα. ὁ δ' ἀκόλαστος περὶ τὰς τοῦ σώματος ἡδονάς. ὁ δὲ μαλακὸς περὶ τὰ ῥᾴθυμα. ὁ δὲ δειλὸς περὶ τοὺς κινδύνους. τοὺς γὰρ συγκινδυνεύοντας ἐγκαταλιμπάνουσι διὰ τὸν φόβον. ὁ δὲ φιλότιμος διὰ τιμήν. ὁ δ' ὀξύθυμος δι' ὀργήν. ὁ δὲ φιλόνικος διὰ νίκην. ὁ δὲ πικρὸς διὰ τιμωρίαν. ὁ δ' ἄφρων διὰ τὸ ἀπατᾶσθαι περὶ τὸ δίκαιον καὶ ἀγαθόν. ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστος, περὶ ἕκαστον τῶν ὑποκειμένων. ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων δῆλον, τὰ μὲν, ἐκ τῶν περὶ τὰς ἀρετὰς εἰρημένων. τὰ δ' ἐκ τῶν περὶ τὰ πάθη ῥηθησομένων.

Riccobonus. CAuſa autem cur præeligant nocere & mala committere contra legem, vitium eſt, atque incontinentia. Si qui enim improbitate laborent, aut vna, aut pluribus, in eo in quo improbi ſunt, etiam iniurioſi ſunt, vt illiberalis in pecunijs, intemperans in corporis voluptatibus: mollis in deſidia: timidus in periculis. eos enim, qui ſimul periclitantur, deſerunt propter metum: ambitioſus propter honorem: iracundus propter iram: ſtudioſus victoriæ propter victoriã; amarus propter vltionem; imprudens quia decipitur in iuſto & bono; ſimiliter verò etiam ex alijs vnuſquiſque in vnaquaque ex ſubiectis rebus. Verùm hæc manifeſta ſunt, & erunt partim ex ijs quæ de virtutibus dicta ſunt, partim ex ijs quæ de affectibus explicabuntur.

Maioragius. *QVæ verò impellunt homines vt contra leges aliquem offendere velint & iniuſta facere non dubitent, duo ſunt vitioſitas, & incontinentia; nam qui vel vno vitio, vel pluribus tenentur, in eo ipſo, quo vitioſi ſunt etiam iniurioſi eſſe ſolent; vt auarus & illiberalis in pecunia quærenda, intemperans in explendis cor-*
1009 *poris voluptatibus, mollis autem & ignauus in ocio amplexando, timidus in periculis euitandis: nam eos, qui cum ipſo periclitantur, propter timorem deſerit: ambitioſus propter honorem iniurius eſt, iracundus propter iram, contentioſus propter victoriam, amarus aſperque natura propter vltionem, inſipiens eo quod de æquo & iniquo peruersè iudicat, impudens eò quòd famam & exiſtimationem ſuam negligit. Atque eodem modo ſinguli alij in rebus ijs ſunt iniurij, quas auidè cupiunt. Reliqua enim quæ multa ſunt. partim ex ijs perſpicua ſunt quæ iam de virtutibus diximus, partim autem intelligentur ex ijs, quæ de perturbationibus poſtea dicemus.*

CVm docuerit quid ſit ſponte facere & contra leges, ac proinde quid ſit iniuria, nunc primum explicat ex tribus illis quæ propoſuerat (primum verò illud erat quibus de cauſis homines aliquem læderent) vel certè antequam primum iſtud explicet, quærit ac docet quæ ſint cauſæ propter quas homines in animum inducant vt noceant & contra legem faciant. nam cur homines iniuriam inferant, quod primo loco propoſitum fuerat, id reuera explicare ac proſequi videtur paulò poſt dum ſcribit, *Appendicula de ijs qui ſponte lædũt, quos aut vitioſitate adducti aut incontinentia.*

CONTROVERSIA LXIII. NVM iure hic requiratur cur homines violent leges, Oppugnatur.

Reſtat vt explicemus qua de cauſa homines iniuriam inferant, Itaque non ab re quæratur, & in Controuerſiam reuocetur hoc in loco cur hanc interponat dubitationem, ac ſummatim. Cur inueſtigandum proponat, quibus de cauſis eligant homines violare leges. Cum enim tu Ariſtoteles propter iuſtum & iniuſtum, quæ duo ſunt partes generis Iudicialis, & de cauſis iniuriæ, & de affectionibus eorum qui ſiue iniuriam inferunt ſiue iniuria afficiuntur, ac proinde de iniuria potiùs, vnde & de iis quæ ſponte fiunt, aut contra legem & de legibus, verba feceris, quid eſt quod non aliquando ad inſtitutum redeas, ſed nouis ſemper conquiſitionibus ab inſtituto recedas longiùs? Sanè hoc pacto ſi filum filo nectere iubeat, ad caput redibis nunquam. Denique 1010
dum in Phyſiologia Naturæ gratia de motu, ob motum de tempore, ob tempus de loco, ob locum de vacuo diſſeris, videri quidem poſſis ocio abundaſſe; ſed in præſens dum longè plura eodem ferè modo nectis adnectiſque tam longo ordine, otio abuti videris ac litteris: præſertim verò quia in Rhetorum ſcholis minùs oneranda videantur ingenia, nec tanta ab Lectore in methodo dignoſcenda ac rerum filo cuſtodiendo induſtria ac labor ſit requirendus. Sed fortaſſe dicat quiſpiam; illud adduxit Ariſtotelem vt hæc etiam proſequeretur, nimirum quia cum dixiſſet eum qui ſponte lædat ac ſummatim aliquid ſponte faciat, ſcienter facere, cum nemo quod ignorat, agat; ſciſcitari potuiſſet quiſpiam, cur tandem fiat vt aliqui leges violent, quæ publicum priuatúmque bonum continent, & vnde ſexcenta commoda ad mortales deriuantur: alter etiam percunctari potuiſſet, cur tandem iſti (id quod eſt admirabilius, ſed tamen deterius) leges, hoc eſt, id quod bonū ac frugiferū eſt vndique, nō modò ſciētes, ſed cōſilio adhibito eligant violare. At hæc nec Rhetoris eſt explicate, nec niſi quæſtionibus nectendis & congerendis ſeruit. Niſi igitur oſtenderis Ariſtotelē dum huius rei affert cauſas, ſenſim aditum ſibi aperire, vnde tria illa quæ iamdiu antea propoſuit, explanet (hac enim de cauſa digredi ſiue rem altiùs repetere cœperat) non videtur conquiſitio iſta niſi ab inſtituto aliena. Quî autem talem aditum ſibi inde aperiat, non ſatis video. imò verò cum paulò poſt tripartitam illam rerum varietatem explicandam proponat rurſus verbis illis, *Reſtat vt explicemus cuius rei gratia homines iniuriam inferant, & quomodo affecti, & quibus nocere ſtudeant*, continentérque pergat, *Primum igitur diſtinguamus, quænam appetentes & qua fugientes, iniuria quempiam afficere moliamur: perſpicuum eſt* par.222
enim accuſatorem oportere diligenter aduertere, quot eorum & quanta ſint in reo, quæ cupientes 1011
homines iniuriam inferant, defenſorem autem, quot, & quanta non inſint; quibus verbis rem

Reſpondetur.

videtur a fundamentis ordiri, nec ex dictis hæc explicare, profectò tota illa digreſſio de cauſis cur homines violēt leges, videri poſſet πάρεργον & ab inſtituto aliena. Sed vt vt ſit, & docta eſt hæc appendicula, quæque eorū qui ſponte lædunt, inclinationes declaret ac varietatem, & verò non incommodè ad Iudicialis generis vtilitatem traduci poteſt. Quid enim prohibet vt accuſator & defenſor hinc etiam perdiſcant, quales ij ſint qui leges violant & iniuriam inferunt? nam licet rem hanc reuera paulò poſt ab initijs ipſis explanandam aggrediatur Ariſtoteles, quæ tamen interim interponuntur de vitioſitate & incontinentia ad eos qui accuſantur aut defenduntur intimè dignoſcendos ac deſcribendos plurimum valent. Denique ſi quis miretur quæ tanta poſſit hominum eſſe vel improbitas vel dementia, vt electione etiam & conſultò audeant inferre iniuriam, cum contra Principum voluntatem ac legis præſcriptum non ſine magno ſuo malo agant ac ſibi videantur de induſtria perniciem ſtruere, cauſas affert Ariſtoteles, ac docet eas planè eſſe cauſas propter quas eligant homines violare leges;

Explicatur iam locus totus.

nimirum κακίαν καὶ ἀκρασίαν, vitioſitatem & incontinentiam. per vitioſitatem verò intelligit deprauationem quandam naturæ ex longo peccandi habitu contractam. & ideo libro 6. Moralium capite 12. monebat vitioſitatem deprauare ac peruertere iudicium rationis; & M. Tullius κακίαν quam vitioſitatem appellari iubet, ait virtuti vniuerſim eſſe contrariam. denique quod eſt intemperantia circa corporis voluptates, id vitioſitas cēſeri pōt in quocūque vitio quod habitu contractū & confirmatū ſit. & idcirco dicitur inſanabilis, & cū pthiſi ac tabe cōferri ſolet. Incōtinētia verò eſt vehemēs quædam animi perturbatio, quæ etſi minùs deliberata eſſe ſolet, deliberata tamen eſt & electione non caret; itaque differt a vitioſitate perinde ac diſpoſitio ab habitu: ac 1012
propterea non dicitur inſanabilis, ſiquidem continentia coërceri poteſt ac veluti ad

ſanitatem

ſanitatem reduci & hac de cauſa cum comitiali morbo conferri ſolet, a quo ſic corripiuntur homines; vt paulò poſt releuentur, ſæpè etiam ab omni morbo ac labe perpurgentur. Igitur his duobus affectibus ſiue vitijs, ſiue quocunque nomine gaudeant (μοχθηρίας ſeu improbitates appellat ipſe) cauſam acceptam refert, vnde homines violent leges. & ideo pergens id in auaro, molli ac deſide, ambitioſo &, vno verbo, in improbis omnibus exemplo docet: quod ſcilicet ij leges violent & proinde iniurias inferant propter vitioſitatem aut incontinentiam. quæ omnia perſpicua & eſſe & fore ait ex ijs quæ tum de virtutibus (addo ego & vitijs, nam hæc maximè ſpectanda ſunt) ſupra copioſè ſunt diſputata, tum de affectibus dicenda erunt. His Ariſtoteles docet cur homines violent leges. Nunc, vt in huius explicatu loci pergamus, duo ſunt rurſus *Dubitatur adhuc.*
quæ dubitentur, primum eſt videri Ariſtotelem præpoſteram afferre cauſam. nam violant quidem homines legem vel propter auaritiam & alia huiuſmodi vitia, vel propter iram atque alias huiuſmodi perturbationes; itaque iratus contra legem ſæpè alteri iniuriam infert: auarus vndique per fas & nefas corradit pecunias & quæſtum facit. quod verò huiuſmodi vitia habitu & diſpoſitione contraxerint, non tam eſt cauſa cur violent leges quàm cur ex habitu aut ex diſpoſitione ſeu magis ac minùs id faciant. nam non idcirco auaritiæ vitioſitatem aut improbitatem quis contrahit, quòd leges violet aut iniuriam inferat, ſed potiùs quia auarè agit, vitioſitatem illam aut improbitatem contrahit. denique (vt me ſemel explicem) priùs auaritiæ actus quoſdam exercet ac proinde iniurius eſt & leges violat, quàm contrahat vitioſitatem aut im-
1014 probitatem. Quapropter ſi quæreretur cur aliqui ſint auari & iniuſti, fortaſſe non temerè ad improbitatem aut vitioſitatem confugeret Ariſtoteles (ſiquidem ſentit eum tantùm appellandum eſſe iniuſtum qui ex habitu operatur, alterum qui nondum contraxit habitum iniuſtè quidem agere, non tamen iniuſtum adhuc vocandum) ſed cum hîc quærat cauſas propter quas aliquis violat leges ac iniuriam infert, non propter quas ex habitu infert ac violat, perperam videtur ad vitioſitatem aut habitum confugere & deprauationem, & ideo exempla etiam non videntur rem explicare ſatis: nam ad auarum, & vno verbo ad iniuſtum, confugit qui apud eum is eſt qui contraxit habitum; cum tamen facilè contingat vt quis ſit iniurius alicui ac legem violet ſine habitu, & fragilitate quadam quæ iſtis etiam poteſt obrepere. Quanquam quo- *Reſpondetur.*
niam hæc ſubtilioris ſunt conquiſitionis, ſat ſit monuiſſe populariter loqui Ariſtotelem, nec in præſens iniuſtum appellare eum tantùm qui ex habitu operetur, ſed qui iniuſta faciat quocunque modo, ſiue per incontinentiam, vt is qui nondum contraxit habitum, ſiue per vitioſitatem, vt qui habitum contraxit & deprauationem, itaut per vitioſitatem & incontinentiam generatim comprehenderit ac deſignarit vitia & perturbationes omnes, quaſi diceret vitium & perturbationem eſſe iniuriarum ac legum violandarum cauſas & fontes. Alterum quod dubitatur illud eſt, nam videtur *Dubitatur rurſus.*
interim non modò declarare ac docere cur homines violent leges, verùm etiam cur ſint iniurij, quod ex tribus illis erat primum: ait enim, *cauſa verò cur homines eligant nocere & mala committere præter legem, eſt vitioſitas & incontinentia*: id quod exemplis etiam illuſtrat eorum, qui iniuriam inferunt ac nocent: quid eſt igitur quod paulò poſt hoc ipſum proponat explicandum, quaſi verò id nullo modo explicatum fuiſſet? pergit
1015 enim, *Reſtat vt explicemus cuius rei gratia homines iniuriam inferant & quomodo affecti & quibus nocere ſtudeant*. & hac de cauſa ipſe ad huius particulæ ſeu *Dubitatio tamen in ſequentē particulā reijcitur.*
commentarij initium notare cœperam, cum non ſatis intelligere liceret, num primum illud ex tribus illis aggrederetur explicandum. Sed hanc rem ſatiùs eſt in proxima particula expendere.

PARTICVLA CCXXII.

Λοιπὸν δ' εἰπεῖν, τίνος ἕνεκα καὶ πῶς ἔχουσιν ἀδικοῦντες, καὶ τίνας. πρῶτον μὲν οὖν διελώμεθα, τίνων ὀρεγόμεθα, καὶ ποῖα φεύγοντες, ἐγχειροῦμεν ἀδικεῖν. δῆλον γὰρ, ὡς τῷ μὲν κατηγοροῦντι, πόσα καὶ ποῖα τούτων ὑπάρχει τῷ ἀντιδίκῳ σκεπτέον, ὧν ἐφιέμενοι πάντες τοὺς πλησίον ἀδικοῦσι. τῷ δὲ ἀπολογουμένῳ, ποῖα καὶ πόσα τούτων οὐχ ὑπάρχει.

Riccobonus.

REſtat dicere, cuius rei cauſa, & quomodo ſe habentes iniuria afficiant, & quos. Ac primùm quidem explicemus, quænam expetamus, & qualia fugiamus, dum conamur iniuria afficere. Manifeſtum enim eſt, accuſatori quidem quot & qualia ex ijs inſint aduerſario, conſiderandum eſſe, quæ expetentes omnes iniuria proximos afficiunt; defenſori verò, qualia, & quot ex his non inſint.

Maioragius.

REſtat ut explicemus, cuius rei gratia ſoleãt homines iniuriam inferre, & quomodo affecti, & quibus nocere ſtudeant. Primùm igitur diſtinguamus quænam appetentes & quæ fugientes iniuria quempiam afficere moliamur, perſpicuum eſt enim accuſatorem oportere diligenter aduertere, quot eorum & quanta ſint in reo, quæ cupientes homines iniuriam inferant; defenſorem autem, quot, & quanta non inſint.

Cur iniuriã faciãt homines; quod primò propoſuerat ab initio.

Hoc tamen anteuertit, quærens quid appetentes aut fugientes, iniuriã inferamus.

Duæ generatim afferuntur cauſa.

DOcuit quid ſit ἀδικεῖν ſeu iniuriam facere, nunc docendum proponit tum cuius rei cauſa ſoleant homines iniuriam facere tum quomodo ſe habeant ſeu qui affecti ſint qui iniuriam faciunt: tum quibus iniuriam facere ſoleant: nam hæc tria fermè propoſuerat paulò ante in Particula CCXVII. & horum gratia declarauit priùs quid ſit iniuriã facere. itaque ad inſtitutum rediens, hæc tria ſuſcipit explicanda. Tametſi hoc ipſum anteuertit rurſus noua conquiſitione, qua rem paulò altiùs ſeu a longiore initio, non inopportunè tamen, orditur. ait igitur priùs adhuc declarandum quidnam appetere aut fugere ſoleamus dum aliquem conamur iniuria afficere. quã rem ſic explicat, vt vnum ſumat, alterum doceat: ſumit eos qui lædere ſeu iniuria afficere moliuntur aliquem, id facere quod aliquid interim appetant vel fugiant: & hæc tum accuſatori tum defenſori diligenter circumſpicienda eſſe vt ille ante accuſationem obſeruauerit ac didicerit quot & quanta ſint quæ lædentes cupiunt aut fugiunt: hic contra quot & quanta non inſint lædentibus. Et ſanè cum non temerè aut caſu iniuriam inferre ſoleant homines, ſed quia aliquid vel appetant vel vitare cupiant, iurè ſumit Ariſtoteles hinc iniuriæ patêre aditum, ac propterea hæc tum accuſatori tum defenſori exploranda vt veriſimili ratione & appoſitè aut accuſare aut defendere valeant. Sic Author ad Herennium in Iudiciali genere accuſatori ſpectandum monet. *Qua vel commodorum ſpe, vel incommodorum euitatione, ad maleficium induci quis potuerit, & num quod commodum maleficio acquiſierit, num honorem, num pecuniam, num dominationem, num aliquam cupiditatem amoris, aut huiuſmodi libidinis voluerit explere. Aut num quod incommodum vitarit, inimicitias, infamiam, dolorem, ſupplicium. Hic accuſator in ſpe commodi cupiditatem oſtendet aduerſarij, in uitatione incommodi formidinem augebit.* Interim ne dubitationem quam paulò ante huc reieci, ſubterfugere videar; quæ tamen grauis eſt & in qua optaſſem vt Interpretes, quoniam in promptu eſt, iudicium interpoſuiſſent ſuũ; ſic ſtatuo: quæ ex vitioſitate & incontinentia ducta eſt ratio ad docendum cur homines iniuriã faciant, ad eos qui conſultò & præmeditatione animi eam faciunt & quorum cauſa tantùm inſtituitur, pertinere: ad eos qui agunt repentè, vix pertinere quicquam. Huc accedit quod quam offert cauſam exponit ſeu attingit tantùm, cum ex medijs ſpatijs moralis Philoſophiæ hauſta ſit vbi res tota enucleatè declaratur: itaut eiuſmodi cauſa non planè ſatisfaciat, ac propterea locum potiùs aperiat & campum

1013

p.8. ver. 28. in f. Lamb.

per-

perfectè atque omnibus numeris abſolutæ huius rei conquiſitioni & explicationi: quod oppidò ſubijcit, ab humanarum actionum cauſis ducto initio a quo ſenſim ad iniurioſas deſcendit actiones. Cur igitur non æquo animo feramus vt nos altiùs ducto initio, ab humanis actionibus in vniuerſum, ſenſim nos inſtruat & ad Iudiciales actiones iniuriáſque traducat inſtructiores?

PARTICVLA CCXXIII.

1016 ΠΆντες δ᾽ ἐ πράττουσι πάντα, τὰ μὲν, ἐ δι᾽ αὐτὺς, τὰ δὲ, δι᾽ αὐτὺς. τῶν μὲν ἐν μὴ δι᾽ αὐτὺς, τὰ μὲν διὰ τύχην πράττουσι, τὰ δ᾽ ἐξ ἀνάγκης. τῶν δ᾽ ἐξ ἀνάγκης, τὰ μὲν, βίᾳ, τὰ δὲ φύσει. ὥστε πάντα ὅσα μὴ δι᾽ αὐτὺς πράττουσι, τὰ μὲν, ἀπὸ τύχης τὰ δὲ, φύσει, τὰ δὲ, βίᾳ. ὅσα δὲ δι᾽ αὐτὺς, ὧν αὐτοὶ αἴτιοι. τὰ μὲν, δι᾽ ἔθος, τὰ δὲ δι᾽ ὄρεξιν. καὶ τὰ μὲν, διὰ λογιστικὴν ὄρεξιν, τὰ δὲ, δι᾽ ἀλόγιστον. ἔστι δὲ ἡ βύλησις, μετὰ λόγυ ὄρεξις ἀγαθῦ. ὐδεὶς γὰρ βύλεται, ἀλλ᾽ ἢ ὅταν οἰηθεῖ εἶναι ἀγαθόν. ἄλογοι δ᾽ ὀρέξεις, ὀργὴ καὶ ἐπιθυμία. ὥστ᾽ ἀνάγκη πάντα ὅσα πράττουσι, δι᾽ αἰτίας ἑπτὰ, διὰ τύχην, διὰ βίαν, διὰ φύσιν, δι᾽ ἔθος, διὰ λογισμὸν, διὰ θυμὸν, δι᾽ ἐπιθυμίαν.

Riccobonus. IAm omnes agunt omnia, partim quidem non per ſe: partim verò per ſe. Ac non per ſe quidem, partim per fortunam agunt: partim ex neceſſitate. Et ex neceſſitate partim vi: partim natura. Quare omnia quæcunque non per ſe agunt aut ſunt à fortuna: aut naturæ: aut vi. Quæcunque verò per ſe, quorum ipſi ſunt cauſæ, alia ſunt per conſuetudinem: alia per appetitionem, & ex his alia per participem rationis appetitionem, alia per expertem rationis. Eſt autem voluntas cum ratione appetitio boni, nemo enim vult, niſi quod exiſtimauerit eſſe bonum. Expertes verò rationis appetitiones ſunt ira, & cupiditas. Quare neceſſe eſt, omnia quæcunque agunt, propter ſeptem cauſas eſſe, fortunam, vim, naturam, conſuetudinem, rationem boni, iracundiam, cupiditatem.

Maioragius. *OMnes autem omnia faciunt partim non per ſe ipſos, partim verò per ſe ipſos: & quæ non per ſe ipſos faciunt, partim fortuitò, partim neceſſariè faciunt; & eorum quæ neceſſariè, partem ab extrema vi, partim ab inſita natura facere coguntur. quare omnia, quæ non per ſe homines agunt partim à fortuna proficiſcuntur, partim a natura, partim ab externa vi. Quæcunque verò per ſe faciunt, & quorum ipſi*
1017 *authores ſunt, ea vel propter conſuetudinem, vel propter appetitum faciunt: & appetitum quidem vel rationis compotem, vel expertem rationis. Eſt autem voluntas appetitus boni cum ratione: nemo enim aliud vult, quàm id, quod bonum eſſe iudicarit: appetitus verò rationis expertes duo ſunt, ira & cupiditas. Quamobrem omnia, quæ faciunt homines, neceſſe eſt, vt ſeptem cauſarum oriantur ab aliqua; hoc eſt, vel a fortuna, vel a vi, vel a natura, vel a conſuetudine, vel a ratione, vel ab ira, vel a cupiditate.*

ERgo altiùs (vt ſignificare cœperam) rem ordiens Ariſtoteles, ſeptem humanarum actionum enumerat cauſas. Cum enim homines vltrò aliqua faciant ac per ſe ipſos, itaut propriè earum rerum effectores ſeu authores cenſendi ſint, partim è contrario non vltrò ac per ſe, itáut non omnino propriè earum ſint rerum cenſendi Authores, Ariſtoteles docet primò quot modis contingat homines aliquid non per ſe efficere, tum quot modis per ſe efficiant. Non per ſe igitur ea ſunt quæ vel fortuitò faciunt vel naturæ neceſſitate vel vi externa impulſi, itaut non modò caſu aut fortuna, verùm etiam a natura abrepti aut externa vi coacti quodammodo videantur. Per ſe verò agunt qua- *Septem proferuntur humanarum actionum cauſæ, vt de iniuria & iniuriæ cauſis conſtet planius. Prius tamen oſtenditur quæ non per ſe, aut vltrò & per ſe, agant homines.*

quatuor de cauſis, nimirum vel conſuetudine vel ob appetitionem ſiue ex ratione & conſilio, ſiue ex ſolo appetitu proficiſcatur, quo fit vt non modò conſuetudine, verùm etiam voluntate, ira, cupiditate, agant & operentur. Ita quidem ſeptem ſunt cauſæ (quales quales ſint) vnde homines agunt, nimirum fortuna, natura, vis; conſuetudo, ratio, ira, cupiditas. Vbi animaduertendum eſt voluntatem referri ad ea quæ cum ratione gerimus dum bonum appetimus: iram & cupiditatem ex appetitu deriuari qui per ſe expers eſt rationis. Quæ omnia etſi rectè æſtimanti perſpicua fermè aut ſaltem plauſibilia videri poſſint, atque illi præſertim qui in Morali Ariſtotelis diſciplina verſatus ſit, 1018
quique illa in primis obſeruauerit quæ ad 3: initium quinque integris capitibus de voluntario diſputat & inuoluntario; attamen paulò poſt diſcutientur & expendentur plenius: præſertim quod vbi hæc repetere cogar, ea ſubtiliùs licebit expendere & conſtituere.

Cauſæ iam proferuntur humanarum actionum.

PARTICVLA CCXXIV.

ΤΟ' δὲ προσδιαιρεῖσθαι καθ' ἡλικίας ἢ ἕξεις, ἢ ἀλλ' ἄττα τὰ πραττόμενα, περίεργον. εἰ γὰρ συμβέβηκε τοῖς νέοις ὀργίλοις εἶναι ἢ ἐπιθυμητικοῖς, οὐ διὰ τὴν νεότητα πράττουσι τὰ τοιαῦτα, ἀλλὰ δι' ὀργὴν καὶ ἐπιθυμίαν. οὐδὲ οἱ πλούσιοι καὶ πένητες διὰ πλοῦτον καὶ πενίαν, ἀλλὰ συμβέβηκε τοῖς μὲν πένησι, διὰ τὴν ἔνδειαν ἐπιθυμεῖν χρημάτων. τοῖς δὲ πλουσίοις διὰ τὴν ἐξουσίαν ἐπιθυμεῖν τῶν μὴ ἀναγκαίων ἡδονῶν ἀλλὰ πράττουσι καὶ οὗτοι, οὐ διὰ πλοῦτον καὶ πενίαν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐπιθυμίαν. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ δίκαιοι καὶ οἱ ἄδικοι, καὶ οἱ ἄλλοι λεγόμενοι κατὰ τὰς ἕξεις πράττειν διὰ ταῦτα πάντα πράξουσιν ἢ γὰρ διὰ λογισμὸν, ἢ διὰ πάθος ἀλλ' οἱ μὲν δι' ἤθη καὶ πάθη χρηστά. οἱ δὲ διὰ τἀναντία. συμβαίνει μέντοι ταῖς μὲν τοιαῖσδε ἕξεσι, τὰ τοιαῦτα ἀκολουθεῖν ταῖς δὲ τοιαῖσδε, τὰ τοιάδε. εὐθὺς γὰρ ἴσως, τῷ μὲν σώφρονι διὰ τὸ σῶφρον, δόξαι τε καὶ ἐπιθυμίαι χρησταὶ ἐπακολουθοῦσι περὶ τῶν ἡδονῶν. τῷ δ' ἀκολάστῳ αἱ ἐναντίαι περὶ τῶν αὐτῶν τούτων. διὸ τὰς μὲν τοιαύτας διαιρέσεις ἐατέον.

Riccob. bonus.

AT diuidere ex ętatibus, vel habitibus, vel alijs quibuſcunque, ea, quę aguntur, ſuperuacaneum eſt. Si enim contingit iuuenibus vt iracundi ſint, vel cupidi non propter ætatem agunt talia, ſed propter iram & cupiditatem. Neque 1019
diuites, & pauperes propter diuitias, & paupertatem, ſed contingit quidem pauperibus propter indigentiam cupere pecunias, diuitibus verò propter licentiam, 21
cupere non neceſſarias voluptates. Verùm agunt quoque iſti, non propter diuitias, & paupertatem; ſed propter cupiditatem. Similiter verò etiam iuſti, & iniuſti, & alij, qui dicuntur ex habitibus agere propter hæc omnia agunt; aut enim propter rationem boni, aut propter affectum, ſed partim propter mores, & affectus bonos, partim propter contrarias. Contingit tamen, vt his quidem habitibus talia ſint conſequentia: illis verò talia. ſtatim enim fortaſſe temperanti propter temperantiam, & opiniones, & cupiditates bonæ ſunt conſequentes de voluptatibus: at intemperanti contrariæ de his ipſis. Quamobrem huiuſmodi diuiſiones omittendæ ſunt.

Maioragius.

VElle autem quæ agunt homines, etiam ex qualibet ætate, aut habitu animi diſtinguere, ſuperuacaneum eſt. nam, ſi contingit in iuuentute, cito iraſci, aut cupiditatibus trahi, hæc non ætati ſunt attribuenda, ſed iræ, & cupiditati. Neque propter diuitias aut paupertatem quicquam agunt: ſed vſu venit pauperibus, ſuadente egeſtate, vt pecunias cupiant; diuitibus autem, ob facultatem vt cupiant minimè neceſſarias voluptates. Sed & hi, quæ agunt, non aut diuitijs, aut paupertate impel-

impellente ſed hortante cupiditate faciunt. Eodem modo iuſti & iniuſti & alij qui ex habitu animi quidpiam facere dicuntur, propter hac eadem faciunt: vel enim rationem, vel mores ſequuntur. ſed in hoc differunt, quòd aliqui bonis moribus & affectionibus ad agendum impelluntur; aliqui verò contrarijs. Itaque diuiſiones huiuſmodi prætermittendæ ſunt.

Cur non ætates aut ſtatus hominum, aut habitus pro humanarũ actionum cauſis ſint ſtatuendi.

1030 ERit facilè quiſpiam qui optet noſtrarum actionum cauſas ex hominum ætatibus, vel ex eorundem ſtatu & fortuna, vel denique ex habitu virtutis ac vitij ſeu morum, deriuari & æſtimari; cum ſatis conſtet actiones pro iuuenilis aut virilis aut ſenilis ætatis diſcrimine variari, idémque ex fortunæ ac ſtatus, aut etiam ex contracti habitus natura contingere. Sed tripartitæ iſtæ ætatis actiones ad aliquam ex ſeptem propoſitis cauſis reuocentur oportet; ita ut ſatius ſit has primò arripere. Etſi enim non eſt quod inficiemur ætate variari mores, actiones tamen, quales quales ſint, ex cupiditate, ira, voluntate, aliiſque propoſitis cauſis manare ſolent. Atque idem dicendum ijs qui actiones humanas ex fortunis ſeu ſtatu hominum petendas exiſtimarint, dum aliæ ſunt nobilium actiones, aliæ ignobilium, aliæ pauperum, aliæ diuitum, aliæ potentium, aliæ impotentium, aliæ fortunatorum, & infortunatorum aliæ. Nam hîc quoque ad cauſas illas tandem confugiendum eſt. Neque enim diuites aut pauperes propter diuitias & paupertatem (inquit Ariſtoteles) ſed propter cupiditatem agunt: etſi enim pauperes propter indigentiam cupiunt pecunias verbi gratia, diuites propter licentiam ſectantur voluptates, propriè tñ voluntate vel cupiditate ducuntur vtrique: quemadmodũ iuuenes, etſi iracundi ſint vel cupidi, non propter ætatem agunt, ſed ira ducti & cupiditate. Idémque de poſtremis dicendum, cuiuſmodi ſunt iuſti & iniuſti atque alij qui dicuntur ex habitibus agere. Etſi enim qui bonis habitibus præditi ſunt, bona cupere ſolent atque agere, iniuſti ac mali contra, vtrique tamen voluntate ac cupiditate, ratione illi, hi affectu, commouentur & adducuntur. Ex quo etiam fit vt propoſito iuſtitiæ vel iniuſtitiæ, temperantiæ vel intemperantiæ, habitu (idem dixerim de alijs habitibus virtutis ac vitij) quædam in nobis ſiue propter rationem aut rectam opinionem, ſiue propter affectum & cupiditatem, conſequantur. Ita ut ad ſeptem propoſitas cauſas omnino confugiendum ſit, quibus humanarum actionum varietatem acceptam referamus.

1031

PARTICVLA CCXXV.

Σκεπτέον δὲ, ποῖα ποίοις εἴωθεν ἕπεσθαι. εἰ μὲν γὰρ λευκὸς, ἢ μέλας, ἢ μικρὸς, οὐδὲν τέτακται τῶν τοιούτων ἀκόλουθον. εἰ δὲ νέος, ἢ πρεσβύτης, ἢ δίκαιος, ἢ ἄδικος, ἤδη διαφέρει. καὶ ὅλως ὅσα τῶν συμβαινόντων, ποιεῖ διαφέρειν τὰ ἤθη τῶν ἀνθρώπων οἷον πλουτεῖν δοκῶν ἢ πένεσθαι, διοίσει τι καὶ ἀτυχεῖν ἢ εὐτυχεῖν. ταῦτα μὲν οὖν ὕστερον ἐροῦμεν. νῦν δὲ περὶ τῶν λοιπῶν εἴπωμεν πρῶτον.

Riccobonus. COnſiderandum verò eſt, quæ res, quos ſoleant conſequentes habere. Nam ſi albus ſit, aut niger, aut magnus, aut paruus, nihil ſtatutum eſt talium eſſe conſequens. Si verò iuuenis, aut ſenex ſit, aut iuſtus, aut iniuſtus, iam differt. & omnino quæcunque ex contingentibus efficiunt, vt differant mores hominum, quemadmodum diuéſne eſſe exiſtimetur an pauper, differt aliquid, & aduerſáne fortuna an proſpera vti. Atque hæc quidem poſteriùs dicemus. Nunc verò de reliquis dicamus primùm.

Maioragius. *ATque illud conſiderandum, quæ, quibus conſequentia ſint. Siue enim albus ſit, ſiue niger, ſiue magnus ſiue paruus; nihil eorum quæ dicta ſunt ideo conſequi ſolet. Sed ſi iuuenis ſit aut ſenex, aut iniuſtus; iam plurimi intereſt. Et omnino viden-*

da

da ſunt omnia, quæ cum accidunt hominum mores variant, atque commutant: ut ſi quis ſe diuitem eſſe exiſtimet aut pauperem permagni intereſt & ſi fortunatum aut infortunatum. Sed de his poſtea ſuô loco dicemus: nunc ea quæ reſtant, primò perſequamur.

Ex ætatibus, tamē, ſtatu, habitibus alia conſequi: de qua re poſtea.

ETſi propoſitæ cauſæ ſunt humanarum actionum germanæ cauſæ, reſtat
tamen, inquit Ariſtoteles; vt ea quoque conſideremus, quæ ætates, ſta-
tus, habitus, conſequi ſolent. neque enim huc pertinet quod quis aut al-
bus aut niger aut magnus aut paruus ſit, cum nihil illinc nobis continge 1022
re ſtatuatur, vnde hoc vel illud vno vel altero modo agamus; ſed ex ætate,
ſtatu, habitu cōſequi compertum ſit. Nam dum aliquis eſt iuuenis aut ſenex, aut pro-
ſpera vel aduerſa fortuna vtitur, aut iuſtus eſt vel iniuſtus, mores quoque differant &
appetitiones ac denique actiones neceſſe eſt. Et idcirco de ijs etiam, quæ ætates, fortu-
nas, habitus, conſequuntur, dicemus poſtea. Nunc tamen de ſeptem propoſitis cauſis
dicendum. Sic Ariſtoteles. Quanquam priuſquam ad huiuſmodi cauſas deueniamus,
perplacet duo obſeruare: primum eſt corporis colorem tum album, tum nigrum, eſſe
propenſionem ſi non cauſam, inditium certè ac ſignum: cum hæc oriantur ex tempe-
ramento quod cupiditatibus miniſtrat fomitem: præſertim verò, quia, quemadmo-
dum diſputat Galenus, animi mores ſequuntur corporis temperamentum: & idcirco
alia eſt Aethyopum qui ſole æſtuant, propenſio, alia Borealium qui frigido vtuntur
cœlo & albicant colore. Et hinc eſt vt Plato atque hunc ſecutus Ariſtoteles ſtatuant
Atticos atque eos qui mediam regionem ac proinde moderatum colorem nacti ſint,
propter optimum temperamentum magis idoneos eſſe ad virtutes. Et hoc etiam Poë-
tæ atque alij apud Græcos dictitant, dum Palladem, quippe ſapientiæ præſidem Atti-
cam terram delegiſſe canunt ex qua viri fortes ac ſapientes orirentur. Quapropter mi-
retur fortaſſe quiſpiam cur Ariſtoteles inter propoſitas humanarum actionum cau-
ſas non ſiue loci ſiue incolarum ipſorum retulerit temperamentum. Sed de hac re pau-
lò poſt. Tametſi interim ea verba. *Nam ſi aliquis albus ſit aut niger magnus aut paruus, nihil
ſtatutum eſt talium eſſe conſequens*, videntur ab Ariſtotele cautionis gratia proferri, quia
ſcilicet ſoleamus quidem paſſim actiones ad ætates, ſtatus, habitus, referre: ſed tamen
non deſint qui colorem etiam & corporis formam, ſi non ſtatuant, ſuſpicentur tamen
habere ad actiones aliquid momenti. Alterum eſt ætatem, fortunam, habitum, reuera 1023
tanti momenti eſſe, vt qui, non dicam ſubtiliter philoſophentur, ſed æqui boníque rem
æſtiment, non ſint reprehendendi, dum ætati, fortunæ, moribus atque habitibus acce-
ptas referunt hominum actiones. Etſi reuera hinc fit vt bonæ vel malæ ſint potiùs
quàm vt ſimpliciter ſiue vniuerſim oriantur vel efficiantur. Id enim vniuerſim planè
ſeptem ijs de quibus iam iam agemus, cauſis tribuendum, reſponderet Ariſtoteles.
Quanquam de re hac tota, quoniam grauis eſt & cum inſtituto coniunctiſſima (rectè
enim dirigenda eſt Oratoris induſtria) lubet accuratiùs paulò agere & copioſiùs. Age-
dum igitur requiramus NVM rectè fecerit Ariſtoteles qui humanarum actionum
varietatem non ad hominum ætates aut ſtatus aut habitus tanquam ad cauſas reuoca
rit: ſed potiùs ad fortunam, naturam, & cætera quæ commemorauimus initia. Ac pri-
mùm, cum πράξεων quærat initia & cauſas, quæ videntur electionem requirere, quin
conſultationem, temerè ad naturam & conſuetudinem, reuocentur; perperam item
ad iram & cupiditatem, ſed & perperam omnino ac temerè ad vim aut fortunam quæ
cum electione pugnant è veſtigio. Ita quidem rationem iurè ille quidem, ſex cætera
immeritò in cauſarum loco protuliſſet. Et ſanè concedendum eſt vt in Oratorijs ſpa-
cijs populariter rem æſtimet & more maiorum, ſed vt vulgaris plebeculæ opinionum
aut Poëtarum fabulis hæreat, fortunam humanarum actionum cauſam proferens, ac
primo loco proferens, ferendum nō eſt. Ad hæc certum eſt eos qui humanarum actio
num cauſas reuocant ad ætates, vt ad iuuentutem & ſenectutem, illarum ætatum vel
calorem atque æſtum, vel teporem aut tarditatem deſignare; ex quo fit vt iuuenes
iracundi, cupidi, & appetentes & feruidi; contra verò ſenes tardi, dubij & cunctatores
ſint: viri mediam ſequantur rationem. Quis igitur haſce cauſas in Oratorio puluere
ſpernat, aut non libentiùs humanis aſcribat actionibus, quàm fortunæ, violentiæ & id
genus

CONTROVERSIA LX. NVM humanarum actionum cauſas rectè ſtatuerit Ariſtoteles. Oppugnatur.

I.
II.
III.

genus alijs? Idem dixerim de hominum fortuna & ſtatu qui noſtratum actionum ve- IV.
1024 luti norma eſſe ſolet. Fortunatus enim inſolens; calamitoſus, amaro animo; nobilis, am
bitioſus, pauper, cupidus eſſe ſolet. Id quod adhuc de habitibus ſentias: qui enim tem-
perantiam verbi gratia aut intemperantiam induerit, hic actiones ſtatim aut tempe- V.
rantes aut intemperantes edere ſolet. Denique hæc omnia accuſationis & defenſionis VI.
gratia requiruntur, & ideo accuſanti commodiùs cadat vt quæ improbè facta accuſet
ad intemperantiam aut iniuſtitiam malóſque mores & habitus reuocet, quàm philo-
ſophicas illas cauſas in medium afferat. Eodémque modo defenſori ætas, ſtatus, habi-
tus, defenſioni faciliorem ſuppeditent locum. Sic M. Tullius dùm Catilinam accuſa- VII.
ret ad ſtatum & habitus confugit, eius paupertatem, corruptos mores ac vitia com-
memorans, & dominandi æſtum: non fortunam, vim, naturam & cætera huiuſmodi
cauſas incuſauit. Sic è contrio cum Cœlium perditiſſimum adoleſcentem defenderet,
ætatem excuſauit & iuuenilem feruorem & adoleſcentiæ mores. Quibus omnibus &
Catilinam in exilium perpulit, & Cœlium in patria conſeruauit. Adde quod vbi cau- VIII.
ſæ iſtæ ex ijs quæ per ſe quiſque agit aut non agit, petendæ erant, inſcientiæ quoque ha-
Lib. 3. mor. ad in. benda erat ratio vnde multa, Ariſtotele ipſo teſte, agunt homines. Fatendum quoque
erat multa a nobis, ſed inuitis, fieri, aliqua etiam mixta videri poſſe, quòd partim ſpon- IX.
te & ex voluntate manent, partim præter voluntatem. Quid quod minùs aptè loqui- X.
tur, nec ſi i. ταυτολογία quadam, dum iraſci vel cupidum eſſe reuocat ad iram & cupi-
ditatem? Cum tamen contra aptè ac ſcitè affirmare potuiſſet iracundos propter æta-
tem & calorem eſſe iracundos. Sic diuites & pauperes propter cupiditatem agere cer-
tum eſt, ſed idem fermè eſt. Idémque dixerim de iuſtis & iniuſtis, quos rectiùs agere
dicas per habitum Iuſtitiæ & Iniuſtitiæ quàm per cupiditatem. Itaque iuueni propter
1025 calorem iure tribuas iracundiam: ebrio & voraci propter intemperantem habitum vi-
nolentiam & edacitatem: ſic fœlici inſolentiam propter proſperam auram & fœlicita-
tem. Ita quidem Virgilius Turni actiones ad iuuenilem ætatem, ad amorem, ad nobili-
tatem & potentiam reuocauit. Quin videndum erat Ariſtoteli ne cupiditatem aut ira-
cundiam; cum ſit ipſa actio potiùs quàm cauſa, in paupere aut iuuene cauſas faceret a- XI.
ctionum, proinde egeſtas & calor iuſtiùs pro germana cauſa ſtatuantur: & idcirco tol
le egeſtatem, tolle caloris æſtum, & actio ſeu cupiditas ceſſabit omnis. Vt omittam in- XII.
terim Ariſtotelem in aliquibus cum ijs pugnare quæ ſcripſit in 3. Moralium vbi & mix
tas actiones concedit, & omnia ad voluntarium & inuoluntarium, aut ſaltem ad cau-
ſam ex ijs permixtam, reuocat, talem ac tantam cauſarum varietatem magna ex parte
diſſimulans. Sed quæſo totam hanc rem ad eum locum reijciamus in quo diligenter
expendit Ariſtoteles ætatum, fortunarum, habituum, vim ac mores aut propenſio- *Reſpondetur.*
nes: ibi enim rem integram inſpicere licebit ac diſceptare. Tametſi ne vos omnino ie-
iunos relinquam, interim dum humanarum actionum cauſas requirit Ariſtoteles, ac
ſeptem has profert ac ſtatuit, ſic ſentio. Si praxes & actiones non propriè omnino ſu-
mamus, quatenus ſcilicet ex electione pendent, ſed quatenus factum aliquod indicant
de quo dubitetur aut dubitari poſſit num ex electione manauerit, non timerè fortu-
nam, vim, naturam, proferri: multo minùs cauſas cæteras. Etſi enim fortunam inter
cauſas ſerio non excipimus, populariter tamen quoquomodo (id declarauimus paulò
ante) inter has numerari poteſt. ita fit vt cum factum in ambiguitate verſetur, hinc quis
ad fortunam, vim, naturam, alter ad conſuetudinem, rationem, iram, cupiditatem con
fugere poſſit, atque hanc vel illam prout accuſatio vel defenſio poſtulat, proferre. Ex
1026 quo etiam fit vt qui conſuetudinem proferat, is tacitè ferè habitum & ætatem profe-
rat: nam quemadmodum conſuetudo bona, ita habitus bonus bonam actionem gi-
gnit: contra verò improba conſuetudo, perinde atque improbus habitus improbam:
ſic iram aut cupiditatem ad ætatem aut ſtatum aut fortunam commodè referas a qui-
bus excitantur & oriuntur. Sed (vt dixi) de hac re opportuniore loco planiùs. Nunc ad
Ariſtotelis diſputationem redeuntes, de ſingulis cauſis ab eo propoſitis agamus, ac pri
mò de ijs quæ fortunæ accepta referri ſolent: de quibus ſic pergit noſter Author.

PARTICVLA CCXVI.

Ἔστι δ' ἀπὸ τύχης μὲν τὰ τοιαῦτα γιγνόμενα, ὅσων ἥ τε αἰτία ἀόριστος, καὶ μὴ ἕνεκά του γίνεται. καὶ μή τε ἀεὶ μήθ' ὡς ἐπιτοπολὺ, μή τε τεταγμένως. δῆλον δ' ἐκ τοῦ ὁρισμοῦ τῆς τύχης περὶ τούτων.

Fiunt à fortuna talia, quorum cauſa indefinita, & quæ non gratia huius fiunt, & non ſemper, nec plerunque, nec ordinatè. Hæc autem manifeſta ſunt ex definitione fortunæ.

Riccobonus.

A Fortuna igitur dicuntur ea prouenire, quorum cauſa incerta atque indifinita eſt; nec certum ſibi finem propoſitum habent; neque ſemper, neque plerunque, neque ordinatè fiunt: quæ quidem omnia ex ipſius fortunæ definitione perſpicua ſunt.

Maioragius.

De iis quæ dicuntur euenire à Fortuna: & de Fortuna.

Fortuna ab ijs introducta eſt & inter cauſas relata, qui effectus quoſdam cernentes, horum cauſas ignorarent. Nam alioquin quicquid fit, a certa & determinata cauſa fit, non a fortuna. Etſi per inſcitiam, dum cauſam ignoramus, fortunam pro cauſa ſtatnimus, eò etiam per temeritatem progredientes, vt dum diuitias, honores, regna modò vni modò alteri contingunt, nos propriam ignorantes cauſam, id fortunæ acceptum referamus. Ex quo etiam factum eſt vt multi eãm colerent, aras ac ſacrificia illi tribuentes; contra quos clamat Satyricus,

Nullum numen habes, ſi ſit prudentia: ſed nos
Te facimus fortuna Deam Cœlóque locamus.

Totum igitur hoc fortunæ commentum inſcitiæ, temeritatis, ſuperſtitionis deni- 1027
que, inuentum eſt. Fateor quidem effectus qui nobis agentibus contingunt præter ex-
pectationem ac propoſitum, fortuitos eo nomine dici poſſe, quatenus ſic præter pro-
poſitum & expectationem contingunt vt ſimul cauſas ignoremus, itaut, ne de nomi-
nibus certemus, fortuitus effectus dici poſſit, qui non ſine cauſæ ignoratione ac præter
finem & expectationem, contingat; alioquin fortuna res vana eſt. & Idcirco iure Ariſto
teles, vbi Philoſophum agit, fatetur ibi minimum fortunæ, vbi plurimum prudentiæ;
itaut hinc etiam conſtet fortunam per imprudẽtiam introductam eſſe. Tametſi quid
& quatenus hac in re Ariſtoteli aſſentiendum aut tribuendum, nos cùm ſupra docui-
mus vbi ille de fortunæ bonis ac bona fortuna ageret, tum in Timæi Commentarijs
copioſè diſputauimus, vbi de cauſis rerum non modò ex Platone verum etiam ex A-
riſtotele verba fecimus. Hîc igitur quoniam populariter agit, ſumit fortunam eſſe cau
ſam, ac docet quarum rerũm ſit cauſa: quod quinque conditionibus allatis explicat:
quæ tamen populariter etiam accipiendæ ſunt: alioquin rem vanam vanis conditioni-
bus explicat. Nec mirum iſtiuſmodi conditiones negantes eſſe omnes, nullam affir-

Fortunæ conditiones.

mantem. Sic enim in re vana neceſſe fuit. Sed haſce conditiones agnoſcamus. Prima
eſt a fortuna fieri illa quorum cauſa incerta eſt & indefinita: quod ait in ea ſpectans quę
I. certam ac definitam habent cauſam; vt dies, nox, ver, æſtas, & id genus alia; hæc enim
fortunæ accepta referri nullo modo poſſunt aut debent. Ob id igitur primo loco ſta-
tuit quæ a fortuna eſſe dicuntur nullam certam habere cauſam. Et hinc factum eſt vt
qui fortunam introduxerunt, vel certè inter ethnicos non peſſimè ſenſerunt, hanc cæ-
II. cam ſaltem ac temerariam eſſe dixerint. Altera conditio eſt fortunam eſſe cauſam ea-
rum rerum quæ præter finem ac propoſitum nobis contingunt: ſi enim amicitiam ex 1028
electione cum aliquo contrahamus, ídque virtutis aut alterius rei adipiſcendæ cauſa,
hoc electioni ac fini ac propterea rationi non fortunæ tribuendum eſt: quod ſi præter
III. electionem, ac nihil tale reputantes, contingat vt cum aliquo e re nata amicitiam con-
IV. trahamus, id fortunæ acceptum referri ſolet. Tertia eſt vt non ſemper tales contingant
effectus, ſed raro: id quod in ſecundo etiã de Naturali auditione docet copioſè. Quar-

ta ſit

ta ſit nec plerunque: & ideo rarò, vt dicebam, contingant. Et ſanè vt præter propoſitum & expectationem theſaurum inuenias; aut amicum, de quo ne cogitabas quidem, oſfendas in triuio, id nunquam aut perrarò accidit: Quemadmodum è contrario vt in Sole ambulans calefias aut coloreris, ſemper aut frequenter euenit: ita ut hinc natura, illinc fortuna, ſe ſe offerat. Poſtrema eſt ne ordinatè fiant: vbi enim ordo, ibi natura, ratio, conſilium, reperitur. Quanquam reuera aliquid & ordinatè & rarò contingere poteſt, immo contingit, & tamen a certa & determinata cauſa contingit. *V.*

PARTICVLA CCXXVII.

Φύσει δὲ, ὅσων ἥτε αἰτία ἐν αὐτοῖς καὶ τεταγμένως. ἢ γὰρ ἀεὶ, ἢ ὡς ἐπιτοπολὺ ὡσαύτως ἀποβαίνει. Τὰ γὰρ παρὰ φύσιν, οὐ δεῖ ἀκριβολογεῖσθαι, πότερον κατὰ φύσιν τινὰ ἢ ἄλλην αἰτίαν γίνεται. δόξειε δ' ἂν καὶ ἡ τύχη αἰτία εἶναι τῶν τοιούτων.

Riccobonus. Natura fiunt quorum cauſa in ipſis eſt, & ordinatè: aut enim ſemper, aut plerunque eodem modo eueniunt. Quæ enim præter naturam ſunt, non oportet exactè diſputare, vtrum ſecundum naturam aliqua, an ob aliam cauſam fiant. Videbitur verò etiam fortuna cauſa eſſe talium.

Maioragius. *A Natura proueniunt ea quorum cauſa in ipſis conſtituta eſt, & ordinata: vel enim ſemper, vel plerunque eodem modo fiunt. De ijs verò quæ contra naturam fiunt, nihil attinet hoc loco ſubtiliùs diſputare; vtrum à natura aliqua vi, an ab alia quadam cauſa gignantur: nam fortuna etiam eorum omnium videri cauſa*
1029 *poteſt.*

De Natura & eius conditionibus.

Altera cauſa quæ toto cœlo diſtat a fortuna ac germana eſt, proponitur, natura ſcilicet, cui ea accepta referuntur quæ certam ac definitam habent cauſam, quaéque ordinatè fiunt ac ſemper vel plerunque. Vbi naturæ attribuit conditiones oppoſitas fermè omnes fortunæ. Sed eas explicemus. *I.* *De qua magnopere dubitatur.* Prima igitur eſt res quæ a natura proficiſcuntur, in ſe ipſis retinere cauſas vnde proficiſcuntur. Quod tamen non eſt facile ad intelligendum: nam quemadmodum res artificioſæ videntur habere cauſas extra ſe poſitas, ita naturales, ſiue effectricem cauſam velis ſiue finem: Nam ſi obijcias materiam ſaltem ac formam in rebus naturalibus reperiri quibus cauſæ tribuitur nomen, iam in rebus artificioſis etiam materia & forma reperitur cum tamen a naturalibus diſtinguantur, quin naturalibus opponantur. Idem dixerim ſi rurſus naturalibus dicas propenſionem quandam ineſſe ad motum & quietem, & huius propenſionis ac motus cauſam in illis eſſe: nam artificioſis quoque tribuitur propenſio quædam ad ſtatum aut motum quæ propenſio illis ineſſe dicitur. Sic corpus perfectè rotundum in plano poſitum, ad perpetuum motum habebit propenſionem: contra verò quadratum habebit in ſe ad ſtatum ſeu quietem perpetuam propenſionem & procliuitatem. Quorſum igitur naturam a cæteris cauſis diſtinguere, quod ea in rebus a ſe effectis reperiatur? *II.* *De qua nō dubitatur.* Altera conditio eſt vt quæ ſunt a natura, ordinatè fiant, quaſi verò aut ſemper aut plerunque eodem modo fiant, ſiue eundem tenorem ſeruent. Sed res quoque artificioſæ ordinatè fiunt, ídque vel ſemper vel plerunque, qui enim artem didicerit, is vel nunquam vel perrarò a fine aberrabit. Id enim eſt artis proprium, vt nos a fine abertare non patiatur. Atque hinc etiam eſt vt Ars Naturam imitetur,
1030 tantum abeſt vt hinc a natura diſtinguatur. Sed propoſitas dubitationes Phyſicis explicandas relinquentes, hîc illud obſeruemus per duas propoſitas conditiones naturam optimè diſtingui a Fortuna, cuius effectus nec in ſe cauſam referunt, nec ordinati sūt, & ideo non ſemper aut plerunque, ſed rarò admodum contingunt. *Propoſitis dubitationibus, quod res noſtræ intereſt, ſit ſatis, explicaturque Ariſtotelis mens.* Et ſanè Ariſtoteles, quippe qui modò docuerat quæ actiones proficiſcantur a fortuna, ſtatuerátque cauſam habere incertam ac finem, neque ſemper neque plerunque neque ordinatè fieri, appoſitè è veſtigio docuit è contrario res naturales & cauſam præ ſe ferre & ordinatè

fieri & ſemper aut plerunque fieri; itaut hæc omnia naturæ a fortuna diſtinguendæ aſferantur ab Ariſtotele. Vt mirum ſit Maioragium totam hanc de natura præceptionem cum artificioſis rebus conferre, & vt natura ab arte diſtinguatur. A quo ſcopulo neque abſuerat Victorius, qui totam hanc doctrinam naturæ ab arte traducit diſtinguendæ. Tametſi Maioragius deinde in hunc ſcopulum impegit vehementiùs, dum *Differunt igitur (inquit) in hoc naturales res ab artificioſis, quòd artificioſarum rerum cauſa extra poſita eſt, atque in ipſo artifice, naturalium verò cauſa eſt in ipſis conſtituta. Eſt enim natura principium motus & quietis in eo, in quo eſt primò ac per ſe, vt in ſecundo Phyſicorum docet Ariſtoteles:* & hinc varias naturæ ſignificationes ex ſecundo de natura libro copioſè interpoſuit, quaſi verò Ariſtoteles ab Artificioſis hîc diſtinguat naturam, cum tamen totus in eo ſit Ariſtoteles vt naturam diſtinguat a fortuna: & idcirco ſtatim, ac de fortuna dixit quæ pertinet ad ea quæ non per ſe aguntur, non de vi egit continenter quam cum fortuna coniunxerat, ſed de Natura quam ſupra poſt fortunam enumerauerat. Iam verò quæ præter naturam ſunt (ſubdit Ariſtoteles) non oportet exactè diſputare vtrum ſecundum naturam aliqua, an aliam ob cauſam fiant. Quod addit quia cum docuiſſet priùs quæ ſunt fortunæ attribuenda, tum quæ Naturæ, potuiſſet quiſpiam ſtatim quædam proferre quæ ambiguam habere videantur originem, nec ſatis aut in for- 1031
tunam aut in naturam referri poſſint. Ariſtoteles igitur ait non eſſe immorandum: tametſi hæc fortunæ adiudicanda potiùs cenſeat quam Naturæ. Et ſanè potuiſſet quis monſtra proferre ac prodigia & id genus alia quæ ancipitem habere videntur cauſam. Et ideo Ariſtoteles hæc quippe a noſtra diſputatione aliena prætermittit.

PARTICVLA CCXXVIII.

Βίᾳ δὲ, ὅσα παρὰ ἐπιθυμίαν, ἢ τὰς λογισμοὺς γίνεται δι᾽ αὐτῶν τῶν πραττόντων. ἔθει δ᾽ ὅσα διὰ τὸ πολλάκις πεποιηκέναι ποιοῦσι. διὰ λογισμὸν δὲ, τὰ δοκοῦντα συμφέρειν ἐκ τῶν εἰρημένων ἀγαθῶν, ἢ ὡς τέλος, ἢ ὡς πρὸς τὸ τέλος, ὅταν διὰ τὸ συμφέρον πράττηται, ἔνια γὰρ καὶ οἱ ἀκόλαστοι συμφέροντα πράττουσιν, ἀλλ᾽ οὐ διὰ τὸ συμφέρον, ἀλλὰ δι᾽ ἡδονήν. διὰ θυμὸν δὲ καὶ ὀργὴν, τὰ τιμωρητικά. διαφέρει δὲ τιμωρία καὶ κόλασις. ἡ μὲν γὰρ κόλασις, τοῦ πάσχοντος ἕνεκά ἐστιν: ἡ δὲ τιμωρία, τοῦ ποιοῦντος, ἵνα πληρωθῇ. περὶ μὲν οὖν τίνα ἐστὶν ἡ ὀργὴ δῆλον ἔσται ἐν τοῖς περὶ τῶν παθῶν.

VI fiunt quæcunque propter cupiditatem vel rationes boni fiunt per ipſos agentes. Conſuetudine fiunt, quæcunque quia ſæpè fecerunt, faciunt. Propter rationem boni fiunt, quæ videntur vtilia eſſe ex ijs, quæ dicta ſunt, bonis, aut tanquam finis, aut tanquam ad finem, quando propter vtile aguntur. Nonnulla enim etiam intemperantes vtilia agunt, verum non propter vtile, ſed propter voluptatem. Propter exardeſcentiam, & iram fiunt, quæ pertinent ad vltionem. Differt autem vltio a caſtigatione. Nam caſtigatio patientis cauſa eſt, vltio efficientis, vt expleatur. Ac in quo quidem ſit ira, manifeſtum erit in ijs, quæ de affectibus tradentur. *Riccobonus.*

PEr vim ea fieri dicuntur, quæcunque fiunt quidem ab aliquibus, ſed tamen contra cupiditatem & voluntates eorum ipſorum, qui illa faciunt. Conſuetudine *Maioragius.* 1032
faciunt homines ea, quæ iam antea ſæpiùs fecerunt; & ideo nunc faciliùs efficiunt. Conſilio ac ratione fiunt, quæ prodeſſe videntur. & ſunt è numero bonorum, quæ ſupra diximus; vel tanquam fines, vel tanquam ea, quæ ad finem perducunt: & hoc, quando propter ipſam vtilitatem fiunt. nam etiam intemperantes quædam, quæ ſunt vtilia faciunt; non tamen propter vtilitatem, ſed propter voluptatem. Propter exardeſcentiam autem, & iram fiunt ea, quæ ad vltionem pertinent. differunt autem inter ſe vltio & caſtigatio: Caſtigatio enim eius gratia eſt, cui dolor inuritur; vltio verò eius, qui ſuam iniuriam ulciſcitur, ut animum expleat. Verùm quibus in rebus excitetur ira, perſpicuum erit, cum de perturbationibus animi poſtea dicemus.

His

His docemur quæ fiant aut vi aut conſuetudine aut ratione aut ira. De quibus ſingulis dicendum eſt. Vi igitur illa fiunt quæ præter cupiditatem & voluntatem a nobis geruntur, & hinc eſt vt efficiens cauſa dicatur extra illum poſita qui agit, ſic Orithyam fabulantur Poëtæ a Borea per vim in Trhaciam abreptam. Sic reipſa quis a Piratis vel hoſtibus in ſeruitutem abducitur. Quanquam cum ij non tam agant quàm patiãtur, ſatiùs ſit ad eos confugere qui, verbi gratia metu mortis aliquid turpe ex Tyranni præſcripto faciunt, aut merces ob naufragij metum in mare proijciunt. Et tamen ij non vi ſolùm ſed ſponte, imò ſponte magis quàm vi, agere dicuntur ab Ariſtotele. Quem igitur hîc intelligit Ariſtoteles? Eum qui verbi gratia è ſummo loco per vim in confertam multitudinem proiectus, oppreſſerit quempiam: etſi enim non ſponte ſed inuitus opprimit, opprimit tamen. Quanquam crediderim, Ariſtotelem, quoniam in Oratoria palæſtra verſabatur, & populariter loquebatur, noluiſſe rem ſubtiliùs expendere ac declarare. nam alioquin (id quod ex tertio Ethicorum conſtat) qui agit interim dum vi cogitur, vt qui proijcit merces, non omnino vi agit, ſed is tantùm qui, verbi gratia,
1033 vi impelli dicitur & patitur, non verò agit: quemadmodum de Orithya diximus. Et tamen in præſentia Ariſtoteles de iis loquitur qui inuiti agunt, ſed agunt tamen: vbi dum agunt, ſimiliores ſunt iis qui ſponte agunt: ita ut vis a qua longè abeſt ac ſuperſedet qui patitur (& ideo dicitur nihil conferre) cum agentibus non conſentiat: vel dicendum phyſicè huius actionem de quo loquitur in libris de moribus, mixtam eſſe, moraliter violentam planè & coactam, ac propterea moraliter hîc loqui. Iam verò conſuetudine illa fiunt quæ ſæpè fiunt. At enim qui conſuetudo differt ab habitu? Quia communiter habitus, quippe qui ex frequentatis actibus gignitur, conſuetudine indiget, quæ tamen citra habitum eſſe poteſt, etſi proximè ad illum accedat. Tametſi vix quicquam ab habitu differt aut a natura: a natura, ſiquidem conſuetudo eſt natura altera, vſque adeò conſuetudine facilitatem & procliuitatem contrahimus ad eam rem agendam: ab habitu quoniam perfecta conſuetudo habitus initium eſſe ſolet. Sequitur ratio ſeu conſilium, quod ſanè vtilitatem habet propoſitam ac bonum, ſiue huiuſmodi bonum ſit, ſiue finis gratia quæratur, ac propterea cum vtili ſæpè confundatur. Denique dummodo vtilitatis cauſa aut boni id agatur, a ratione proficiſci exiſtimatur. Nam ſi hinc illiberalem voluptatem quæramus, etiamſi rem vtilem ac bonam agamus, quemadmodum intemperanti interdum accidit, qui iuſtum precium prolixè ſoluat pro generoſis vinis aut liberalem ſe conquiſitas epulas afferenti oſtendat, non ratione & conſilio agamus. Ita demum ea fiunt quæ pertinent ad vltionem. At enim cur non alia quoque ab ira proficiſcuntur, quæ ſæpè non vlciſcendi ſeu lædendi & iniuriam faciendi gratia efficiuntur? Quin etiam cum ira nobis a Natura inſita ſit quæ vim iraſcendi nobis ingenerauit, cur hæc aut rationi aut conſilio opponitur, aut vltionis tantùm opere concluditur? Crediderim igitur non tam iram, præſertim moderatam, intellige
1034 re, quàm excandeſcentiam, quæ moderatæ fines excedit iræ. Atque hæc non a Natura ſed a praua conſuetudine, id quod in iuuene ſæpè cernitur, proficiſcitur. Quod ſi eam Ariſtoteles contrahit ad vltionem id exprimit quod eſt præcipuus & frequentior excandeſcentiæ campus. Vel certè quoniam qui ſuccenſet & excandeſcit, alicui rei ſaltem, ſi non homini, ſuccenſet excandeſcens, vt cum flagris contumacem cedit equũ, aut impediens oſtium proijcit, fit vt quandam vltionis formam id quoque habeat: contumaciam enim & impedimenta hoſtile quid referunt. Quanquam neque ab re ſtatuas Ariſtotelẽ dum ſupra in Particula ccxxii. iracundiam proferret quæ rationi opponeretur, θυμὸν vſurpaſſe, quæ vox reuera excandeſcentiam ſignificat & immoderatam iram, quam vocem hîc quoque repetit: ita ut hinc intelligere liceat non quæ nobis vtiliter a Natura ingenerata eſt, iram deſignari, quæque cos dicitur fortitudinis, & quam ὀργὴν ſæpè appellant Græci, ſed indignationem atque iræ æſtum & feruorem immoderatum. Quòd ſi hic θυμὸν cum ὀργῇ permiſcet, aut ὀργὴν interdum ſolitariam vſurpauit, id vſu quodam fit quòd vulgo ὀργὴ etiam in malam partem ac ſæpè pro θυμῷ acciperetur. Atque hîc ſanè quod pertinet ad caſtigationem, a qua (ſi interpretes audias) ſubdit vltionem differre, non ægrè Ariſtotelis diſcrimen excipimus, qui τιμωρίαν & κόλασιν diſtinguit, hoc eſt vltionem & punitionem, quarum prior irati indicat impetum, poſterior corrigendi ſtudium; id quod ipſemet in 3. Ethic. docuerat pleniùs:

Margin notes: *Quæ vi fiunt.* — *3. ethic. ad m.* — *Dubitatur.* — *Reſpondetur.* — *Quæ fiant conſuetudine.* — *Quæ ratione & conſilio.* — *Quæ ira. Dubitatur* — *Reſpondetur.* — *De vltione & punitione.*

vbi quæ corrigendi ſtudio atque animo infligitur pœna, hanc κόλασιν appellat, qualem paſſim pater infert liberis eos vt corrigat, aut etiam Iudex reo alicui vt in officio illum contineat. τιμωρία verò pœnam indicat qua ob acceptam iniuriam aut dolorem aut odium afficimus aliquem. Sed ramen dum Maioragius atque alij quidam (vt dicere cœperam) κόλασιν in caſtigationem conuertunt, id non probamus: nam caſtigatio ad dicta propriè pertinet, κόλασις & punitio ad facta extenditur. Etſi enim aliquando caſtigare quis non modò dictis ſed factis dicitur, propriè tamen caſtigatio dictorum eſt, dum præſertim quempiam obiurgamus & increpamus, & ideo caſtigator is dicitur qui obiurgat & reprehendit, caſtigatio quæ verborum fit acrimonia. Iam verò de ira in quo planè poſita ſit (inquit Ariſtoteles) in ijs quæ de affectibus differemus: quare in .II. tota hæc res planior efficietur. 1035

PARTICVLA CCXXIX.

Δι' ἐπιθυμίαν δὲ πράττεται, ὅσα φαίνεται ἡδέα. ἔστι δὲ καὶ τὸ συνήθες καὶ τὸ ἐθιστὸν ἐν τοῖς ἡδέσι. πολλὰ γὰρ καὶ τῶν φύσει μὴ ἡδέων, ὅταν ἐθιστῶσιν, ἡδέως ποιοῦσιν. ὥςτε συλλαβόντι εἰπεῖν, ὅσα δὲ αὐτοὺς πράττουσιν, ἅπαντά ἐστιν, ἢ ἀγαθὰ, ἢ φαινόμενα ἀγαθὰ, ἢ ἡδέα, ἢ φαινόμενα ἡδέα.

Riccobonus.

PRopter cupiditatem aguntur, quæcunque apparent iucunda. Quod verò eſt ex aſſuefactione & conſuetudine inter iucunda ponitur. Multa etiam eorum quæ natura non ſunt iucunda, cum aſſueuerint iucundè faciunt. Quare, vt breuiter dicam, quæcunque per ſe agunt, omnia ſunt aut bona aut quę videntur bona, aut iucunda aut quæ videntur iucunda.

Maioragius.

PRopter cupiditatem ea fieri ſolent, quæcunque iucunda & ſuauia videntur. nam & quod alicui familiare eſt, & in quo quis diu verſatus ſit, inter res iucundas connumeratur; multa enim quæ natura ſua iucunda non ſunt, tamen iucundè faciunt homines, cum aſſueuerint. Itaque (vt ſummatim dicam) quæcunque per ſeipſos homines faciunt, ea omnia uel bona ſunt uel bona uidentur; uel iucunda ſunt, uel ſpeciem iucunditatis habent.

Quę cupiditate fiat.

SEptima ſeu poſtrema cauſa eſt ἐπιθυμία ſeu cupiditas, quæ tamen ad ea 1036
pertinet quæ per nos agimus: etſi enim ea iuſtiùs per nos agere dicamur quæ conſilio & ratione gerimus, veruntamen quæ per cupiditatem agimus, per nos etiam agimus: præſertim ſi cum ijs conferantur quæ a fortuna aut vi proficiſcuntur. Ait igitur cupiditati iucunditatem eſſe propoſitam, itaut propter cupiditatem agantur ea quæ afferunt iucunditatem. ita fit vt non tam vtilitatem ſibi proponat cupiditas aut cupiditate ad res vtiles inſtigemur, quàm ad voluptates, & bonum iucundum, ídque non neceſſariò honeſtum. Nam quod cum honeſtate coniunctum ſit, id verò rationi & conſilio vel certè cupiditati rationis & prudentiæ moderationi obtemperanti iuſtiùs acceptum referatur. His addit Ariſtoteles conſuetudinem quoque καὶ τὸ ἐθιστὸν, quod aſſuetudinem dixeris, inter iucunda eſſe reponendum. Itaut aſſuetudo cum ipſa cupiditate ſit coniungenda cum iucunditatem afferat, vel certè cum rebus iucundis quas cupiditas ſpectat, permiſcenda. Tanta enim ac talis eſt conſuetudinis vis vt ea etiam quæ alioquin non ſunt per ſe iucunda, conſuetudine iucunda fiant. Ita fit vt cibos aliquos ab initio horreamus, quos tamen conſuetudine diligimus. Sic labor, militia, armorúmque tractatio, quæque periculis pleniſſima eſt nauigatio aut peregrinatio, aſſuetudine reddũtur amabilia, cum ab initio terrere ſoleant ac moleſtiam afferre. At enim quæ conſuetudine reruntur, plerunque ſatietatem afferunt, & propterea moleſta ſunt, varietatem enim ac nouitatem amant aures, oculi, ſenſus omnes, ingenium atque animus. Sed quæ conſuetudine & vſu placida & iucunda euadunt teneamus: & hæc ad conſue-

De conſuetudine quadam.

Dubitatur.

tudine

tudinem referamus, cætera a conſuetudine præcludamus minùs generaliter Ariſtotelis dictum excipientes. Et ideo ait multa eorum quę natura non ſunt iucunda, conſuetudine iucunda fieri non ait omnia, quod ſi dixerat id quod eſt ex aſsuetudine inter iucunda collocari quod reuera non vniuerſim accidit, eiuſmodi effectus in ſe-
1037 quentibus verbis moderatus eſt. Atque ex his omnibus colligit Ariſtoteles ea quæ per nos agimus, omnia eſſe bona vel iucunda, vel certè (quoniam decipi poteſt hominis ſenſus ac iudicium) bona ſaltem aut iucunda videri.

PARTICVLA CCXXX.

ἘΠεὶ δ᾽ ὅσα δι᾽ αὐτοὺς ἑκόντες πράττουσιν, οὐχ ἑκόντες δ᾽ ὅσα μὴ δι᾽ αὐτούς, πάντ᾽ ἂν εἴη ὅσα ἑκόντες πράττουσιν, ἀγαθὰ, ἢ φαινόμενα ἀγαθὰ, ἢ ἡδέα, ἢ φαινόμενα ἡδέα. τίθημι γὰρ, καὶ τὴν τῶν κακῶν, ἢ φαινομένων κακῶν ἀπαλλαγὴν, ἢ ἀντὶ μείζονος ἐλάττονος, μετάληψιν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς. αἱρετὰ γάρ πως ἐστί. καὶ τὴν τῶν λυπηρῶν ἢ φαινομένων ἀπαλλαγὴν, ἢ μετάληψιν ἀντὶ μειζόνων ἐλαττόνων ὡσαύτως ἐν τοῖς ἡδέσιν. ληπτίον ἄρα τὰ συμφέροντα καὶ τὰ ἡδέα, πόσα καὶ ποῖα.

Riccobonus. ET quoniam quæcunque per ſe agunt, ſponte agunt, aut non ſponte, quæcunque non per ſe omnia, quæcunque ſponte agunt, erunt bona, aut quæ videntur bona, aut iucunda, aut quæ videntur iucunda. Pono enim & malorum & eorum, quæ videntur mala, liberationem, aut pro maiori minoris aſſumptionem, inter bona. Eligenda enim quodammodo ſunt, & moleſtorum, aut eorum quæ videntur, liberationem, aut aſſumptionem pro maioribus minorum eodem modo inter iucunda. Sumendum igitur eſt vtilia, & iucunda quot ſint, & qualia.

Maioragius. *ET quoniam, quæ per ſe ipſos agunt homines; ea ſponte faciunt; & quæ non per ſe ipſos, ea non ſponte: ſequitur vt quæcunque ſponte faciunt, ea vel bona, vel ſimulata bona ſint, vel iucunda, vel iucunditatis ſpeciem habentia. Ego enim etiam liberationem malorum, & eorum quæ mala videntur, & minoris mali optionem pro*
1038 *maiore in bonis colloco, quodam enim modo ſunt expetenda: & præterea rerum moleſtarum, & earum quæ moleſta videntur liberationem, vel minoris moleſtiæ optionem pro maiori, eodem modo in iucundis numero. Videndum igitur, quæ ſint vtilia, quæ iucunda.*

CVm ea quæ per ſe agunt homines ἑκόντες, ſeu ſponte agant, quæ non per ſe, non ſponte; fatendum eſt ea quæ ſponte agimus, bona eſſe aut iucunda, idque ſi non reipſa, ſpecie ſaltem & opinione. Ex quo fit vt quas paulò ante diſtinctè enumerauit humanarum actionum cauſas, ac propterea ſeptenario numero diſtribuit, hîc bipartitò colligat, eáſque ad ſpontaneũ & non ſpontaneũ initium reuocet; quaſi verò ea quæ per ſe atque vltrò agunt homines, quæéque ad rationem, conſuetudinem, iram, cupiditatem retulit, ad ſpontaneum tanquam ad caput ſint referenda, & ideo ἑκόντες ea agere dicimur: contra verò quæ non per ſe agunt homines, quæéque ad fortunam, naturam, vim, reuocauit, hæc ad non ſpontaneum quaſi ad fontem ſint redigenda. Itaut ſatis conſtet hîc, cum foro deſeruiret, minùs enucleatè ſpontanei & non ſpontanei formas ac ſpecies attuliſſe: ibi ſpontaneum & non ſpontaneum, vt moralem Philoſophum altiùs inſtrueret, ſubtiliùs declaraſſe, quemadmodum paulò ante docuimus. Iam verò bonum & iucundum (ſubdit Ariſtoteles) quod iis propoſui quæ ſponte agimus, id etiam appello in præſentia quod malorum, ſeu vera ſint

De iis quæ ſponte aut non ſponte agimus: ac de bonis & iucundis.

Quàm latè pateat bonum & iucundum.

ſeu ſpeciem malorum referant, habet depulſionem, aut minoris mali electionem. Hæc enim quoquomodo referenda ſunt inter iucunda: nam comparatè talia ſunt: ataut cõparatè ſint expetenda. Quod ſi iis quæ per ſe agit homo, bonum & iucundum eſt propoſitum, non ab re erit hæc inueſtigare: nam ea propter quæ propriè ac per ſe agunt homines, agnoſcentes, commodiùs accuſare licebit aut defendere. Certum eſt enim, id quod initio 3. Moralium docet, eò differre ſpontaneum & inuitum, quòd quæ ſponte agimus, laudem & vituperationem párere ſoleant: contra verò quæ inuiti agimus, nec laudem nec vituperationem ſuſtineant, & idcirco huiuſmodi contemplatio (id quod ibidem monebat Ariſtoteles) non modò ad laudem & vituperationem, verùm etiam ad præmia & pœnas, vtilis erit, cum hæc ſponte agentibus debeantur, non verò cæteris. 1039

PARTICVLA CCXXXI.

Περὶ μὲν οὖν τοῦ συμφέροντος, ἐν τοῖς συμβουλευτικοῖς εἴρηται πρότερον. περὶ δὲ τοῦ ἡδέος, εἴπωμεν νῦν. δεῖ δὲ νομίζειν, ἱκανοὺς εἶναι τοὺς ὅρους, ἂν ὦσι περὶ ἑκάστου μήτε ἀκριβεῖς, μήτε ἀσαφεῖς. ὑποκείσθω δ' ἡμῖν εἶναι τὴν ἡδονὴν, κίνησίν τινα ψυχῆς, καὶ κατάστασιν ἀθρόαν, καὶ αἰσθητὴν εἰς τὴν ὑπάρχουσαν φύσιν. λύπην δὲ τοὐναντίον.

AC de vtili quidem in deliberatiuis dictum eſt priùs. de iucundo autem dicamus nunc. Oportet verò exiſtimare, ſatis eſſe definitiones, ſi ſint de vnoquoque neque exactæ, neque obſcuræ. Iam poſitum ſit nobis, voluptatem eſſe motionem quandam animi, & conſtitutionem ſubitam, & ſenſibilem in ſtatu naturæ conuenienti, moleſtiam verò contrarium. Riccobi.

Sed quia de vtili iam ſupra in deliberatiuo genere diximus, reliquum eſt, vt in præſentia de iucundo diſſeramus. eas verò definitiones huic præceptioni ſatiſfacere debemus exiſtimare, quæ de ſingulis rebus prolatæ, neque obſcuræ, neque exquiſitæ fuerint. Ponamus igitur, voluptatem, motum animi quendam eſſe, & ſubitam, ſub ſenſúmque cadentem inſtaurationem ad explendam naturam huic autem contraria eſt moleſtia. Maioragius.

Etſi tum vtile tum iucundum ob allatam cauſam inueſtigandum eſſet ei qui in Iudiciali verſatur genere: veruntamen, quoniam vtile conquiſiuit & declarauit Ariſtoteles, dum præciperet de genere Deliberatiuo (vtile enim Deliberatiuo tanquam ſcopus propoſitum eſt) ſatius eſſe cenſet 1040 hoc inde haurire, quàm rurſus conquirere & examinare. Supereſt igitur iucundum, quod etiam definiam (inquit Ariſtoteles) ſi priùs illud monuero, eius definitiones ſatis opportunas videri poſſe ſi non obſcuræ ſint: nam exactæ omnino a Rhetore non ſunt exigendæ ſed a Philoſopho.

Vtilitatis tractatione reiecta, quæ rit de iucunditate & prius de voluptate. Et ſanè vtilitatis & iucunditatis cognitionem eſſe Oratori parandam in foro, compertum eſſe poteſt, cum bona & iucunda ſpontaneam gignant actionem vnde non modò laus & vituperatio verùm etiam accuſatio & defenſio proficiſcitur. de vtilitate tamen nihil eſſe quod agatur, iis ſatis ſupérque conſtare poterit qui animaduerterint quàm copioſè, ne dicam curioſè, totam hanc rem perſecutus ſit antea. Denique iurè monuiſſe exactas planè definitiones non eſſe requirendas, inde conſtat vel quia foro ſeruit, vbi vulgari hominum opinioni & exiſtimationi ſtylum accommodat, & communem ſenſum ſequitur, Orator, tum quia voluptatis & iucunditatis vis & natura perdifficilem habet explicatum, ſiue rem ipſam æſtimes ſiue Philoſophorum ſententias. *Quid ſit voluptas, quid moleſtia.* Quapropter eſto (ſubdit Ariſtoteles) voluptas ſit motio quædam animi & conſtitutio ſubita, quæque ſenſu percipiatur in conuenienti naturæ ſtatu. Ex quo etiam fit vt moleſtia aduerſetur voluptati, & contrariam vim habeat & iudicationem. Neque

verò

Digitized by Google

verò hoc dixerim quod non illa quoque ſit ſubita quædã animi motio, quæque ſenſu percipiatur; ſed quia cæteroquin non inſtaurat expléue naturam, ſed labefactat & corrumpit. Hæc in præſens ſit voluptatis & doloris Definitio. Cuius cauſa duo ſunt exploranda. Primum NVM. eiuſmodi definitiones germanæ ſint ac bonæ aut ſaltem accommodatæ, & in primis, prout recepit, expertes obſcuritatis. Alterum NVM præpoſterè diſputet Ariſtoteles, qui de huiuſmodi affectionibus hîc diſputat, ac data opera prolixéque diſputat; cum tamen in 2. lib. ſibi de affectionibus tum vniuerſim tum ſigillatim, agendum proponat: verendum eſt enim ne hîc propriam tractationem
1041 minùs conſideratè anteuertat. Et ſanè in Deliberatiui generis tractatione, cum eò peruenifſet vt argumenta ex virtutibus, quippe bonis, ducenda eſſent, rem totam ad genus Demonſtratiuum reiecit, vt inde ex virtutibus haurirentur argumenta. Eodémque modo cum de morata oratione loqueretur, atque occaſio ſe ſe obtuliſſet, vnde de moribus diſputaret, rem totam (ne ibi eam perſequi cogeretur) ad morum tractationem, quam in ſecundo libro aggreſſus deinde eſt, reiecit integram. Cur igitur in præſens non eádem vtitur methodo, cum de affectibus item copioſè diſputaturus ſit? Sanè ibi tum vniuerſim priùs differit de affectibus, tum ſubinde de ſingulis. Quid eſt igitur cur in præſens anteuertat eam tractationem, ac voluptatis, moleſtiæ vim ac naturam tam alieno declaret loco? Quanquam maior oritur dubitatio, quòd cum naturalis ſit ipſa voluptas (idémque dicendum eſt de dolore) non videtur reuera poſſe ſubito exiſtere, atque hinc a cæteris perturbationibus differre; cum motus ſanguinis intercedat qui ſucceſſionem quandam exigit & interuallum. Nam ſi dicas breuiſſimum requirere, itaut ſubitò erumpere videatur ac penè momento temporis, iam ira quoque non rarò erumpit ſubitò, verecundia ſubitò ſemper, itaut falſa ſit iſtiuſmodi voluptatis doloríſque conditio ac definitio. Niſi tamen pugnes voluptatem ac dolorem lucis inſtar corpori communicari, quod faciliùs dici poteſt quàm demonſtrari. Sed quæſo quid de ijs doceat agnoſcamus priùs: tum re tota pleniùs inſpecta duas haſce Controuerſias commodiùs explicabimus. Res igitur tota ad 2. librum vbi de affectionibus prolixè diſputat, opportunè reiecerim. Id quod eò etiam libentiùs faciam, quòd dum propoſitam definitionem explanabo, multa ſe ſe offerẽt vnde propoſitas Controuerſias commodiùs adhuc liceat dirimere ac diſceptare. Tametſi multa etiam ſe ſe offerant priùs vnde liceat magis adhuc & magis de re hac dubitare, ac
1042 perdifficilem Controuerſiæ ſtatum agnoſcere. Sed redeo ad propoſitam definitionem: in qua illud primò obſeruauerim, voluptatem eſſe affectum iucundi: & ideo definiri voluptatem iucundi gratia, ſiue (vt cum Peripateticis loquar) in ordine ad iucundum, iucunditas tamen & voluptas idem ſunt: ſiquidem iucunditas non tam pro re iucunda quàm pro voluptate ipſa capitur & iucunditate quæ ex iucundis rebus emanat: id quod apud Græcos maximè vſu venit, apud quos τὸ ἡδὺ & ἡδονὴ vſurpãtur promiſcuè: etſi alioquin ἡδὺ ſæpè iucundè potiùs valet ac ſuauiter quam iucunditatem, itaut τὸ ἡδὺ licenter, etſi paſſim, apud Authores optimos pro voluptate ſeu iucunditate capiatur. Hîc tamen ἡδονὴ ſeu voluptas, quoniam pro iucundi effectu capitur, a iucunditate diſtinguitur, & ἡδονῇ vt iucundum cauſæ locum obtineat veriùs & rem ipſam iucundam ſignificet quàm iucunditatem. Deinde obſeruandum eſt voluptatem dici motionem quandam animi, vt genus exprimatur in quo conuenit cũ ira, odio, & alijs affectionibus: nam hæ quoque ſunt motiones quædam animæ. Dum verò ſubijcitur & conſtitutionem ſubitam a genere ad differentiam ſenſim deſcenditur vt eius forma conſtituatur. etſi reuera naturales effectus omnes certas quaſdam requirunt habéntque præparationes, ſeu (vt cum Peripateticis loquar) diſpoſitiones; itaut voluptas quoque, quantumuis repentè ac ſubitò erumpere & conſtitui videatur, diſpoſitionem aliquam, etſi minùs ſentiatur, requirat vnde conflετur: non enim quodlibet agit in quodlibet, nec introducitur forma niſi in materia benè diſpoſita, quæcumque illa ſit. Videtur tamen ſubitò erumpere, quia natura celeriter operatur. Nam voluptatem illuminationi, quam Peripatetici vocant, ſimilem eſſe, quæ tota ſit momento temporis, de ijs quæ non ſine ſanguinis permotione fiunt dici non poteſt ſine errore. Itaut ſubitò exiſtere dicatur ab Ariſtotele quòd celeriter gignatur erumpátque, ſecus atque affectiones fermè aliæ: nam motus ille celeriter fieri quidem poteſt, in inſtanti ſeu momento tẽporis fieri non poteſt. Erumpit verò dolor ac voluptas

CONTROVERSIA LXVI. Num probande ſint quas affert voluptates ac doloris definitiones

CONTROVERSIA LXVII. Num præpoſtero loco & aptè hæc in præſens diſputentur.

Exagitatur Ariſtotelis & methodus & ſententia.

Ad lib. 2. res reijcitur tota, ac reditur ad propoſitas definitiones explanandas.

Obſeruantur quædã.

I.

II.

III.

ſubito,

ſubitò, non quemadmodum odium aut inuidia, idem dixerim de alijs affectionibus 1043
multis; hæc enim paulatim ſubrepunt aut excitantur, ſed ſubitò quia tota ſimul exiſtit,
ſeu potiùs ob celeritatem tota ſimul exiſtere videtur, quod ferè de ira & excandeſcen-
tia, de timore etiam & verecundia, vſu venit, quæ propterea repentinæ videntur inter-
dum ac ſubitò exiſtere; tametſi ſæpè paulatim gignuntur atque occupant animum,
itaut paulatim augeantur, cum tamen voluptas (idem dixerim de dolore) exiſtat ſu-
bitò. Et tamen nihil prohibet quin dolor quoque & voluptas dictarum affectionum
more ſenſim augeatur, itaut voluptas voluptati, dolor dolori addatur: ſed quicquid
IV. ſit, vt res ſignificantiùs exprimatur, addit & ſenſibilem: ſic enim afficit ſanguinem ac
ſpiritus vitales vti inferiores ſenſus commoueantur & afficiantur; & idcirco voluptas
& dolor eſt communis homini cum cæteris animantibus. Quòd ſi voluptatem ad ani-
mum referas ac mentem dum voluptas aliqua ad animum pertinet, hæc quoque ſen-
tiatur ac percipiatur. Quanquam quæ mentis eſt voluptas, hæc proprio nomine gau-
dium & lætitia a multis dicitur vt a voluptate ſenſus diſtinguatur quæ nobis cum bel-
luis eſt communis; Tametſi ne de vocibus diſputemus, voluptas appelletur licet, dum
tamen intelligatur voluptatem mentis longo interuallo differre a ſenſus voluptate.
V. Neque verò propoſita voluptatis definitio ab ea quicquam ferè diſcrepat quam attu-
lit Ariſtoteles in Moralibus, vbi ſcribit conſequi ſunctionem ſenſus benè diſpoſiti, & li.10.c.4
in ea quæ huic ſubiecta ſunt operantis: ſignificat enim voluptatem oriri ac percipi in
functione ſenſus benè præparati & conſtituti; hinc enim fit vt facilè, ſuauiter & cũ gra-
ta motione expleatur functio, ſeu functionem gratus ſenſus ac voluptas conſequatur.
VI. Et ideò dicitur hîc in ſtatu naturæ conuenienti; voluptas enim naturæ amica eſt, quæ
tamen niſi in ſenſu benè diſpoſito & præparato non perſiſtat, cum eius non ſit capax.
Itaque iurè Alexander Aphrodiſeus ex quorundam ſententia referebat eſſe actum ha
VII. bitus in natura ſua manentis; quaſi verò manente natura extra ſuum ſtatum mole-
ſtia potiùs ac dolor conſequatur. Quæri tamen poſſet qualis qualis ſit hæc motio? cui
percunctationi reſpondendum crediderim eſſe alterationem quam appellant Philo-
ſophi multi, eámque leuem ac ſuauem, & naturæ amicam, ſed cum locali, quem vo- 1044
cant, ſanguinis motu permixtam. Quo fit vt impreſſio quædam ſeu ſenſus fiat in ani-
ma per quam in iucundiorem ſtatum, aut ex moleſto in iucundum, ſuauiter propella-
tur: ſeu dum in recto ſtatu ac bona conſtitutione reperitur, functionem amicam edat
VIII. vnde voluptate perſundatur. Quæ tamen probabiliter dixiſſe velim: nam res ipſiuſ-
met Naturæ ſermone pleniùs explicanda eſſet, vſqueadeo abdita eſt totius voluptatis
ratio ac via. Denique optimè ſentitur voluptas, ratio ac modus explicatur difficilè:
præſertim quia licet voluptas ex ſanguinis commotione gignitur & ſenſuum impreſ-
ſione quadam, tamen ſuam quiſque ſenſus habet voluptatem & cauſam diſtinctam.
Etſi enim tactus & guſtus magnam habent affinitatem, cæteri tamen ſenſus diſſident
IX. toto cœlo. Quanquam illud monuerim eos, qui dicunt hinc omnino inſtaurari natu-
ram, non omnino audiendos eſſe, nam moderata voluptas ac lenis inſtaurat fortaſſe,
magna aut vehemens labefactat; itaut repentina voluptas quoſdam interfecerit quos
dolor haud potuit. Denique in voluptate funditur ſanguis a centro ad circumferen-
tiam, itaut ſi vehemens ſit volupras, cor atque arcem vitæ deſerat: cum tamen è con-
trario in dolore, ſanguis ad cor atque arcem vitæ recurrat vt illam tueatur: & ob id for
taſſe in dolore expalleſcimus facilè, in voluptate riſus oculorúmque titillatio ſucce-
X. dit, & apparens lætitia. Iam verò videndum eſſet qua ratione gignatur dolor ac mole-
ſtia, hæc enim, etſi moleſtia propriè conuenit animo, vt ægritudo dolor corpori vt
ægrotatio, promiſcuè tamen vſurpamus hoc tempore. Ergo poſtularet ratio vt dolor
ex ſubita motione animi oriretur, quæ ſenſu perciperetur quidem ſed minùs conue-
niat cum naturali corporis ſtatu & conſtitutione: quod item optimè perſentitur, expli 1045
catur difficilè. Quare qui dolorem oriri aiunt ex ſolutione cõtinui (ſic enim loquun-
tur illi) ij nec cum præſenti Ariſtotelis doctrina conueniunt; præſertim ſi ad animum
quoque pertinere dolorem ac moleſtiam fateantur; & verò fortaſſe declarationem
proferunt re dilucidanda obſcuriorem.

CAPVT

CAPVT XI.

PARTICVLA CCXXXII.

EἸ δὴ ἐστιν ἡδονὴ τὸ τοιοῦτον, δῆλον ὅτι καὶ ἡδὺ ἐστι τὸ ποιητικὸν τῆς εἰρημένης διαθέσεως. τὸ δὲ φθαρτικὸν ἢ τῆς ἐναντίας καταστάσεως ποιητικὸν, λυπηρόν.

Riccobonus. SI igitur eſt voluptas eiuſmodi, conſtat etiam iucundum eſſe quod habet vim efficiendæ eius, quæ dicta eſt affectionis. quod verò habet vim corrumpendæ, vel contrariæ conſtitutionis efficiendæ eſſe moleſtum.

Maioragius. *QVod ſi uoluptas eſt huiuſmodi; perſpicuum eſt id eſſe iucundum, quod eius affectionis efficiens eſt: quod autem eam affectionem interimit, aut quod illi contrarium ſtatum inducit, moleſtum eſt.*

COnſtituta & declarata voluptatis natura & vi, pergit ad declarandam iucundi quoque vim & naturam: ſic enim hoc in loco τὸ ἡδὺ, plerunque appellabo breuitatis cauſa. Etſi non me latet iucunditatem latinè dici rectè, iucundum licenter, Itaque M. Tullius in 2. libro de finibus, ac fortaſſe in Ariſtoteleam hanc definitionem inſuens. *In eo* (inquit) *voluptas ponitur, cum percipitur ea, quæ ſenſum aliquem moueat, iucunditas.* Sic Cicero. & tamen, qui paſſim iucunditatem retinuit ac triuit, ſemel hoc ipſo in loco iucundum Græco more pro iucunditate vſurpare viſus eſt, cum diceret *ex iuuare ortum eſſe iucundum*. Iucundum igitur eſt quod dictam affectionem gignit hoc eſt voluptatem. Vbi obſerua Ariſtotelem appellare voluptatem affectionem, ſeu (vt 1046 eſt Græcè) διάθεσιν, quod ſanè obſeruaſſe non pigebit aliquando. Addit è contrario id eſſe moleſtum quod habeat vim interimendi talem conſtitutionem: quod ſanè, mea quidem ſententia, contingere quoque poteſt dum illa magnopere perturbatur ac labefactatur: et ſi multò magis dum corrumpitur. Quod ſi ita corrumpatur & interimatur vt contraria affectio & conſtitutio inducatur, moleſtia ac triſtitia gignitur multò maxima: præſertim ſi nitaris eius ſenſus aut facultatis aut partis functionem exercere. Atque hinc eò progreditur noſter Author vt quandam veluti ſyluam nobis offerat rerum iucundarum, ex quibus liceat lædentis ſeu potiùs iniuria afficientis inueſtigare naturam & cauſas. Sed eiuſmodi quaſi ſyluam (talis enim videri poterit præſertim ad initium) ingrediamur.

De iucundo & moleſto

PARTICVLA CCXXXIII.

ἈΝάγκη οὖν ἡδὺ εἶναι, τό τε εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἰέναι ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. καὶ μάλιστα, ὅταν ἀπειληφότα ᾖ τὴν ἑαυτῶν φύσιν τὰ κατ' αὐτὴν γινόμενα.

Riccobonus. NEceſſe igitur eſt, iucundum eſſe, ad id, quod eſt ſecundum naturam, ire plerunque & maximè, cum aſſumpſerint ſuam ipſorum naturam quæ ſecundum ipſam fiunt.

Maioragius. *NEceſſe eſt igitur eſſe iucundum plerunque; cum quis ad id accedit, quod ipſi eſt ex natura: & præcipuè, cum ea, quæ fiunt à natura, ſuam ipſorum naturam recuperarint.*

De Iucūdo. NEceſſe igitur (inquit Ariſtoteles) *iucundum eſſe ipſum in ſecundum naturam*
ire. Quo ſanè in loco, vbi & Græcanicæ & Ariſtotelicæ breuiloquen-
tiæ aliqua ſuppleueris, & dixeris. *Neceſſe igitur eſt eſſe iucundū, ad id quod eſt*
ſecundū naturā ire, vnde nõnihil illuſtratur locus, adhuc tamē plures ſeſe
Dubitatur offerunt dubitationes quàm verba; quas tamen pro tenuitate noſtra,
I. quoniam in hanc ſyluam incidimus, non grauabimur explanare. Ac
primò cur id reputat neceſſarium? quia cum voluptatis vim ac naturam ſic deſcripſe-
rit vt naturalem illam fecerit, ſeu in naturali quadam motione ac ſubita conſtituerit, 1047
hinc naturaliter quoque ac proinde neceſſariò effectus ſequatur neceſſe eſt vbi tali
II. motioni ſit locus, & in id tendas quod tibi ſit ſecundum naturam. At enim quî acci-
piendum id eſſe ſecundum naturam? Num per ſe & abſolutè an alteri? & ideo num
exponendum *tendenti ad id quod per ſe eſt ſecundum naturam* ſeu naturale, an verò *tendenti*
ad id quod ſibi ipſi eſt naturale? Sibi intelligendum, itaut ſit amicum & naturale illi qui in
illud contendit. Quod tamen non prohibebit quominùs per ſe & abſolutè ſit aut poſ-
ſit eſſe naturale. Eſto. Sed quale eſt tale ire (vt ita dixerim) ac proficiſci, & cuius eſt?
III. Animíne, an corporis, an totius hominis, an alicuius potentiæ ſeu facultatis ſenſúſve
alicuius? iſtorum omnium profectio ac tendentia, ſi ita loqui licet; ſeu actio, eſſe po-
teſt; & cuicunque contingere dum aliquid quod ei naturale ſit acceſſerit; vt menti
rei ſuauis contemplatio, corpori rei placidæ ac mollis tactio ſeu contrectatio, homini
ambitioſo optati honoris aſſignatio, aut auaro pecuniæ attributio, auribus muſicæ
auditio, & idem de reliquis: ijs enim conuenit omnibus ad id quod naturale eſt acceſ-
ſio. Tametſi videtur Ariſtoteles præcipuè ſpectaſſe voluptatē ſenſus. cum enim hinc
ſtudeat agnoſcere iniuriæ cauſas quas voluptatis & iucundi cupiditati acceptas refert,
facilè intelligit acceſſum & profectionem ad libidinis & gulæ voluptatem & iucundi-
tatem, & id genus alias cupiditates quæ alicui ſunt ſecundùm naturam, ac propterea
IV. iucundæ. Sed & rurſus dubitatur cui ſit aptandum illud ἐπιτοπολὺ, num ad iucundū,
itaut ſenſus ſit ire ad id quod ſecundùm naturam plerunque iucundum eſt? Sanè ſi
hoc modo (quod alij faciunt) exponamus, non obſcura erit ſententia, ſed tamen ver-
bis minùs erit accommodata: quin repugnabit omnino. nam dicendum erat, neceſſe
eſt igitur *plerunque iucundum eſſe* ad id quod eſt ſecundùm naturam, ire; non autem 1048
ἐπιτοπολὺ conijciendum erat ad extremùm, quaſi verò valeat, *ire plerunque*. Certè πολὺ
non rarò valet ſæpè & frequenter, & idem valet ἐπιτοπολὺ: quare verendum eſt ne
ſignificet iucundum eſſe *ire frequenter* ad id quod eſt ſecundùm naturam, ſeu frequen-
tare id quod eſt paſſim amicum & naturale, cuiuſmodi ſcorta ſunt & amica edulia &
id genus alia. itaque, ſi me audias, verba hanc depoſcunt ſententiam, itaut ἐπιτοπολὺ
non cadat ſuper *iucundum* ſed ſuper *ire*, & valeat non plerunque iucundum eſt, ſed fre-
quenter ire: cui explicationi conſentiunt quæ ſequuntur, dum pergit Ariſtoteles &
maximè quando aſſumpta ſit ſua ipſorum natura: quod valeret tunc maximè huiuſ-
modi frequentationem afferre iucunditatem, cum is naturalem conſtitutionem ſeu
propenſionem recuperauit. Qui enim ſemel amiſerit bonam aut corporis aut alicuius
ſenſus conſtitutionem, quæque illi ſolet eſſe propria & naturalis, tunc maximè iucun
ditatem illam perſentit qua ob labefactatam naturam caruerat, ſeu cum naturalis ap-
petitus inſtet & cupiditas: non enim qui crudus eſt, ex edulio ac vino capiat iucundi-
tatem, ſed qui cruditatem deiecerit concoxerítve, ac vinum degeſſerit quo madet.
Ac profectò ſi illud ἐπιτοπολὺ valeret *plerunque* & caderet ſuper *iucundum*, & ſenſus eſ-
ſet ire ad id quod eſt ſecundum naturam, *plerunque iucundum eſt*, non debuiſſet ſubijce-
re id maximè accidere cum quis recuperauerit naturalem ſtatum: nam in hoc ſtatu
illud eſſet iucundum ſemper. Et hinc licet explicare obſcuriſſima illa verba *& maximè*
quando aſſumpta ſit ipſorum natura, natura inquam per quam frequentare poteſt id quod
ei eſt ſecundùm naturam: ſignificat enim ſe non tam intelligere recuperatam valetu-
dinem aut naturam in vniuerſùm quàm ſigillatim eam vim & naturā ſeu facultatem
qua ad talem iucunditatem contenderet, cuiuſmodi eſt cibi appetitus aut quid hu-
iuſmodi vnde maiori fertur propenſione ad id quod ſibi eſt naturale. 1049

PAR-

PARTICVLA CCXXXIV.

KΑὶ τὰ ἔθη. καὶ γὰρ τὸ εἰθισμένον ὥσπερ πεφυκὸς ἤδη γίγνεται. ὅμοιον γάρ τι τὸ ἔθος τῇ φύσει. ἐγγὺς γὰρ τὸ πολλάκις τῷ ἀεὶ ἐστι. ἔστι δ' ἡ μὲν φύσις τοῦ ἀεί. τὸ δὲ ἔθος, τοῦ πολλάκις.

Riccobonus. ET conſuetudines. Etenim conſuetum quaſi natura inſitum iam fit. Similis enim eſt conſuetudo naturæ. Nam viciniratem habet quod ſæpè fit, cum eo quod ſemper. Eſt autem natura quidem eius quod ſemper fit, conſuetudo verò eius, quod ſæpè.

Maioragius. *ET conſuetudo iucunda eſt: id enim, cui quis aſſueuit; tam illi tanquam innatum; inſitúmque eſt; nam ipſa conſuetudo quandam cum natura ſimilitudinem habet. quod enim crebrò fit, non multum abeſt ab eo, quod ſemper fit: quæ verò ſemper fiunt, a natura proueniunt; quæ crebrò a conſuetudine.*

SEcundò conſuetudines refert tanquam iucundas: cuius rei eam cauſam affert, quia id quod eſt conſuetum alicui, eidem quaſi inſitum fit natura, cum conſuetudo ſit naturæ ſimilis, ídque propter vicinitatem quam habet id quod ſæpè fit, ſeu conſuetudo eum eo quod ſemper fit, hoc eſt cum Natura. & ideo addit Naturam eſſe eius quod ſemper fit: conſuetudinem eius quod fit ſæpè. Et ſanè in ijs in quibus agimus, & electione planè violentérque agimus, conſuetudo afferre ſolet delectationem, præſertim propter facilitatem, vel ſaltem minuit moleſtiam aſſuetudine ſi res laborioſa ſit ac dura. Verùm in ijs in quibus patimur & afficimur, quæque nolentes frequentamus, tædium paritur ſæpè ac moleſtia. Atque hinc eſt vt multa, quæ alioquin ſunt iucunda, vt eantus; ſatietatem afferant: itaur Ariſtotelis ſententia, dum voluptatem conſuetudine ait gigni, de ijs intelligenda ſit quæ volentes frequentamus. Ita ſanè quod canit Poëta noſter in 2. Georgicorum, De conſuetudine.

—— adeò in teneris conſueſcere multum eſt,

in nobis tum facilè obtineat locum, cum ſponte alicui rei, etſi duriori, operam damus: 1050 ſed cum dura inuiti patimur, ægrè conſuetudo delectationem afferat vnquam: minuat tamen: nam in aſſuetis ſaltem minùs patimur. Quin id quod afficitur & patitur, niſi quandam præſeferat habilitatem vnde conſuetudine ad aliquid aſſueſcat, nunquam id aſſequatur. Quare lapis quantumuis ſurſum iactetur millies, nunquam aſſueſcat quòd ad id habilitatem aut propenſionem habeat nullam. Sed Ariſtoteles de praxi ac propterea de ijs quæ electione geruntur (vt dicere cœperam) verba facit, in quibus conſuetudo ſine dubio valet plurimùm. Et hinc eſt vt Pythagoras ſuaderet optimam viuendi rationem eſſe eligendam, quòd quantumuis ardua videri poſſet ab initio & permoleſta, facilis tamen ac periucunda conſuetudine redderetur.

PARTICVLA CCXXXV.

KΑὶ τὸ μὴ βίαιον δέ, παρὰ φύσιν γὰρ ἡ βία. διὸ αἱ ἀνάγκαι λυπηρόν. καὶ ὀρθῶς εἴρηται. πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον πρᾶγμ' ἀνιαρὸν ἔφυ. τὰς δ' ἐπιμελείας καὶ τὰς σπουδὰς καὶ τὰς συντονίας, λυπηράς. ἀναγκαῖα γὰρ καὶ βίαια ταῦτα, ἂν μὴ ἐθισθῶσιν. οὕτω δὲ τὸ ἔθος ποιεῖ ἡδύ. τὰ δ' ἐναντία ἡδέα. διὸ αἱ ῥαθυμίαι, καὶ αἱ ἀπονίαι, καὶ αἱ ἀμέλειαι, καὶ αἱ παιδιαί, καὶ αἱ ἀναπαύσεις, καὶ ὕπνος, τῶν ἡδέων. οὐδὲν γὰρ πρὸς ἀνάγκην τούτων.

Er

Riccobonus.

ET non violentum: præter naturam enim vis eſt. Quamobrem neceſſitates moleſtiam habent, & rectè dictum eſt, Inſuaue eſt etenim fieri quodcunque neceſſe eſt. Curationes autem & ſtudia, & contentiones moleſtas eſſe. Neceſſaria enim & violenta hæc ſunt, niſi aſſueuerint. Sic enim conſuetudo affert iucunditatem. At contraria iucunda ſunt. Quamobrem occaſiones, & ceſſationes a labore, & non curantiæ, & luſus, & requietes, & ſomnus inter iucunda ſunt. Nihil enim horum eſt ad neceſſitatem.

Maiora gius. [illegible]

ET quod non eſt violentum, eſt iucundum; vis enim contra naturam eſt. ideo
neceſſitas omnis eſt moleſta, rectéque dictum eſt a Poeta quodam, Inſuaue eſt 1051
ſemper, fieri quodcunque neceſſe. Et ſedulitates, ſtudia, contentionéſque animi moleſta ſunt. hæc enim omnia neceſſaria, ac violenta ſunt: niſi fortaſſe quis in eis diu verſatus fuerit; tunc enim conſuetudo iucunditatem parit. Contraria verò ſunt iucunda: ideo ceſſationes, otia, relaxationes, ludi, quietes, ſomnus in iucundis ponuntur, nihil enim horum eſt neceſſarium.

De iis quæ nō ſunt violenta, at propterea ſunt iucunda: deque aliis ſimilibus quibuſdam.

TErtiò τὸ μὴ βίαιον id quod nō eſt violentum, refert inter iucunda: quod probat a contrario. quia quemadmodum id quod vi efficitur, eſt præter naturam, ita non violentum ſeu quod ſpontè fit, fit ſecundùm naturam, ac proinde iucundum, cum id iucundum eſſe docuerit quod eſt ſecundum naturam. Dum verò Ariſtoteles, vt confirmet non violentum eſſe iucundum, a contrario id confirmat, nimirum quia id quod eſt neceſſarium, ſit moleſtum, neceſſitatem cum vi populariter confundit: cum alioquin neceſſitas a Natura quoque proficiſcatur quæ vim infert nullam: vis enim extrinſecus aduentat. Quanquam dum eam profert neceſſitatem quæ non violento ac proinde ſpontaneo opponitur, eam neceſſitatem intelligat oportet, quæ extrinſecus accedit: hæc enim aut eſt quæ propriè non violento opponitur: præſertim quia iam antea oſtendimus hîc non ſubtiliter hæc æſtimari, quaſi verò non violentum diſtinguendum ſit a ſpontaneo, ſed trito more ac modo. Adde quod neceſſitatem illam videtur intelligere quæ electioni agentis opponitur; nam huc ſpectat Eueni quod profert carmen. *Inſuaue eſt etenim fieri quodcunque neceſſe eſt*. Et hanc planè deſignauit neceſſitatem Simonides cum diceret Neceſſitatem ingens telum eſſe: & Horatius cum illam diram appellauit, & trabeo cuneo res præfigere cecinit. Etſi qui hanc Diis præ-
poſuerunt, quemadmodum ſuperſtitioſè multos introduxerunt Deos, ita temerè
Deum neceſſitati parêre affirmarunt. Sed redeo ad Ariſtotelem qui propterea in 4. 1052
Diuinæ Philoſophiæ libro & in 2. ad Nicomachum, ſtatuit violentum eſſe moleſtū, quia cum ſit neceſſarium, eſt præter naturam: vbi item neceſſarium vſurpat prout opponitur ſpontaneo & extrinſecus aduenit: ac tales quoque curationes & contentiones deſignare potuit hoc in loco & talia ſtudia dum probat hæc, quippe neceſſaria, eſſe moleſta: hæc enim fermè nobis extrinſecus inferuntur & admouentur. Quam rem totam egregiè expreſſit Plato in Axiocho (ſi tamen Platonis eſt) dum eas quæ nobis inferuntur enumerat ſolicitudines. *Quæ tandem* (inquit) *non premit eum moleſtia? Semper enim vel penuria, vel frigore, vel calore, vel verberibus vrgetur. Antequam loqui poſſit, quanta patitur? flens ſcilicet, hâncque ſolam habens anxietatis ſuæ querelam. Vbi ſeptimum de hinc expleuerit annum, multóſque labores exhauſerit, iam cuſtodes, gymnaſticæ, magiſtri ludi, iam adoleſcenti critici, geometræ, rei militaris præceptores, ingens planè dominorum multitudo. Poſt iſta vbi in Ephebos inſcriptus eſt, prior iam metus Lyceum, Academia, gymnaſiarchia, virgæ, nulláque prorſus malorum menſura. Omne adeo adoleſcentis ſub moderationibus eſt tempus, qui ex Areopagi delecti concilio præſunt iuuentuti. Deinde cum fuerit iſtis exolutus, iam curæ palam emergunt, reputatióque quod viuendi potiſſimum inſtituat iter, præ éque ſequentibus incommodis priora illa puerilia videntur, & infantium reuera territamenta: expeditiones enim & vulnera perpetuúque certaminum labores.* Hæc Plato: qui propterea concludit nos tanquam duro fœneratori ſubiectos eſſe mortalitati. Neque verò id affirmauerim quod exiſtimem

non

non eas quoque curas deſignari potuiſſe ab Ariſtotele quas ſponte quoquo modo ſuſcipimus: Sed quia hæ, vt ſunt non neceſſariæ aut minùs neceſſariæ, vix quicquam opponantur non violentis. Quare dum aliqui ſtudia & ſedulitates & contentiones nō
1053 tam nobis illatas & adhibitas quàm a nobis ſuſceptas, ac ſponte ſuſceptas, intelligunt, quaſi verò ex ſuppoſitione (vt Philoſophi loquuntur) ſeu ob finem propoſitum ſint neceſſariæ, & hoc nomine moleſtæ; equidem hoc eis tum demum conceſſerim, cum ea quoque omnino deſignari fateantur, quæ extrinſecus inferuntur. Sed iam, quoniā Ariſtoteles docet qui huiuſmodi ſolicitudines ſint minùs moleſtæ, interdum etiam iucundæ, illum audiamus, & pleniùs in propoſita quoque dubitatione illius ſenſum agnoſcamus. Ergo ait labores ſedulitatéſque omnes & ſtudia contentionéſque eſſe moleſtas quòd neceſſariæ ſint ac violentæ. Vbi quantumuis fieri poſſit vt hæc ſponte aſſumamus, boni ſcilicet cauſa & vt beatè viuamus, ac propterea ex ſuppoſitione finis tantùm ſint neceſſariæ; attamen cum ſolicitudines a nobis vel tuendæ vitæ vel prolis alendæ inſtituendæque cauſa ſuſcipiantur ſæpiùs, vel extrinſecus importentur & imponantur, quemadmodum ex Platone docuimus, hæ quoque intelligendæ ſunt; cum præſertim maiorem neceſſitatem habeant, & non violentis opponantur commodiùs. Quare appoſitè illud M. Tullius, *Si nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi quibus regionibus vitæ ſpacium circumſcriptum eſt, eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas, nec tantis ſe laboribus frangeret, neque tot curis vigiliiſque angeretur, nec toties de vita ipſa dimicaret. Sed ſpes perueniendi quò velis, aut conſequendi quod concupiſcis, laborem facit videri leuiorem.* (Quod ſanè indicat quales ſint curæ quæ neceſſariæ videri poſſint, etſi finis tantùm gratia, & ex ſuppoſitione ſint neceſſariæ) cæteræ tamen quas propoſuimus, ſpernendæ non ſunt: ſiquidem cum multò minùs quàm illæ ſpontaneæ ſint, aut etiam abſint a ſpontaneo & accedant ad violentum, non violento opponuntur percommodè. At enim ceſſationes, otia, relaxationes, ludi, ſomnus, inter iucundas ſedulitates numerat quæque neceſſarijs opponantur, ac propterea etiam iucunda cēſentur. Fateor.
1054 Sed tamen hîc nouum genus rerum iucundarum proponitur. Et ideo hæc non eò refert vt probet ſedulitates illas quæ ea fine ſaltem neceſſariæ dicuntur, eſſe moleſtas; ſed vt noua forma ac ſpecies extet rerum iucundarum. Adde quod hæc æquè ſedulitatibus omnibus tam ex fine quàm abſolutè ſumptis opponuntur. Omnes igitur, quales quales ſint, dum tamen laborioſæ ſint, comprehenſas crediderim: minùs neceſſarias, quibus liceat argumentari violentas, multò magis eſſe moleſtas, cum quæ minùs violentæ ſunt ſedulitates, moleſtæ ſint: cæteras, quia hæ quoque, quippe quæ non violentis plus paulò opponuntur & permoleſtæ ſunt, declarant non violentis iucunditatem eſſe tribuendam. Atque huiuſmodi curas ſedulitatéſque omnes, ſiue inferantur ſiue aſſumantur, ſiue abſolutè, ſiue finis gratia ſint neceſſariæ, id habent vt propter conſuetudinem minùs moleſtæ ſint, interdum etiam afferant iucunditatem. Atque ex his conſtare ſatis poteſt verbis illis, *At verò contraria iucunda ſunt*: & ſequentibus, nouam nobis rerum iucundarum formam obijci, ac ſtatui ceſſationes, otia, negligentias, luſiones, requietes, ſomnum, inter res iucundas numerari. Quanquam requirere ac diſceptare cogor NVM iurè ijs Ariſtoteles tribuat iucunditatem, ac num tanti faciendа ſint vt ſedulitati, ſtudio, animíque contentionibus ac labori & vigilantiæ anteponenda ſint. Dum enim hæc ſtatuit eſſe moleſta, illa è contrario iucunda, videndum eſt num id meritò ſtatuerit. Ac primùm quidem cum occaſiones ſeu ῥαθυμίας quas veriùs inertias verteris & ἀπονίας ſeu laboris vacuitates & ἀμέλειας ſeu negligentias, quę omnia deſidiæ atque inertiæ nomine meritò cōplectaris, dedecus afferre ſoleāt ac probro verti, quis eas ſedulitati atque animi ſtudio & cōtētioni audeat anteponere? Ne Epicurus quidē, etſi prudētiſſimus audeat. Equidē cū iſthæc fugiēda ſint ac declināda, nō video cur honeſto labori anteponātur & vigilātiæ. Sed & ociū intolerabile pondus eſt
1055 ac moles impuriſſima ſub qua marceſcunt omnia, quēadmodū labore effloreſcunt: ſomnus itē veterno plenus eſt, vnū atque alter virtutis acerrimus hoſtis, & ſexcentorū malorū origo. Adde hominē ad laborē natū eſſe, & vt laboraret a Natura, vel potiùs a Naturæ authore Deo, fictū & conformatum, & in amœniſſimo loco collocatū. Itaque ad laborem atque opus veluti natum eſſe vel ex eo intelligat ſagax rerum æſtimator quia gemina inſtructus eſt manu, quæ laborantium inſtrumenta ſunt validiſſima, quæque alteri ex animantibus nemini attributa ſunt: vt propterea manus inſtrumen-

CONTROVERSIA LXVIII. NVM iurè inertiæ & his ſimilib. tribuat iucūditatē.

I.

II.

III.

Pp tum

tum inſtrumentorum iurè ac meritò appelletur: homo cui attributa eſt, vnicus inter
mortales artifex. Et ideo quæ ex huius artificis manu prodeunt opera, germana Artis
miracula dici poſſunt; vſque adeò & in Vrbibus & in templis atque ædibus ingenti-
bus & in nauibus extruendis,& in terræ cultura, & in conſiti agri pulchritudine,elucet
laboris opus; multò verò magis in minoribus quibuſdam,quibus ſolis curſum, Cœli
ac ſtellarum conuerſiones, naturæ ipſius opera,imitatur honio. Vt de pictura & ſcul-
ptura déque alijs ſexcentis laboris monumentis ſileam,quibus Natura propemodum
ſuperatur. Veriſſimè enim dici poteſt equum aut leonem pictum vſque adeò Picto-
ris ac ſtatuarij artificio pulchrum ac nobilem exprimi, vt ſi ad naturales conuertas
oculos, natura cedere videatur. Sic animaduertas inter homines per quam pauciſſi-
mos perfectæ pulchritudinis reperiri,ac propè neminem in quo aliquid non deſidere-
tur: pictura æquè pulcherrimos fingere poſſit omnes & eximium in illis decus expri-
mere; vix vt præter ſpiritum in illis requiras: niſi tamen ſpirantes quoque videri ſal-
IV. tem affirmes. Adde inſuper laborem ſtudiúmque multò magis ac vigilantiam & ſe-
dulitatem cum propter ſperatum finem ac beatam vitam experi ac diligi, tum, quo-
niam honeſta ſunt per ſe etiam. Quapropter Poëtæ,qui vitæ magiſtri habiti ſunt,Her-
culem ferunt ingentes labores illos ob virtutis ſtudium alacriter ac ſumma vo-
luntate, deſidia interim ſpreta & requiete, voluptatéque ipſa neglecta, exantlaſ- 1056
ſe, & arduas contentiones ſuſcepiſſe, vnde tum admirabilem iucunditatem
V. ac delectationem hauſerit,tum immortalitatem adeptus ſit. Ita fit vt doctrinæ ac bo-
næ artes,gloria ipſa & honor, beata denique vita non ῥᾳθυμίᾳ & ἀπονίᾳ ſed ſedulitate
parētur & improbo labore ac vigilantia. Denique hiſce artibus ac ſtudijs itur ad aſtra,
non ignauia, ſiue otio, deſidia & negligentia. Vt mirum ſit huc ea omnia retuliſſe
VI. Ariſtotelem quibus probra in mortales irrepunt ac vitia,quæque vitam ipſam & fœ-
dam reddunt & permoleſtam. Quid quod Ariſtoteles dicta hæc atque decreta factis
ipſis euertit? Ideo enim φιλοπονώτατος dictus eſt, quòd laboris eſſet ſtudioſiſſimus. Et
idcirco labore,ſtudio ac vigilantia ingentem ſapientiæ laudem, ac principatum ferè &
palmam inter Philoſophos nactus eſt. Et huc etiam pertinet quod vſque adeò ſomni
inimicus fuit vt ad eum fallendum æneam pilam manu comprimeret dum ſe trade-
ret requieti: hinc enim fiebat vt breui (tali eam artificio comprimebat) ac poſt exigui
ſomni ſpatium in ſubiectam peluim ingenti ſtrepitu prolaberetur, atque inde excita-
retur. Quis verò animaduertat eum oculos debito ſomno fraudaſſe, ac non fateatur
VII. magnam iucunditatem ex vigilijs ac ſtudijs cepiſſe? Quin etiam ſic ſtatuo, fieri nullo
modo poſſe vt quis tam ingentem laborum molem conſcribat, tam doctè & inge-
nioſè eloquentiæ ac Philoſophiæ decreta explicet & perſequatur,niſi inter haſce vigi-
lias atque animi contentiones, ſummam hauriat iucunditatem, atque adeò incredi-
VIII. biliter oblectetur. Ad extremùm cum hinc paretur ſapientia, qua nihil optatius aut
præſtabilius,addo etiam ſuauius, dementis ſit exiſtimare hiſce ſapientiæ vijs non vo-
luptatem ac iucunditatem ſe ſe comitem adiungere. Itaut immeritò ſomno, deſidiæ
& inertiæ iucūditatis laus affingatur ac veluti palma tribuatur. Sed fateamur id quod
Explicatur res tota eſt; ῥᾳθυμία ἀπονία, & ἀμέλεια iis primò a priſcis impoſita ſunt requietibus quibus na- 1057
tura indigeret, ac feſſum laboribus corpus ac penè fractum reficeretur: ex quo fit vt
non tam quamlibet requietem quàm honeſtam requietem, non tam ocium quàm
honeſtum ocium, deſignaret. Sed cum ijs abuti cœpiſſent mortales, nec tam ad ne-
ceſſariam animi & corporis quietem remiſſionémque laborum referrent quàm ad
veram inertiam & deſidiam traducerent, factum eſt vt malè audire cœperint & ad ſe-
gnitiem deſidiámque traduci. Quapropter cum Ariſtoteles eas remiſſiones ſiue ani-
mi ſiue corporis intelligat quæ poſt graues labores & contentiones ſunt & optabiles
& neceſſariæ ad naturam inſtaurandam vitámque tuendam, nil mirum ſi ijs iucundi-
tatem attribuit: inſtaurationes enim naturæ ſine dubio voluptatem habent. Et ideo *in libris de leg.*
Plato celebritates ac ludos remiſſionis gratia inuenta atque hominibus attributa ſcri-
bit, quibus a laboribus tantiſper ſuperſedentes, feſſi animi ac debilitata corpora re-
creentur. Denique ſi propoſitæ illæ voces adhuc apud te malè audiant,nec ſatis co-ho-
neſtari poſſint, ſaltem illud tecum ipſe reputes, Ariſtotelem hoc in loco & populari-
ter diſputare & non honeſtatis ac dignitatis ſed iucunditatis & voluptatis vim & na-
turam inueſtigare,imprimíſque prout in ſenſus cadit & corpus afficit.

PAR-

PARTICVLA CCXXXVI.

Καὶ οὗ ἂν ἡ ἐπιθυμία, ἐνῇ, ἅπαν ἡδύ. ἡ γὰρ ἐπιθυμία, τοῦ ἡδέως ἐστὶν ὄρεξις. τῶν δ' ἐπιθυμιῶν, αἱ μὲν ἄλογοί εἰσι, αἱ δὲ μετὰ λόγου. λέγω δὲ ἀλόγους μὲν, ὅσας μὴ ἐκ τοῦ ὑπολαμβάνειν τι ἐπιθυμοῦσιν. εἰσὶ δὲ τοιαῦται, ὅσαι λέγονται εἶναι φύσει. ὥσπερ αἱ διὰ τοῦ σώματος ὑπάρχουσαι. οἷον ἡ τροφῆς δίψα καὶ πεῖνα, καὶ καθ' ἕκαστον εἶδος τροφῆς, ἐπιθυμία. καὶ αἱ περὶ τὰ γευστὰ, καὶ περὶ τὰ ἀφροδίσια: καὶ ὅλως τὰ ἁπτὰ, καὶ περὶ ὀσμὴν εὐωδίας καὶ ἀκοὴν, καὶ ὄψιν. μετὰ λόγου δὲ, ὅσας ἐκ τοῦ πεισθῆναι ἐπιθυμοῦσι. πολλὰ γὰρ καὶ θεάσασθαι καὶ κτήσασθαι ἐπιθυμοῦσιν, ἀκούσαντες καὶ πεισθέντες.

Riccobonus. 1058 ET cuius cupiditas fuerit, id omne iucundum: nam cupiditas iucundi eſt appetitio. Cupiditatum autem aliæ quidem rationis experres ſunt, aliæ verò cum ratione. Voco rationis expertes, quas non ex eo, quòd exiſtiment aliquid, ſuſcipiunt. Et ſunt tales, quæcunque dicuntur eſſe natura, vt quæ propter corpus inſunt, vt alimenti ſitis & fames, & in vnaquaque ſpecie alimenti cupiditas, & quæ cernuntur in ijs, quæ guſtatu percipiuntur, & in venereis & omnino in ijs, quæ pertinent ad tactum, & in odoratu ſuauitatis, & auditu & viſu. Cum ratione verò quaſcunque ex eo, quod perſuaſi ſunt, concipiunt. Multa enim & perſpicere, & poſſidere, concupiſcunt, cum audiuerint, & perſuaſi ſint.

Maioragius. *ID etiam omne cuius cupiditate tenemur, eſt iucundum; cupiditas enim rei iucunda appetitus eſt. Cupiditatum autem alia ratione carent, alia ſunt cum ratione coniuncta: ratione carentes eas voco, quas non iudicio, cogitationéque noſtra ſuſcipimus, ſunt autem eiuſmodi, qua natura nobis ineſſe dicuntur: vt qua propter vſum corporis nobis harent; vt alimenti gratia ſitis, & fames, & cuiuſque nutrimenti appetitio: & qua guſtatu percipiuntur; & in venereis rebus; & omnino qua tactu delectant: & odorum ſuauium, qui naribus ſentiuntur; & audiendi videndique cupiditates. Cum ratione coniuncta ſint cupiditates illa quas alicuius oratione perſuaſi homines concipiunt: multa enim & videre, & acquirere cupiunt; cum ab alijs ea laudari audiunt, & eorum verbis fidem habent.*

SVmmam iucunditatis attingit atque adeò dextram ad eius fontem intendit. Id igitur iam ſubdit eſſe iucundum cuius cupiditate tenemur. quod ſanè ex ipſius cupiditatis definitione demonſtrat, quam ait eſſe appetitum rei iucundæ. Hanc verò definitionem eſſe bonam tum ex moralibus conſtare poteſt vbi teritur & vſurpatur ſæpè, tum inductione. Nam & ægrotus ſanitatem, & famelicus cibum, & ſitiens potum, auarus diuitias, ambitioſus honores, lætas ſegetes copioſóſque fructus Agricola, nauta proſperam nauigationem ac tutum portum. Imperator victoriam ac triumphum, doctrinarum ſtudioſus ſapientiam, appetit: quæ ſingula cuique iucunda ſunt. Denique ratione quoque confirmari poteſt, ſiquidem appetitus naturaliter fertur in rem iucundam, immo hac excitatur, erigitur, inſtigatur, expletur. Quanquam dubitari poteſt quia interdum ea cupimus & appetimus quæ abſunt a iucunditate, vt amarum pharmacum, venæ ſectionem, laborandi ſpatium & opportunitatem, pericula ipſa & prælia. Sed profectò hæc non abſolutè expetimus ſed ex ſuppoſitione

Qua ſit iucunditatis vis ac ſumma.

1059

Dubitatur.

Reſpondetur.

finis tantùm, vt Peripatetici loquuntur ac docent, id quod accidit in prælio & bello vnde victoriam exoptamus, & in pharmaco vnde ſanitatem ſperamus; & in cæteris quæ alioquin moleſta ſunt. Res enim a iucunditate alienas nũquam appetimus, dum ſenſum ſequimur ducem. Denique voluptas corporis ex rebus iucundis pendet tota, Quanquam non eſt cunctandum fateri voluptatem non ſolùm pertinere ad eam animæ partem quæ rationis expers eſt, verùm etiam ad mentem ac rationem ipſam, Quam rem totam declarat Ariſtoteles copioſè: ac priùs corporis voluptates ferè ex ſenſuum varietate voluptatibúſque diſcriminat, quas naturales eſſe ait, quia non ex rationis imperio, aut cogitationis ductu, ſed naturæ veluti impulſu pendeant, & ideo nobis communes ſunt cum belluis: tum puriores voluptates ad æſtimationem & ratiocinationem reuocat qua carent voluptates ſenſûs. Quanquam inter voluptates mentis eas refert, quas opinione quodammodo & perſuaſione permoti appetimus, vt ſi quis hæreditatem ac diuitias ſpe conceperit, aliunde perſuaſus: id quod belluis haud accidit, quæ orationis vim ac rationis haud ſentiunt, multò minùs res quæ ſapientum aut amicorum prædicatione celebrantur.

PARTICVLA CCXXXVII.

Ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὸ ἥδεσθαι ἐν τῷ αἰσθάνεσθαί τινος πάθους, ἡ δὲ φαντασία ἐστὶν αἴσθησίς τις ἀσθενής, κἂν τῷ μεμνημένῳ καὶ τῷ ἐλπίζοντι ἀκολουθεῖν φαντασία τις οὗ μέμνηται ἢ ἐλπίζει. εἰ δὲ τοῦτο, δῆλον ὅτι καὶ ἡδοναὶ μάλα μεμνημένοις καὶ ἐλπίζουσιν, 1060 ἐπείπερ καὶ αἴσθησις.

QVoniam verò poſita eſt iucunditatis perceptio in ſentienda aliqua affectione, & phantaſia eſt ſenſus quidam debilis, & ei qui recordatur, quíque ſperat, conſequens eſt phantaſia quædam eius rei, cuius meminit, aut ſpem habet. Si hoc ita eſt, patet etiam voluptates ineſſe vehementes ijs qui recordantur, & ſperant, ſiquidem ineſt quoque ſenſus. *Riccobonus.*

ET quoniam iucunditas in quadam affectione ſentienda poſita eſt; phantaſia verò ſenſus quidam eſt, ſed infirmus; & ei qui recordatur, aut ſperat, phantaſia comitatur eius rei, quam recordatur, aut ſperat: perſpicuum eſt hoc ita poſito, voluptatis etiam ex acriori recordatione, & ſpe concitari; fit enim aliquo modo ſenſus. *Maioragius.*

Quod ſenſum allicit ac phantaſiã, id numerat inter res iucundas.

ID præterea numerat inter res iucundas quod allicit aut delectat ſenſum ac phantaſiam: huc enim ſpectat ratiocinatio huius loci, etſi inuoluta videri poſſit ac longior. In qua ſanè quoniam non modo res præſentes ob ſenſum & eius affectionem, verùm etiam res præteritæ ob memoriam & futuræ propter exiſtimationem & ſpem, delectant, hæc omnia ſtatuit eſſe iucunda. Et per hanc occaſionem de phantaſia verba facit cui res abſentes ac futuræ præſentes fiunt. Hic verò multa ſunt quæ interim interponit noſter Author Ariſtoteles, quæ ſanè quam vim habeant, & quò ſpectent, non facilè ſtatuas. Etſi enim ratiocinationis ſumma ea eſt, illa eſſe iucunda quæ alliciunt ac delectant, & propterea tum res præſentes quæ ſenſu percipiuntur, tum præteritas ob memoriam ſeu recordationem, tum futuras propter ſpem & cupiditatem, afferre iucunditatem, hæc tamen ambiguitatem habent magnam. Quapropter paulò latiùs hæc examinare cogor, ac propterea Controuerſiam interponere in qua perueſtigandum eſt, NVM quæ ad tripartitam hanc iucunditatem declarandam ſcribit Ariſtoteles, probanda ſint, præſertim dum perobſcura videri poſſunt. Ac primò cur phantaſiam appellat ſenſum, cum alibi perſpicuis neget verbis phantaſiam ſenſum eſſe? Sanè cum hoc tanquam fundamentum iaciat hoc in loco, ſi infirmum ſit ac ruinoſum, moles etiam quam inde extollit, facilè corruat. Deinde cur ſenſus, quidam debilis appellatur,

CONTROVERSIA LXIX. NVM quæ de tripartita iucunditate ſcribit Ariſtoteles, probãda ſint.

1061 *lib. 3. de an.*

Dubitatur I. II. III.

pellatur, cum non modò res præſentes, quod faciunt externi ſenſus, verùm etiam &
præteritas & futuras complectatur? Adde quòd tam vehemens eſt interdum phanta-
ſiæ vis, & ſenſum ac mentem veluti abſorbeat, ad ſe conuertens & ſenſum & mentem
cogitationémque vniuerſam. Ad hæc, cum hinc colligat ex recordatione ac ſpe ineſſe IV.
nobis voluptates vehementes, mirum eſt cur non potiùs dixerit phantaſiam eſſe ve-
hementem quendam ſenſum ac robuſtum, non exilem ac debilem. Denique videndũ V.
eſt cur memoriam confundat cum phantaſia, & num iurè ſpem boni futuri nulli alte-
ri potentiæ ſeu facultati attribuat, quemadmodum rerum bonarum recordationem
attribuit memoriæ. Crediderim tamen ſenſus nomine appellare phantaſiã quia eius *Reſpondetur.*
gerat quandam vicem, cum rei quæ priùs affecerat ſenſum, ſpecie & motu quodam, I.
etſi exiguo aut minùs vehementi; tangatur, vnde exiſtimatio quandam rem concipit.
Interim tamen Ariſtoteles vel quia phantaſiæ ab alijs paſſim ob motum iſtũ, etſi exi-
lem ac debilem, ſenſus tribueretur nomen, ſiue quia nihil intereſſet de nomine alter-
cari hoc tempore cum de re conſtaret ſatis, noluit ſubtiliùs diſputare num germana il-
li conueniat ſenſus ratio. Tametſi ne non perſpicere videatur rem eſſe ſalebroſam, for-
taſſe etiam ne ſui immemor habeatur aliquando ſi alibi neget eſſe ſenſum, cautè mo- II.
net debilem eſſe & imbecillum. Quod affirmat quia non a re ipſa quæ ſenſum afficit
(quocunque tandem modo afficiat) ſed tenui quadam illius ſpecie quæ iam cœpit
euaneſcere, attingitur. Nihil verò prohibet quominùs debilis ſit quantumuis & præ- III.
terita concipiat & futura: nam tenuiter adhuc ea concipit, ſi cum ſenſu qui ab re præ-
1062 ſenti afficitur & pulſatur, attentè comparetur. Et hinc eſt vt ſenſus ſcientiæ ac menti
miniſtret formas & viam muniat, phantaſia opinioni tantùm famuletur. Quòd ſi IV.
phantaſia interdum cogitationem atque animam penè totam arripere videtur & ab-
ſorbere, id & penarum eſt, & fortaſſe non ſine mentis impulſu: qua etiam in re a men-
te longo ſuperatur interuallo: mens enim eſt quæ ad arcem vocat ancillas; ac ſenſus,
memoriam, phantaſiam, quippe ſuas adminiſtras, occupat vehementiùs. Et hinc eſt
vt ſi quando ob phantaſiam vehementes haurimus voluptates, hæ adhuc adumbratæ
ſint, cum res exiſtimatione tantùm ſint præſentes. Quare vehementes dicuntur dum
cum infirmis, cuiuſmodi ſunt pleræque, conferuntur. Et ideo non tam ſignificat Ari-
ſtotelés voluptates ineſſe vehementes ijs qui recordantur & ſperant, quemadmodum
vertit interpres, quàm contingere: quod tamen perrarò accidit; imò verò nullo mo-
do vehementes voluptates ineſſe ait ijs qui recordantur & ſperant, ſed *ἕπονται* (inquit)
μάλα μεμνημένοις, quod eſt contingere voluptates propter recordationem valde; itaut
μάλα nõ ſupra voluptates cadat ſed ſuper recordationem. Et ideo egregiè Maioragius
qui ex acri recordatione ai. gigni voluptatem; vertit enim *Voluptates etiam ex acriori
recordatione, & ſpe concitari, perſpicuum eſt*. Quaſi verò, niſi acrior ſit recordatio & ſpes,
voluptas non excitetur: quod veriſſimum eſſe exiſtimo; tantum abeſt vt ſpe aut re-
cordatione vehementes voluptates animo gigni (quod Riccobonus affirmat) cenſeat
Ariſtoteles. Quod ſi non *μάλα* legas ſed *ἅμα*, vt habent libri quidam, ne illud quidem
habeas ex acri recordatione ac ſpe gigni voluptatem, ſed tantùm ſimul cum recorda-
tione & ſpe gigni voluptatem; vſque adeò abeſt vt vehementes iſtas voluptates hinc
oriri ſtatuat Ariſtoteles. Quanquam *μάλα* libentiùs legerim cum vulgatis, atque illud
1063 indicari exiſtimauerim, ex acri ſeu magna recordatione & ſpe gigni voluptatem, quaſi
verò ex tenui recordatione & ſpe ægrè (id quod indicare cœperam) gignatur volu-
ptas: quæ omnia confirmarent phantaſiam debilem ſenſum eſſe & imbecillum. Quæ V.
cum ita ſint, ſat ſit nobis hoc in loco didiciſſe iucunditatem non modò ex ſenſu rei
præſentis, verùm etiam ex anteactæ voluptatis recordatione ac futuri boni ſpe gigni,
idque non ſine exiſtimatione quadam & phantaſia; cætera quippe altioris contem-
plationis, ac nobis non neceſſariæ, Phyſiologiæ relinquamus. Præſertim verò quia vſ-
que adeò abſtruſæ ſunt huiuſmodi permotiones & affectiones ac talium affectionum
& permotionum facultates, vt difficile ſit quicquam Phyſicis ipſis ſtatuere: quin etiã
quemadmodum earum varietas ac numerus in obſcuro verſatur, ita dubitare licet de
functionibus, ac ſuſpicari ne temerè communem ſenſum hîc prætereat, atque vni
phantaſiæ totum illud munus demandet. Nam de ſedibus & organis harum functio-
num & affectionum nihil attinet dicere, cum Ariſtoteles non ſemel ſcripſerit hæc
omnia in corde celebrari.

PARTICVLA CCXXXVIII.

Ὥστ' ἀνάγκη πάντα τὰ ἡδέα, ἢ ἐν τῷ αἰσθάνεσθαι εἶναι παρόντα, ἢ ἐν τῷ μεμνῆσθαι καὶ γεγενημένα, ἢ ἐν τῷ ἐλπίζειν μέλλοντα. αἰσθάνονται μὲν γὰρ τὰ παρόντα, μέμνηνται δὲ τὰ γεγενημένα, ἐλπίζουσι.

QVare neceſſe eſt, omnia iucunda aut in ſenſu conſiſtere præſentium, aut in memoria etiam præteritorum, aut in ſpe futurorum. ſentiunt enim præſentia, recordantur præterita: ſperant futura. *Riccobonus.*

ITaque neceſſe eſt, omnia iucunda aut propter ſenſum eſſe præſentia, aut propter recordationem præterita, aut propter ſpem futura. Sentiunt enim homines, res præſentes, recordantur præteritas, ſperant futuras. *Maioragius.*

Colligit tripartitam ſenſus iucunditatem.

QVantum inuoluta eſt ſuperioris particulæ ratiocinatio ac longior, tantum plana eſt eius concluſio quæ in præſenti particula continetur itaut ex hac ſuperioris tenebræ depellantur etiam. Colligit autem ea quæ 1064
ex dictis eliciuntur, reuocátque iucunda omnia tum ad ſenſum ob res præſentes, tum ad memoriam propter anteacta, tum ad ſpem propter futuras, ſimúlque eleganter obſeruat homines ſentire præſentia, recordari præterita, ſperare futura: quæ omnia ex dictis perſpicua ſunt. Idémque planè docuit in antepoſtremo moralium libro vbi iucundam eſſe ait & præſentis temporis actionem & futuri ſpem, & præteriti memoriam: Sed tamen quæ accidunt in præſentia eſſe omnium iucundiſſima.

PARTICVLA CCXXXIX.

ΤΑ μὲν οὖν μνημονευτὰ ἡδέα ἐστὶν, οὐ μόνον ὅσα ἐν τῷ παρόντι ὅτε παρῆν ἡδέα ἦν, ἀλλ' ἔνια, καὶ οὐχ ἡδέα, ἂν ᾖ ὕστερον καλὸν καὶ ἀγαθὸν τὸ μετὰ τοῦτο. ὅθεν καὶ τοῦτο εἴρηται. ἀλλ' ἡδὺ τοι σωθέντα, μεμνῆσθαι πόνων. καὶ, μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ μνήμενος, ὅς τις πολλὰ πάθῃ καὶ πολλὰ ἔοργοι. τούτου δ' αἴτιον, ὅτι ἡδὺ καὶ τὸ μὴ ἔχειν τι κακόν. τὰ δ' ἐν ἐλπίδι, ὅσα παρόντα ἢ εὐφραίνειν ἢ ὠφελεῖν φαίνεται μεγάλα, ἢ ἄνευ λύπης ὠφελεῖν. ὅλως δ' ὅσα παρόντας εὐφραίνει, καὶ ἐλπίζοντας καὶ μεμνημένους, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

AT quæ quidem memoria cuſtodiuntur, iucunda ſunt, non ſolùm quæ tunc cum aderant, iucunda erant, ſed nonnulla etiam non iucunda, ſi præterea eueniat quippiam honeſtum, & bonum. Vnde illud dictum eſt; Verùm delectat ſaluum meminiſſe laborum. & illud; nam delectatur, memor eſt, quicunque laborum, Cum res eſt multas paſſus, multáſque peregit. Atque huius rei cauſa eſt, quia iucundum eſt etiam non habere malum. Ex ijs verò, quæ in ſpe ſunt, quæcunque præſentia, aut iuuare videntur multùm, aut ſine moleſtia iuuare. Omnino quæcunque præſentes oblectant etiam oblectant ſperantes, & recordantes plerunque. *Riccobonus.*

NEque tantum ea iucunda ſunt ex recordatione, quæ, cum adeſſent erant iucunda, ſed quædam etiam quæ moleſta fuerunt; ſi poſtea quippiam honeſtum, atque vtile conſequatur. quò fit vt illud rectè dictum ſit. ſuauis eſt laborum præteritorum memoria. & illud; Nam iuuat inſanos homines meminiſſe labores Quos 1065 *Maioragius.*

tulit

tulit infeſtis fortunæ caſibus ait. huius autem rei cauſa eſt, quoniam eſt etiam iucundum, nihil habere mali. In ſpe ſint ea iucunda, quæ cum præſentia ſunt, vel oblectare vel prodeſſe multum uidentur; uel quæ ſine ulla moleſtia proſunt. Et in ſumma quæcunque nobis lætitiam adferunt, cum præſentia ſunt, eadem & ſperantes & recordantes plerunque delectant.

EX dictis illud etiam colligit ac ſtatuit, non modò bonorum verùm etiã *Malorum*
malorum recordationem eſſe iucundam, ac ſummatim, ea, quæ per ſe *quoque recordationẽ*
iucunda non ſunt, aliquid afferre iucunditatis: id quod tum demum *eſſe, iucundam.*
accidere ſignificat, cum eas res quæ aut malæ eſſent aut non bonæ, honeſtum aliquid & bonum ſit conſequutum. Quam rem eleganter tum Poëtarum authoritate, tum ratione, confirmat: authoritate Euripidis priùs qui cecinit,

Verùm delectat saluum meminiſſe laborum:

Tum Homeri apud quem ſubulcus cecinit,

Num delectatur memor eſt quicunque laborum,
Cum res eſt multas paſſus multáſque peregit.

Et ſanè quemadmodum dolemus, ſi quando amiſſi boni occurrit recordatio, ita lætemur neceſſe eſt cum anteacti mali recurrit memoria. Ratio illa eſt quia iucundum eſt etiam non habere malum: id enim, ſi cum malo conferatur, bonum videri poteſt. Atque hîc duo obſerues: vnum non eſſe neceſſarium vt honeſtum ac bonum quod conſequitur, ex anteacto illo malo promanarit, ſed ſatis eſſe vt continenter aut temporis interuallo malum illud conſequutum ſit, ita ut poſt illud non ex illo euenerit: quod ſi ex illo etiam, maiorem facilè afferat voluptatem. Alterum eſt videri labi in hoc Ari-
1066 ſtotelem ac ſecum pugnare. Nam ſi iucundum eſt etiam non habere malum, id continget etiamſi interim quidpiam honeſtum aut bonum non ſit conſequutum. Sed tum demum tueri licebit Ariſtotelem cum maior quædam dubitatio explicata ſit quę pleniorem requirit diſputationem.

Et ideo Controuerſiam hanc proponimus NVM iurè affirmetur præteritorum *CONTROVERSIA LXX.*
malorum recordationem eſſe iucundam, idque eo etiam tempore quo incolumis in- *Num malorum recordatio ſit iucunda.*
de euaſeris. Etenim apud Latinum Vatem Aeneas, etſi incolumis Ilij euaſiſſet incen- *Oppugnatur.*
dium & ruinas, attamen cum deinde hæc commemoraret affirmare non dubitauit

——— *Quis talia fando*
Mirmidonum Dolopúmue, aut duri miles Vlyſſi
Temperet a lachrymis? ——— Et rurſus
Quanquam animus meminiſſe horret, luctúſque refugit,
Incipiam ——— Et ideo Silius etiam,

Lib. 2. pun.

Quis duros Vrbis caſus laudandáque monſtra,
Et fidei pœnas, & triſtia facta piorum
Temperet euoluens, lachrymis? vix Punica fletu
Ceſſaſſent caſtra, ac miſereſcere neſcius hoſtis.

Sic iſte ob vnam recordationem, etſi planè incolumis. Aldigherius quoque poſt exactum periculum, etſi tutus, ob vnam recordationem canit,

Ch'ancor nel cor rinoua la paura:

Et Lyricorum noſtrorum Princeps,

Ch'ancor de la memoria mi ſgomento.

Eodémque modo apud Senecam Nuncius etſi in tuto eſſet,

Acerba (inquit) *fata poſcis, infauſtum iubes,*
Miſcere læto nuncium: refugit loqui
Mens ægra, tantis atque inhorreſcit malis.

Veruntamen eos libentiùs audierim qui, quod hîc facit Ariſtoteles iucundum eſſe *Defẽduntur*
cenſent meminiſſe mala quæ deuitaueris. Sic Homerus, ſic Euripides, vt indicare cœ-
1057 pit Ariſtoteles: Euripideus enim eſt ſenarius quem profert,

ὡς ἡδύ τι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.
Quàm iucundum meminiſſe laborum vbi ſoſpes fueris.

Homeri

Digitized by Google

Hometi verò reliqui duo verſus: etſi reuera in xv. odyſſeæ paulò aliter leguntur.
Nam Euripidis eſſe quem ſine Authore Ariſtoteles recitat verſiculum, ſatis conſtat
ex M. Tullio. Eidem ſententiæ ſubſcribit Latinus Poeta dum canit —— *forſan & hæc
olim meminiſſe iuuabit*, vbi ſignificat eum qui ſe incolumen ſubtraxerit malo, exacti
mali recordatione delectari. Nam ideo etiam iam tum dixerat,

Durate & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Neque ab hac ſententia abhorret Catullus aut etiam Tibullus cum ille canat,
O quid ſolutis eſt beatius curis? Cum mens onus reponit ac peregrino Labore feſſi venimus larem noſtrum: Deſideratóque acquieſcimus lecto. Hoc eſt, quod vnum eſt pro laboribus tantis. Et alter.

Troia quidem tunc ſe mirabitur, & ſibi dicet
Vos benè tam longam conſuluiſſe viam.

Sed & idem fœliciter expreſſit Seneca dum diceret,

Dulce eſt meminiſſe quod durum fuit pati: Qui ſanè huiuſmodi recordationem
non ſolùm ad mala refert quæ penitus declinaueris, verùm etiam ad ea quæ paſſus ſis
ac ſuſtinueris aliquando. Eodémque modo magnus rerum æſtimator Cicero, *Habet*,
inquit, *præteriti doloris ſecuta recordatio delectationem*: cui addit. *Iucundiorem facit libertatem ſeruitutis recordatio.* Ita quidem, dummodo tandem incolumis labo-
res ac perpeſſiones deſugeris, licet haurire iucunditatem ex recordatione, quod, pro-
poſitis Poëtarum dictis in medium allatis, cenſuit Ariſtoteles. cui fauet prouerbium
illud, *Iucundi acti labores*. At enim M. Tullius præteritorum malorum recordationẽ
acerbam eſſe, ſcripſit aliquando: & Virgilius quem imitati & ſecuti ſunt non pauci,
horrorem ac luctum aſſingunt malorum recordationi. Sed vnum aut alterum ut hos

Conciliantur quæ pugnare videntur cũ propoſita ſententia.

tueamur, & cum ſuperioribus conciliemus, addendum eſt. Primum eſt, luctum, hor-
rorem, moleſtiam iis tantùm ſupereſſe qui non ſatis adhuc ea mala deuitarint: aut ſal- 1068
tem talem ac tantam iacturam fecerint vt magno malo incolumes ſint. id quod Aeneæ
& imitatoribus contigit, cum horreant antéactam calamitatem tanquam vulnus re-
fricare. Alterum eſt non rarò contingere quoſdam ita præſentis mali vi perturbari at-
que percelli, vt multò poſtea etiam, quantumuis in tuto ſint, perturbatione adhuc per-
culſi, dirum in modum tali recordatione afficiantur: ſic poſtrema Ciceronis ſententia,
ſic Aldigherij & eius qui Aldigherium carminis laude tantopere ſuperauit, Lyrici no-
ſtri, verſiculus, accipiendus eſt. Fit enim vt in magnis perturbationibus iis ſimiles ſi-
mus qui longa tempeſtate iactati, etiam cum in terram deſcenderint aut etiam quieti
ſe dederint, ſibi fluctibus ac tempeſtate iactari videntur. Sed de re hac tota, ne quæſo
graue ſit ea percurrere, quæ attulimus alibi: nam præter quàm quod nonnulla ſcripſi-
mus, nec fortaſſe inopportunè, in Gothophridi Commentarijs de hac Controuerſia,
ſanè integram huic argumento Diſputationem tranſmiſimus aliquando. Tu eam in-
ter miſcellanea ſiue opuſcula in duodecimo noſtrarum lucubrationum volumine re-

Reditur ad ea quæ dubitationem habebant in Ariſtotele.

peries. At enim ſint iſthæc, verùm quî tandem Ariſtotelem, cui interim aſſentiris, re-
pugnantiâ eximas? Certè ſi malo quoque carere iucundum eſt, temerè addiderat tum
demum malum vitaſſe iucundum eſſe cum honeſtum aliquid aut bonum ſit conſe-
quutum: ſiquidem citra honeſti aut boni conſecutionem aliquam delecteris oportet,
vbi malum declinaueris, ſi carere malo iucundum eſt. Sed Ariſtoteles acutè addidit.
Si præterea eueniat quippiam honeſtum ac bonum. Nam ſi cum dedecore declinaueris ma-
lum, vix ac ne vix quidem iucunda ſit recordatio. Et ideo neceſſe eſt vt eum dignitate
vnde honeſtas conſequitur, malum vitaueris. Eodémque modo, vbi nullum bonum
ſit conſequutum, ſed ex vna calamitate in alteram incideris, ne id quidem iucundam
habet recordationem; nam malum ſic declinaſſe vt te alterum exceperit, ægrè quic-
quam pariat iucunditatis. Ita fit vt dum generaliter addit iucundum eſſe etiam carere
malo, ſignificet carere malo iucundum eſſe, quia qui non ſine dedecore vitauerit ma- 1069
lum aut nouo ſuccumbat, non habet vnde ſe mali expertem reputet ac delectetur. De-
nique in priori loco loquitur de eo qui malo liberetur, & ideo duas illas conditiones
ſcitè adiungit, in poſteriore loquitur de eo qui malo abſolutè careat, quod ſine dubio
iucundum eſt. Denique vt aliquid poſt exactum malum nobis contigerit vnde digni-
tatis ac boni facta ſit acceſſio, hîc, quod aliqui exiſtimant, ab Ariſtotele requiri ac ſta-
tui, non probarim, niſi hoc ipſum ſine dedecore aut nouo malo vitaſſe malum intelli-
gat.

Digitized by Google

gat. Quin tantum abeſt vt Ariſtoteles hanc honoris aut boni acceſſionem requirere poſſit, vt concedendum ſit etiam ex aliorum malis nos quoquo modo voluptatem capere, cum nos ijs planè immunes eſſe animaduertimus. Etſi enim condolendum eſt aliorum calamitati ac malo, nihil tamen prohibet quin de noſtro quoque bono, dum ab calamitate longè abſumus, gratulemur. Et idcirco paulò poſt docebit ex eodem fonte vno eodémque tempore & dolorem hauriri & voluptatem.

At enim quoniam de boni recordatione prolixè ſatis dixiſti Ariſtoteles, itaut ad vaciniarem quoque mali hanc traduxeris, agedum aliquid præcipias de boni ſpe: nam hanc quoque inter res iucundas numeraſti, & boni recordationi quaſi ex altera parte collocaſti. Addit igitur Ariſtoteles. Ex ijs quæ in ſpe ſunt ea accidere periucunda quæ cum præſentia ſunt, aut oblectare aut iuuare videantur multum, aut ſi non multum iuuent, iuuent tamen ſine moleſtia. Denique vt paucis multa complectar, quæcunque præſentia oblectant, etiam oblectant cum ſperantur, itaut plerunque eos & qui ſperāt & qui recordantur afficiant voluptate, illos tamen vt futura hos vt præterita. Sed cur hæc plerunque oblectant cum naturaliter oblectent ac proinde ſemper afferre debeāt iucunditatem? Ego verò quicquid ad hunc ſcrupulum tollendum ſcribit Victorius,
1070 crediderim ἐπιθυμολὺ ad recordantes pertinere, & ſæpenumero valere, id quod multò antea de hac voce obſeruauimus: nam reuera in recordantes commodè cadit, in oblectant vix ac ne vix quidem.

PARTICVLA CCXL.

Διὸ καὶ τὸ ὀργίζεσθαι ἡδύ, ὥσπερ Ὅμηρος ἐποίησε περὶ τοῦ θυμοῦ, ὅστε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοις. οὐδεὶς γὰρ ὀργίζεται τῷ ἀδυνάτῳ φαινομένῳ τιμωρίας τυχεῖν. οὐδὲ τοῖς πολὺ ὑπὲρ αὐτοὺς τῇ δυνάμει, ἢ οὐκ ὀργίζονται, ἢ ἧττον.

Riccobonus. Qvamobrem & iraſci iucundum eſt, vt Homerus cecinit de excandeſcentia, quæ mille effuſo longe eſt dulcior. Nemo enim iraſcitur ei, qui vindicari non poſſe videatur. ijs verò, a quibus multum ſuperantur potentia, aut non iraſcuntur aut minùs.

Maioragius. *Itaque etiam iraſci iucundum eſt; nemo enim illi iraſcitur, quem ſe nullo modo putat vlciſci poſſe. neque illis qui valde ipſum opibus potentiáque ſuperant, aut ſi iraſcitur, leuius remiſſiúſque iraſcitur, quemadmodum etiam Homerus de ira cecinit;*

Dulcior effuſo quæ melle in pectore gliſcit.

Ex ijs quæ de ſpe dixit, nonam iucunditatis profert formam, ſeu nouum iucunditatis campum oſtendit, ac propterea docet iraſci quoque iucundum eſſe: id quod tum Homeri authoritate confirmat, tum ratione: authoritate quia ille cecinit. Quæ melle effuſo longè eſt dulcior ——: ratione, quia nemo iraſcitur ei cui vindictam reponi haud poſſe videatur. ijs verò a quibus ſe potentia plurimum ſuperari animaduertit, aut non iraſcitur aut minùs. Ita ſanè vbi ſpes ſe ſe offert vindictæ, quoniam boni ſpeciem offert, paritur iucunditas. Hîc vero propoſitum Homeri carmen primo loco, prout fecimus, legendū, non ad extremùm cum Victorio & Maioragio conijciendum poſt ea verba *aut minùs*, inde ſatis conſtat quia propoſito in loco opportunè cadit dum vindictæ ſpes dicitur perſuauis & ideo melle dulcior. Quod ſi ad extremùm conijciatur, præpoſterè cadet, cum inde probetur quod Ariſtoteles negat. refelleret enim non comprobaret Ariſto-
1071 telis dictum. Iam verò ſiue interim intelligas iram, quam moderatione concluſam, honeſtam diximus, ſiue immoderatam, quam θυμὸν & excandeſcentiā appellauimus, poſſis Ariſtotelis ſententiam tueri. Nam vt de excandeſcentia ſileam & immoderata

Iraſci quoque iucundum eſſe.

Qui excipienda ſit propoſita. Ariſtotelis ſententia.

ira

Digitized by Google

ira quam iucundam eſſe conſtat ſi vlciſcendi ſpes adſit (id quod Homeri carmen decla
rat egregiè) nihil prohibet quominùs aliquis qui iuſtè reponat iniuriam, præſertim vt
ſe ſuámque dignitatem cum moderatione tueatur, aut etiam vehementer laceſſitus
ægrè primos impetus iræ frangere poſſit; is aliquid iucunditatis ex præſenti vlciſcendi
opportunitate aut ſpe capiat voluptatis. Nam qui iuſtitiæ aut religioni tuendæ iram ac
zelum adiungat ac propterea vlciſcendi ſpe delectetur, is iurè ac meritò delectetur,
niſi tamen dicas huic non tam vlciſci quàm punire, ac propterea vindictæ ſpe non mo-
Dubitatur. ueri (id quod in Principe & Magiſtratu rectè accidat) ſed iuſtitiæ zelo. Illud tamen du
bitationem afferat quòd ait neminem iraſci qui non vlciſcendi ducatur ſpe, ac propte-
rea fieri vt potentibus, quibus a nobis iniuriam reponi poſſe deſperemus aut non ira-
ſcemur aut minùs; id enim videtur falſum. Nam tunc maximè feruet ira, cum minùs
adeſt vlciſcendi occaſio atque facultas. Sic Mulieres propter imbecillitatem iræ impo-
tentes ſunt, vt diximus antea, & tamen ira mulieris vehemens ſolet eſſe, tantum abeſt
vt non iraſcatur, itaque maledictis & contumelijs, aut diris imprecationibus ſaltem,
iræ indulgent. Quid plura? multi præ iræ æſtu Cœleſtibus, quin Deo ipſi, ſuccenſent &
iraſcuntur, cui nullo modo fieri poteſt vt vel reponatur iniuria, ſed ne iniuriæ quidem
reponendæ ſpes, niſi per ſummam dementiam, ſubrepat vlla: & tamen improbus alea-
tor, aut iracundus alter perditiſſimus, iraſcatur ſuperis quos etiam afficit contumelijs.
Victorius igitur, etſi dubitationem diſſimulet, huic tamen tacitè occurriſſe viſus eſt
cum ſcribat: *Nemo enim* (inquit Ariſtoteles) *iraſcitur ei rei, quam nullo modo putat ſe vlciſci
poſſe. Puto ſignificare Authorem voluiſſe rem, quæ ſenſu careat. verbi cauſa lapidem, clauam, telum,
huiuſcemodi denique aliquam materiam: hæ namque res verè dici poſſunt* ἀδύνατοι εἶναι τιμωρίας 1072
τυχεῖν: *vacuæque omnino eſſe ab hoc metu ac periculo. nam homines nulli omnino liberi ſunt ab
hoc malo, etſi multi reperiuntur, qui ſanè plecti non videntur poſſe: incommodique aliquid accipere
ab ijs, quos læſerunt, quia ſunt robuſtiores, opulentioréſque, quàm illi, quos intelligit verbis, quæ
ſequuntur. quare reſtat vt ſignificet res, quas oſtendimus, de quibus propriè appoſitéque id dicitur:*
Sed vereor vt poſſim Victorio aſſentiri: nam ea verba *nemo iraſcitur cui videatur repoſi
non poſſe iniuria*, ſatis indicat id hominis qui læſerit gratia proferri dum offenſus ne-
queat iniuriam referre ob virium imbecillitatem, aut hoſtis potentiam ſummam; Ita-
Reſpondetur. que cæteri omnes de hominibus hæc Ariſtotelis interpretantur verba. Teneamus igi-
tur quod ſpei cauſa primùm docet, nimirum boni ſpem eò produci vt ſpes quoque
vlciſcendi ſit iucunda: quod ſi addit nos non iraſci ijs qui ob potentiam lædi a nobis
nequeant, aut minùs iraſci, id exceptione quadam moderandum propter exempla in
contrariam partem allata; vel dicendum dolori potiùs ac furori & deſperationi a no-
bis habenas laxari cum vlciſci nequeamus, quàm iræ: iræ enim habenas laxamus ac fre
num cum vlciſcendi ſpes adeſt: Siquidem cum ira ſit feruor ſanguinis circa cor pro-
pter appetitum vindictæ, vlciſcendi finis adſit, qui a ſpe manet neceſſe eſt: & ideo qui
Cœleſtibus Deóque ipſi ſuccenſere videntur, ij furore potiùs aut ſtultitia percelluntur
& abripiuntur quàm ira: idémque mulierculis accidit quæ item dementia vel furore
abripiuntur. Quod ſi adhuc pugnes iſtorum iram & excandeſcentiam veram iram &
excandeſcentiam cenſeri non ſtultitiam; illud ſaltem concedas oportet, illos
vltionis ſeu vindictæ ſpem in blaſphemijs & contumelijs reponere,
quibus diuino honori; humano more ſcilicet; detrahunt.
Nam blaſphemijs quoque ſeu contumelijs & probris 1073
iniuriam reponimus. Ita quidem iſti humana ad
Deum, quaſi vlciſcentes, transferunt: etſi
cum excandeſcentia furori ſit ſimilis &
ideo breuis furor dicatur, iſtos a
furoris nota non libe-
rarim.

PAR-

PARTICVLA CCXLI.

Καὶ ἐν ταῖς πλείσταις ἐπιθυμίαις, ἀκολουθεῖ τις ἡδονή. ἢ γὰρ μεμνημένοι, ὡς ἔτυχον, ἢ ἐλπίζοντες ὡς τεύξονται, χαίρουσί τινα ἡδονὴν· οἷον οἵ τ᾽ ἐν τοῖς πυρετοῖς ἐχόμενοι ταῖς δίψαις, καὶ μεμνημένοι ὡς ἔπιον, καὶ ἐλπίζοντες πιεῖσθαι, χαίρουσι, καὶ οἱ ἐρῶντες διαλεγόμενοι καὶ γράφοντες, καὶ ὑπνοῦντες ἀεί τι περὶ τοῦ ἐρωμένου χαίρουσιν. ἐν ἅπασι γὰρ τοῖς τοιούτοις μεμνημένοι, οἷον αἰσθάνεσθαι οἴονται τοῦ ἐρωμένου, καὶ ἀρχὴ ἔρωτος γίνεται αὕτη πᾶσιν, ὅταν μὴ μόνον παρόντος χαίρουσιν, ἀλλὰ καὶ ἀπόντος, μεμνημένοι ἐρῶσι. διὸ καὶ ὅταν λυπηρὸς γένηται τῷ μὴ παρεῖναι, καὶ ἐν τοῖς πένθεσι καὶ θρήνοις ἐγγίνεταί τις ἡδονή. ἡ μὲν γὰρ λύπη, περὶ τὸ μὴ ὑπάρχειν. ἡδονὴ δὲ, ἐν τῷ μεμνῆσθαι καὶ ὁρᾶν πως ἐκεῖνον, καὶ ἃ ἔπραττε, καὶ οἷος ἦν. διὸ καὶ τοῦτ᾽ εἴρηται ὡς φάτο. τοῖσι δὲ πᾶσιν ἐφίμερον ὦρσε γόοιο.

Riccobonus. ET plurimas cupiditates conſequitur quædam voluptas. Aut enim dum recordantur, quomodo potirentur, aut dum ſperant fore, vt potiantur, perfunduntur quadam voluptate, vt qui febribus habent ſitim, & dum recordantur; quomodo colloquuntur, & ſcribunt, & canunt ſemper aliquid de re illa, quam amant, gaudent. In omnibus enim his talibus dum recordantur, quodammodo ſe ſentire arbitrantur rem amatam. Et principium amoris fit hoc omnibus quando non ſolùm præſenti gaudent, ſed etiam abſentem in memoriam reuocantes amant. Quamobrem & cum quis moleſtia afficitur quòd non adſit, & in
1074 luctibus & lamentationibus exoritur quædam voluptas. Nam moleſtia eſt in eo, quòd non adſit, voluptas verò in eo, quòd recordetur, & videat quodammodo illum, & quæ ageret & qualis eſſet. Quare etiam id dictum eſt, ſic ait, & cunctis lachrymarum accendit amorem.

Maioragius. *QVin maximam cupiditatum partem voluptas conſequitur. nam aut dum recordantur ſe cupiditatem ſuam expleuiſſe, aut dum expleturos ſe ſperant; quodam genere voluptatis afficiuntur: Vt qui febre laborant, cum ſiti premuntur, et recordati fuerint, ſe aliquando bibiſſe, ſperántque futurum vt bibant; gaudio afficiuntur & qui amant, cum de amoribus ſuis, aut loquuntur aut ſcribunt, aut canunt; ſemper lætantur: nam in his omnibus, cum apud illos deliciarum ſuarum memoria vigeat, quaſi ſentire ſe eos exiſtimant. Et hoc omnibus amoris initium eſt, cum non tantum præſenti ſpecie gaudent, ſed etiam abſentem reuocantes in memoriam diligunt. itaque tunc amare incipiunt: cum id quod cupiunt, abeſſe dolent. Quinetiā in luctibus & lamentationibus quædam voluptas innaſcitur. dolor enim exiſtit, ex eius deſiderio, qui mortuus eſt; voluptas autem ex recordatione, & quaſi conſpectu eiuſdem: dum ſibi illum penè cernere videntur; & quæ dum vixit, egit & qui moribus erat præditus, apud ſe repetunt. itaque illud etiam ab Homero dictum eſt;*

Sic ait, & cunctis flendi eſt exorta cupido.

ACeruatim ferè commemorat alia multa quæ cupiditatem ſic conſequūtur vt afferant iucunditatem: vel certè multa ſimul complectitur & congerit quæ ob memoriam rurſus ac ſpem afferunt iucunditatem: & de recordatione quidem, quam rem exemplis etiam illuſtrat eorum qui laborent febre aut ament, perſpicuè ſatis, ac prolixè ſententiam declarat ſuam: idem de ſpe, exemplis item interpoſitis luculentis. Vbi ſignificat præſentes iucunditates ijs initium ac veluti fomitem miniſtrare ijs iucunditatibus *Alia profert multa quæ ob memoriam ac ſpem afferunt iucunditatem.*

quæ

quæ deinde recordatione ac ſpe capiuntur, cum primæ illæ iucunditates in memoriã reuocentur. Quam rem vſqueadeò veram eſſe indicat, vt tunc etiam cum è contrario 1075
angimur aut illachrymamur propter abſentiam optatę iucunditatis, voluptas quoque aliqua ſe ſe immiſceat; itaut in lamentationibus ac luctu non modò moleſtiam, verùm etiam voluptatem, hauriamus: moleſtiam propter abſentiam, voluptatem propter recordationem, quæ fit vt rem amatam & videre quodammodo nobis videamur, & quæ ageret & qualis eſſet, recolamus. Quam rem totam eo confirmat verſiculo,

Sic ait & cunctis lachrymarum accendit amorem.

Quod carmen ex XXIII. Iliados deſumptum eſt vbi Achilles narrat ſocijs ſibi Patroclum, quem vnicè diligeret, in ſomnis apparuiſſe, ſuam calamitatem deflentem, & ſibi ſepulchrum depoſcentem: quo factum eſſe ait vt omnibus deflendi excitarit cupiditatem: quæ ſanè res moleſta erat illa quidem, ſed tamen ob dilecti Patrocli recordationẽ quandam habebat iucunditatem. Cuius rei exempla ſuppetunt etiam ex Latinis Poëtis & multa & egregia: inter quę numeres primum licet Euandri lamentationem dum Pallantem luget filium,

At non Euandrum potis eſt vis vlla tenere:
Sed venit in medios: phoeretro Pallanta repoſto
Procumbit ſuper, atque hæret lachrymánſque geménſque:
Et via vix tandem voci laxata dolore eſt:
Non hæc ô Palla dederas promiſſa parenti,
Cautiùs vt ſæuo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum noua gloria in armis
Et prædulce decus primo certamine poſſet.

Quin rei amatæ ſimilitudo ipſa quæ in alijs ſe ſe offerat, duas haſce & moleſtiæ & voluptatis affectiones gignere poteſt: quam rem totam idem Poëta mirificè expreſſit cũ Andromachen induxit quæ, Aſcanio occurrente, in Aſtyanactis incidit recordationẽ, vnde fleuit ac ſuauiter lamentata eſt;

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat: 1076
Et nunc æquali tecum pubeſceret æuo.
Hos ego digrediens lachrymis affabar obortis.

Quanquam prætermittendum non eſt quod canitur de Aenea qui cum inſpiceret

——— Iliacas ex ordine pugnas,
Belláque iam fama totum vulgata per orbem:
Atridas, Priamúmque, & ſæuum ambobus Achillem.
Conſtitit, inquit Poëta, *Et lachrymans, quis iam locus, inquit, Achate,*
Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?
En Priamus: ſunt hîc etiam ſua præmia laudi,
Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.

Et paulò poſt,

Multa gemens, largóque humectat flumine vultum.

Quæ omnia ſuauiſſimas ac iucundiſſimas continent lachrymas.

PARTICVLA · CCXLII·

Καὶ τὸ τιμωρεῖσθαι ἡδύ. ὃ γὰρ τὸ μὴ τυγχάνειν λυπηρόν ἐστι, τὸ τυγχάνειν ἡδύ. οἱ δ' ὀργιζόμενοι, λυποῦνται ἀνυπερβλήτως, μὴ τιμωρούμενοι. ἐλπίζοντες δὲ χαίρουσι. καὶ τὸ νικᾶν ἡδύ. οὐ μόνον τοῖς φιλονίκοις, ἀλλὰ καὶ πᾶσι. φαντασία γὰρ ὑπεροχῆς γίνεται. οὗ πάντες ἔχουσιν ἐπιθυμίαν, ἢ ἠρέμα ἢ μᾶλλον.

ET vlciſci iucundum eſt. quod enim ſi non conſequamur, moleſtum eſt, id ſi conſequamur, iucundum eſt. Qui verò iraſcuntur, moleſtiam habent incredibilem, niſi vlciſcantur: ſperantes autem gaudent. Et vincere iucundum eſt, *Riccob.*

non

non ſolum ſtudioſis victoriæ, ſed etiam omnibus. Phantaſia enim excellentiæ gignitur, cuius omnes habent cupiditatem, aut remiſſiùs, aut vehementiùs.

Maioragius.

1077 V*Lciſci etiam inimicum, ſuaue eſt; nam quod moleſtum eſt, niſi aſſequamur, id iucundum eſt, cum aſſequimur: irati enim maiorem in modum dolent, niſi ſuas iniurias vlciſcantur; quod ſi ſperent vlciſci, gaudent. Vincere etiam ſuaue eſt non ſolùm victoria ſtudioſis, ſed etiam alijs omnibus: nam in victoria quadam eſt excellentia opinio; cuius deſiderio tenentur omnes, aut remiſſiùs, aut vehementiùs.*

Vindictam quoque refert inter res iucundas.

VIndictam quoque in iucundis ponit, quia quemadmodum non poſſe vlciſci, & in vniuersùm non poſſe conſequi quod optamus, dolorem affert ſeu moleſtiam: ſic vlciſci quod magnopere optamus, gignit iucunditatem. Atque hinc eſt vt ſpes quoque vlciſcendi ſit iucunda: vt enim ira, niſi exaturetur vindictâ, moleſta eſſe ſolet, ſic ſpes exaturandi iram & vlciſcendi iucunda eſt. & tamen fieri poteſt vt qui Chriſtiana præcepta imbiberit altiùs, vindictam refugiat, iniurijs etiam (quod difficilius videri poteſt) gaudeat cum iucunditate. Sed hîc etiam conſequitur quod cupit, nimirum ſalutis Authori obtemperare, eiúſque vitam & mores ſeu exempla ſequi & imitari. Mediam quandam viam init M. Tullius, qui cum in patriam tanta gloria poſt exilium rediſſet, atque authoritate auctus improbis aduerſarijs, ſi non omnibus at certè pleriſque, iniuriam reponere poſſet, negat ſe Marium imitaturum. *Hoc* (inquit) *inter me atque illum intereſt: quòd ille qua de re plurimum potuit, ea ipſa re inimicos ſuos vltus eſt, armis: ego qua conſueui vtar pietate*: & paulò poſt commemoratis inimicorum offenſionibus & varietate, *Sic vlciſcar* (inquit) *facinora ſingula, quemadmodum a quibuſque ſum prouocatus: malos ciues, Remp. benegerendo, perfidos amicos, nihil credendo, atque omnia cauendo; inuidos, virtuti & gloriæ ſeruiendo: mercatores prouinciarum reuocando domum. atque ab ijs prouinciarum rationem repetendo.* Hæc patriæ amantiſſimus & ciuis & pater. Quod ſi non ad Chriſtianam perfectionem peruenit qua iniurijs gaudere viſus ſit, proximè tamen; quæ eius fuit naturæ bonitas, acceſſit, iniurias remittens. atque huc pertinet illud, *Mihi maiori curæ eſt quemadmodum quidem vobis, qui de me eſtis optimè meriti, gratias referam, quàm quemadmodum inimi-*
1078 *corum iniurias crudelitatémque perſequar.* Quanquam multò illuſtriora ac nobiliora illa quæ in altera oratione habet poſt reditum in Senatum: *Non eſt mei temporis iniurias meminiſſe, quas ego, etiamſi vlciſci poſſem, tamen obliuiſci mallem.* Iam verò alteram iucunditatis formam exprimit Ariſtoteles dum ait *& vincere iucundum eſt*: id quod cum generatim vincentibus omnibus iucundè ait accidere tum maximè φιλονίκοις, ijs inquam qui victoriæ ſunt ſtudioſiſſimi, eámque appetunt vehementer. cuius rei pulcherrimam quoque affert cauſam: quia nimirum ex victoria phantaſia quædam & exiſtimatio gignitur excellentiæ; ſibi enim victores hinc quoquo modo videntur excellere: cùm igitur omnes natura duce excellentiæ cupiditate ducantur vel vehementer vel ſaltem remiſſiùs, ſit vt victoriæ cupidis, atque adeò victoribus omnibus iucunda ſit victoria.

Vincere item.

PARTICVLA CCXLIII.

Ἐπεὶ δὲ τὸ νικᾶν ἡδύ, ἀνάγκη καὶ τὰς παιδίας ἡδείας εἶναι, τὰς μαχητικὰς καὶ αὐλητικὰς καὶ ἐριστικάς. πολλάκις γὰρ ἐν αὐταῖς τὸ νικᾶν, καὶ ἀστραγαλίσεις, καὶ σφαιρίσεις, καὶ κυβίας, καὶ πετείας, καὶ περὶ τὰς ἐσπουδασμένας δὲ παιδίας ὁμοίως. αἱ μὲν γὰρ ἡδεῖαι γίγνονται, ἄν τις ᾖ συνήθης. αἱ δ' εὐθὺς ἡδεῖαι, οἷον κυνηγία, καὶ πᾶσα θηρευτική: ὅπου γὰρ ἅμιλλα, ἐνταῦθα καὶ νίκη ἐστί.

Riccob. ET quoniam vincere iucundum eſt, neceſſe eſt etiam ludos iucundos eſſe, qui pertinent ad pugnas, & ad tibias, & ad diſputationes: ſæpè enim in ipſis accidit vincere, & ludos talorum, & pilæ, & aleæ, & teſſerarum, & de ſerijs lu-

dis ſimiliter. alij enim iucundi efficiuntur, ſi quis ſit aſſuefactus: alij ſtatim iucundi ſunt, vt venatio, & tota ferarum inſectatio. Vbi enim certamen eſt ibi etiam victoria eſt.

Maioragius: 1079

ET quoniam vincere ſuaue eſt; neceſſe eſt etiam vt omnes ludi concertatorij, vt, in quibus pugnæ ſimulacra ſunt, & in quibus fiſtula cantúque contenditur, & in quibus diſputatur, ſuaues ſint; quoniam in eis vincere ſæpè contingit: & talorum ludus, & pilæ, & aleæ, & teſſerarum. Eodem modo in grauibus honeſtiſque ludis ſæpè iucunditas exiſtit. nam hi tunc iucundi ſunt, cum quis aſſueuerit; illi verò ſtatim ſunt iucundi; vt venatio & omnis ars, qua feræ captantur: vbi enim contentio eſt, ibi eſt etiam victoria.

In ludo etiam colloca iucunditatem propter victoriam.

EX dictis aliud quoddam iucunditatis colligit genus quod in ludo eſt poſitum atque ijs contingit qui è ludis victores diſcedunt. At enim quales ludos intelligis? omnéſne an certos quoſdam? Videtur hîc Ariſtoteles certos quoſdam intelligere quos proſequitur perſpicuè ſatis. Quanquam eò tandem progreditur vt in ludis omnibus victoriæ iucunditatem collocet qua victores perfruantur. At enim ludi aliqui vſqueadeò ad verum certamen accedunt proximè vt offenſiones etiam afferant: denique multi ſi non offenſiones ac pericula afferunt, laboribus ſaltem ac ſudoribus ſunt pleniſſimi. Sed conſuetudine (inquit Ariſtoteles) ſuaues fiunt. Ita quidem ſiue per ſe ſtatim accidant periucundi, ſiue aſſuetudine ac temporis interuallo, omnes ob victoriam ſuam habent iucunditatem. Hîc verò dum quaſdam ludorum formas enumerat Ariſtoteles, non deeſſet occaſio diſputandi de tota ludorum ratione ac varietate quam liceret ex optimis Authoribus & antiquitate ipſa repetere. Sed quoniam obiter ferè ludorum mentionem iniecit Ariſtoteles, & verò aliqui de ludis integros libros conſcripſerunt, non ſanè hunc campum excurram: tantùm dicam & humilium luſionum & concertationum exempla ſe ſe in Bucolicis obijcere, & grauiorum ac nobiliorum, militarium præſertim, in v. Aeneidos ſpecimen dari. Eorundem quoque finem & vſum egregiè in libro de ſenectute attingit Cicero. Illud itaque ſolùm addiderim, ludum cui victoria propoſita eſt, imaginem referre belli, ita ut quo quiſque ludus elegantiùs bellicum cer- 1080
tamen exprimit, eò maiorem dignitatem referat: quod ſanè à multis ſolet tribui latrunculis vel maximè: etſi, mea quidem ſententia, latrunculi mediocrem bellici certaminis imaginem referunt, cum ingenio contineantur toti; bellum enim aleæ pleniſſimum eſt ac fortunæ (vt ita dixerim) ita ut ingenio atque arti in bello parum reſpondeat euentus. Quanquam latrunculorum collocatio verè quidem imaginem quandam exercitus refert, progreſſio etiam cum hinc inde pugnari videatur, ſtratagemata etiam conueniunt, quod reuera tam in bello quàm in ludo ad vnum ingenium pertinet; ſed qui maximè æſtimandus eſt euentus, euentúſque ratio atque ars, diſparilis eſt, cum ibi ſolum ingenium valeat, hîc ſe ſe caſus ac ſors immiſcere videatur. Atque hinc licet etiam de cæteris ludis ſtatuere; quos tamen interim prætermitto ne ſim longior. Illud tamen hîc non ſilebo, prouidendum diligenter ne ſi victoriæ cupiditas nos delectat in ludo & excellentiæ vitia ſubrepant quæ in ludo, præſertim verò in aleis ac teſſeris, occupant homines; nimirum cupiditas, auaritia, fraudes, contentiones, rixæ, blaſphemiæ: ex quibus etiam perditi homines ad furta incitantur & latrocinia: quibus aliquando longa litera luunt pœnas. Quod ſi te iuuet ea perlegere quæ de toto hoc ludi argumento diſſeruimus aliquando, inter latina opuſcula hanc reperies quæ in duodecimum aut vix lucubrationum noſtrarum volumen coniecimus, diſputationem.

PARTICVLA CCXLIV.

Διὸ καὶ ἡ δικανική, καὶ ἡ ἐριστική, ἡδεῖα τοῖς εἰθισμένοις καὶ δυναμένοις.

Quare

Riccobonus. QVare & iudicialis, & contentioſa diſputatio iucunda eſt ijs, qui aſſuefacti ſint, & potentes ſint.

Maioragius. *ITaque iudicialis labor, & controuerſæ diſputationes ijs iucunda ſunt, qui iam aſſueuerint, & eas tractare poſſunt.*

IAm antea cum iucunditatem in concertationum victoria collocaret diſputationum meminerat, ex quibus victor haurit iucunditatem,
1081 quas ſanè diſputationes cum ludis, quoniam ij etiam certamen imitantur, coniunxerat. Cum igitur iucunditatem declarauerit, quam in ludis poſuerat, nũc eam declarat breuiter quam in diſputationibus deſignauit. Ob id igitur ait in iudicialibus contentionibus atque huiuſmodi aliis diſputationib. iucunditatem reperiri, qua ij fruuntur qui in hiſce contentionibus exercitati ſunt ac præſtant: id quod & in præſentia cernere licet vbi in forenſibus iudicijs patet aditus aduerſarijs concertationibus, & inprimis apud antiquos fuit vſitatum, apud quos oſtentationis quoque gratia in publicis conuentibus & celebritatibus orationibus certabant, tragœdijs, comœdijs, hiſtoricis quoque monumentis, denique & ſoluta oratione & numeris adſtricta decertabant. Nam de iudicialibus contentionibus, ſiue Græcos ſiue Romanos ſpectes, nihil attinet dicere. Atque ex his inprimis licet animaduertere vſu magnas moleſtias deuorari, & res alioquin duras ac moleſtas conſuetudine ſuauiſſimas effici. Nam iſtiuſmodi diſputationes & contentiones, præſertim iudiciales, laboris pleniſſimæ ſunt & ſolicitudinis.

In diſputationibus etiam, præſertim, iudicialibus, reperitur iucunditas.

PARTICVLA CCXLV.

ΚΑὶ τιμὴ καὶ εὐδοξία τῶν ἡδίστων, διὰ τὸ γίγνεσθαι φαντασίαν ἑκάστῳ, ὅτι τοιοῦτος καὶ σπουδαῖος καὶ μᾶλλον ὅταν φῶσιν, οὓς οἴεται ἀληθεύειν. τοιοῦτοι δ᾽ οἱ ἐγγὺς μᾶλλον τῶν πόρρω, καὶ οἱ συνήθεις καὶ οἱ γνώριμοι καὶ οἱ πολῖται, τῶν ἄποθεν, καὶ οἱ ὄντες τῶν μελλόντων, καὶ οἱ φρόνιμοι ἀφρόνων, καὶ πολλοὶ ὀλίγων. μᾶλλον γὰρ εἰκὸς ἀληθεύειν τοὺς εἰρημένους τῶν ἐναντίων. ἐπεὶ ὧν τις πολὺ καταφρονεῖ, ὥσπερ παιδίων ἢ θηρίων, οὐδὲν μέλει τῆς τούτων τιμῆς ἢ τῆς δόξης, αὐτῆς γε τῆς δόξης χάριν ἀλλ᾽ εἴπερ δι᾽ ἄλλο τι.

Riccobonus. ET honor, & gloria eſt inter iucundiſſima, quia oritur phantaſia cuique ſe talem eſſe, & probum. Idque magis cum id affirmant illi, quos exiſtimat vera dicere. Tales autem ſunt, vicini magis quàm longinqui, & familiares, & noti, & ciues, quàm externi, & præſentes quàm futuri, & prudentes quàm imprudentes: & multi quàm pauci. Veriſimilius enim eſt vera dicere eos, qui commemorati ſunt, quàm contrarios. quoniam illorum, quos aliquis valde contemnit, vt puerorum aut belluarum, non curat honorem, aut exiſtimationem, ipſius ſcilicet exiſtimationis gratia. Sin autem propter aliud aliquid.

Maioragius. *HOnor præterea bonáque exiſtimatio inter res ſuauiſſimas numerantur, propterea quòd vnicuique naſcitur huiuſmodi de ſe opinio, quòd talis ſit, & quod virtutis ſit ſtudioſus: & multò magis cum hæc audiuerit ab eis, quos verè ſentire exiſtimat. Tales autem ſunt vicini potius quàm qui interuallo locorum diſiuncti ſunt,*
1082 *& familiares & noti, & ciues potius quàm externi, & qui nunc viuunt potius quàm poſteri: & prudentes magis quàm imprudentes; & multi magis quàm pauci. veriſimilius enim eſt eos quos dixi, vera ſentire, quàm, qui ſunt eis contrarij. Nam quos aliquis valdè contemnit, vt pueros, & belluas, ab eis non curat ſibi honorem aut gloriam attribui: intelligo autem ipſius gloriæ cauſa; nam ſi curat propter aliud aliquid curat.*

Honor & gloria inter iucundiſſimanumerātur, & qua de cauſa.

CVr honor & gloria inter res iucundas numerentur atque adeò iucundiſſima cenſeantur, ſatis conſtat tum per ſe tum ex ijs quæ de propria excellentia oritur opinio & exiſtimatio: quam cauſam hîc quoque affert noſter Author. Talis verò exiſtimatio tunc maximè gignitur, inquit, cum id affirment qui verum affirmare cenſeantur. Et rectè; nam quemadmodum a laudato viro laudari maximè æſtimatur, ita ab ijs qui verè ſentire exiſtimentur, honorari, honorificum eſt. Denique ſicuti honorem nobis a pueris delatum floccifacimus, a viris delatum æſtimamus, quòd iudicio illi careant adhuc, ij præditi ſint; ita non quoslibet excellentiæ noſtræ teſtes optamus, ſed qui vera teſtari ac dicere cenſeantur. At enim quinam ſunt ij? diſtinctè hos in medium producit Ariſtoteles per gradus ſeptem eos in ordine diſtribuens, & a vicinis incipiens; tum ad familiares alioſque ſenſim deſcendens: de quibus omnibus perſpicuè ſatis ſuam exprimit ſententiam: atque hos veriſimilius (ſubdit) eſt vera dicere quàm ijs oppoſitos, vt 1083
longinquos ac cæteros, qui cum memoratis è veſtigio opponi ſolent.

Dubitatur

Sed cur ait interim belluarum contemni honores aut exiſtimationem? Num honorem nobis impertiri valent mutæ animantes ac belluæ? num præſtantiæ & excellentiæ exiſtimationem atque opinionem concipere & ſignificationem dare? Certè id de pueris concedere liceat vtcunque, de belluis nullo modo. Ergo Victorius & Maioragius belluis hîc pueros ſignificari affirmant, quòd ob inopiam ſeu potiùs vacuitatem conſilij pares ſint vel vix differant quicquam. Sed cum tam diſtinctè dicat Ariſtoteles, *vt puerorum aut belluarum*, non video cur tam facilè pro belluis capi poſſint pueri: præſertim quia cum proprio nomine deſignati eſſent perſpicuè, arioſè omnino adderentur belluæ, quin ſententiam perturbarent magis quàm explicarent.

Reſpondetur.

Crediderim igitur ab Ariſtotele belluas illas indicari quæ erudiri ſolerent, ac loquaces reddi. nam vt omittam olim non defuiſſe qui belluas & inter has equos, præſertim mannos, ita inſtruerent vt ad magiſtri nutum ſe ſe viris ſubmitterent (id quod hoc quoque tempore viſitur interdum) & perinde ac nos flectimus genua, obſeruantiæ cauſa ſe illis inclinarent; profectò pſittaci, turdi, picæ, corui, & id genus animantes aliquæ, homines & ſalutare, & verbis quibuſdam cohoneſtare, ſolebant. Atque ob id pſittacum, quoniam dicitur humanam vocē effingere, Martialis ſic canentem induxit,

Pſittacus a vobis aliorum nomina diſcam:

Hoc didici per me dicere: Cæſar aue.

Et Perſius Quis expediuit pſittaco ſuum χαῖρε; Piúſque docuit noſtra verba conari? Et idcirco etiam a Plinio ſermocinari dicitur, & a Statio ſolers humanæ linguæ imitator, & hac planè de cauſa βροτόγηρυς, vocem inquam humanam fingens dicitur a Græcis. Quin Apuleius de ratione nos admonet qua inſtituantur ad humanum ſermonem. Denique Maximus Tyrius (vt alios multos prætercam qui de admirabili illius induſtria ſeu docilitate ſcribunt) refert fuiſ- 1084
ſe Pſittacum qui cum ſæpè illud iteraret μέγας θεὸς Ψάφων, cæcos illos mortales ad hunc colendum induxerit. Pica etiam ideo loquacis inuenit nomen quòd humanas voces reddere nouerit quas audierit: quod nemine etiam docente facit, ac propterea aliarum quoque auium, ferarum etiam interdum, exprimit voces & cantus. Et ideo eleganter Ouidius; *Inſiterant ramis imitantes omnia Picæ.* Et Martialis;

Pica loquax Dominum certa te voce ſaluto;

Si me non videas eſſe negabis auem.

Hæc Pica ipſa apud Martialem. Tu Oppianum & Plutarchum legito qui de Pica atque alijs huiuſmodi auibus multa referunt admiratione non indigna. Quid plura? Legimus quoſdam Romę etiam fuiſſe qui pſittacos ſic docerent, ſeu aſſuefacerent, vt Imperatores ac victores de nomine multis verbis conſalutarent, illiſque bona precarentur non ſine laude. Harum igitur belluarum honores contemni ait qui triumphantibus etiam adhibebantur pompæ cauſa. Quod ſi addit *æſtimationem*: hæc verò ad pueros referenda eſt, quos item cum belluis memorauit. vt enim pueros & belluas nominauit, ita honorem & exiſtimationem cōiunxit, quorum vnum commune ſit, alterum proprium. Niſi tamen apparentem quoque illam exiſtimationis ſignificationem quæ in belluarum ſalutationibus exprimitur, intelligi velis. Sic Auguſtus, Meliores (inquit) ſalutatores habemus domi, pſittaco reſpondit a quo ſalutabatur ac victor & triunphator prædicabatur. Addit verò fieri poſſe vt eiuſmodi honores & exiſtimationes alia ſaltem de cauſa non

con-

Digitized by Google

contemnantur : fortaſſe vel boni hominis gratia , vel quia ab ijs inſtruantur & oſtententur qui iudicio præditi ſunt & nos diligant . vel propter eam quam refe-
1085 runt induſtriam inrerloquendum. Vt omittam honorem nobis a pueris delatum, ſi non propter eorum de noſtra virtute opinionem & exiſtimationem, at certè, quoniã eos benè moratos & optamus & libenter cernimus, poſſe iucundum accidere.

PARTICVLA CCXLVI.

ΚΑὶ ὁ φίλος τῶν ἡδέων. τό τε γὰρ φιλεῖν ἡδύ. οὐδεὶς γὰρ φίλοινος ὁ μὴ χαίρων οἴνῳ. καὶ τὸ φιλεῖσθαι ἡδύ. φαντασία γὰρ καὶ ἐνταῦθα τοῦ ὑπάρχειν αὐτῷ τὸ ἀγαθὸν εἶναι οὗ πάντες ἐπιθυμοῦσιν οἱ αἰσθανόμενοι. τὸ δὲ φιλεῖσθαι ἀγαπᾶσθαί ἐστιν αὐτὸν δι᾽ αὐτόν.

Riccobonus.

ET amicus eſt inter iucunda. Nam & amare iucundum eſt, quia nemo amans vini eſt, qui non gaudeat vino: & amari iucundum. Phantaſia enim etiam ibi eſt adeſſe ſibi bonum, quod omnes cupiunt, qui ſen ſum habeant. Amari verò carum eſt ipſum per ſe.

Maioragius.

ET amicus res eſt iucunda; nam amare iucundum eſt: neque enim quiſquam vini amator eſt, qui non vino gaudeat: contra verò ſuaue eſt etiam amari, nam qui amatur, cogitat ſe virum eſſe probum, quod eius probitatem expetant omnes, qui eam cognoſcunt. amari autem eſt ipſum propter ſe carum eſſe atque diligi.

IVre optimo amicos recenſet inter res iucundas, cum nobis dum ciuilem vitam viuimus ſine ijs ne vita quidem ſuauis eſſe poſſit. eſſe verò amicos inter res iucundas numerandos, bipartita, eáque optima, docet ratione: quæ útraque ex amicitiæ vi, ac natura deriuatur. Ergo cum amicitia ſit coniunctio quædam voluntatum eorum qui ſe mutuò diligunt, amicus & diligit & diligitur: quà igitur diligit, non poteſt non iucunditatem haurire, quia diligere iucundum eſt. vt enim nemo amans vini eſt qui non gaudeat vino: ita nemo amicum diligit qui non gaudeat & delectetur amico: quà verò amatur, iucunditatem item haurit, quòd amari iucundum ſit: hinc enim opinamur & exiſtimamus egregiam quandam nobis dotem ineſſe ac bonum quod cupidè
1086 expetatur & vnde amemur: ita quidem quemadmodum diligere, ita diligi iucundum eſt & per ſe iucundum. Atque hîc ſanè ampliſſimus ſe ſe offert campus vnde nobile hoc decretum confirmare liceret vberiùs: Sed Platonis Lyſidem habes (id quod ſupra obſeruare cœpi) Ariſtotelis VIII. & IX. de Moribus, ſed Ciceronis inprimis librum de Amicitia, ex quo mirificè & docearis & delecteris. Tantùm dicam amicos cum per ſe caros eſſe, ſi probitate & virtute præditi ſint (alioquin adumbrata eſt amicitia quæcque depereat facilè) tum quòd in vtrâque fortuna alter alteri præſidio ſit ac ſolatio: nemo enim commoda enumerare valet quæ nobis in proſpera fortuna, multò verò magis in aduerſa, bonus ſuppeditet amicus. Ii tamen (quod magnopere dolendum eſt) rara ſunt auis & peregrina: id quod ex eo euenire ſolet quòd vix quiſquam reperiatur qui te tuæ probitatis ac virtutis gratia diligat potiùs, vt par eſt, quàm commodi & vtilitatis cauſa.

Amicos item referendos inter res iucundas, & cur.

PARTICVLA CCXLVII.

ΚΑὶ τὸ θαυμάζεσθαι ἡδύ, δι᾽ αὐτὸ τὸ τιμᾶσθαι, καὶ τὸ κολακεύεσθαι. καὶ ὁ κόλαξ ἡδύ. φαινόμενος γὰρ θαυμαστὴς καὶ φαινόμενος φίλος ὁ κόλαξ ἐστί.

Riccobonus.

ET ſuſcipi iucundum eſt, quia ea in re honor adhibetur. Et adulatione permulceri & adulator res iucunda eſt; videtur enim admirator, & videtur amicus qui adulator eſt.

ADmiratione quoque affici iucundum eſt; quia qui quempiam admiratur, eum etiam honorat. Adulari præterea res eſt iucunda, atque etiam aſſentator ipſi; ſiquidem admirantis & diligentis ſpeciem habet aſſentator. Maioragius

Admiratio ne eſſe eſt item iucundum, & cur.

IN admiratione quoque eſſe ac ſuſpici iucundum eſt, quia hoc ipſum eſt honorari vel ſaltem cum honore coniunctum eſt. Ex quo fit vt huc ea reuocare poſſis omnia quæ paulò ante de honore dicta ſunt & gloria; tum quod pertinet ad opinionem, & exiſtimationem quam hinc concipimus, tum quod intereſt eorum a quibus honorari gaudemus: ſi enim a vicinis & cæteris illis ſuſpiciamur quos eo enumerauit in loco, ſuſpici nobi perquam iucundius ſit. Denique a pueris aut belluis, quemadmodum 1087
honorari, ita ſuſpici, nil æſtimemus. Ea igitur huc egregiè cadunt omnia: præſertim quia ſuſpici ingentem in nobis virtutum opinionem gignit, quod ibi habet gloria. Id quod eleganter expreſſit Cicero cum diceret, *Admirantur quidem homines omnia quæ magna & præter opinionem ſuam animaduerterint: Separatim autem in ſingulis ſi perſpiciunt, nec opinata quidem bona, Itaque eos viros ſuſpiciunt, maximiſque efferunt laudibus, in quibus exiſtimant ſe excellentes quaſdam & ſingulares virtutes perſpicere;* & rurſus, *Admiratione quadam afficiuntur ij qui anteire cæteros virtute putantur:* vbi eos intelligit qui alijs ſunt admirationi ſeu qui admirationem ſuſtinent. Iam verò adulatione quoque permulceri reputat iucundum; itaut non modò amicum, verùm etiam adulatorem inter res iucundas enumeret: id quod inde comprobat, quia adulator & admirator & amicus videri ſolet, itaut geminum bonum tibi offerat vnde læteris. Hîc verò populariter omnino loqui ſatis ſupérque conſtat; nam cordato viro & probo adulator inſuauis accidat neceſſe eſt, quémque tanquam peſtem declinet: ídque eò magis quòd peſtis corpus, adulatio animum inficit, ac veneno peruadit ſuo. Certè cum Calliſtheni, qui Alexandro adulari nollet, illud fermè Thetidis ad Achillem inſuſurraret Ariſtoteles, ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι, οἷ' ἀγορεύεις. *Tu mihi nate breuis vitæ ſis talia fando*, viſus eſt Philoſophicam virtutem & grauitatem non ſatis tueri pro dignitate. Tu pulcherrimum de adulatore ab amico dignoſcendo Plutarchi librum perlegito, & ab Ariſtotele hac in re, ſi ſapis, diſcedito: hanc tantulam particulam auerſis auribus & obturatis, quaſi Vlyſſes Syrenas, percurrens. Nam ad hunc planè alludebat Cicero cùm ſcriberet, *Cauendum ne aſſentatoribus patefaciamus aures, & ne adulari nos ſinamus, in quo falli* 1088
facilè eſt; tales enim nos eſſe putamus vt iurè laudemur. Sed & adulatorem in libro de Amicitia grauioribus inſectatur verbis, *Sic habendum, in amicitijs, nullam peſtem eſſe maiorem quàm adulationem, blanditias, aſſentationem.* Hæc Cicero aduerſus Gnatones iſtos.

Lib. 2. de Off.

Exagitatur Ariſtoteles dum adulatores quoque refert inter res iucundas.

PARTICVLA CCXLVIII.

ΚΑὶ τὸ ταὐτὰ πράττειν πολλάκις ἡδύ. τὸ γὰρ συνῆθες, ἡδὺ ἦν. καὶ τὸ μεταβάλλειν ἡδύ. εἰς φύσιν γὰρ γίνεται μεταβάλλειν. τὸ γὰρ αὐτὸ ἀεὶ ὑπερβολὴν ποιεῖ τῆς καθεστώσης ἕξεως. ὅθεν εἴρηται, μεταβολὴ πάντων γλυκύ. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ τὰ διὰ χρόνου ἡδέα ἐστὶ καὶ ἄνθρωποι καὶ πράγματα. μεταβολὴ γὰρ ἐκ τοῦ παρόντος ἐστίν. ἅμα δὲ καὶ σπάνιον, τὸ διὰ τοῦ χρόνου.

ET eadem agere ſæpè iucundum eſt. Conſuetum enim iucundum erat. Et permutare iucundum eſt. naturæ enim accommodatum eſt permutare, Nam idem ſemper exuperantiam efficit conſtituti habitus, vnde dictum eſt. Permutatio omnium dulcis. Ob id enim etiam ea, quæ temporis ſpatio fiunt, iucunda ſunt, tùm homines, tùm res. Permutatio enim ex præſenti eſt. Simul verò etiam rarum eſt, quod fit temporis ſpatio. Riccobonus.

EAdem etiam ſæpè facere, iucundum eſt. quod enim familiare eſt, etiam iucundum. Et commutatio res eſt iucunda; nam commutari naturæ accommodatum Maioragius.

eſt,

eſt, quod enim ſemper idem eſt, in exuperantiam tranſit; & præſentem habitum corrumpit. Vnde benè dictum eſt, omnium rerum viciſſitudo eſt iucunda. Hac de cauſa quæ fiunt interpoſito temporis ſpacio, iucunda ſunt; & homines, & res poſt longum tempus delectant: quoniam præſentem ſtatum commutant. huc accedit etiam, quia id, quod interpoſito tempore fit, rarum eſt.

EAdem ſæpè agere iucundum eſt quia conſueta & familiaria iucunda ſunt. De hac re tota qua ratione accipienda ſit, diximus ſupra vbi de
1089 Conſuetudine verba fecimus. Certum eſt enim eadem agere, aliquando faſtidium afferre ac tædium, itaut Ariſtoteles iurè apponat *ſæpè*, vocem enim πολλάκις non cum πράττειν iungendum exiſtimauerim, quod Victorius facit & Maioragius, otioſum enim id eſſet cum præceſſerit τὸ ταυτὰ quod πολλάκις exprimit, Sed cum ἡδὺ itaut dicat eadem agere iucundum eſt ſæpè. Atque hinc locus ſe ſe offert vnde contraria quoque res afferat iucunditatem, itaut permutare, quod eſt a conſuetudine diſcedere ſeu eadem non agere; iucundum ſit: quod profectò minùs aptè ne dicam falsò inferret, ſi vniuerſim eadem ſæpè facere ſeu frequentare iucundum eſſet, itaut ſæpè ad iucundum ſit referendum, vt liceat inferre aliquando etiam non eſſe iucundum: & ideo non idem facere ac permutare id habeat vt interdum ſit iucundum: atque id ſanè quia naturæ accommodatum eſt. Quod verò ait permutare iucundum eſſe, & loco & actioni & exercitationi ac ſtudio & cibis etiam & alijs multis conuenire poteſt; itaut iurè Terentianus ille ſenex fateatur ſe magnam iucunditatem cepiſſe ex Vrbis ac ruris, contra etiam ex ruris atque Vrbis, domicilio quod commutabat ſæpè. Itaque egregiè Euripides in Oreſte, Rerum omnium iucunda commutatio eſt: id quod in ambulantibus obſeruare licet, quibus aſcenſus interdum gratior eſt quàm deſcenſus aut planũ iter. Fit enim vt quæ corporis pars deſcendendo aut plana incedendo laborabat magis, remittat laborem vnde conciliatur iucunditas: viciſſitudo enim laboris & quietis reſtaurat mẽbra, itaut iurè illud in prouerbium abierit. Nihil iucundum niſi quod commendat varietas. Quanquam dum ait Ariſtoteles hanc permutationem Naturæ accommodatam eſſe, grauem ſanè atque acutam ſubijcit rationem qua id confirmet. Nam idem (inquit) ſemper ſuperat habitum Naturæ conuenientem. Et ſanè ſi quis habitu corporis & temperamento ad ſummum bonitatis peruenerit aliquo in loco ob cœli clementiam, præſtat deteriorem adire ac permutare quod exceſſus immineat vnde ha-
1090 bitus bonus corruat: & ideo legimus Platonem cum optimo vteretur temperamento, in ſalubrem delegiſſe locum quo tantiſper labefactaret optimum habitum. Denique Hippocrates cum ad ſummam bonitatem peruenerit valetudo (inquit) periculũ. & hac de cauſa aliqui venam ſecari iubent. Ita quidem naturæ accommodatum eſt permutare ſiue locum ſiue cibum ſiue exercitationem (id quod gladiatoribus qui ad ſummam bonitatem exercitatione ac cibo produxiſſent corpus faciendum erat) permutare: etſi alioquin eadem agere iucundum ſit. Atque hinc efficit Ariſtoteles, ſeu potiùs ad propoſitum decretum confirmandum affert, ea quæ interuallo temporis fiunt ſeu interpellata aſſuetudine, iucunda accidere, ſiue homines ſpectes ſiue res: inde enim mutatio quædam ob intermiſſam frequentiam ſeu permutatio conſequitur. Atque his addit rationem alteram, quia ſcilicet rarum eſſe contingat quod interpoſito temporis ſpatio fiat: quæ verò rara ſunt ſint iucunda: id quod iam antea docuerat ſatis. Quam rem egregiè confirmat Iuuenalis, dum ait;

—— *Voluptates commendat rarior vſus;*

itaut hoc ſaltem nomine illud excipi poſſit, Bonarum rerum conſuetudo peſſima eſt. Nam hoc & in optimorum ciborum vſu cernitur niſi aliquando (cum ſcilicet ad perfectum ſanitatis habitum perueneris) intermittantur aut miſceantur aut minuantur, & in ſtudijs atque exercitationibus quæ tædium facilè gignunt, frequentia; (ſimilitudo enim, vt ait Cicero, eſt ſatietatis mater in rebus omnibus) & in auditionibus & functionibus quibuslibet ſuauiſſimis: quæ ſanè ob frequentiam & conſuetudinem & contemptum gignunt, & faſtidium afferunt ac tædium.

Idem agere iucundũ ſæpè: permutare etiam iucundum.

PAR-

PARTICVLA CCXLIX.

Καὶ τὸ μανθάνειν καὶ τὸ θαυμάζειν, ἡδὺ ὡς ἐπιτοπολύ· ἐν μὲν γὰρ τῷ θαυμάζειν, 1091
τὸ ἐπιθυμεῖν ἐστιν. ὥστε τὸ θαυμαστὸν ἐπιθυμητόν. ἐν δὲ τῷ μανθάνειν, εἰς τὸ κατὰ φύσιν καθίστασθαι.

ET diſcere, & admirari iucundum eſt plerunque. Nam in admiratione cupiditas eſt. Quare admirabile excitat cupiditatem. At in diſcendo, in eum, qui naturalis eſt, ſtatum erigimur. *Riccobonus.*

DIſcere quoque iucundum eſt; & admiratione duci plerunque eſt ſuaue. nam cum admiramur, diſcere cupimus, &, quod eſt admirabile, deſiderium excitat; atque in diſcendo proficiſcimur in eum ſtatum, qui nobis naturalis eſt. *Maioragius.*

Diſcere & admirari iucundum.

ET diſcere (inquit) & admirari iucundum eſt plerunque. Vbi non coniunctim crediderim hoc eſſe intelligendum quaſi diſcere ſimul & admirari iucundum ſit; præſertim quia dicendum fuiſſet, & admirari & diſcere, vt Naturæ ordo ſeruetur, cum admiratio cupiditatem diſcendi gignat vnde diſcimus. Singula igitur ſunt per ſe iucunda. tametſi acutè poſtquam dixit *& diſcere* copularit *& admirari*: vt nimirum intelligeremus non modò diſcere ſed etiam admirari, quod minùs apparet; iucundum eſſe. Vtrunque verò confirmat ac iucundum eſſe docet: admirari quia excitat cupiditatem, diſcere quia in naturalem ſtatum diſcendo erigimur. Quo in loco non obſcurum eſt nos diſcendo ad naturalem ſtatum excitari atque erigi: nam homini ſcientia magis conuenit quàm ignoratio, cum vnus homo inter mortales ad contemplandũ, ac rerum cauſas perdiſcendas, fictus ſit. Quod initio Diuinæ Philoſophiæ expreſſit ſatis Ariſtoteles cum diceret, Omnes homines natura ſcire deſiderant: quod tamen vel corrigere vel certè ſignificantiùs exprimere viſus eſt Lyricus Poëta noſter dũ caneret,

Ch'altro diletto ch'imparar non trouo.

Etſi, cum natura ipſa aliunde etiam capiat voluptatem & delectationem, fatendúmque ſit hominem non modò ſcientiæ, verùm etiam aliarum rerum cupiditate naturaliter teneri, verendum eſt ne tibi canat Lyricus noſter, ac ſe, quippe qui cæteris voluptatibus diſcendi voluptatem antepoſuiſſet, ipſe commendet. Certè Lucretius diſcere non vnam voluptatem afferre dixit, ſed voluptatibus antepoſuit tantùm cum caneret; 1092

Sed nil dulcius eſt, benè quàm munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa ſerena.

vbi anteponit ſcientiam, ac rerum cœleſtium inprimis: quod facit Ariſtoteles etiam in libris de cœlo. & hoc ſibi voluit M. Tullius, dum diceret, Trahimur omnes ſcientiæ cupiditate: in qua excellere pulchrum putamus. Quare nil mirum ſi Craſſus laudaret illud, Aliquid ſemper diſcere, & Solon illud vſurparet,

Diſcenti aſſiduè multa, ſenecta venit.

Dubitatur At enim ſit iſtud, verùm qui ſit vt admiratio iucunda ſit quæ proficiſcitur ab ignoratione? aut inde iucunda cenſenda ſit quòd excitat cupiditatem? Sanè cupiditas quoque rei bonæ indigentiam indicat. Quæ profectò, quemadmodum ſitis antequam expleatur, moleſta eſt: ſic cupiditas. Denique ſicuti ardor ſolis vnde ſitis excitatur, eſt iniucundus, ita admiratio inſuauis ſit quæ ſitim gignit nõ extinguit: ita vt ex huiuſmodi indigentia quemadmodum cupiditas ita ſitis quædam & cupiditas excitetur. Veruntamen ea de cauſa admiratio quoque eſt iucunda, quia cupiditas illa ſpem quoque excitat quæ boni eſt ac iucundi. Cum enim is qui admiratur, erigat animum & cauſam exploret ac ſcientiam requirat, non poteſt nõ huiuſmodi ſpe ſuſtentari. Denique ideo Plato dixit Iridem eſſe Taumantis filiam, atque hinc Philoſophiæ initium factũ, quòd res admirabiles non modò cupiditatem ſed ſcientiam tandem propagare ſoleant. *Reſpondetur.*

Quod Ariſtoteles quoque in ſua Diuina Philoſophia clariùs eſt perſecutus. Et tamen útraque hæc Ariſtotelis ſententia qua & diſcere & admirari iucundum eſſe affirmat nouam habet dubitationem: nam quædam ignorare (id quod ipſe in 12. Metaphyſicæ ſcripſit) melius eſt quàm ſcire, ac propterea non rarò dediſcere (id quod cupiebat Themiſtocles) præſtaret quàm diſcere, cum mala etiam diſcantur, ac malum & bonū diſcendo etiam paretur. Sic admiratio, cum res ſuperat ingenij noſtri facultatem, permoleſta quotidie euadit. Itaque Ariſtotelem ipſum ferunt diu maris æſtus contemplatione fatigatum, tandem cum cauſam haud potis eſſet percipere, deſperatione adductum ſe in fluctus deieciſſe, cum illud pronunciaſſet, quandoquidem te capere nequeo, tu me capias. Dei quoque natura quam maximè admiramur, vſque adeò ſuperat humani ingenij vim & intelligentiam, vt admirari quidem eam liceat, percipere aut diſcere non liceat, & ideo dicitur inhabitare lucem inacceſſibilem. Sic myſteria multa admiramur ſanctiùs & colimus quàm temerario auſu percipere illa ac tenere cupiamus. Nam de ijs quæ ſunt in fato, ſeu diuinæ voluntatis arcana continent decreta, nihil attinet dicere, vſque adeò ab humana cogitatione ſecreta ſunt. Quin interdum in exiguis quoque rebus naturalibus noſtra caligat mens, tantum abeſt vt diuina cognoſcere valeat. Ac fortaſſe ea de cauſa dixit Ariſtoteles diſcere & admirari iucundum eſſe plerunque: non verò vniuerſim id protulit: præſertim quia & pueros ſpectare potuit & rudes homines aut imbecillos quibus diſcere non rarò moleſtiam gignit: certè infirma ætas & imbecilla aut rudis in diſcendo miras haurit moleſtias. Atque hîc ſanè optaſſem vt explicaſſent interpretes cur illud *plerunque* appoſuiſſet Ariſtoteles, cum alioquin rationes illas ſic interpretentur vt vniuerſim diſcere & admirari faciant periucundum: non enim temerè cum exceptione locutus eſt Ariſtoteles. Quin ne illud quidem iuranti Maioragio crediderim, quod ſubiungit: nimirum ideo Oratores ſe admiranda dicturos præfari quòd ſciant homines rebus admirabilibus delectari. Nam Oratores per res admirabiles ſæpè intelligunt res præclaras ac nobiles quas vilibus opponimus, non quæ cauſam habeant abditam quemadmodum hoc in loco intelligit Ariſtoteles. De qua re dicerem, niſi prolixè totam hanc rem in illud Virgilij explicaſſem;

Dubitatur rurſus.

Reſpondetur.

1093 (margin)

1094 *Miratur molem Æneas, magalia quondam:*
Miratur portas, ſtrepitúmque & ſtrata uiarum.

Vbi ſemel atque iterum admirationem affingit ſapientiſſimo Heroi noſter Vates: & tamen quaſi id non ſatis eſſet, paulò poſt canit,

Hæc dum Dardanio Æneæ miranda uidentur,
Dum ſtupet obtutúque hæret defixus in uno.

PARTICVLA CCL.

ΚΑὶ τὸ εὖ ποιεῖν, καὶ τὸ εὖ πάσχειν, τῶν ἡδέων. τὸ μὲν γὰρ εὖ πάσχειν, τυγχάνειν ἐστὶν ὧν ἐπιθυμοῦσι. τὸ δὲ εὖ ποιεῖν, ἔχειν καὶ ὑπερέχειν, ὧν ἀμφοτέρων ἐφίενται.

Riccobonus. ET. benefacere, & beneficium accipere, eſt inter iucunda. Nam beneficium accipere eſt conſequi ea, quæ cupiunt. At benefacere eſt habere, & excellere, quæ ambo appetunt.

Maioragius. PRaterea beneficia in alios conferre, & ab alijs accipere, iucundum eſt. nam accipere beneficium eſt id aſſequi, quod quis cupit; conferre autem, eſt habere, & praſtare alijs, ac excellere cuius vtriuſque rei homines cupidi ſunt.

Beneficium quoque & conferre & accipere eſt iucundum.

DVas hîc affert iucunditatis formas, vnam in beneficio collocando poſitam, alteram in accipiendo, ac prior quidem, quia qui dat beneficium, excellentiam refert vnde oritur iucunditas, quæ ſanè excellentia in eo eſt poſita vt qui dat cum ſibi habere tum abundare videatur vnde cæteris largiatur: Altera quia qui accipit id conſequitur quod concupiſcit: beneficium enim ſine dubio non ægrè accipimus, quin naturaliter cupimus vnde iucunditas capitur. Quod ſi liberalitas non modò in pecunijs erogandis ac beneficijs collocandis poſita eſt, dum tamen non indignis erogetur pecunia conferatúrque beneficium, verùm etiam in iiſdem conuenienti loco & tempore accipiendis, is ſine dubio honeſtam voluptatem capiet & dando & accipiendo qui debito tempore ac loco det accipiátue beneficium. Quod ſi publicum ac magnificum be- 1095
neficium conferat, quódque diu perſiſtere poſſit, is non modò liberalitatis ac munificentiæ ſed magnificentiæ hauriat iucunditatem, Itaque cauendum ne aut immerentes beneficium accipiamus (turbida enim hinc iucunditas ac ſpuria) tum ne indignis aut ingratis beneficia conferamus; ne ſerò nos & inutiliter pœniteat. Hinc Dido Aeneam tanquam ingratum (etſi reuera immeritò) incuſat dum in eas erumpit voces

—— Electum littore egentem
Excepi, & regni demens in parte locaui:
Amiſſam claſſem, ſocios à morte reduxi.

& ideo M. Tullius, Beneficia (inquit) malè locata, malè facta arbitror.

PARTICVLA CCLI.

Διὰ δὲ τὸ ἡδὺ εἶναι τὸ εὐποιητικόν, τὸ ἐπανορθοῦν ἡδὺ τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶ τοὺς πλησίον, καὶ τὸ τὰ ἐλλειπῆ ἐπιτελεῖν.

ET quoniam iucundum eſt, quod valet ad benefaciendum, corrigere iucundum hominibus eſt proximos. Et inchoata perficere. *Riccobonus.*

QVoniam autem iucundum eſt, dare beneficium; & ideo propinquos etiam corrigere, & emendare iucundum eſt; & abſoluere quæ ab alijs inchoata, atque imperfecta relicta ſunt.

Alterum quoque corrigere, & inchoata perficere, quoniam beneficium continent, ſunt iucunda.

DVas hîc, etſi breuiſſimè, ſubijcit iucunditatis formas, vnam cum quis alterum corrigit, id enim ad benefaciendum valet, ac propterea non poteſt non corrigenti conciliare voluptatem & iucunditatem; altera quæ quæ ſanè latiſſimè patêre poteſt, & ad plurima ſe extendere ac dilatare, inchoata perficere. Quanquam corrigere etiam latè admodum patêre poteſt; ſiquidem τὸ ἐπανορθοῦν, qua voce vtitur Ariſtoteles, & inuitis errantibus, & ſponte peccantibus ſeruit, idque ſiue oratione ſiue actione atque altero quopiam auxilij aut præſidij genere, errantem dirigas ſeu corrigas, & ad bonas fruges reuoces. Quod ſanè facere, ſi rectè, hoc eſt opportuno tempore, *Maiorragius.*
& cautè prudentérque fiat, diuinum propemodum cenſendum 1096
eſt: nam id diuino ore iubemur. Et verò niſi Deo auſpice & benè iuuante peragere nequimus, Quare beneficiorum flos & vertix eſt errantes, præſertim vitæ morúmque vitijs corrigere, & ad ſalutis viam reuocare.

PAR-

PARTICVLA CCLII.

Riccobonus. Ἐπεὶ δὲ τὸ μανθάνειν τι ἡδὺ, καὶ τὸ θαυμάζειν, καὶ τὰ τοιαῦτα, ἀνάγκη ἡδέα εἶναι, τό τε μεμιμημένον, ὥσπερ γραφικὴ καὶ ἀνδριαντοποιία καὶ ποιητική, καὶ πᾶν ὃ ἂν ᾖ μεμιμημένον. καὶ ἐὰν μὴ ᾖ ἡδὺ αὐτὸ τὸ μίμημα. οὐ γὰρ ἐπὶ τούτῳ χαίρει. ἀλλὰ συλλογισμός ἐστιν, ὅτι τοῦτο ἐκεῖνο, ὥστε μανθάνειν τι συμβαίνει.

Maioragius. ET quoniam tum diſcere iucundum eſt, tùm admirari, etiam talia, neceſſe eſt, vt iucunda ſint, quod imitatione expreſſum eſt, vt pictura, & ſtatuaria, & poëtica, & quicquid eſt imitatione expreſſum, etiamſi non ſit iucundum id, cuius imitatio eſt. Non enim ea in re gaudet, ſed ratiocinatio eſt, hoc eſſe illud. Quare diſcere aliquid contingit.

ET quia diſcere & admirari iucundum eſt; illa quoque omnia, cæteráque huiuſmodi iucunda eſſe neceſſe eſt; quæ per imitationem facta ſunt: vt pictura, & ars ſtatuaria, & poëtica, & denique quicquid imitatione benè expreſſum fuerit, etiamſi illud minimè iucundum fuerit; quod exprimit imitatio. neque enim quiſquam ex hoc voluptatem capit: ſed quia colligit hoc illud eſſe, quo fit vt aliquid diſcere videatur.

IVcunda quoque ſunt quæ imitatione continentur, vt quæ pictura aut ſculptura, ſeu ſtatuaria; quæque poëtica atque alijs imitatricibus facultatibus exprimuntur. per picturam verò & cæteras huiuſmodi quas commemorat artes, non ſanè intelligit artes planè ipſas, atque has ſtatuit eſſe iucundas (quanquam hæ quoque iucundæ ſunt,) ſed earũ opera & imitamenta: nam præterquam quod ποιητικὴ pro poëmate non *Iucũda sũt etiam quæ continẽtur imitatione*
1097 rarò vſurpatur ab Ariſtotele in Poëtica, idémque γραφικὴ conſimili de cauſa valere poteſt, profectò verba in tertio caſu legantur commodiùs, nimirum ὥσπερ γραφικῇ, ἀνδριαντοποιίᾳ, καὶ ποιητικῇ, itaut integra ſententia hæc ſit; vt quæ ex picturæ, ſtatuariæ, poëticæ exiſtunt, ſeu mauis picturæ, ſtatuariæ, poëticæ imitatione: atque hoc modo illud μεμιμημένον, id inquam quod imitatione expreſſum ſit, iurè dicatur iucundum. Quid plura? cum in huiuſmodi enumeratione poſt ποιητικὴ è veſtigio ſubiungat καὶ πᾶν ὃ ἂν ᾖ μεμιμημένον, *& quicquid fuerit imitatione expreſſum*, quis non intelligat opera non artes ipſas deſignari, & ποιητικὴ ac cætera illa verba in tertio caſu eſſe legenda? Itaque ſi Maioragius qui vertit, *vt pictura & ars ſtatuaria, & poetica, & denique quicquid imitatione benè & expreſſum fuerit*, rectiùs *& arte ſtatuaria* vertiſſet, conſentientérque locum expoſuiſſet. Iam verò id quod imitatione fuerit expreſſum, id eſſe iucundum inde probat, quia tum diſcere tum admirari (id verò iam antea demonſtratum eſt) iucundum ſit. Et ſanè imitando diſcimus, itaut imitatio in quacunque arte ac diſciplina magna ex parte ſit doctrinæ mater, præſertim ſi acceſſerit æmulatio: id quod in Poëtis, Oratoribus, Pictoribus (& vt ſemel dicam) ingenuis artibus omnibus ac ſtudijs, cernere licet. Sed & admirari habet iucunditatem, quia dum quædam admiramur, accuratè illa exploramus, paulatimque inſcitiam pellentes vnde nos cœperat admiratio, ad diſcendum progredimur ac doctrinam tandem adipiſcimur. Quod cum ita ſit, ea item quæ admiramur, neceſſe eſt vt nobis accidant periucunda. Atque hinc obſeruatum diſcere tum admirari dixiſſe Ariſtotelem eſſe iucundum, quia diſcere in primis
1098 conſiſtit, admirari in ſecundis, cum ad diſcendum tantùm ſternat viam. perinde verò eſt ac ſi dixiſſet non modò diſcere ſed etiam admirari eſſe iucundum. Iurè igitur colligit ea quæ imitatione exprimuntur, & nos ad admirandum & diſcẽdum pertrahunt, eſſe iucunda. Imitationis verò nomine poſt picturam, ſtatuariam, & poëticam quæ principem locum obtinent inter artes imitatrices, cætera generali comprehendit nomine, inter quæ phrygium opus iurè numeres quod cum pictura & ſtatuaria certare

ſolet,

ſolet, Fortaſſe etiam illis quoquo modo laudis palmam eripere, ita enim picturam
imitatur vt figuras attollat è ſuperficie ac propterea ad ſtatuariam quoque accedat &
vtriuſque vim iungat. De qua re nos Epiſtolam benè longam Italico ſermone cōſcri-
pſimus, quam, ſi vacat, percurrere ne graueris. Denique de imitatricibus artibus plu-
ra ſcripſimus tum in Ariſtoteleæ Poëticæ commentarijs, tum ſingillatim abſtruſa
quædam in Salluſtij Catilinaria, ad extremum ſcilicet capitis XXI. enarrauimus. Ad-
dit verò Ariſtoteles etiam ea quæ per ſe non ſunt iucunda, imitatione expreſſa iucun-
ditatem afferre: quod in Poëtica explicauit ipſemet dum diceret Leonem & quid ſi-
mile cuius præſentiam & aſpectum horremus, ſi eleganter expreſſum fuerit, delecta-
re. Vbi hac ipſa de cauſa iucundam eſſe teſtatur imitationem quòd doctrinæ ſternat
aditum. Quanquam quod addit nos non re oblata & imitata gaudere, ſed quia inde
ratiocinamur & colligimus quid illud ſit, ac proinde diſcimus, ſic accipiendum eſt vt
intelligamus viros ingenioſos non in illa ipſa figuræ colorúmque ſpecie & pulchritu-
dine perſiſtere, etiamſi hæc quoque delectent, ſed maiorem quandam & nobiliorem
cognitionem & delectationem percipere. dum non idiotarū more in primo illo aſpe-
ctu conſiſtunt ſed rem imitatam inde agnoſcunt, & rem aliquam geſtam aut veram
aut veriſimilem percipiunt ac diſcunt. id quod Virgilius tacitè ſignificauit dum indu-
ceret Aeneam Carthaginenſis templi picturam ac figuras ſic luſtrantem oculis, vt in-
de ratiocinetur & colligat multa quæ fortunæ conducant ſuæ. Et ideo M. Tullius in 1099
Oratore ad Brutum *Alios (inquit) horrida, inculta, abdita & opaca, contrà alios nitida, læ-
ta, colluſtrata delectant, itaut duplex inde hauriatur delectatio*. Quin, ſi me audias,
alios colorum delectat varietas & nitor: alios capit elegans figurarum deſignatio
membrorúmque proportio, vnde pulchritudo etiam exiſtit: alij mores admirantur
qui ſic exprimuntur interdum, vt & morata pictura & pictores aliqui item morati
appellentur: alij facta ipſa ſeu vera ſeu veriſimilia vnde addiſcunt. Itaut pictura (idem
tu de alijs artibus imitatricibus collige in primíſque de Poëſi cui cumulus ineſt iu-
cunditatis) multis oblectet nominibus.

PARTICVLA CCLIII.

KAὶ αἱ περιπέτειαι. καὶ τὸ παρὰ μικρὸν σώζεσθαι ἐκ τῶν κινδύνων, πάντα γὰρ θαυμαστὰ ταῦτα.

ET rerum circumuolutationes: & vix ſeruari ex periculis. Omnia enim ad-
mirabilia hæc ſunt. *Riccobonus.*

*ET ſubitæ rerum mutationes, vt in tragœdijs, iucundæ ſunt: & è periculis eua-
dere, quibus aliquis penè oppreſſus fuerit: hæc enim omnia concitant admi-
rationem.* *Maioragius.*

Magnæque & repentinæ cōmutationis fortunæ habent iucunditatem.

Dubitatur

SEd peripetiæ (inquit) ſeu fortunæ & magnæ & repentinæ commutatio-
nes, ancipitéſque vitæ caſus ſuam habent iucunditatem: idem ſi quis
incolumis euadat ex periculis quæ illum propemodum oppreſſerint.
At enim incolumen ex periculis euadere quibus penè oppreſſus fueris,
ſine dubio iucundum eſt: ídque cauſam habet in promptu; ſed ancipi-
tes fortunæ caſus omnino eſſe iucundos ac fortunæ commutationem,
id verò perobſcurum: quid enim ſi ex proſpera in aduerſam fiat fortunæ cōmutatio?
Sanè id mœrorem habeat ac triſtitiam neceſſe eſt. Ariſtoteles tamen vnam eandém-
que iucunditatis affert cauſam, quia ſcilicet vtrunque factum, tam ſcilicet fortunæ
commutatio quàm periculi euitatio, admirationem habeat; quaſi verò admiratio
non poſſit non iucunditatem párere. Ego verò adhuc hærere cogor: nam admiratio 1100
quam habet fortunæ commutatio dum calamitas excipit proſperitatem, quā iucun-
ditatem habeat non video. Quapropter licet quidem ex Comica fabula, multò verò
magis ex Heroica ingentem admirationem capere & iucunditatem, cum ab aduerſa
fortuna

fortuna in proſperam fiat tranſitus: Sed in Tragœdia, cui fermè calamitoſus præfigitur finis, iucunditas abeſt longiùs ab admiratione. Oedipus Laij interſectorem diligenter requirit, ſed ecce tibi cum nihil minùs ſuſpicaretur, Laij interſector deprehenditur ipſe: ita repentè ex regia fœlicitate deuoluitur exúlque fit atque orbatur oculis. Quam igitur iucunditatem hinc capere potuit? Et tamen huiuſmodi peripetia & ſubita & magna, ac proinde admirabilis vndique, videri & debet & poteſt. Neque verò mihi reſpondeat quiſquam, iucunditatem ab ijs ſaltem percipi qui talem commutationem in alijs obſeruent. Nam Ariſtoteles hactenus longo ordine eas res fecit iucundas quæ interim contingerent ijs ipſis qui iucunditatem caperent, quemadmodum ſuperiores locos omnes repetentibus conſtare ſatis poteſt. Quare ſi vni calamitatem in tali peripetia affingat, alteri iucunditatem, præter rem diſputare videatur. Et ideo quemadmodum ei qui periculo illo liberetur, aptè tribuitur iucunditas, ita illi qui admirabili fortunæ commutatione corruat ac miſer euadat, erit tribuenda. Itaque cum Ariſtoteles ei iucunditatem adſcribat qui ancipiti fortuna agitetur, quemadmodum illi qui periculum, vnde penè oppreſſus eſt, euaſit incolumis, dubitatio recurrit tota. Quin illud verendum, ex propoſitis peripetijs, ne ijs quidem qui talis commutationis ſpectatores aut auditores ſunt tantummodo, iucunditatem afferri, ſed terrorem &
1101 commiſerationem. Quid plura? eo conſilio peripetia videtur tragicæ fabulæ attributa, vt inde ſpectatores terrore ac metu afficiantur, commiſerationémque concipiant, aut ſaltem aſſidua illa ſpectatione (quod aliqui dictitant) timore & humanis purgentur affectionibus. Quanquam fieri quoque poteſt, vt dum præter omnem opinionem & expectationem ac repentè fit admirabilis illa commutatio, aliquis, etſi alioquin in calamitatem incidat, eum mœrore voluptatem quandam ob ancipitis illius caſus nouitatem capiat, cum experimento diſcat hominem eſſe fortunæ ludibrium (humano more loquor) ſeu fortunæ ludum, vt diſputat Plato: ſic enim inſtructior fiat & prudentior: nam calamitoſi quoque euentus prudentiam afferunt ac maximè afferunt. Id tamen magni viri ſit & excellentis ingenij, quíque pectus ad vtranque fortunam præparauerit, ac denique illud proferre poſſit, Romani eſt fortia agere & pati. Itaut non ſatis adhuc explicatum ſit, qua tandem ratione caſus admirabilis, ſed calamitoſus, ei paſſim accidat iucundus qui in talem incidat calamitatem; videtur enim id paſſim & vniuerſim intelligere ac ſtatuere Ariſtoteles. Quapropter optaſſem vt dum Victorius ſilet ac dubitationem diſſimulat, Maioragius rem attigiſſet ex explicaſſet. cum enim exemplis tantopere illuſtrarit eorum iucunditatem, qui pericula, quibus penè oppreſſi fuerant, declinarint, (quæ tamen res per ſe ſatis ſupérque lippis ipſis ac tonſoribus erat perſpicua) par erat vt alteram partem quoquo modo non declinaret ac diſſimularet, cum in promptu ſit dubitatio. Quin illud erat cauendum Maioragione id nos in Ariſtotelea Poëtica doceri affirmaret: nam admirationem & voluptatem, ſi quæ ex huiuſmodi peripetijs capitur, ad ſpectatores retulit Ariſtoteles, non ad eum qui repentè in calamitatem præcipitetur. Crediderim igitur omnino eſſe fatendum ea quæ nos ipſi gerimus, quæque nos planè attingunt, magnam habere vim ad iucunditatem nobis excitandam & cupiditatem gignendam quæ conſtituta *Reſpondetur.*
1102 eſt iniuriarum principium. Sed tamen nihil prohibet quominùs ex ijs quæ ab aliis geruntur, atque alios planè attingunt, iucunditatem interdum hauriamus, & cupiditatem vnde iniuriam deinde facimus; concipiamus. Quare aliorum peripetiæ ac magnæ fortunarum, quæ aliis contingunt, commutationes, poterunt nobis tanquam ſpectatoribus non modò admirationem inijcere, quod perpetuò contingit, verùm etiam iucunditatem quæ ex admiratione oriri ſolet. Siquidem interim non ipſi euadimus calamitoſi, ſed ex aliena calamitate propter peripetiam, admirationem & iucunditatem quandam haurimus: verè enim dum præter omnem expectationem & opinionem repentè tanta fit commutatio, res peregrinæ ac noui euentus & admirabiles, quoniam hæc tuti ſpectamus, non poſſunt non delectare. Et ideo Hiſtoria etiam ea de cauſa iucunditatem habere dicitur, quòd in ea tuti ac citra aleam, aliorum pericula cernimus & fortunas. Quod ſi Ariſtoteles ab initio huius capitis ſemper eas iucunditates protulit quæ ex rebus a nobis geſtis aut optatis ſperatíſve capimus, attamen nūc tandem ſemel ad eas iucunditates intendit digitum quas ex rebus percipimus alienis. Itaque in proxima particula deuenit ad res quas Poëtæ, Statuarij, Pictores atque alij

artifices multi exprimunt imitatione. Nam hinc quoque iucunditatem nos percipere obſeruabat quod inde diſcamus. Quare, quemadmodum ſtatuas, picturas & huiuſmodi alia in medium attulit quæ nobis, etſi alieni artificis ſint, pariunt iucunditatẽ, ſic peripetiam, etſi alterius, opportunè afferri potuit vnde iucunditas hauriatur.

PARTICVLA CCLIV.

ΚΑὶ ἐπεὶ τὸ κατὰ φύσιν ἡδύ, τὰ συγγενῆ δὲ κατὰ φύσιν ἀλλήλοις ἐστίν, ἅπαντα τὰ συγγενῆ καὶ ὅμοια, ἡδέα, ὡς ἐπιτοπολύ. οἷον ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ, καὶ ἵππος ἵππῳ καὶ νέος νέῳ ὅθεν καὶ αἱ παροιμίαι εἴρηνται. ὡς ἧλιξ ἥλικα τέρπει. καὶ ὡς ἀεὶ τῷ ὁμοίῳ φίλον τὸ ὅμοιον. καὶ ἔγνωκε δὲ θὴρ θῆρα. καὶ ἀεὶ κολοιὸς παρὰ κολοιόν, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. 1103

ET quoniam quod eſt ſecundum naturam, iucundum eſt & quæ cognata ſunt, ſecundum naturam inuicem ſunt, omnia cognata, & ſimilia, iucunda ſunt plerunque, vt homo homini, & equus equo, & iuuenis iuueni. vnde etiam prouerbia prolata ſunt, quod æqualis æqualem delectat, & quod ſemper ſimili amicum eſt ſimile. & cognouit fera feram, & ſemper graculus cum graculo. & quæcunque alia huiuſmodi. *Riccobonus.*

ET quoniam quod eſt ex natura, iucundum eſt; & quæ ſunt eiuſdem generis ac ſimilia, plerunque iucunda ſunt, vt homo homini, equus equo, iuuenis iuueni. vnde fluxerunt illa prouerbia; Aequalis æqualem delectat, &, Simile ſemper ſimili gaudet. Et, fera feram agnoſcit. &, Semper graculus cum graculo. & reliqua huius generis. *Maioragius.*

Quæ ſunt eiuſdẽ generis & tamquam affinia, hæc quoque ſũt iucunda.

EA etiam quæ ſunt συγγενῆ, ſiue eiuſdem generis & cognata & affinia aut etiam ſimilia, ſibi mutuò ſunt plerunque iucunda: cuius rei eam afferrationem quia id quod eſt ſecundum naturam, eſt iucundum, vbi licet talem conſtituere ratiocinationem, quæ ſunt ſecundùm naturam ſeu communicant in natura, ſunt iucunda: quæ ſunt inter ſe cognata conueniunt in natura: quæ igitur cognata ſunt & affinia iucunda ſunt. Quam rem totam, etſi alioquin plauſibilem ſatis & perſpicuam, ne quis ſubrepat ſcrupulus exemplis ſiue inductione quadam confirmat, addens vt homo homini, & quæ ſequuntur: quæ omnia poſt multa quæ coaceruat exempla, vt inductio ſit perfecta, claudit illis verbis, Καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, & quæcunque alia huiuſmodi. Sed cur hæc dixit eſſe iucunda plerunque? poſtularet enim ratio vt vniuerſim, ſi quid valet ratio; ſibi mutuò eſſent iucunda, cum Naturæ cognatione æquè conſentiant omnia. Quæ enim eſt ratio cur aliqua interdum aberrent ab hac iucunditate? Affert huius rei cauſam Victorius non inelegantem. Nam (inquit) illud quoque in prouerbio eſt, inter cognatos inuidia. Quæ ratio ſi Ariſtoteles de ſolis hominibus decretũ illud ſtatuiſſet, tolleret vtique dubitationem funditus. Nam cũ homo ex electione agat, & æmulatione ſæpè ducatur, nil mirũ ſi inter pares aliquando ſe ſe miſceat inuidia aut diſſidiũ vnde petimatur iucunditas. nam ſcitum eſt illud Heſiodi quod Ariſtoteles non ſemel vſurpat, figulum figulo inuidere, fabrum fabro. Sed vniuerſim loquitur, ac propterea ait & equus equo & fera feræ & graculus graculo & quæcunque ſimilia. Sed vt omittam videri inuidentiam quoquo modo tangere belluas etiam, quo fieret vt exceptio pateret latiùs, & ideo *plerunque* commodiùs interponeretur; profectò fieri poteſt vt quæ naturaliter ſunt cognata eiuſdémque generis animantia (nam intra horũ fines coërcendum eſt decretum, cum inanimata nullam ſentiant iucunditatem) alia de cauſa, vt ob cibum & potũ & Venerem, contrahant odium inter ſe. Et ideo propter hæc pugnare inter ſe ſcripſit alibi Ariſtoteles. Quanquam quoniam ratio & inductio Ariſtotelis latè manat illa quidẽ ad oẽs animãtes, ſed tamẽ decretũ hominũ gratia profertur, vt iucunditatis humanæ fons nobis ẽt atque ẽt aperiatur, tueri poſſumus Victorium magna ex parte: quia cur ſaltẽ in hominibus id plerunque nõ ſemper, accidat, declaraſſet cõmodè. etſi alioquin Ariſtoteles loquitur vniuerſim, reb. cognatis oĩb. exceptionẽ illã interponẽs ac plerũque nõ ſemper illis mutuã iucunditatẽ adeſſe ſignificat. 1104

Dum

Dum verò exempla profert quibus inductionem, de qua dicebam, conſlet Ariſtoteles, ex prouerbijs ferè haurit, vt cum ait æqualis æqualem delectat, & ſemper ſimilem, & cognouit fera feram, graculus graculum. Vbi cum ſtatuat feram ob cognationem
1105 ac naturæ ſimilitudinem cum fera libenter coaleſcere ac iucunditatem capere, mirũ eſt de viro ſolitario, quod paſſim effertur dixiſſe, hunc aut Deum eſſe aut belluam, quaſi verò belluæ & feræ non feram & belluam, adamenr ſed ſolitudinem. Sed cum aliquæ belluæ inueniantur quæ ſolitariæ degant, etſi pauciſſimæ, in has ſpectare potuit Ariſtoteles in Moralibus vbi paulò accuratiùs differit, hîc communem vſum ſequi ac diſſimulare aliquid, dum diſputat populariter. Quod ſi neges vllam belluam eſſe, quæ non ſaltem prolis vel ſuſcipiendæ vel educandæ cauſa quæ naturaliter expetuntur, adamet ſocietatem ſui generis, proìndeque verum eſſe cenſeas quod ſcribit M. Tullius, An putas vllam eſſe terra maríque belluam quæ non ſui generis bellua maximè delectetur? Non temerè fortaſſe dicamus ea Ariſtorelis verba, *Eum qui longè viuit a ciuitate propter naturam & non caſum aliquem, ſiue improbum eſſe, ſiue meliorem quàm homo ſit*, perperam a quibuſdam ſic exponi, quaſi Ariſtoteles huiuſmodi hominem belluam haberi velit & feram. Non enim illum confert cum bellua, dum ſignificat improbitate, moribus & electione a communi hominum ſtatu degenerare: (id enim non ad feras pertinet aut belluas, quas idem Ariſtoteles eo ipſo in loco ſocietate gaudere affirmat) ſed ad oſores quoſdam hominum, cuiuſmodi fuit Cinicus ille Diogenes, qui præter morem omnem & conſuetudinem refugerent ſocietatem. etſi non eſt quod inficiemur aues quaſdam cum ad prædam itant, gaudere ſolitudine. quod idem Ariſtoteles non diſſimulat. Quod tamen parum refert hoc tempore. Atque hîc ſanè ne te morer in propoſitis prouerbijs explicandis longiùs, Diogenianum, Suidam, Zenodotum atque alios conſulas licet qui græca huiuſmodi prouerbia complexi ſunt.

PARTICVLA CCLV.

Ἐπεὶ δὲ τὸ ὅμοιον ϗ συγγενὲς ἡδὺ ἑαυτῷ ἅπαν, μάλιστα δ' αὐτὸς πρὸς ἑαυτὸν ἕκαστος τούτων πέπονθεν, ἀνάγκη πάντας φιλαύτους εἶναι, ἢ μᾶλλον ἢ ἧττον. πάντα γὰρ τὰ τοιαῦτα ὑπάρχει πρὸς αὐτὸν μάλιστα.

Riccobonus. ET quoniam ſimile, & cognatum iucundum eſt ſibi ipſi omne, & maximè ipſe erga ſe ipſum quiſque ſic affectus eſt, neceſſe eſt, omnes ſui amantes eſſe
1106 aut magis aut minus. Omnia enim talia ſunt erga ſe maximè.

Maior. *QVoniam autem quod ſimile eſt, cognatúmque, iucundum ſibi ipſi omne eſt, & vnicuique erga ſe ipſum maximè hoc accidit, neceſſe eſt omnes homines ſui ipſorum amatores eſſe, aut magis aut minùs; vniuerſa enim huiuſcemodi maximè ſunt erga ſe ipſum.*

COlligit ex dictis quęque ſui peramantem eſſe, vel certè, quod tamen nõ apertè exprimit, ſibi eſſe iucundum. Denique ſi primum colligit, hoc inde colligit quia ſimile & cognatum quodcunque iucundum eſt ſibi ipſi & maximè ipſemet ſibi, ac propterea neceſſe ſit vt ſui quiſque amans ſit. Quod ſi alterum, hoc inde colligit vel indicat, quia cum id quod iucundum eſt, amemus, qui ſe amat, rem iucundam amat: ac fortaſſe vtrunque docet: licet poſtremùm, nimirum ſibi quęque iucundum eſſe, disertè docet, quod maximè inſtituti erat: addit verò ſui amantes eſſe homines aut magis aut minùs; quòd (vt opinor) vel ratio moderetur amorem ne fines tranſiliat, ac propterea plus minùs, prout magis aut minùs rationem in conſilium adhibeat, huic indulgeant amori. Hîc verò dum Ariſtoteles quemque facit ſibi quamſimillimum & cognatum, itaut maiore ſe quiſque cognatione tangat & ſimilitudine quàm alterum, id verò populariter accipiendum eſt: ſiquidem nemo ſibi ſimilis ac cognatus dicitur propriè. Etſi vt ſe diligat, & hinc iucunditatem hauriat longè maiorem quàm ex cognatis *Sibi quemque iucundum eſſe.*

gnatis & ſimilibus, non eſt quod dubitemus. Quare quos hîc φιλαύτυς vocat, rectè vocat, cum φιλαυτία facilè occupet mortales: quod verò quodcunque ſibi ipſi ὅμοιον καὶ συγγενὲς appellat, ob effectum appellat, non propriè.

PARTICVLA CCLVI.

ΕΠειδὴ φίλαυτοι πάντες, καὶ τὰ αὐτῶν ἀνάγκη ἡδέα εἶναι πᾶσιν. οἷον ἔργα, λόγυς. διὸ φιλοκόλακες, ὡς ἐπιτοπολὺ, καὶ φιλερασαὶ, καὶ φιλότιμοι, καὶ φιλότεκνοι. αὐτῶν γὰρ ἔργα τὰ τέκνα.

ET quoniam ſui amantes omnes ſunt, etiam quæ ſua ſunt neceſſe eſt iucunda eſſe omnibus, vt opera, orationes. Quamobrem amantes ſunt aſſentatorum plerunque, & amatorum, & honorũ, & liberorũ. Ipſorum enim opera liberi ſunt. 1107

Riccobonus.

ET cum omnes ſe ipſos ament: neceſſe eſt, vt etiam ſua cuique iucunda ſint; vt opera, & orationes. Ideo plerique ſolent adulatores amare; & eos a quibus amantur, redamare, & honoris appetentes eſſe, & filios ſuos diligere. ſunt enim filij tanquam parentum ipſorum opera.

Maioragius.

De iis qui ſe ipſos diligunt, & ex ſuis rebus iucunditatem capiunt.

IN apertum adducit φιλαύτυς, ac pronunciat hinc fieri vt ij, quippe ſe ipſos amantes, iucunditatem capiant ex ſuis rebus, vt ex operibus & orationibus: & hinc fieri vt adulatores quoque plerunque diligant, & amantes, & honores & liberos: ſi quidem liberi etiam eorum ſunt opera. Appoſitè verò adulatores iucundos eſſe ſignificat, quòd plerique hominum ob ſuarum rerum amorem & quam inde capiunt voluptatem, etiam adulatores, quos maximè repellere deberent, non grauatè ſuſtineant, quin adament etiam, quò fit vt decipiantur, ac tranſuerſi agantur ſæpè. Et hoc eſt quod reprehendit Plutarchus in Regibus ac Magnatibus ad quos adulatores ob diuitias & potentiam facilè confluunt. Hos enim ait nihil vnquam diſcere ſatis niſi equitare: vt nimirum intelligamus generoſum equum non adulari, ac propterea fieri vt Regem ipſum deijciat niſi probè equitandi expertus ſit ac gnatus: in cæteris ab adulatoribus facilè decipi. Orationem verò profert inter ea quæ cara ſunt, quòd non poſtremum obtineant locum inter opera, cum non exiguas ingenij vires requirat nobilis oratio. Alioquin in Poëmate aut carmine φιλαυτία irrepit magis. Et quoniam ait homines ab huiuſmodi φιλαυτίαν amatorum quoque amantes eſſe, atque ex iis iucunditatem capere, tu, ſi honeſtos amatores ſpectare velis, pulcherrimum habes in Latino Poëta exemplum Euryali ac Niſi nihil enim in amatore illo niſi honeſtum & caſtum a caſto 1108
Poëta illo exprimitur, itaut vitam etiam pro illo honeſtè profundat,

Niſus erat portæ cuſtos, acerrimus armis,
Hyrtacides: comitem Æneæ quem miſerat Ida
Venatrix, iaculo celerem leuibúſque ſagittis:
Et iuxta comes Euryalus: quo pulchrior alter
Non fuit Aeneadum, Troiana nec induit arma,
Ora puer prima ſignans intonſa iuuenta
His amor vnus erat, paritérque in bella ruebant:
Tunc quoque communi portam ſtatione tenebant.

Hæc virgilius in IX. tu cætera percurrito. nam caſtimonia magis adhuc ac magis elucet. Itaque ad extremùm Erumpit Niſus in eas voces;

Me, me: adſum qui feci: in me conuertite ferrum
O Rutuli. mea fraus omnis: nihil iſte nec auſus,
Nec potuit (cælum hoc & conſcia ſydera teſtor)
Tantùm infelicem nimium dilexit amicum.

Quod ſi minùs honeſti amantis exemplum requiras, Platonis Phœdrum legito, vbi cum lupis tales comparat amantes. Sed mixti amoris exemplum in Torquato habes vbi Olindum ac Sophroniam profert: ille enim nonnihil cupidinis æſtu abripitur, etſi nuptias quoque ſperaret; hæc cœleſti amore eius amorem compenſat.

PAR-

Digitized by Google

PARTICVLA CCLVII.

KΑὶ τὸ τὰ ἐλλειπῆ ἐπιτελεῖν, ἡδύ. αὐτῶν γὰρ ἔργον ἤδη γίγνεται.

Riccob. ET inchoata perficere, iucundum eſt. Ipſorum enim opus iam fit.

Maior. *ET inchoata perficere, iucundum eſt; nam eorum, qui perficiunt, iam illud opus eſſe videtur.*

IVcundum quoque eſt (inquit) inchoata perficere. Quod non de ijs intelligendum quæ ipſimet incœpimus, ſed de ijs quæ ab alijs incœpta fuerint. Nec rurſus de ijs quæ ita ab alijs fuerint inchoata, vt eorundem nomine in medium proferantur, etſi noſtro auxilio atque opera perfecta fuerint: nam de his egit cum iucundum eſſe doceret id beneficij in aliquem conferre, quemadmodum in Particula CCLII. obſeruare licet, ea enim attingit quæ aliena quidem opera ſunt & alteri tribuuntur, ſed noſtro tamen auxilio ac beneficio perficiuntur: Ergo de ijs hîc loquitur quæ cum ab alijs inchoata fuerint, a nobis perficiuntur ac noſtro nomine poſteritati conſignantur. Et ideo pergit, ipſorum enim opus iam fit, quaſi verò aliorum opus eſſet dum inchoatum iacêret ac rude. At enim quid de ijs quæ noſtro marte & incipimus & abſoluimus? An non hæc incredibilem iucunditatem afferunt & lætitiam? Sic ſanè: præſertim ſi in illis eluceat ingenium ac perennia fore ſperemus. Si enim picturam aliquam abſoluiſſe proprium delectat artificem, idémque de ſtatuis, ædibus, regio nauigio, & ſexcentis eiuſmodi alijs accidit; quid de nobili Poëmate, aut hiſtoria aut commentario dicendum erit in quo dies noctéſque laboraueris & deſudaueris ac multos annos conſumpſeris? Sed de hac re ſuam indicauit ſententiam in Particula CCLVI. At enim quid eſt quod generaliter loquatur Ariſtoteles de ijs quæ ab alijs inchoata, a nobis perficiantur? an non ſatis erat hoc ad benefacta contrahere, eum aliorum malefacta turpe ſit ad exitum perducere? Certè ſi per iniuriam quis obſederit Vrbem & iniuſtè, cui expugnandæ alter ſufficiatur Dux, hic dedecus contrahat dum per iniuriam perfecerit opus. Sed quoniam quicquid agimus, boni ſaltem, iucundi cupiditate agimus, nihil prohibet quominùs dum alienum eiuſmodi opus aliquod perficias, iucunditatem capias. Quod ſi quis ea verba, ipſorum enim opus iam fit, ad ea contrahat quæ nos & incipimus & abſoluimus, quod faciunt aliqui, quaſi verò inchoata & rudia vix ac ne vix quidem digna ſint quæ vera opera cenſeantur, non altercabor. Nam tum verè opera planè dicuntur noſtra cum omnibus numeris abſoluta fuerint atque per-
1110 fecta. Etſi potior mihi videtur altera interpretatio. cum ſupra ſatis indicarit noſtris quoque operibus nos oblectari.

Inchoata perficere iucundum.

1109 (beside the opening lines of the paragraph above)

PARTICVLA CCLVIII.

KΑὶ ἐπεὶ τὸ ἄρχειν ἥδιστον, καὶ τὸ σοφὸν δοκεῖν εἶναι ἡδύ. ἀρχικὸν γὰρ τὸ φρονεῖν. ἔστι δ' ἡ σοφία πολλῶν καὶ θαυμαστῶν ἐπιστήμη.

Riccob. ET quoniam principem eſſe iucundiſſimum eſt, etiam ſapientem videri eſſe, iucundum eſt. ad principatum enim pertinet ſapere. Eſt autem ſapientia rerum multarum & admirabilium ſcientia.

Maioragius. *ET quoniam regnare ſuauiſſima res eſt, etiam ſapientem videri, eſt ſuaue; præditum enim eſſe ſapientia regium eſt; eſt enim ſapientia multarum & admirabilium rerum ſcientia.*

Sapientia inter iucundiſſima.

SApientiam quoque recenſet inter res iucundas. Quo in loco dum res per ſe perſpicua videri poteſt (quis enim ſapientiam non iucundiſſimã eſſe fateatur?) rationem tamen affert vnde videri poſſit perturbari & implicari: ſiquidem affirmat ſapientiam eſſe iucundam quia principem eſſe eſt iucundiſſimum: quaſi verò ſapientiam è veſtigio conſequatur Imperium ac principatus, aut ſapiens idem planè ſit quod Princeps. Sed quicquid ſit, ſaltem imperio digni ſunt ſapientes, ac digniſſimi quibus Vrbium ac regnorum gubernacula tribuantur; quod Perſas feciſſe aliquando & alias gentes legimus, apud quos Magi ac ſapientes dominabantur. Stoici etiam ſapientem regem eſſe dictitabant, atque hunc vnum Regis dignum nomine. Tametſi pro ſuo inſtituto ac more eum intelligerent qui probitatem colit ac virtutem, cætera floccifacerent: cum Ariſtoteles ſapientiam interim ad mentem & rerum cognitionem referat. Alij etiam eum qui in ſua arte inter multos excellat, Regem nominent. Sic Cicero adhuc puer, cum æqualibus omnibus ingenio longè præſtaret, Regis nomen inuenit inter pueros, quemadmodum in foro etiam ob ſummam eloquentiæ virtutem ac laudem dictus eſt in iudicijs regnare. Proinde qui tanquam excellens præeſt in arte aliqua ac cæteris moderatur, Rex quoque vocitatur, & ideo in ſuo regno verſari dicitur. Atque ob id fortaſſe Ariſtoteles viro ſapienti tribuit principatum, ac regia dignitate digniſſimum exiſtimaret vt ſibi caneret. Tametſi fortaſſe vox illa τὸ ἄρχειν qua vtitur Ariſtoteles, non tam ſignificat illi Regem eſſe quàm primum locum in aliqua re obtinere. Sed quicquid ſit non temerè addit τὸ φρονεῖν eſſe ἀρχικὸν ſeu ad principatum pertinere, ſeu potiùs imperio accommodatum ac regium eſſe. Quapropter rectè Plato, tum demum beatas fore iudicauit Reſpublicas, cum aut Philoſophi regnarent, aut qui regnarent Philoſophis ac ſapientibus audientes eſſent. Ac profectò quemadmodum qui rudes ſunt ingenio, ad ſeruiendum & obtemperandum ficti ſunt, ita è contrario qui excellunt ſapientia ac prudentes ſunt, ficti videri poſſunt ad imperandum. De qua re Ariſtoteles & ante illum Plato in Politicis. At enim quid obſecro ſapientiæ nomine intelligis Ariſtoteles? Iandiu enim ſapientiam varijs nominibus probaſti nec tamen eius vim ac naturam definitione aliqua declaraſti. Declarat igitur hoc loco atque ait eſſe rerum multarum & admirabilium ſcientiam: multarum, quòd nemo ſapientis nomen mereatur qui paucarum adhuc rerum peritus ſit ac gnarus mirabiliũ, ne rerum ſordidarum notitia ſapientiæ ſibi vindicet nomen: ſed ijs tribuatur quæ prudentiam, ingenium, ſolertiam, dignitatem referunt, inter quas res cœleſtes in primis numerentur quæ in primis ſapientiam gignunt ac ſapiente dignæ ſunt: ideas diceret Plato: has enim viro ſapienti ſpectandas in primis iubet. Sed de hac re alibi.

PARTICVLA CCLIX.

ἜΤι δ' ἐπεὶ φιλότιμοι, ὡς ἐπιτοπολὺ, ἀνάγκη καὶ τὸ ἄρχειν, καὶ τὸ ἐπιτιμᾷν τοῖς πέλας, ἡδὺ εἶναι, καὶ ἐν ᾧ βέλτιστος δοκεῖ εἶναι αὐτὸς αὐτοῦ, ἐνθαῦτα διατρίβειν. 1112
ὥσπερ Εὐριπίδης φησί. καὶ ἐπὶ τοῦτ' ἐπείγεται, νέμων ἑκάστης ἡμέρας πλεῖστον μέρος, ἵν' αὐτὸς αὐτοῦ τυγχάνῃ βέλτιστος ὤν.

PRæterea vero quoniam amantes honoris ſunt plerunque, neceſſe eſt, & principem eſſe, & increpare proximos, iucundum eſſe. Et in quo optimus videtur eſſe ipſe ſibi, ibi verſari, vt Euripides ait. *Riccobonus.*

> *Nam quiſque ad id frequens adeſt,*
> *Magnámque in illo temporis partem terit,*
> *Euadat ipſe ſemet vt præſtantior.*

ET quia plerique homines ſunt honoris auidi; neceſſe eſt vt alios reprehendere, & coarguere iucundum ſit, & quo in ſtudio ſe quiſque putat excellere, in eo aſſiduè verſari iucundum eſt; quemadmodum Euripides ait: *Maioragius.*

> *Nam quiſque ad id frequens adeſt,*
> *Magnámque in illo temporis partem terit,*
> *In quo ipſe ſe præſtantiorem exiſtimat.*

Iucundum

IVcundum quoque eſſe ait alios reprehendere & increpare. Id quod inde probat quia φιλοτίμοις, honoris inquam cupidis, id ſamiliare ſit & periucundum. Atenim cum ſapienti principatum tribueris, cur quæſo nunc eum φιλότιμον, immo verò imperioſum, facis, quaſi verò ad cæteros inſtimulandos fictus ſit & increpandos? Sed, vt opinor, non in Principe perſiſtit, ſed aliò infert ſermonem, nimirum ad eos qui honoris potiùs quàm ſapientiæ ſtudioſi ſunt: nam vitæ forma non raró his diſcriminibus ſeu ſtudijs variatur apud Ariſtotelem vt alij ſapientiæ, alij honoribus dediti ſint. Quod ſi ita eſt, expungendum erit illud καὶ τὸ ἄρχειν, & cum Victorio cui hæret Maioragius, legendum ἀνάγκη καὶ τὸ ἐπιτιμᾶν & quæ ſequuntur. Quod inde etiam ſuademur quia id honoris ſtudioſo & cupido tribuatur appoſitè, ſapienti principi non item. Sed & illud iucundum eſſe addit, in eo ſtudio verſari in quo tibi optimus eſſe ſiue excellere videaris. Quod eleganter etiam comprobat ex Euripide qui cecinit; *Cæteros reprehendere & increpare iucundũ item.*

1113 *Nam quiſque ad id frequens adeſt,*
Magnámque in illo temporis partem terit,
In quo ipſe ſe præſtantiorem exiſtimat.

Vbi tamen partim aptè videtur Euripidis carmina huc referre, partim alieno loco. nam dum iſtos in ijs quæ norunt, libenter verſari ait ſeu quam norunt artem tractare, quin in ea ſe oſtentare, id verò in hunc locum mirificè conuenit: ſed dum ait ideo conſilio facere vt in ea præſtantiores euadant, non conſentit cum propoſita Ariſtotelis ſententia qui dixit in eo verſari iucundè in quo ſint optimi ſiue excellant. Certè ea verba ἵν' αὐτὸς αὑτοῦ τυγχάνῃ βέλτιστος ὤν, valent vt ipſe ſe ipſo euadat præſtantior. Sed qui alios vincat, ſéque rurſus vt ſeipſum adhuc ſuperet, in eodem exercear ſtudio, is etiam in eodem præſtare atque excellere dici poſſit. Vix autem Euripidea hæc ſententia quicquam differt ab illa in qua prouerbio vulgatum eſt, quod quiſque nouit in eo ſe exerceat: vel certè ad ea hæc nos hortantur quæ Euripideus ille ſtrenuè faceret.

PARTICVLA CCLX.

Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπεὶ ἡ παιδιὰ τῶν ἡδέων, καὶ πᾶσα ἄνεσις, καὶ ὁ γέλως τῶν ἡδέων, ἀνάγκη δὲ καὶ τὰ γελοῖα ἡδέα εἶναι, καὶ ἀνθρώπους, καὶ λόγους, καὶ ἔργα. διώρισται δὲ περὶ γελοίων χωρὶς ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς.

Riccobonus. SImiliter verò etiam, quoniam ludus eſt inter iucunda, & omnis remiſſio animi, & riſus inter iucunda, neceſſe eſt etiam ridicula iucunda eſſe, & homines & orationes, & opera. Diſputatum autem eſt de ridiculis ſeparatim in ijs quæ ſunt de Poëtica.

Maioragius. *EOdem modo, quia ludus, & omnis animi relaxatio, & riſus in rebus iucundis eſt; neceſſe eſt, vt omnia ridicula ſint; ſiue ſint homines, ſiue dicta, ſiue facta. Sed quæ ad iocos ridiculáque pertinent in libris de arte Poetica ſeparatim a nobis explicata ſunt.*

1114 TRiceſimo circiter ſeu poſtremo loco ridicula collocat inter iucunda, *Ridicula*
ſiue homines velis, ſiue ſermones, ſiue opera: quam rem inde comprobat quia ludus eſt iucundus, omniſque remiſſio animi & riſus inter iucunda numerantur. De ridiculis verò (inquit) ſeparatim diſputauimus in Poëticis. Vbi obſerua ludum primò recenſere inter iucunda, tum animi remiſſionem, tum inde ridicula quæ maximè ponit in iucundis hoc in loco. Et ideo ait ſe de ridiculis egiſſe, de cæteris ſilet. Sed tamen ridicula cum ludo affinitatem habent & animi remiſſione cuius cauſa ludus inſtitutus eſt. Atque hic eſt locus vnde aliqui probare conãtur Ariſtoteleæ Poëticæ librum quem terimus, non eſſe Ariſtotelis germanum opus, ſed illi perperam tribui: cui dubitationi nos in *quoque.*

eius

eius libri Commentarijs reſpondimus copioſè. Aliquid verò hîc de ridiculis diſputarem ex M. Tullio & alijs niſi animaduerterem interim Ariſtotelem id vnum atque obiter, affirmare, ridicula eſſe iucunda. Quare libenter ſuperſederim ne tam alieno loco eiuſmodi diſputationem quæ longiùs manaret, ſuſcipiam. Tu, ſi placet, ea conſulito quæ de hac re tota ſcriptum reliquit tum M. Tullius, tum noſtro aut ſuperiore ſeculo Vincentius Madius Brixienſis tum Franciſcus Robortellus ad Poeticæ extremum, vbi de Comœdia & Salibus, tum Ludouicus Carbonius libro 3. de Officio Oratoris.

PARTICVLA CCLXI.

Περὶ μὲν οὖν ἡδέων, εἰρήσθω ταῦτα. τὰ δὲ λυπηρὰ, ἐκ τῶν ἐναντίων τούτοις φανερά. ὧν μὲν οὖν ἕνεκα ἀδικοῦσι, ταῦτ' ἐστί.

AC de iucundis quidem dicta hæc ſint. Moleſta autem ex contrarijs patent. Ac quorum quidem cauſa iniuria afficiunt, hæc ſunt. *Riccobonus.*

HAec igitur de iucundis dicta ſufficiant. nam quæ moleſta ſunt, ex contrarijs intelligi facilè poſſunt. Et hactenus quidem oſtenſum eſt, quarum rerum gratia homines iniuria cæteros afficiant. *Maioragius.*

Ex iucundis moleſta eſſe colligenda.

COlligit quæ in hoc capite diſputauit, ſeu hæc de iucundis ſatis eſſe. Et quoniam iam illud requirere poſſet aliquis vt quemadmodum de iucundis verba fecerat, ita de rebus moleſtis diſputaret, idcirco quæ ad res moleſtas pertinent ex contrarijs dignoſci iubet. Sed quorſum de moleſtijs? Vt horum vi & natura cognita exploremus alterum veluti 1115
iniuriæ fontem. Nam quemadmodum quis rei iucundæ cupiditate adducitur vt iniuriam faciat, ita rei moleſtæ declinandæ cauſa ad iniuriam item inducitur inferendam. Adde accuſanti ac defendenti, quoniam è veſtigio opponuntur accuſatio & defenſio, hæc vtraque ſeruire poſſe: id quod acciderit ſi quis in homicidij, verbi gratia, ſuſpicionem induceret aliquem, quòd huic militaris virtutis laude demortuus antecelleret, ac propterea hinc ad eius locum aſpiraret alter, quòd iucundum eſſet principatum in exercitu obtinere: alter contra inde eum defenderet & a ſuſpicione purgaret quòd eum diligeret, ac propterea non potuerit non moleſtiſſimè ferre tali ſe amico orbari ac ſpoliari. Hæc vt ſpecimen quoddam extet rerum moleſtarum vim & vſum explorandi. Ita quidem concludit hæc eſſe vnde homines ſe ſe iniuria ſolent afficere.

CAPVT XII.

PARTICVLA CCLXII.

ΠΩΣ δὲ ἔχοντες, καὶ τίνας, λέγωμεν νῦν. αὐτοὶ μὲν οὖν οἴονται δυνατὸν εἶναι τὸ πρᾶγμα πραχθῆναι, καὶ ἑαυτοῖς δυνατόν. εἴτε ἂν λαθεῖν πράξαντες, ἢ μὴ λαθόντες μὴ δοῦναι δίκην, ἢ δοῦναι μὲν, ἀλλ' ἐλάττω τὴν ζημίαν εἶναι τοῦ κέρδους ἑαυτοῖς, ἢ ὧν κήδονται.

QVomodo autem ſe habentes, & quos, dicamus nunc. Ac ipſi quidem, cum arbitrantur fieri poſſe, vt res agatur; & fieri poſſe vt à ſe; & ſi ſe latituros; cum egerint; aut ſi non latuerint, ſe non daturos pœnam; aut daturos quidem, ſed minùs damnum eſſe, quàm lucrum ſibi ipſis, aut ijs, quorum curam habent, *Riccobonus.*

Deinceps

Maioragius. *DEinceps autem quomodo ipſi affecti ſint, qui iniuriam faciunt, & cuius generis homines offendant, explicemus. Atque illi quidem ad iniuriam faciendam aggrediuntur, qui ſperant rem effici poſſe, & à ſe effici, & præſertim cum facinus ſuum putant fore clam; aut ſi forte res patefacta fuerit impunè ſe habituros: aut ſi*
1116 *indicij pœna lenior, quàm facti præmium; ſiue ipſis res ea fructum allatura eſt, ſiue illis, quos caros habent.*

NVnc tandem explicandum aſſumit id quod ſecundo & tertio loco propoſuerat, qua ſcilicet ratione affecti ſint qui iniuriam faciunt, & qua item affecti ſint qui iniuria afficiuntur. prius tamen agit de primis & copioſè. Videtur autem ad certa quædam capita reuocare iniurioſos homines. Ac primum caput eſt eorum qui fore ſperant tum iniuriam inferri poſſe tum a ſe inſerri; ita ut factum ſibi ſuccedat e ſententia, tum fore vt lateant nec reſciantur: aut ſi non lateant, ſe impunè ſaltem eam illaturos, ac pœnam daturos nullam: vel ſi dederint, minorem lucro & emolumento quod ex iniuria ſibi aut ſuis retulerint, eſſe daturos. Hæc eſt propoſitæ particulæ explicata ſententia. *Qui ſint qui iniuriã faciunt & qua ratione affecti.*

In qua tamen multa ſunt, quę dubitentur & requirantur. Quare Controuerſia ſtatuatur NVM rectè illos diſtribuat qui iniuriam inferre ſoleant. Qua in re multa ſunt quæ dubitentur. Ac primò videtur iniurioſos illos homines tantùm proferre qui de induſtria agant & ex electione: contra verò eos prætermittere qui ſponte tantùm lædant ſiue citra electionem & deliberationem iniuriam faciant. Certè ut quis reputet ſe poſſe iniuriam inferre ac latêre aut etiam pœnam effugere & quid huiuſmodi, ad eos pertinet qui conſilio rem adminiſtrant. Sed vt vt ſit (nam in progreſſu meliùs obſeruauimus num tractatio propoſitioni, & vltima primis reſpondeant) certum eſt fieri quoque poſſe vt quis nihil minùs optet quàm latêre, ſed cupiat vt quàm intulerit iniuriam, ea promulgetur; quod viris generoſis quibuſdam aut militaribus vſu venire ſolet; pręſertim ſi conſtet grauem æmulationem vel potiùs inuidiam & contentionem I. *CONTROVERSIA LXXI. Num rectè illos diſtribuat qui iniuriam inferre ſolent. Dubitãtur, & diluuntur multa.*
1117 acerbúmue diſſidium inter eos intercedere. Sed fac cautos hîc intelligat: nam ij la- II.
teant, ſi poſſint, libentiſſimè; facilè etiam contingere poteſt vt aliqui vbi ſenſerint ſe la- III.
têre non poſſe, abſtineant, etiam ſi ſperent ſe impune diſceſſuros: ſunt enim qui vſqueadeò verentur flagitij notam dum apud omnes benè audiunt, vt (quod Ariſtoteles ipſe fatebitur aliquando) tale omnino reformident facinus. Sed ſit etiam, id ſpectet Ariſtoteles quod communiter euenire ſolet, ac diſputet populariter; ſit etiam quod addit, ſi non ſperent iniuriam occultari poſſe, illud ſaltem ſperent ſe pœnas daturos nullas, quod tamen perrarò accidat, niſi ſolum verterint ac ſe in tutum receperint ſtatim: ſit denique vt ſi ne id quidem ſperent, eò adijciant animum vt reputent num minor lucro luenda ſit pœna, atque id ſperent; verùm cur ait lucrum æſtimare quod caris etiam inde paretur? Ea facilè de cauſa, quòd non deſunt qui non ſui cauſa, ſed vt vel dominis IV.
ſeruiant, vel amico indulgeant, vel alteri gratificentur, iniuriam inferant. quod parentibus etiam interdum vſu venit, qui vt filios augeant honoribus vel diuitijs, haud temperant ab iniuria. Etſi non deſunt qui vtrunque captant commodum; quales ſunt Sicarij, qui iniuriam alicui inferentes, ſibi pactas pecunias parent, diuitibus honoris aut alterius boni emolumentum. Sed cur dixit ab initio eos eſſe iniurios qui ſperent per ſe V.
omnino poſſe rem peragere? an forte vbi ſenſerint ſe per ſe ipſos non poſſe id peragere, omnem iniuriæ inferendæ cogitationem abijcient? minimè verò: & ideo paſſim per alios etiam contumelioſi ſunt homines & iniurioſi. id quod tandem, velit nolit, fateatur Ariſtoteles neceſſe eſt, cum caris etiam emolumentum dicat afferri. Sed fortaſſe ſupra dixit per ſe, quia qui iniuriam inferant, minùs capiant ſi per alios id fecerint: cum emiſſarij & ſicarij prodere illum poſſint: ita ut primò reputent illi num per ſe iniuriam poſſint inferre & ſine miniſtrorum vſu vnde periculum imminere ſolet. niſi tamen dicas Ariſtotelem ſignificare eos primùm reputare, num iniuria inferri poſſit (quid
1118 enim ſi in tuto omnino ſint conſtituti ita ut iniuriæ locus pateat nullus?) tum verò vbi ſenſerint offendi poſſe, reputare num a ſe iniuria affici poſſint, hoc eſt non modò ab alio quopiam potentiore verùm etiam a ſe poſſint affici iniuria. ita tamen vt interim non excludat miniſtros: nam hoc etiam eſt per ſe tacere. Quibus ſi addas Ariſtotelem

telem dum ait caris etiam procurari emolumentum,nô tam loqui de ijs qui per alios inferunt iniuriam.quàm qui liberorum,atque aliorum quos caros habent,gratia inferunt iniuriam, quemadmodum de parentibus diximus qui vt liberos honoribus augeant vel diuitijs,non abſtinent ab iniuria,res omnis fermè dubitationis erit expers.Ita quidem explicata ſit propoſitio & diſtributio eorum qui ad iniurias inferendas deſcendunt & quibuſdam cogitationum veluti gradibus deſcendunt. Atque hanc ſententiã aliqua ex parte, etſi breuiter omnino expreſſit M. Tullius in libro 2. de Inuentione, cum ſcriberet; *Caput illud erit accuſatori demonſtrare poterit alij nemini cauſam fuiſſe faciendi: ſecundarium ſi tantam aut tam idoneam nemini: Sin fuiſſe alijs quoque faciendi cauſa videbitur, aut poteſtas alijs defuiſſe demonſtranda eſt. aut facultas aut voluntas.* Sic Cicero, qui tamen dum ait. *Si cum ſpe efficiendi, ſi cum ſpe celandi fuerit, facilè aggreſſurum*, totam fermè Ariſtotelis complectitur ſententiam. Interim tamen caue putes Ariſtotelem quinquepartita illa iniurioſorum hominum diſtributione eos planè omnes complecti voluiſſe qui iniuriam faciunt: nam alias etiam iniurioſorum hominum formas proferet paulò poſt: ſed eos propoſuit hactenus, qui inprimis iniuriam inferre videantur. de qua re ſuo loco.

PARTICVLA CCLXIII.

Καὶ ποῖα μὲν οὖν δυνατὰ φαίνεται, καὶ ποῖα ἀδύνατα, ἐν τοῖς ὕστερον ῥηθήσεται.
κοινὰ γὰρ τῶν μερῶν τῆς ῥητορικῆς ταῦτα πάντων. αὐτοὶ δ' οἴονται δυνατοὶ
εἶναι μάλιστα, ἀζήμιοι ἀδικεῖν, οἱ εἰπεῖν δυνάμενοι, καὶ οἱ πρακτικοὶ, καὶ οἱ ἔμπειροι
πολλῶν ἀγώνων. καὶ ἐὰν πόλλοι φίλοι ὦσι, καὶ ἐὰν πλούσιοι. καὶ μάλιστα μὲν, ἂν
αὐτοὶ ὦσιν ἐν τοῖς εἰρημένοις, οἴονται δύνασθαι. εἰ δὲ μὴ, κἂν ὑπάρχωσι τοιοῦτοι αὐ- 1119
τοῖς φίλοι, ἢ ὑπηρέται, ἢ κοινωνοί. διὰ γὰρ ταῦτα δύνανται καὶ πράττειν, καὶ λαν-
θάνειν, καὶ μὴ δοῦναι δίκην. καὶ ἐὰν φίλοι ὦσι τοῖς ἀδικουμένοις, ἢ τοῖς κριταῖς. οἱ
μὲν γὰρ φίλοι, ἀφύλακτοί τε πρὸς τὸ ἀδικεῖσθαι, καὶ προσκαταλλάττον τὲ πρὶν
ἐξελθεῖν. οἱ δὲ κριταὶ χαρίζονται οἷς. ἂν φίλοι ὦσι. καὶ ὅλως ἀφιᾶσιν, ἢ μικροῖς ζη-
μιοῦσι.

AC quæ quidem fieri poſſe videantur, & quæ non poſſe, poſteriùs explicabitur. Communia enim partibus Rhetoricæ ſunt hæc omnibus. Ipſi verò arbitrantur ſe poſſe maximè, ſine damno iniuria afficere, qui dicendo valent, & agendo, & experientia multarum contentionum, & ſi eis multi amici ſint, & ſi diuites, & maximè quidem ſi ipſi valeant in ijs, quæ dicta ſunt, arbitrantur potentiam ſe habere. Sin minus, ſi ſint tales ipſis amici, aut miniſtri aut ſocij, quia his freti poſſunt & agere, & latere & non dare pœnam. & ſi amici ſint ijs, qui iniuriam patiuntur, aut iudicibus. Nam amici parum cauti ſunt ad iniuriam patiendam, & reconciliantur, priùs quàm iudicium perſequantur. Iudices verò gratificantur ijs, quibus amici ſint & omnino abſoluunt, aut paruis pœnis afficiunt. *Riccobonus.*

QVa verò ſint ea quæ fieri poſſe videantur, & quæ non poſſe fieri, poſtea declarabimus: ſunt enim partium omnium Rhetoricæ communia. Atque illi potiſſimum maleficiorum impunitatem ſperant qui dicendi facultate præſtant; & qui rebus gerendis multum valent; & qui iudicialium controuerſiarum benè periti ſunt; & ſi amicorum diuitiarúmque copiam habuerint. Maximè verò qui his præſidijs fulti ſunt, elabi ſe poſſe confidunt: ſin minus, etiam tum confidunt, cum amicos huiuſmodi,
vel adminiſtros, vel ſocios habuerint; propter hæc enim, & iniuriam facere & latere 1120
& non dare pœnas poſſunt. Etſi amici eis fuerint, quibus iniuriam fecerunt, aut ipſis iudicibus. nam amici non præcauentes ad iniuriam ſunt expoſiti; deinde antea pla- *Maioragius.*

cantur,

cantur, quam res in iudicium veniat iudices; autem illis gratificantur quibus amici ſunt; & aut penitus abſoluunt, aut parua pœna multant.

Iniurioſis hominibus quinquepartitò diſtributis, agit primò de ijs qui ſe ſperant impune iniuriam facere poſſe.

QVinquepartitò diſtribuit eorum qui iniuriam inferre cuperent conſi-
lium. Nunc igitur de ſingulis partibus agit ſigillatim & ſententiam in
ſingulis planiorem reddit ſuam. Quanquam, quoniam id quod primo
loco protulerat de iſtorum conſilio, habet opportuniorem locum, id-
circo ait priùs, *Et quæ ſanè poſſe fieri videantur aut non poſſe explicabuntur po-
ſtea.* Quod omnino faciet infra, nimirum lib. 2. Capite 19. vbi propoſi-
tiones explicabit tripartito cauſarum generi communes: inter quas eſt, nunquid fieri
poſſit aut non poſſit. Ex quibus omnibus licet animaduertere quàm ſit breuitatis ſtu-
dioſus, caueátque ne quid temerè repetatur & inculcetur multis in locis. Denique
methodi quoque obſeruantiſſimum ſe ſe oſtendit noſter Author. Nam quemadmo-
dum pauló ante & epilogo concluſit id quod iam tum diſputauerat in capite 11. de
cauſis iniuriarum, & ſtatim in memoriam reuocauit atque aggreſſus eſt quæ poſt di-
ctas cauſas conſequerentur explananda, ita hoc in loco, poſtquam cœpit ſecundum
caput explanare, ac de ijs mentionem fecit quæ fieri poſſe videantur aut non poſſe,
huius rei explicatum reijcit ad opportuniorem locum, & aggreditur ad cætera decla-
randa. Tametſi ſecunda & tertia parte tantiſper poſthabita, ad quartam (credo quòd
hinc commodior ſe ſe offerret explicatio, de qua re poſtea) aggreditur, ac docet qui
ſint ij qui impunè ſperent & arbitrentur ſe iniuriam facere poſſe. Ii igitur inquit primò
ſunt homines eloquentes. At enim ſi ita eſt præſtaret (cogor enim primum hoc iniu-
riæ patrocinium tantiſper exagitare, etſi propugnabitur ſatim) præſtaret inquam elo-
1121 quentiam nunquam fuiſſe inuentam, cũ iniurioſis patrocinetur hominibus. Quapro-
pter iurè apud Tragicos exclamaret ille, Vtinam diſerti in pretio nuſquam eſſent viri;
quin iurè propemodum exclamaret alter ille, Vtinam naſcerentur etiam homines. Et
ſanè hac de cauſa dubitauit aliquando M. Tullius num maiora commoda an incom-
moda in Rempublicam importaſſet eloquentia: cum hac ipſa Gracchi atque alij per-
diſerti viri plebem ſæpè ad ſeditionem impuliſſent, ac mitas turbas in Rempublicam
excitaſſent: quin hac etiam tyrannidem occupare ſtuduiſſent. Sed quid verbis opus eſt
an non hac de cauſa ſunt qui exiſtiment eloquentiam eſſe inſtar gladii qui in demen-
tis ac furioſi manum inciderit? Sanè hinc iuuentur pauci, lædantur plurimi. Sed dubi-
tationis huius tollendæ ac delendæ anſam obtulit Ariſtoteles ab initio, cum ſtatueret,
non Artem ſed Artificem eſſe culpandum: alióquin Medicina quoque & ars milita-
ris, quæ homini ſanando ac populis tuendis inuentæ ſunt, exterminandæ eſſent. Sed &
naualis cum pyratæ ac prædones inde infeſtent mare. Iuriſprudentia item qua abuten-
tes aliqui ad inopiam adducunt litigatores, ſæpè etiam malas cauſas & fouent & pro
bonis tuentur aciuſtis. vinum ipſum, ac cibi quibus ſe ſe aliqui ingurgitant turpiter, ex
humana ſocietate pellenda eſſent & arcenda longiùs. Proinde clauſula hæc ſit abuten-
tes puniendos eſſe non artem culpandam: præſertim quia alioquin eloquentia multas
ac magnas habet opportunitates itaut digniſſima ſit quæ colatur. Quid plura? a Natu-
ra ducit initium eloquentia, itaut a Naturę parente optimo eloquentiæ exiſtant ſemi-
na quæ comprimi nullo modo poſſint: quin eadem ſemina neceſſitate aluntur cum
non poſſit homo non vti ſermone, atque illud eniti vt commodè illo vtatur: quo fit vt
vſu purior in dies ac ſuauior euadat oratio: tum exercitatione procedente ſuauitatem
augeat & grauitatem contrahat vnde aures capiat atque animos oblectet conciliét-
1122 que mirificè: præſertim quia turpe eſſet in Iudicijs & Curia non hac etiam vel clientes
tueri vel Reipublicæ bonum ac ſalutem procurare. Itaut non poſſit eloquentia non
inter homines & vigere & dominari. Denique cum egregium ſit ſermonis decore
multis animantibus antecellere, cur non laudabile & honorificum ſit oratione inter
homines ipſos florere, & facundia dicendique virtute excellere? An non in artibus om-
nibus & diſciplinis excellere glorioſum eſt? Sic ſanè: præſertim ſi ingenuas artes libera-
léſque diſciplinas ſpectes quibus & priuatim & publicè ornatur humanum genus. Cur
igitur non idem ſarebitur de facultate dicendi & eloquentia? Neque verò facilè mecũ
ipſe ſtatuerim num Areopagitæ improborum Oratorum malo proſpexiſſent ſatis.

Inter hos eloquentes numerantur primò.

CONTROVERSIA LXXII. Qua & oppugnatur & defenditur eloquẽtia.

cum

cum enim extra cauſam dicere prohibuiſſent, egregiè illi quidem: niſi tamen quoniã
clepſydra interim dicendi ſpatium præfinirent prolixitatis incommodo ac tędio veriùs
conſuluiſſe dicas quàm Oratoris præcluſiſſe improbitatem. Nam induſtrius orator &
callidus vno eodémque tempore & ad rem loqui nouerit, & Auditores iudicéſque
decipere, niſi ſapiant ac vigilent diligenter; itaut friuolum inde iudicijs accederet ad-
iumẽtum. Atque idem potiore iure affirmauerim dum Procemium & affectus pro-
hiberent, atque illud per præconem ante orationem inclamarent. Ἄνευ προοιμίων καὶ πα-
θῶν. Nam Procemio ſublato, docilitatem oppidò euertas, ac perſpicuitatem qua nihil
præclarius in oratione, in tenebras obſcuritatémque conuertas. Quanquam illud pal-
mare quòd cum Natura interim luctari atque adeò cum Naturæ authore qui nos ſer-
mone donauit, gygantum more bellum gerere viſi ſint. Cum enim homines, velint
nolint, iniurijs ac periculis vehementer percelli ſoleant, nec timorem ſiue iuſtum do-
lorem, vt dicere cœperam, comprimere ſatis poſſint, quin affectus illi ſuos dicendo ex-
primere cogantur, & ad alienos inſuper excitandos ac prouocandos, Natura duce, im- 1123
pellantur, affectus prohiberi nequeunt: niſi tamẽ exiſtimes animis & affectibus, quin,
ſi Deo placet, lachrymis ipſis frœna & catenas perinde ac mancipijs & feris, inijci poſſe.
Commodiùs igitur huic malo occurratur ſi Princeps pro ſua vigilantia & prudentia
omnino iuſſerit atque curauerit vt Iudices inuigilent cauéantque ne tales impoſtores
excipiant, ſed arceant longiùs; plectant etiam grauiter ſi quid deliquerint inſolentiùs.
Ad quam rem Iudices quoque ne ipſi ſuo muneri deſint, & pœnis & præmijs impel-
lendi ſunt. Ex quo etiam fit vt Principi eiuſdémque aſſeclis tanquam in cuſtodia ma-
nendum ſit perpetuò ac vigilandum vt iudicia rectè peragantur. Eſt enim Princeps
mens Regni aut Reipublicæ, itaut quemadmodum ſiue exercitus ſiue nauis, ſiue cur-
rus, regi nequit niſi Dux aut gubernator aut auriga vigilet ac ſtrenuè ad ſuum munus
incumbat, ita Iudicia exerceri rectè nequeunt, niſi Princeps aut qui[c] eius vicem gerunt
inuigilent, ac pœnis præmiiſque adminiſtros ad Iuſtitiæ patrocinium incendant. Fa-
teamur igitur ac ſtatuamus id quod eſt, Iudicis eſſe diligenter cauere & prouidere vt
ne Orator dicendo fucum faciat, aut veluti tenebras illius iudicio offundat. Cum enim
vel natura, vel innocentia, vel iuſtus dolor, vel aduerſarij improbitas, aut etiam poten-
tia & authoritas, denique iuſtitia ipſa nos paſſim cogat vt accuratè vt grauiter noſtram
cauſam agamus, iniurias acceptas exaggeremus, aduerſarij improbitatem perſtringa-
mus & inſectemur, noſtram vicem defleamus & calamitatem, Iudicis, inquam; ſunt
partes animaduertere in eos qui non tam iuſtè & natura ipſa ſtatúque cauſæ impellen
te, quàm per calliditatem & fraudem abutuntur eloquentia. Ergo huiuſcemodi Ora- 1124
tores ac Patronos, vbi ſemel eorum calliditatem & improbitatem deprehenderit, iu-
beat conticeſcere a iudiciiſque repellat: contra verò quem perſenſerit ſine fuco & fal-
lacia eloquentiam exercere ac bona fide diſertum eſſe, excipiet collaudabítque, ac tan-
diu complectetur quandiu perceperit eum Iuſtitiæ patrocinari. Nam alioquin par eſt
vt mortales, præſertim imbelles & pacis cupidi, ſaltem eloquentiam veluti clypeum
in promptu habeant quo innocentiam tueantur ſuam. Sic Cato ſenior, qui propter
eloquentiam Romanus Demoſthenes dictus eſt, hoc ſuam clypeo innocentiam pro-
pugnauit: Cum enim ægrè ferret multorum vitia quos reprehendere non dubitabat,
talem ſibi conflauit inuidiam vt quater & quadragies accuſatus ſit: & tamen ſic ſuam
cauſam peregit vt dicendi virtute, quoniam comes erat innocentiæ ſe ſe defenderit ac
ſemper abſolutus ſit. Itaque iurè Phalereus Demetrius eloquentiam in pace non mi-
nùs ac gladium in bello valere affirmauit. Deligat igitur Princeps bonos Iudices ac na-
uos quos etiam pro ſua prudentia & authoritate in officio etiam atque etiam conti-
neat ac præmijs & pœnis quandoque afficiat, in illud toto incumbens pectore vt Vlyſ-

Reditur ad Ariſtotelem: Atque alij numerantur multi qui ſe ſperant impunè iniuriã inferre poſſe.

ſes illi & Sinones a iudiciis repellant, ac ſilere iubeant, pœnis etiam plectant cum fraus
nequeat diſſimulari: ijs contra forum ac iudicia patere iubeat, de quorum integritate
conſtare poſſit: Nam eloquentia alioquin naturaliter ſæpè a pectore ac lingua non ſe-
cus ac fluuius a fonte dimanat & profluit: quin vſu & exercitatione, quam prouehit
bonorum auditorum plauſus, & honeſta æmulatio, ſic perficitur vt naturalis quodam
modo & inſita videatur. Addit iam Ariſtoteles eos etiam ſe impunè euaſuros ſperare
qui rerum gerendarum periti ſunt, & in ijs benè verſati. Et ſanè facilè contingere po-
teſt vt ij propter rerum humanarum experientiam vias norint vnde pœnam euitent,

præ-

præſertim ſi non ſemel eadem ſubterfugerint. Tertiò eos etiam commemorat qui in
1125 foro & iudicijs apprimè verſati ſint, itaut in contentionibus ſe ſe exercuerint ex quibus victores diſceſſerint. Illos etiam numerat quarto loco qui abundant amicis: facilè enim per hos aſſequuntur quod alioquin nequeunt per ſe ipſos: gratioſi id enim habēt peculiare. Addit diuites quinto loco, & rectè, nam auro facilè capiunt vel iudicum vel teſtium animos: quin nullo ſumptu interdum ſe ſe tuentur; tanta eſt opum & diuitiarum authoritas: præſertim quia multi ſpe præmij ijs indulgent & gratificantur. Subiungit eos qui huiuſmodi præſidijs inſtructi ſint, exiſtimare ſe per ſe ipſos pœnam effugere poſſe. Et ſanè qui tam multis præſidijs & adiumentis munitus fuerit, vix periclitetur vnquam. Quod ſi per ſe nequeant, ſaltem per amicos qui iſtis ipſis inſtructi ſint exiſtimare ſe per ſe ipſos pœnam effugere poſſe. Et ſanè qui tam multis præſidijs & adiumentis munitus fuerit, vix periclitetur vnquam. Quod ſi per ſe nequeant, ſaltem per amicos qui iſtis ipſi inſtructi ſint, præſidijs, id ſe conſequuturos ſperare. Si enim (inquit) ſaltem ſint tales eius amici aut miniſtri, aut ſocij per hos agere poterunt, itaut ipſi lateant & pœnas dent nullas. Atque idem ſperabunt (ſubijcit Ariſtoteles) ſi ij quos afficiunt iniuria, vel iudices, ſint amici, nam amicis, quippe qui interim nihil tale ſuſpicantur, ac propterea non ſibi cauent, facilè infertur iniuria: ijdémque priùs reconciliantur quàm ad iniurias vlciſcendas ac proſequendas inducantur: Iudices verò amicis libenter gratificantur, eos vel omni liberantes pœna, vel leui admodum plectentes. Atque hîc ſanè quod ait de amicis quos iniuria affectos reconciliari ait antequam vlciſcendi voluntatem & conſilium capiant, non in omnibus accidit: nam durius eſt interdum ab amicis offendi quàm a cæteris, ac propterea minùs æquo animo ferunt iniu-
1126 rias ab amicis acceptas quàm ab alijs: imò exulcerantur magis ac magis ab amicis offenſi a quibus beneficium expectabāt, quàm ab hoſtibus aut alienis a quibus nihil tale ſperabant. Quanquam vbi tales ſint qui intulerunt iniuriam, vt amici quidem ſint, ſed potentiores, facilè contingit talis reconciliatio. Sed his omiſſis, quæſo te Ariſtoteles de ijs agas quos ſperare dixiſti vt ſibi latêre liceat: nam hoc tertio loco propoſuiſti, nec tamen attigiſti: quin tribus prioribus poſthabitis, ad quartos deueniſti. Ad hos igitur redit atque ait;

PARTICVLA CCLXIV.

Λαθητικοὶ δ᾽ εἰσιν, οἵτ᾽ ἐναντίοι τοῖς ἐγκλήμασιν. οἷον ἀσθενὴς περὶ αἰκίας, καὶ ὁ πένης. καὶ ὁ αἰσχρὸς περὶ μοιχείας. καὶ τὰ λίαν ἐν φανερῷ καὶ ἐν ὀφθαλμοῖς. ἀφύλακτα γὰρ διὰ τὸ μηδένα οἴεσθαι. καὶ τὰ τηλικαῦτα καὶ τοιαῦτα, ἃ μηδὲ εἷς. ἀφύλακτα γὰρ καὶ ταῦτα. πάντες γὰρ τὰ εἰωθότα, ὥσπερ ἀῤῥωστήματα φυλάττονται, καὶ τὰ ἀδικήματα. ὃ δὲ μηδείς πω ἠῤῥώστησεν, οὐδεὶς εὐλαβεῖται, καὶ οἷς μηδεὶς ἐχθρὸς ἢ πολλοί. οἱ μὲν γὰρ, οἴονται λήσειν διὰ τὸ μὴ φυλάττεσθαι, οἱ δὲ, λανθάνουσι, διὰ τὸ μὴ δοκεῖν ἂν ἐπιχειρῆσαι φυλαττομένοις, καὶ διὰ τὸ ἀπολογίαν ἔχειν, ὅτι οὐκ ἐπιχείρησε. καὶ οἷς ὑπάρχει κρύψις, ἢ τρόπος, ἢ τόπος, ἢ διάθεσις εὔπορος.

Riccobonus. APti verò ad latendum ſunt & contrarij criminibus vt debilis de verberatione, & pauper, & deformis de adulterio. Et quæ ſunt nimis in aperto, & in oculis. incauta enim ſunt, quòd nemo illa exiſtimet. Et tanta & talia, quæ admiſerit nemo. Incauta enim etiam talia ſunt. Nam omnes, vſitatos vt morbos, cauent, ſic etiam iniurias. Quo autem morbo nondum laborauerit, eum nemo reformidat. Et quibus nemo eſt inimicus, aut multi. Illi enim putant ſe latituros, quia non cauentur: hi verò etiam latent, quia non videntur aggreſſuri fuiſſe eos, qui cauent, & quia habent defenſionem, ſe non fuiſſe aggreſſuros. Et quibus eſt occultatio, aut modus, aut locus, aut alienatio in promptu.

Maioragius. *LAtere ſolent illi, quibus crimina non conueniunt; vt, ſi quis infirmo corpore dicatur, alium vſque ad necem verberaſſe; &, ſi pauper, & deformis homo de adulterio accuſetur. Et quæ valde illuſtri loco, atque ante oculos*

poſita ſunt, in eis latet iniuria, quoniam ea nemo cuſtodit; etenim exiſtimant, nullum in eis peccaturum. & quæ tam magna ſunt, ac talia, ut ea nullus unquam admiſerit; nam hæc quoque nemo præcauet, aut cuſtodit. omnes enim ut ſolitos corporis morbos, ita etiam ſolitas iniurias diligenter obſeruant: quo uerò morbo nemo unquam oppreſſus eſt, cum nemo reformidat. Eos etiam inuadunt, qui aut nullum inimicum aut multos habent. illi enim ſe latere poſſe exiſtimant, quia nulla eſt cuſtodia: hi uerò latent ideo, quia nemo putaret, eos in quenquam impetum facturos, qui ſui corporis circa ſe cuſtodes habeat; & quia paratam defenſionem habent, ſe talem hominem nunquam fuiſſe auſos aggredi. Illi quoque faciunt iniuriam, qui uel modum, uel locum, uel diſpoſitam occultandi rationem facilem habent.

De iis qui ſe ſperant latere poſſe: quos tertio propoſuit loco.

HIc verò de iis agit qui iniuriam inferant quòd ſperent ſe latêre poſſe: vbi ſanè priora duo hominum genera, ac duæ priores cauſæ, planæ ſunt, Obſcuræ tamen quas his ſubiicit verbis. *Et quæ ſunt nimis in aperto & in oculis: incauta enim ſunt, quod nemo illa exiſtimet: & tanta ac talia quæ admiſerit nemo.* Sed ſignificat eos qui iniuriam inferunt in iis quæ ſunt omnibus expoſita & valde patent, non obſeruari, quia nemo interim ſuſpicatur fore vt quis in tali loco & tempore tale audeat tentare facinus: ſic Heroſtratus adduci potuiſſet vt Dianæ templum incenderet ſpe latendi adductus cum nemo tale ſuſpicaretur facinus aut haberet cur obſeruaret. Quod tamen per inſanam ambitionem ſpreuit Heroſtratus, per impudicitiam amauit Clodius, qui Bonæ Deæ ſacra muliebri habitu violauit quòd ſperaret ſe latere poſſe dum nil tale ſuſpicarentur virgines illę. Et hoc eſt etiam quod ſubdit ſimile ſed maius facinus in quo item latêre poſſit qui
admiſerit ſcelus: cum enim ingens ſit & inauditum, nemo illud obſeruat, ſed ne ſuſpi- 1128
cione quidem attingit: ac tale omninò fuit Scelus Heroſtrati. Et huc pertinet quæ ſequuntur verba; *Incauta enim etiam talia ſunt. nam omnes vſitatos vt morbos, cauent, ſic etiam iniurias. Quo autem morbo nondum laborauerit, eum nemo reformidat.* Subdit autem, *Et quibus nemo eſt inimicus, aut multi. Illi enim putant ſe latituros quia non cauentur: hi vero etiam latent quia non videntur aggreſſuri fuiſſe eos, qui cauent & quia habent defenſionem, ſe non fuiſſe aggreſſuros*: quibus verbis obſcuritas quidem ſubeſt aliqua: nam prima pars non difficilem habet aſſenſum, ſed poſterior difficilem: quis enim credat multis exiſtentibus aduerſariiſque cauentibus, & ad defenſionem expeditis ac paratis, fore vt ii ab aliquo lædantur, nec illum aduertãt? & ideo is ſi clam intulerit iniuriam, ſperabit ſe latiturum, quod nemo illi niſi temerè iniuriam acceptam referat: iudices etiam non poſsint fidem adiungere. Dum verò addit ad extremum, *Et quibus eſt occultatio aut modus, aut locus, aut alienatio in promptu.* Non obſcura eſt ſententia: ſi quis enim aurum, verbi gratia ſurripiat, facilè illud occultare poſſit: contra ſi equum vel taurum rapuerit. Atque hinc Cacchi apparuit furtum, quod mugitu eſt declaratum. Nec diſſimili ratione vtitur M. Tullius pro Milone dum de Clodio ſic diſputat. *Suſtinuiſſet hoc crimen primum ille ipſe latronum occultator & receptator locus dum neque muta ſolitudo ind caſſet, neque cæca nox oſtendiſſet Milonem.* Pari ratione occultandi opportunitas & permutandi occaſio ansam offert iniuriæ, cum latendi quoque offerat ſpem.

PARTICVLA CCLXV.

Καὶ ὅσοις μὴ λαθοῦσιν ἔστι δίωσις δίκης, ἢ ἀναβολὴ χρόνιος, ἢ διαφθοραὶ κριτῶν. 1129
καὶ οἷς ἐὰν γένηται ζημία, ἔστι δίωσις τῆς κτήσεως, ἢ ἀναβολὴ χρόνιος, ἢ δι' ἀπορίαν μηδὲν ἕξει, ὅ τι ἀπολέσει.

Riccobonus.

ET quibus ſi non lateant, eſt depulſio iudicij, aut dilatio temporis, aut corruptiones iudicum. Et quibus ſi fiat damnum, & depulſio ſolutionis, aut dilatio temporis, aut ſi quis propter inopiam, nihil habiturus ſit, quod amittat.

Maior. *ET qui etiamſi facinus calare non poſſint, tamen uel iudicij periculum a ſe remouere, uel in longinquum tempus differre, uel iudices ipſos corrumpere poſſunt. Et qui, licet multati pecunia fuerint; tamen pœnam multámque poſſunt à ſe depellere, aut in longum tempus differre ſolutionem, uel propter egeſtatem nihil habent, quod amittere poſſint.*

SI etiam fidenter inferunt iniuriam, qui quantumuis deſperent ſe clã eſſe poſſe, fore tamen ſperant vt iudicij periculum deuitare liceat, vel in longum tempus protrahere, vel Iudices ipſos largitione aut alia ratione corrumpere. Atque hunc ſanè locum expreſſit Cicero in Partitionibus cum ſcriberet eos iniurias inferre ſolere qui ſi non cælandi opinione ducantur, ſpe ſaltem depellendi criminis, vel periculi perrumpendi aut in longinquum tempus protrahendi, adducuntur. Huius verò tripartitæ cauſæ & opportunitatis vnde aliqui fidenter ſunt iniurij, exempla tibi ſuppetant ex M. Tullio præſertim in Verrinis & Miloniana: Clodius etiã, etſi accuſator non Index; a Catilina corruptus pecunia, accuſationi renunciauit; itaut in accuſatoris corruptela perinde ac Iudicis ſpes collocetur aliquando. Tametſi qui de iniuria cogitat, faciliùs de Iudice qui certus eſſe ſolet, quàm de accuſatore qui adhuc incertus eſt corrumpendo cogitat; itaut facilè hac de cauſa accuſatorem prætetierit Ariſtoteles. Addit verò eiuſdem ordinis eſſe illos qui ſi pœnæ aut damno iudicentur obnoxij, vitare poſſint aut differre ſolutionem, vel inopia ipſa ſe tueri quòd nihil habeant in bonis, nec quidquam amittere poſſint. Tametſi lex huic etiam proſpexit incommodo dum iuſſit vt qui non poteſt luere in ære, luat in corpore. Eorum verò exempla quibus opportunitas ſe offerat euitandi pœnam & pecuniæ multam quæ illis ob illatum damnum fuerit irrogata, aut prorogandi ſolutionis tempus, in potentibus viris occurrunt paſſim, & verò ex M. Tullij Verrinis & Maniliana licet haurire: eorum verò qui ob egeſtatem nihil habeant quod amittant, hoc ſanè in ſicarijs nuſquam non cernitur, qui plerique multam declinant inopia, huc illuc confugientes ſéque in tutum recipientes: atque his non ſatis proſpexit lex quam paulò ante commemorabam, ſiquidem iſti omnia ſua bona ſecum portant. Atque ij ſanè omnes quos commemorat in hac particula, videntur omnino quinquepartitam diuiſionem illam effugere atque adeò extra ordinem numerari: tametſi, quoniam dixit de ijs qui iniuriam inferunt quòd ſperent ſe latere poſſe, non incommodè iſtis adnectit eos, qui quantumuis tali non ſuſtententur ſpe, non tamen abſtinent iniuria.

De alijs multis qui fidenter iniuriam faciunt, & cur.

1130 (margin, beside "hil habeant in bonis")

PARTICVLA CCLXVI.

Καὶ οἷς τὰ μὲν κέρδη φανερὰ, ἢ μεγάλα, ἢ ἐγγύς. αἱ δὲ ζημία, ἢ μικραὶ ἢ ἀφανεῖς, ἢ πόρρω. καὶ ὧν μή ἐστι τιμωρία ἴση τῇ ὠφελείᾳ, οἷον δοκεῖ ἔχειν ἡ τυραννίς. καὶ ὅσοις τὰ μὲν ἀδικήματα, λήμματα. αἱ δὲ ζημίαι ὀνείδη μόνον. καὶ οἷς τοὐναντίον, τὰ μὲν ἀδικήματα εἰς ἔπαινόν τινα, οἷον εἰ συνέβη ἅμα τιμωρήσασθαι ὑπὲρ πατρὸς ἢ μητρὸς ὥσπερ Ζήνωνι. αἱ δὲ ζημίαι ὡς χρήματα, ἢ φυγὴ, ἢ τοιοῦτόν τι. ἀμφότεροι γὰρ ἀδικοῦσι καὶ ἀμφοτέρως ἔχοντες, πλὴν, οὐχ οἱ αὐτοὶ, ἀλλ᾽ οἱ ἐναντίοι τοῖς ἤθεσι.

Riccobonus. ET quibus lucra quidem aperta ſunt, aut magna, aut vicina; damna verò aut parua, aut obſcura aut longinqua. Et cui non eſt pœna æqualis vtilitati. id quod videtur habere Tyrannis. Et quibus iniuriæ lucra ſunt: damna verò probra ſolùm. Et quibus contra iniuriæ quidem ſunt in laudem aliquam, vt ſi contingat, ſimul vindictam facere pro Patre, aut Matre, vt Zenoni: damna verò
1131 ſunt, vt pecuniæ, aut exilium, aut tale aliquid. Ambo enim iniuriam faciunt, & vtroque modo ſe habentes, non tamen ijdem, ſed contrarij moribus.

ET quibus certa ſunt lucra, vel magna, vel propinqua; pœnę verò vel parua, vel incerta, vel longinquæ. Et in ea re, in qua nulla pœna par atque æqualis vtilitati reperitur; quod in ſe dominatus regius habere videtur. Et quibus iniuriæ quæſtum adferunt; pœnæ verò tantùm ignominiam. Et quibus contra accidit, vt ſi quem læſerint, ex ea re laudem adipiſcantur, vt ſi vnà contingat patris & matris iniurias vlciſci, quod Zenoni accidit; pœnæ verò ſint aut pecuniarum aut exilij, aut alicuius eiuſmodi rei; vtrique enim, aut vtroque modo ſe habentes iniurioſi ſunt, non tamen ijdem, ſed vita & moribus inter ſe contrarij. Maioragius.

Qui iniuriam faciant quòd damno anteponant emolumentum.

DEclarat iam id quod quinto propoſuerat loco, nimirum qui ſint ij qui iniuriam faciant quòd damno anteponant emolumentum. Sunt autem ij quibus certum proponitur emolumentum vel magnum vel præſens propinquumue: contra verò pœna vel exigua vel parua vel longinqua aut incerta: quæ omnia & exempla habent quotidiana, & per ſe perſpicua ſunt ſatis. Illud etiam addit, tunc maximè ad iniuriam adduci quempiam, cum nulla pœna poſſit compenſare emolumentum, quemadmodum in tyrannide accidit quæ videtur pœnæ cuicunque ſuperior. Et hinc eſt vt regnandi cauſa multi humana diuinaque iura violare non dubitarint, aut dubitent, illud inprimis ſtatuentes, ſi violandum ſit ius, regnandi cauſa violandum. Denique eos etiam commemorat Ariſtoteles quibus iniuriæ quas inferunt, quæſtum afferunt & emolumentum, pœnæ ignominiam tantùm: aliqui enim ſic pudorem abiecerunt, atque honori renunciatunt vt quæſtum, etiam leuiſſimum interdum, graui ignominiæ anteponant. Idem ſtatuit de ijs qui iniuriam facientes, laudem è contrario affectant quam cuicunque pœnæ anteponnnt: huiuſmodi ſunt inprimis qui grauiſſimas iniurias ac moleſtiſſimas vlciſcuntur, vt qui parentum iniurias, id quod Zeno Eleates fecit, vindicant. 1132
Sic Milo, ſi Ciceroni credimus, nec exilium nec mortem reformidabat, cum Rempublicam ab Clodij iniurijs liberaſſet. Vbi corpus hoc ſit (inquit) non laboro, quoniam omnibus in terris & iam verſatur & ſemper habitabit nominis mei gloria. Atque huc reuocare poſſumus aliorum multorum vindictas aut illatas iniurias qui, quod Sampſon oſtendit maximè, morte ipſa iniuriam vlciſci non dubitarunt.

PARTICVLA CCLXVII.

Καὶ οἱ πολλάκις ἢ λεληθότες, ἢ μὴ ἐζημιωμένοι.

Et qui ſæpè aut latuerunt, aut nihil damni habuerunt. Riccobonus.

Et qui flagitia ſua ſæpiùs occultarunt, aut deprehenſi pœnas non dederunt. Maioragius.

Nouum iniurioſorum hominum ſubijcitur genus.

NOuum genus hominum profert qui ſint procliues ad iniuriam: itaut tum hinc tum ex alijs multis quæ de iniurioſis iam iam ſubijciet, conſtare ſatis poſſit quinquepartitam illam diuiſionem non eo conſilio fuiſſe propoſitam, vt qui iniuriam faciant, comprehenderentur omnes ſed qui inprimis facerent. Ait igitur eos etiam procliues eſſe ad iniuriam inferendam qui ſæpenumero aut latuere, cum iniuriam feciſſent, aut inſontes euaſere. atque vtinam non ingens horum eſſet numerus, vſqueadeò hos ſpes alit impunitatis, cum ſemel iniuriam inferre cœperint.

PARTICVLA CCLXVIII.

KAὶ οἱ πολλάκις ἀποτετυχηκότες. εἰσὶ γάρ τινες καὶ 'ν τοῖς τοιούτοις, ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς πολεμικοῖς. οἷον ἀναμάχεσθαι.

Et

Digitized by Google

Riccob. ET ſæpe lapſi opinione. Sunt enim aliqui etiam in talibus vt in bellicis, parati rurſus pugnam tentare. *Aliud item.*

Maioragius. 1133 *ET qui ſæpè ſua ſpe deiecti ſunt, & infelicem exitum habuerunt; quidam enim in his etiam rebus, ſicut in bello reperiuntur, qui rurſus belli fortunam tentare voluerunt.*

QVemadmodùm paulò ante iniuriç propenſionem in quibuſdam obſeruauit qui honori ac dignitati anteponerent quæſtum, & tamen eos etiam iniurioſos fecit qui laude potiùs quàm lucro & quæſtu adducerentur: itaut ad contrarias cauſas conſimilem effectum reuocarit, ſic in præſens videtur quoquo modo & qui ex iniuria latentes ſæpè retulerint lucrum, & qui fruſtra illum ſæpè tentarint, procliues facere ad iniurias. quod poſtremum in militibus quibuſdam videtur innuere: ſunt enim qui vna ſpe prædæ militiam tractare cœperint. ij igitur fortunam iterum atque iterum experiri non verentur: etſi re infecta diſceſſerint antea ac ſpe decepti. Nam eos hîc ægrè intelligam qui furta exercentes, pœna ſæpè affecti ſunt eáque graui ac ſummatim, quemadmodum exponit Maioragius qui fures & impoſtores & alios ſceleſtiſſimos intelligit homines qui ingentes etiam dederint pœnas: nam nihil tale indicat Ariſtoteles, ſed eos ſolùm memorat qui opinione capti ſint quóſque ſpes fruſtrata ſit. Tolerabiliùs igitur ij in medium proferantur de quibus noſter Vates

——— *Quos nulla fatigant*
Prælia, nec victi, poſſunt abſiſtere bello.

Tametſi Troiani non per iniuriam reparabant bellum: itaut ne ij quidem apti ſint Ariſtotelicæ ſententiæ illuſtrandæ, ſed illi tantùm qui per iniuriam infeſti ſint & redeant ad ingenium quíque demum ſola ſpe ceciderint antea, non pœnas, præſertim graues, dederint.

PARTICVLA CCLXIX.

ΚΑὶ οἷς ἂν παραχρῆμα ᾖ τὸ ἡδὺ, τὸ δὲ λυπηρὸν ὕστερον. ἢ τὸ κέρδος, ἡ δὲ ζημία ὕστερον. οἱ δ' ἀκρατεῖς, τοιοῦτοι. ἔστι δ' ἀκρασία, περὶ πάντα ὅσων ὀρέγονται.

Riccobonus. ET quibus protinus ſit iucundum, moleſtum verò poſterius: aut lucrum protinus, damnum verò poſterius. Intemperantes autem tales ſunt. Ac intem-
1134 perantia eſt in omnibus quæ appetunt.

Maioragius. *ET quibus voluptas ſtatim ex facto propoſita eſt, moleſtia verò poſtea; vel lucrum eſt præſens, pœna verò ſera; tales ſunt incontinentes homines. nam incontinentia verſatur in eis rebus omnibus, quas vehementer appetunt.*

HAud dubiè præſens voluptas & iucunditas magnam vim habet, itaut multos decipiat, tametſi facilè intelligant ſe deinde pœnas daturos & in vniuersùm moleſtiam ſubituros: id quod in lucro accidit quod multi ſectantur, etſi intelligant ſe inde poſtea damnum eſſe paſſuros. id quod (inquit Ariſtoteles) intemperantium eſt: ij enim quoniam ſenſui & cupiditati obtemperare paſſim conſueuere, abripiuntur appetitu, rationem ſpernentes: ita fit vt præſentem voluptatem futuræ acerbitati, præſentem quæſtum futuro damno, anteponant: & in his ἀκρασίαν dominari ait vnde impotentes & (vt Cicero loquitur) aliquando aſoti cenſendi ſunt, atque eodem nomine Verrem increpat ſæpè Cicero qui ſic viueret quaſi non deinde pœnas daturus eſſet vllas. Et huc commodè referri poſſunt ex ijs multi qui tam perfractè deliquiſſent, quaſi pœnas ſceleribus imminerent nullæ, aut Deus res non curaret humanas, a Latino Poëta diris pœnis implicantur. *Subijcitur alterum.*

Digitized by Google

Hic quibus inuiſi fratres, dum vita manebat,
Pulſatúſue parens, & fraus innexa clienti:
Aut qui diuitijs ſoli incubuere repertis,
Nec partem poſuere ſuis: quæ maxima turba eſt:
Quique ob adulterium cæſi, quique arma ſecuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras:
Incluſi pœnam expectant. —— Hæc & alia id genus noſter Vates quæ longum
eſſet perſequi: & ideo vt ne iſtorum mentem induamus, exclamat,
Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos.

PARTICVLA CCLXX. 1135

ΚΑὶ οἷς ἂν τοὐναντίον, τὸ μὲν λυπηρὸν ἤδη ᾖ ἢ ζημία. τὸ δὲ ἡδὺ καὶ ὠφέλιμον, ὕστερα καὶ χρονιώτερα. οἱ γὰρ ἐγκρατεῖς καὶ φρονιμώτεροι, τοιαῦτα διώκουσι.

ET quibus è conuerſo moleſtum iam adſit, aut damnum, iucundum verò, & vtile poſteriora, & diuturniora ſint, Continentes enim, & prudentiores talia ſequuntur. *Riccobonus.*

ET quibus contra iam moleſtia aut pœna præſens eſt, voluptas autem, & vtilitas poſterior, ac diuturnior conſequetur; nam continentes, & prudentiores homines talia conſectantur. *Maioragius.*

Alterum rurſus. EX eodem fonte rurſus frigidam haurit ex qua calidam deriuauit: nam
aliquos etiam qui moleſtiam acerbitatémque experti ſint aliquam,
proclines facit ad iniuriam, ídque ea de cauſa quòd ſperent ſe vtilitatē
& iucunditatem diuturnam, conſecuturos; id quod continentium eſt
Dubitatur (inquit Ariſtoteles) & prudentium. Quanquam non video quàm re-
ctè id continentibus ac prudentibus tribuatur dum in iniurijs verſa-
mur: ſi quis enim citra iniuriam & honeſtè moleſtiam perferat ſpe futuri boni, rectè
quidem: ſed qui iniuriam moliatur dum tali ſuſtentatur ſpe, prudentis & continentis
nomen non mereatur. Quapropter quod hoc in loco Maioragius ad hanc rem expli-
candam ſcribit Ariſtotelem tali cogitatione veterum Philoſophorum ſcripta diligen
ter conquiſita ex tota Græcia, ad extremùm cum illis vſus eſſet, igni dediſſe vt gloriam
ipſe ſolus obtineret, duo, mea quidem ſententia, peccat grauiter: vnum eſt quia nemo
ante ipſius Maioragij ſæculum reperiatur qui tale quidquam de Ariſtotele ſcriptum
reliquerit: ita ut ne ſummus quidem Ariſtotelis oſor qui Græcos Authores omnes
quotquot extant, accuratiſſimè peruolutauit Franciſcus Patricius huius rei teſtem
proferre potuerit: ex quo intelligitur eſſe merum ipſius Maioragij aut aliorum recen-
tiorum commentum. alterum eſt id ad rem non eſſe cum nihil acerbi ex aliorum Phi-
loſophorum ſcriptis retuliſſet Ariſtoteles, ſed commodum & vtilitatem. Aptiùs igitur
Alexander aut Pyrrhus proferatur qui iniuriam mortalibus ingerentes, tam multa 1136
pericula tam ingentes acerbitates, hauſerunt futuræ iucunditatis ſpe adducti. Tales
igitur ſint qui non citra iniuriam, pericula & moleſtias ſubeunt ſpe futuræ iucundita-
tis. Quare populariter hos continentes & prudentiores vocat Ariſtoteles, & compara-
Reſpondetur. tè, quia cum incontinentibus illos confert, & imprudentibus de quibus iam tum ver-
ba fecerat.

PARTICVLA CCLXXI.

ΚΑὶ οἷς ἂν ἐνδέχηται διὰ τύχην δόξαι πρᾶξαι, ἢ δι' ἀνάγκην, ἢ διὰ φύσιν, ἢ δι' ἔθος, καὶ ὅλως ἁμαρτεῖν, ἀλλὰ μὴ ἀδικεῖν.

ET quibus contingat vt propter fortunam videantur egiſſe, aut propter neceſſitatem, aut propter naturam, aut propter conſuetudinem, & omnino erraſſe, ſed non iniuriam feciſſe. *Riccobonus.*

Et

Maioragius. *ET qui videri poſſunt aut caſu feciſſe, aut neceſſitate impoſita, aut natura impulſi, aut conſuetudine, aut denique qui ſperant, ſe probare poſſe per imprudentiam peccaſſe, non autem ſcientes, volentéſque læſiſſe.*

VIas commonſtrat omnes vnde quis iniuriam extenuare poſſit vel eleuare; caſum ſcilicet, neceſſitatem, naturam, conſuetudinem, denique quicquid valeat ad probandum per imprudentiam peccatum eſſe illa iámque iniuriam: quæ omnia per capita nobis reuocat in memoriam. Et ſanè hæc ad eleuanda crimina momentum habent maximum: quid enim tu illum accuſes, qui cum in ſyluis aprum inſectaretur, iaculo deliteſcentem hominem vulnerauerit? aut quis homicidij reum illum faciat qui è ſuperiore loco fortè corruens, ſubiectum oppreſſerit hominem? Quis rurſus eum damnet qui vitæ tuendæ cauſa interfecerit ſicarium aggreſſorem? quis ſurdum aut accuſet aut plectendum cenſeat qui alicuius dicto non obediuerit. quis militiæ aſſuetum non excuſauerit ſi agrum incultum neglexerit? aut etiam ciuem reum egerit qui ex *Nouũ adhuc genus profert & id multiplex.*
1137 Vrbis more & conſuetudine prohibuerit peregrinum nocturno Vrbis ingreſſu, qui propterea ſpoliatus fuerit a latronibus? Denique quis inuidiam aut crimen illi conflare moliatur qui probare poſſit ſe non ſcientem & prudentem, ſed per imprudentiã ac nolentem alicui nocuiſſe? Atque hæ defenſionis rationes ſine dubio optimæ ſunt niſi fraus ſubſit aliqua. Certè Solon qui contra legem de Salamine inſula recuperanda egit apud Athenienſes, ſed ſimulata inſania, is violatæ legis plecti potuiſſet, nam per ſimulatam imprudentiam & inſaniam violauit legem. Denique multa ſunt quæ obſtare poſſint quominus nec ad caſum aut fortunam nec ad neceſſitatem aut naturam aut conſuetudinem aut inſcientiam niſi temerè aut minùs tutò & citra omnem fallaciam & culpam reuocetur.

PARTICVLA CCLXXII.

KΑὶ οἷς ἂν ᾖ τοῦ ἐπιεικοῦς τυχεῖν.

Riccobonus. Et quibus adſit æquitatis obtinendæ facultas.

Maioragius. *Et, qui ſperant fore, vt non ſummo iure, ſed ex æquo & bono ſecum agatur.*

II etiam valde procliues ſunt ad inferendam iniuriam qui fore ſperant vt ſecum in pœna repetenda agatur mitiùs non ſummo iure. Ac profectò ſi quis non data opera iniuria affecerit alterum ac læſerit, dignus eſt qui cum mitis ſit Iudex & ex æquo & bono tranſigat crimen, interdum etiam omnino abſoluat, cum ſcilicet ne leuis quidem culpæ aut negligentiæ notari poſſit. contra verò cum data opera iniuriam fecerit, maiore pœna dignus eſt; tantum abeſt vt Iudex ſe mitem aut ἐπιεικῆ oſtendere debeat: id enim eſſet imprudenter ne dicam crudeliter mitem eſſe. Denique opportunè & rigor & clementia cum ſententia miſcenda ſunt. *Qui itẽ mitẽ ſperant Iudicem, iĩ ad iniuriã procliues.*

PARTICVLA CCLXXIII.

1138 KΑὶ ἐὰν ἐνδεεῖς ὦσι. διχῶς δὲ εἰσιν ἐνδεεῖς. ἢ γὰρ ὡς ἀναγκαίου, ὥσπερ οἱ πένητες, ἢ ὡς ὑπερβολῆς, ὥσπερ οἱ πλούσιοι.

Riccobonus. ET qui indigentes ſint. Dupliciter autem ſunt indigentes. aut enim tanquam rei neceſſariæ, vt pauperes, aut tanquam exuperantiæ, vt diuites.

Et

ET quicunque ſunt indigentes: duobus autem modis indigentes dicuntur, vel rerum neceſſariarum, quales ſunt mendici aut pauperes, vel exuperantium rerum, quales ſunt diuites. Maioragius.

Qui que indigẽtes ſũt.

PErſpicuè ſatis docet indigentiam ad iniuriam prouocare: præſertim quæ furtis ac rapinis implicantur: commodè etiam indigentiam diſtinguit, dum aliquos rebus neceſſarijs egenos dicit vt pauperes, alios iis quæ ad copiam pertinent & magnificentiam, vno verbo ſuperuacaneis vt diuites. Qua in re diſpar ſanè eſt conditio: pauper enim; niſi rapinas aut furta multitudine aut magnitudine reddat criminoſa, excuſandus eſt: ea enim quæ ad vitam tuendam ſunt neceſſaria, communia ſunt in ſumma egeſtate, itaut veriùs efferatur pauperum quàm amicorum omnia communia. Tametſi cum natura humana paucis contenta ſit, videndum ne voluntati magis & cupiditati ſeruiat quàm neceſſitati: ſæpè enim neceſſitatis prætextus aut excuſatio largis ſternit viam rapinis: ſiquidem penuria malorum conſiliorum conſultrix eſt & conciliatrix: proindeque iurè illud ſæpè effertur de paupere. Πενία διδάσκει ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν. *Paupertas docet virum vſu* (vel fortaſſe neceſſitate, nam vtrunque ſignificare poteſt χρεία) *malum*. Qua in re ruſtici & agricolæ labantur facilè ob inopiam, ſed milites in primis peccant, qui prædam tuendæ vitæ ſpecie ad luxum quæritant. Diſpar eſt diuitum conditio, quotum iniuria plectenda eſſet grauiter, præſertim ſi indigentibus aut non affluentibus iniurii ſint: ij enim quadruplo multandi eſſent. Veriſſimè enim dici poteſt diuites pauperum præſidio eſſe debere, atque illos ſuis opibus ſubleuare: pauperes contra diuitibus obſequium & operam præſtare ſuam. Sic Vrbes æquè ex pauperibus ac diuitibus commoda & vtilitates caperent, & ad benè beatéque viuendum etiam ſumma mendicorum egeſtate iuuarentur. Egregiè verò huc ex optimis authoribus
multa congerit Maioragius, ſic ſcribens *Dubium non eſt quin propter egeſtatem homines* 1139
multa mala faciant: quod Horatius ita monet; Magnum pauperies opprobrium, iubet Quiduis, & facere & pati. Sic Virgilius in Sexto; Et metus, & male ſuada fames, & turpis egeſtas. Eſt enim paupertas onus & miſerum & graue, vt ait Terent. Plautus in duobus captiuis; ille eſt miſerrimus, qui cum etiam cupit, quid edat, non habet. & in prouerbio dicitur; Miſerrimum eſt fame mori. hac de cauſa mendici ſæpè coguntur multa mala facere, quæ ſi rebus neceßarijs abundarent, nullo modo facerent. Sic etiam diuites cum in cupiditatem rerum alienarum veniunt, quo iure, quáque iniuria ſibi eas vindicare quærunt, quam rem copioſè Cicero pro Milone proſequitur cum oſtendit Clodium permultis ciuibus maximas iniurias feciſſe, & res eos per vim abſtuliſſe. Nihil erat (inquit) *cuiuſque quod quidem ille adamaſſet, quod non hoc anno ſuum fore putaret. & pro Roſcio Am. ait Chryſogonum non alia de cauſa quærere Roſcij damnationem niſi vt eius bonis impunè frui poſſit. ſe ſe, inquit, hoc incolumi non arbitratur huius innocentis patrimonium tam amplum & copioſum poße obtinere, damnato, & eiecto, ſperat ſe poſſe quod adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere, atque conſumere.*

PARTICVLA CCLXXIV.

KAὶ οἱ σφόδρα εὐδοκιμοῦντες, καὶ οἱ σφόδρα ἀδοξοῦντες. οἱ μὲν, ὡς οὐ δόξοντες. οἱ δὲ, ὡς οὐδὲν μᾶλλον δόξοντες. αὐτοὶ μὲν οὖν οὕτως ἔχοντες, ἐπιχειροῦσιν.

ET qui ſunt bonæ admodum exiſtimationis, & qui admodum malæ. Illi quidem tanquam qui non exiſtimabuntur: hi verò tanquam qui nihil magis exiſtimabuntur. Ac ipſi quidem ſic ſe habentes aggrediuntur. Riccobonus.

ET ij, de quibus omnes benè exiſtimant; & ij de quibus peſſima eſt opinio. nam illi ſe latere poſſe ſperant; quod nemo de eis malè exiſtimat; hi verò quod nullam ampliùs exiſtimationis iacturam facere poſſunt. Maioragius.

Dıo

1140 DVo item hominum genera, vt huic diſputationi colophonem imponat, in medium profert qui facilè ad iniuriam inferendam deſcendunt: primi ſunt qui benè audiunt & in optima exiſtimatione ſunt: alteri qui malè audiunt & in exiſtimatione ſunt nulla, aut potiùs turpi. Ac priores quidem fore ſperant vt homines commodè interpretentur illatam iniuriam, fortaſſe etiam falſum exiſtiment rumorem: poſteriores cum pudorem abiecerint, nihil ſe famæ & honoris iacturam facturos intelligent. Ita quidem multi vbi probitatis collegerint famam, audent per ſpeciem probitatis pecunias corradere, ſéque ipſos aliorum damno cohoneſtare: multi vbi verecundiæ fines non ſemel exceſſerint atque infamiam contemnere cœperint, nihil non turpe audent. Atque vtrique ſeueris digni ſunt pœnis ac ſummo iure puniendi non quemadmodum ſuperiores mitiùs aut ex æquo & bono (quanquam æquum & bonũ cum ijs eſt ſummum ius) dijudicandi. Iam verò finem imponit Ariſtoteles eorum enumerationi qui procliues ſunt ad iniurias inferendas, & ad eos ſeſe confert qui iniurijs patere ſoleant & obnoxij cenſendi ſint ijs quos iniurios appellauit.

Qui vel benè vel peſſimè audiunt, faciles ſunt ad iniurias, et cur.

PARTICVLA CCLXXV.

Ἀδικοῦσι δὲ τοὺς τοιούτους καὶ τὰ τοιαῦτα τοὺς ἔχοντας, ὧν αὐτοὶ ἐνδεεῖς. ἢ εἰς τὰ ἀναγκαῖα, ἢ εἰς ὑπεροχὴν, ἢ εἰς ἀπόλαυσιν, καὶ τοὺς πόῤῥω καὶ τοὺς ἐγγύς. τῶν μὲν γὰρ, ἡ λῆψις ταχεῖα, τῶν δὲ, ἡ τιμωρία βραδεῖα. οἷον, οἱ συλῶντες τοὺς καρχηδονίους. καὶ τοὺς μὴ εὐλαβεῖς μηδὲ φυλακτικούς, ἀλλὰ πιστευτικούς. ῥᾴδιον γὰρ πάντας λαθεῖν. καὶ τοὺς ῥαθυμοῦντας. ἐπιμελοῦς γὰρ τὸ ἐπεξελθεῖν. καὶ τοὺς αἰσχυντηλούς. οὐ γὰρ μαχητικοὶ περὶ κέρδους.

Riccobonus. INiuria verò afficiunt eos, & ijs rebus præditos, quarum ipſi ſunt indigentes, vel ad neceſſaria, vel ad exuperantiam, vel ad delectationem. Et longinquos, & vicinos. Horum enim comprehenſio velox: illorum verò vltio tarda, vt qui ſpoliant Carthaginienſes. Et eos, qui non cauent, nec obſeruant, ſed creduli
1141 ſunt. facilè enim eſt omnes latere. Et ſocordes; induſtrij enim eſt ius perſequi. Et verecundos; non enim pugnaces ſunt de lucro.

Maioragius. *EOs igitur lædunt, qui ea poſſident, quorum ipſi ſunt indigentes vel ad vſus vitæ neceſſarios, vel ad exuperantiam, vel ad perfruendas voluptates. Et eos, qui longinqui, & eos, qui propinqui ſunt; nam hi facilè celeritérque poſſunt expilari. ab illis verò venit tarda vltio, vt qui Carthaginienſes depopulantur. Et qui ſunt incauti, ſéque ac ſua non cuſtodiunt, ſed creduli ſunt; tales enim homines facilè eſt occultè lædere. Et qui ſunt inertes ac deſides, neque enim ab eis in iudicium vocari reformidant. Et qui verecundi ſunt, huiuſmodi enim homines propter pecuniam digladiari nolunt.*

DIxit de ijs qui ſunt procliues ad iniuriam inferendam: nunc de ijs qui iniurijs pateant atque offenſionibus ſint obnoxij. Et quamuis de ijs non nihil conſtare potuiſſet ex prioribus, cum ex his qui procliues ſunt ad iniuriã, facilè coniectare liceat qui & quales ſint quibus iniuriam inferant, cum hæc duo genera hominum ſe mutuò conſequantur (& ideo hîc de ſecundis dicturus a primis incœpit a quibus leui flexu diuertit ad alios) planioris tamen præceptionis gratia ab illis ad hos deſcendendũ putauit; ab illis, inquam, qui iniuriam inferunt, ad hos, qui accipiunt, progrediens, & iniuriæ cauſam acutè ſimul attingens. Principiò igitur ait iniurioſos homines ijs fermè ſolere iniuriam facere, qui præditi ſunt rebus quibus ipſi indigent, vel ad vſum vitæ neceſſarium, vel ad copiam & abundantiam, vel ad delitias & voluptates. Hinc verò conſtat

DE ijs qui iniurijs ſunt obnoxij: & qui primi videantur inter hos numerandi.

conſtat duo hæc hominum genera mutuò ſe referre, & ideo nuper dixerat eos, qui indigent rebus vel neceſſarijs, vel quæ pertinent ad abundantiam, ſolere iniuriam inferre. Quanquam hîc addit nunc etiam hos eſſe iniuriis expoſitos, cum rebus abundant quæ pertinent εἰς ἀπόλαυσιν, ad voluptatem & delectationem. Ita quidem a rebus vitæ 1142
neceſſarijs, quæ mediocritate continentur (vita enim paucis contenta eſt) ad copiam primò progreditur, vnde domus expletur: nam vt canit Horatius,

Ex illis domus eſt vbi non & plura ſuperſunt;

tum a copia ad voluptaria gradum facit. Quare, Victorii pace, non obſcœnas corporis voluptates, ac Venereas tantùm intelligit, ſed generatim loquitur, & omnes comprehendit quæcunque ſint voluptates; ita vt ἀπόλαυσις propriè ac more ſuo vſurpet Ariſtoteles: a pauperibus ad auaros fermè diuites, ab auaris ad voluptuoſos, progrediens; quibus propterea nihil non rapinæ atque iniuriæ offert ſegetem. Itaque ſupra pauperes & auaros attigerat: hîc iniuriam ad voluptarios dilatat: ita fit vt qui bona poſſident, quæcunque illa ſint, ſiue ad vitam neceſſaria, ſiue ad abundantiam & copiã, ſiue ad voluptatem & luxum, ſint expoſiti eorum qui iſtis carent, iniuriis ac prædæ. ac tripartitæ huius varietatis exempla tibi ſuppetant in M. Tullio dum ſiue C. Verrem ſiue Catilinam ſiue Clodium accuſat & inſectatur. C. Salluſtius etiam proferri poteſt qui cum & rei familiaris inopia & graui ære alieno premeretur, tantum pecuniæ ac prædæ corraſit in Aphrica, vt tum ſuam egeſtatem ſubleuauerit atque æs alienum diſſoluerit, tum multa ſibi & ad abundantiam & copiam & ad voluptatem ac delitias comparauit: inter quæ Salluſtiani horti extitere. His addit eos etiam eſſe iniuriis expoſitos, qui vel procul vel propè poſiti ſint: hi enim, quippe propinqui celeriter ac facilè expilari poſſunt: contra verò ab ijs, qui longinqui ſunt, ſeriùs reponatur iniuria: quam rem Carthagiuienſium quia a remotis gentibus ſpoliarentur, illuſtrat exemplo. Affert verò huiuſmodi exemplum quia quemadmodum ex Hiſtoricis conſtat, Græci, qui plerique piraticam exercebant, libenter ex Aphrica, quæ longè poſita erat, præ- 1143
dam agebant: præſertim quia non tam dedecori quàm ſtrenuitati & gloriæ ſibi ducebant longinquos populos ac barbaros infeſtare ac populari. Denique cum diuitias inde colligerent magnas, hinc magnificentiam præſeferebant. Sic quos Pompeius profligauit piratæ, incredibilem in ipſis nauium ornamentis ſuperbiam oſtentabant, quas non modò ſericis verùm etiam auro & argento inſtruebant & exornabant. De propinquis verò nihil attinet dicere, cum in quotidiano more ſit poſitum, vt malus vicinus (id quod Heſiodus quoque cecinit) vicino ſit iniurius. Quapropter ſcitè Themiſtocles, cum prædium venale faceret, iuſſit vt præco illud quoque proclamaret, prædium bonos vicinos habere. Sed & eos numerat atque offenſioni expoſitos ait, qui ſunt tum incauti, tum creduli: illi enim res non ſatis cuſtodiunt ſuas: hi ab adulatoribus aut impoſtoribus decipiuntur facilè. Denique vtrinque decipiendi ac latendi ſpes ſuſtentat improbos ac ſtimulat ad iniuriam. Hinc ſenes cautiores eſſe ſolent quã iuuenes & minùs creduli, quòd experientia didicerint incautos & credulos decipi paſſim, & ideo ſenes nunquam ſatis ſibi cauti ac tuti videntur aut increduli. Atque ob id vafer ille Siculus Epicharmus (inquit M. Tullius) illud ſæpe in ore habebat ac ſuis inſuſurrabat, νῆφε καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν, *ſobrius ſis: & memineris non facilè credere: hi ſunt nerui ſapientiæ.* Et ſanè in humanis rebus gerendis qui vel credulus ſit, vel minùs cautus, ſæpè offendat: qua in re Comici nos in primis admonent & erudiunt eleganter. Subiungit inter hos ignauos & ſocordes: horum enim accuſationem non reformidant qui eos affecerint iniuria. Sic lupis obnoxiæ ſunt oues. Principis tamen eſt mites quoque viros & a fori ſtrepitu abhorrentes tueri, ac ſeruare incolumes. Nam ideo paſtor dicitur populorum. Iis adiungit verecũdos, ij enim præ pudore haud 1144
ſuſtinent ob pecuniæ damnum, aut lucrum contendere, malúntque de iure ſuo decedere, quàm Iudicium experiri. Atque iis etiam populorum paſtores proſpiciant oportet pro ſua prudentia & vigilantia, vt verecundiæ decus ac manſuetudinis conſeruetur inter mortales nec procaces ac rapaces eos a tali ac tanta moderatione, qua enitẽte ac certare deberent homines, dimoueant.

PARTICVLA CCLXXVI.

KΑὶ τοὺς ἀπὸ πολλῶν ἀδικηθέντας καὶ μὴ ἐπεξελθόντας, ὡς ὄντας κατὰ τὴν παροιμίαν, τούτους μυσῶν λείαν. Καὶ οὓς μηδέποτε, καὶ οὓς πολλάκις. ἀμφότεροι γὰρ ἀφύλακτοι. οἱ μὲν ὡς οὐδέποτε, οἱ δ' ὡς οὐκ ἂν ἔτι.

Riccobonus. ET qui a multis iniuriam paſſi ſunt,& ius perſecuti non ſunt,quaſi ſint ſecundum prouerbium, Myſorum præda. Et quos nunquam amplius, & quos ſæpè: vtrique enim incauti: illi quidem, vt nunquã:hi verò vt qui non amplius.

Maioragus. *ET qui iam a multis iniuria ſunt affecti, neque tamen quenquam vnquam in iudicium vocarunt; ſunt enim, quod prouerbio fertur, Myſorum præda. Et, quos nunquam,& quos ſæpius læſerunt, nam vtrique ſunt incauti, illi quia ſuſpicione carent, hi verò quia non amplius timent.*

OBuios item iniurijs illos facit qui cum ſæpè & a multis iniuria fuerint affecti, aut laceſſiti, hanc ne accuſatione quidem & in iudicio depellere tentauerint: quaſi verò (inquit Ariſtoteles) Myſorum ſint præda vt eſt in prouerbio. Huiuſmodi autem prouerbium vſurpatur a Demoſthene in oratione pro Cteſiphonte, vbi μυσῶν λείαν καλουμένην (inquit) quòd in prouerbium abijſſent prædæ ac timiditatis nomine: a Strabone etiam lib. 12. memoratur: cui affine eſt illud Myſorum poſtremus, quod a M. Tullio affertur in oratione pro Flacco, quod ſanè de ijs pronunciatur, qui viliſſimi ſint animo, quemadmodum idem Strabo teſtatur; & ignauiſſimi. Cum his Ariſtoteles coniungit eos quos iniurioſi homines aut nunquam, aut ſæpius læſerunt, vtrique enim ſunt incauti, illi quòd nunquam iſtorum experti ſint iniuriam & improbitatem, hi verò quòd nil ſibi iam ſupereſſe credant vnde metuant ampliùs, quaſi verò ſatis ſupérque ſaturata ſit illorum improbitas. Id verò de primis non difficilè eſt quod credatur, præſertim ſi ij qui læduntur, non experientiſſimi ſint rerum: de ſecundis difficile, niſi iam ad eos deflectant de quibus Poëta,

Qui ſæpè iniuria affecti, iudiciũ experiri noluere, ij quoque iniurijs sũt obnoxij.

Ii ẽt quos iniurioſi homines nunquã aut ſæpe læſerũt, & cur.

1145

Cantabit vacuus coram latrone viator:

quid enim fidenter degat, qui & ſæpè apud iſtos offenderit, & opibus non careat vnde rurſus afficiatur iniuria? aut qua ratione hunc reddant aliena pericula cautum, quem propria eáque multa, non reddant detrimenta? Sed ea verba *οἱ δ' ὡς οὐκ ἂν ἔτι, hi verò vt non ampliùs*, videntur dubitationem minuere qui ne leuare: ſignificant enim iniurioſos illos diu ab iniurijs abſtinuiſſe, ita ut mores & cõſilium mutaſſe videantur. Ex quo fit vt inopinati ad iniuriam redeuntes decipiant multos id quod eleganter expreſſit Cicero in Verre, qui cum erga quandam mulierem cui iniuriam fecerat, ingenium ac perſonam diſſimulaſſet diu, tandem repentè, tamquam Circæo poculo in Verrem reuocatus, ad ingenium rediens & priſtinos mores, nouis illam affecerit iniurijs.

PARTICVLA CCLXXVII.

KΑὶ τοὺς διαβεβλημένους, ἢ εὐδιαβόλους. οἱ τοιοῦτοι γὰρ οὔτε προαιροῦνται φοβούμενοι τοὺς κριτάς, οὔτε δύνανται πείθειν. ὧν οἱ μισούμενοι καὶ φθονούμενοί εἰσι.

Riccob. ET calumnia affectos, aut idoneos, qui afficiantur. Tales enim non præeligunt, cum timeant Iudices, nec poſſunt perſuadere, ex quibus ſunt qui odio habentur, & quibus inuidetur.

ET, qui ſunt infames, aut qui facilè poſſunt accuſari, tales enim iudicio experiri non audent; quia Iudices reformidant, neque ſi experiantur, fidem facere poſsunt, quo in numero ſunt etiam ij, qui multis odio ſunt, & qui inuidiam habent. *Maioragius.*

Criminationibus obnoxios facit ẽt iniurijs.

EOs etiã facit obnoxios iniurijs qui calumnijs & criminationibus onerati ſint, ſiue onerari poſſint: tales.n.nõ deliberant ac ſtatuunt de iniuria in iudicio propulſanda, verentes iudices, nec perſuadere valent. Vbi obſerua non ſtatuere Ariſtotelem hos tam veris criminibus oneratos, aut onerari poſſe, quàm calũnijs aut criminibus in vniuerſum; itaut nullo modo exprimat aut ſtatuat iuſtè oneratos, aut onerari poſſe criminibus. Et ideo eo ſubdit inter hos numerari qui odio habentur & qui inuidiam ſuſtinẽt: hi autem ſunt ſæpè etiam innocentes. Quapropter dum Maioragius eos intelligit qui iudicio damnati ſint, minùs perſiſtit (aut ego fallor) intra Ariſtotelicæ ſententiæ fines: quos tamen multò magis egreditur dum ait iſtos, quippe damnatos non eſſe amplius in Ciuium numero: nam Ariſtoteles indemnatos intelligit ac Ciues, qui reformident iudices nec idonei ſint calumnijs criminibúſue aut rumoribus depellendis: Sed in eo maximè labitur Maioragius quòd his verbis quatuor hominum genera ſimul comprehendi affirmat qui ſint ad iniuriam expoſiti, infames & iudicio damnatos primùm, deinde qui accuſari facilè poſſint: tum qui multis odio ſint: denique qui premuntur inuidia: cum Ariſtoteles hos ipſos, qui odium ſuſtinent aut inuidiam, ex ijs eſſe dicat qui calumniis onerati ſint aut onerari poſſint: vbi non tertios aut quartos profert, ſed duplicem cauſam affert cur primi illi, qui inquam calumniis onerati ſint aut onerari poſſint, nõ audeant accuſationem intentare ac iudicium experiri. Sed fortaſſe placuit quadripartitò iſtos diuidere quòd rem totam eleganter illuſtrare poſſet ex Cicerone. Et ideo pergit. Hæc omnia pro Milone Cicero coniicit in Clodium, illum enim infamem, illum plurimis ſceleribus contaminatumq́, illum omnibus odio fuiſſe, maximámque inuidiam ſuſtinuiſſe oſtendit. 1146

PARTICVLA CCLXXVIII.

ΚΑὶ πρὸς ὁὸς ἔχουσι πρόφασιν ἢ προγόνων, ἢ αὐτῶν ἢ φίλων, ἢ ποιησάντων κακῶς. ἢ μελλησάντων, ἢ αὐτούς, ἢ προγόνους, ἢ ὧν κήδονται. ὥσπερ γὰρ ἡ παροιμία προφάσεως δεῖται μόνον ἡ πονηρία. 1147

ET aduerſus quos habent prætextum, vel maiorum, vel ſuum ipſorum, vel amicorum, quòd aut malè fecerint, aut facturi fuerint, vel ipſis, vel maioribus, vel ijs, quos caros habent. vt enim prouerbium ait, Prætextu eget tantùm improbitas. *Riccobonus.*

ET contra quos anſam arripere poſſunt; quòd aut maioribus ſuis, aut ſibi, aut amicis, aut eis, quorum ſalutem caram habent; uel maleſecerint, uel facere illuduerint. nam (ut eſt in prouerbio) ſola occaſio malitiæ ſufficit. *Maioragius.*

Qui quorũ ũe maiores aut amici alios læſiſſe dicãtur, ij quoque expoſiti sũt iniurijs.

HIs ſubnectit eos aduerſus quos prætextum afferre liceat iniuriæ quam eorum aut maiores, vel amici, vel ipſimet, intulerint, ſiue illaturi fuerint, aut maioribus noſtris, aut nobis, aut ijs quos caros habemus. Nam vt in prouerbio eſt (inquit Ariſtoteles) prætextu indiget tantùm improbitas; verè enim malitia excuſationem aut colorem quendam excuſationis captare ſolet. Hæc eſt germana loci ſententia, quæ etiam plana eſt in Victorio: vt mirum ſit Maioragium tantopere lapſum eſſe. Etenim nullos eorum, qui iniutia afficiantur, vel maiorum, vel amicorum agnoſcit mentionem, ſed hos tantum agnoſcit in iniuriam facientibus. Et tamen Ariſtoteles eos intelligit, qui noſtris maioribus, aut nobis, aut noſtris caris, iniuriam fecerint, aut feciſſe dicantur

vel

vel per ſe ipſos vel per maiores vel per amicos. Ex quo fit vt quæ ille ad rem hanc illuſtrandam ex varus Authoribus profert exempla, minùs apta ſint Ariſtotelis ſententiæ declarandæ, cum ſemper ſumat eum vnũ qui iniuria afficitur, læſiſſe nos aut noſtros maiores aut amicos: & hanc eſſe cauſam, hùncve prætextum, vnde illi iniuriam inferamus. Iſti igitur in quos prætextus iſte iactari poteſt, ſunt ex iis qui iniuriis expoſiti ſunt & obuii.

PARTICVLA CCLXXIX.

1148 ΚΑὶ τὺς ἐχθρὺς ϗ τὺς φίλυς. τὺς μὲν γὰρ, ῥᾴδιον: τὺς δ' ἡδύ. καὶ τὺς ἀφίλυς, ϗ τὺς μὴ δεινὺς εἰπεῖν ἢ πρᾶξαι. ἢ γὰρ ὐκ ἐγχειρῦσιν ἐπιέναι, ἢ καταλλάττονται, ἢ ὐδὲν περαίνυσι.

Riccobonus. ET inimicos, & amicos. Quia hos ſit facile: illos iucundum. Et qui amicis carent & non valent dicendo, aut agendo aut enim non conantur inuadere: aut reconciliantur: aut nihil proficiunt.

Maioragius. *EOs etiam lædunt qui uel amici, uel inimici ſunt; nam amicos lædere facile eſt, inimicos autem ſuaue. Et qui uacui ſunt ab amicis, & qui dicendi facultatem non habent, nec in rebus gerendis ſtrenui ſunt, hi namque uel induci non experiuntur, uel antea placantur, uel rem ad exitum non deducunt.*

AMici etiam & inimici ſunt iniuriis expoſiti: illos enim facilè & iniuria afficere: hos verò iucundum. Diuerſa enim ratio efficit vt diſpar hominum genus in idem iniuriarum incidat diſcrimen: amicus, quia cũ non ſit cur iurè timeat, non ſibi cauet: inimicus, quia potentiorem aut callidiorẽ non rarò inimicũ habet. Ita quidem de more, ſed ſcitè ex eodem fonte callidam haurit & frigidam Ariſtoteles; Quod ſi Theognis canit, *Amici etiã & inimici, quique amicis carent, cur, & quãdo.*

> Ἐχθρὸν μὲν χαλεπὸν καὶ δυσμενῆ ἐξαπατῆσαι
> Κύρνε. φίλον δὲ φίλῳ ῥᾴδιον ἐξαπατᾶν.
> *Difficile eſt hoſtem atque inimicum fallere Cyrne,*
> *At facilè eſt, qui ſit iunctus amicitia:*

id verò & comparatè accipiendum eſt, & de iis qui (vt fieri ſolet) cauent ab inimicis, nequaquam ab amicis: alioquin cautus & prudens rerum humanarum æſtimator cũ vtriſque munitus pro opportunitate congreditur, ac degit. Et ſi nec ſi te ac tua æneo incluſeris muro, tutiſſimus eris, vſque adeo iniuriæ telum peruadit omnia. Denique probitas & innocentia te non nihil tutum reddat; tutiorem paupertas, mors vna tutiſſimum. His addit eos qui amicis careant, & in dicendo non valent aut agendo: ii enim non conantur iudicio aduerſarios inuadere, aut reconciliantur, aut nihil proficiunt. Vbi ſi ita locum interpreteris, vt eos qui amicis carent ab illis disiungas qui nec dicen-
1149 do valeant nec agendo, duo habeas hominum genera, qui ſint iniuriis expoſiti, quíque vtrique ſeorſim poſſint, & verò ſoleant, ſæpè offendi, quin ſi tripartitò iſtos diſtribuere placeat, tum vacuos ab amicis, tum indiſertos, tum agendarum rerum ignaros, tres habeas quos facias iniuriis obnoxios: tametſi tres formæ iſtæ (ſi quis attẽtiùs æſtimet) non ſe ſe offerunt in Ariſtotelis verbis, duæ ægrè, vnica, eorum ſcilicet qui cũ careant amicis, dicendi ſimul agendíque ſint ignari, oppidò. e contrariò tamen tres ſubiungit cauſas cur ſint iniuriis expoſiti, quarum ſingulæ ad iniuriam prouocent offenſores; quæ cauſæ ſunt perſpicuæ. Atque hîc ſanè dum ait iucundiſſimum eſſe inimicis iniuriam facere, illud conſentit in δυστυχῆς:

> Ἥδιστον ἐχθρὸν ἄνδρα δυστυχοῦνθ' ὁρᾶν,

Iucundiſſimum eſt inimicum virũ calamitoſum cernere. Dum verò ſignificat oportere amicis munitos eſſe vt fidenter agamus in iudicio, Euripideum illud in rationis ſit loco, Κοινὰ γὰρ φίλων ἄχη.

Communes ſunt inter amicos animi acerbitates ac mœrores.

PARTICVLA CCLXXX.

Καὶ οἷς μὴ λυσιτελεῖ διατρίβειν ἐπιτηροῦσιν ἢ δίκην, ἢ ἔκτισιν. οἷον οἱ ξένοι ϗ αὐτουργοί: ἐπὶ μικρῶν τε γὰρ διαλύονται, ϗ ῥαδίως οἱ τοιοῦτοι καταπαύονται.

ET quibus non eſt vtile tempus conſumere, expectando vel iudicium, vel ſolutionem, vt ſunt peregrini, & opifices. Nam ob res paruas tranſigunt, & facilè tales mitigantur. Riccob.

ET quibus non vtile eſt tempus terere, dum aut iudicium fiat, aut multa diſſoluatur, quales ſunt peregrini, & agricolæ, & opifices nam hi parua accepta pecunia remittunt iniurias, & facilè deſiſtunt. *Maioragius.*

Quibus inſuper non conducit tẽpus in iudicijs terere.

EOs item recenſet quibus non conducit tempus conſumere expectando vel iudicium, quo ſcilicet maleficium fortè puniatur, vel ſolutionem, qua videlicet compenſentur & in integrum, ſi fieri poſſit, reſtituantur. tales ſunt peregrini, & artifices: qui ob res paruas tranſigunt & compo 1150
nunt controuerſiam: atque huiuſmodi homines ſunt qui facilè mitigentur: quo fit vt improbi hos planè obſeruent, & ad hos lædendos ſint procliuiores. Et in hac naui ſunt agricolæ, pupilli, viduæ, vno verbo pauperes quique imbecilliores ſint quàm vt in iudicio rem ſuam agere aut tempus terere poſſint, præſertim ſi victum ſibi arte parare cogantur. Atque horum quibus tempus in iudiciis conterere haud vacet: egregia habes apud Terentium exempla, dum in Andria Criſo peregrinus litem veretur ſequi, etſi hæreditas ageretur quæ ſibi (vt ipſe prætexit) iure deberetur. Sannio etiam in Adelphis, cum ab adoleſcente quodam fidicina priuatus eſſet, ſatius ſit perdere (inquit) quàm hîc manere diu. Sed res teſtatior eſt quotidianis experimentis, quàm vt exempla proferre non ſit ſuperuacaneum. Quanquam interdum etiam præſto eſt Principis, aut iudicis æquitas, & vigilantia, vt moras ac difficultates præcidat omnes, & peregrinos (vt par eſt) atque huiuſmodi alios expedito iure tueatur, & ab omni vindicet iniuria.

PARTICVLA CCLXXXI.

Καὶ τοὺς πολλὰ ἠδικηκότας ἢ τοιαῦτα, οἷα ἀδικοῦνται. ἐγγὺς γάρ τι δοκεῖ τοῦ μὴ ἀδικεῖν εἶναι: ὅταν τι τοιοῦτον ἀδικηθῇ τις, οἷον εἰώθει καὶ αὐτὸς ἀδικεῖν. λέγω δ' οἷον εἴ τις τὸν εἰωθότα ὀβρίζειν αἰκίσαιτο.

ET qui multas iniurias intulerunt, vel tales, quales patiuntur: vicinum enim quiddam videtur ei, quod non facit iniuriam, eſſe, cum talem iniuriam paſſus eſt aliquis, qualem conſueuit etiam ipſe facere. Duo autem, vt ſi quis ſolitum contumeliam facere verberet. Riccob.

ET qui in alios ſæpè iniurioſi fuerunt, & qui tales iniurias intulerunt, quales patiuntur; nam ferè nihil iniuria videtur is feciſſe, qui quempiam lædit in ea re, qua ſolitus eſt ille ſæpè alios lædere, vt exempli gratia ſi quis eum pulſaret, qui multos ſolitus ſit contumelijs vexare. Maioragius.

Iniurijsquoque & quibus.

II rurſus ſunt iniuriis offenſionibúſque obnoxii, qui multas intulerunt 1151
iniurias, vel tales patiuntur iniurias, quales intulerunt. Et ſanè vt eorũ improbitas qui ſæpè aliis iniurioſi fuerint, aliqua compenſetur iniuria, haud mirum itaut iſti ſine dubio iniuriis ſint expoſiti & facilè offendãtur: verùm cur id accidit iis, qui quales intulerunt, tales patiuntur iniurias? an quia premuntur iniuriis, debẽt iterum atque iterum premi? Ea de cauſa, inquit Ariſtoteles, quia propemodum non videtur in iniuriæ haberi loco, vt quis tali afficiatur iniuria, qualem ipſe intulerit aliis; vt ſi quis verberum contumeliam patiatur, qui aliis fuerit contumelioſus, præſertim ſi plagis efficiatur. Quo fit vt cum ne iniuria quidem exiſtimetur talis offenſio, faciliùs inferatur. Ita quidem pœna talionis videntur compenſari quæ per ſe iuſtiſſima cenſeri conſueuit. Atque hic ſanè quæ Maioragius ex Virgilio affert exempla commodè ſunt accipienda; nam re vera æquo Marte Turnus Pallantem, ac Mezentius Orodem, interfecit;

Digitized by Google

cit; denique hoſtis hoſtem aperto bello inuaſit non per iniuriam & iniuſtè; itaut exēpla iſta videri poſſint aliena. Appoſitè tamen afferatur ex Homero vaticiniū de Troia, quippe quæ Græcis iniuriam intuliſſet, euertenda.

Ilia. 4. Ἔσσεται ἦμαρ ὅταν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρὴ, & rurſus Idomenei illud

—— ὅρκι' ἔχευσαν.

Τρῶες τοῖσιν δ' αὖ θάνατος καὶ κήδε' ὀπίσσω

Ἔσσετ', ἐπεὶ πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια δηλήσαντο.

quæ ſic verterem. *Tempus erit ſacrum quando ruet Ilion, inque*

Soluetur cineres —— Et rurſus, *Violarunt fœdera Troes:*

Quis pœna inpendet: vitam cum ſanguine fundent:

Præter fœdus enim nos inuaſere priores.

PARTICVLA CCLXXXII.

Καὶ τοὺς ἢ πεποιηκότας κακῶς, ἢ βυληθέντας, ἢ βυλομθύυς, ἢ ποιήσαντας. ἔχει γὰρ ϗ τὸ ἡδὺ, καὶ τὸ καλὸν, ϗ ἐγγὺς τοῦτο, τοῦ μὴ ἀδικεῖν φαίνεται.

Riccobonus. ET qui malè fecerunt, vel facere voluerunt, vel volunt, vel facturi ſunt: habet

1152 enim & iucundum, & honeſtum, & vicinum eſt hoc ei, quòd facere iniuriam non videtur.

Maioragius. *ET qui præterito tempore malè ipſis fecerunt, aut facere voluerunt, aut in præſentia volunt, aut poſtea facturi ſunt; habet enim hoc in ſe iucunditatem & tale eſt, vt omni ferè iniuria carere uideatur.*

IS quoque ſunt iniurijs obuij qui anteacto tempore malum intulere vel inferre voluere, vel volunt adhuc, & illaturi ſunt: hos enim vexare, videtur iucunditatem afferre & cum honeſtate coniunctum eſſe. Ac profectò qui eiuſmodi homines lædunt, ij ſibi videri affines ijs poſſunt ac vicini, qui nuper dicebantur ſibi videri nihil iniuſtum facere, nullámque iniuriam inferre, dum eos offendunt qui ſolent alijs iniuriam facere: & hoc eſt quod tacitè ſibi vult Ariſtoteles dum ait καὶ ἐγγὺς τῦτο τῦ μὴ ἀδικεῖν φαίνεται. Hîc verò non ſigillatim loquitur Ariſtoteles de ijs quos aut ad reponendas iniurias, aut ad repellendas lædimus, quemadmodū exponit Maioragius, ſed vniuerſim quaſi verò iucundum ac iuſtum videatur ijs iniuriam facere, qui ſolent eſſe iniurij, aut ad iniurias inferendas parati. Neque verò interim illud inculcat Ariſtoteles quod commemorauerat ſupra, dum diceret eos etiam eſſe iniurijs expoſitos qui prætexunt eos quos lædunt per ſe priùs aut per ſuos maiores aut amicos fuiſſe nobis, aut noſtris Maioribus, aut caris iniurios: nam eos generatim cōprehendit in præſens qui citra prætextum illum & in vniuersùm iniuriam inferrent, aut inferre parati eſſent: denique ibi prætextum ſpectat, hîc factum. Vt propterea diuerſæ ſint quæ iniurijs expoſitæ proponuntur perſonæ, ac diſpares conditiones. Quò etiam fit vt dū ſic ſcribit Maioragius, *Quod ita Cicero pro Milone probat; ſin hoc & ratio doctis & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacunque ope poßent a corpore,*

1153 *a capite, a vita ſua propulſarent: non poteſtis hoc facinus improbum indicare, quin ſimul iudicetis omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut veſtris ſententijs eße pereundum. & alibi in eadem Oratione; Si vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet, expedienda ſalutis. in primo de Oratore Craſſus ita inquit; Quid autem tam neceſſarium quàm tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis: vel prouocare improbos, vel te vlciſci laceſſitus?* Reuera vix quicquam afferat ad rem: non enim de ijs planè loquitur Ariſtoteles quorum vis vim repellat, ſed de ijs quibus iucundum ſit & verè honeſtum videatur iniurias illis imponere qui malefici atque improbi cenſeantur. Vt omittiam poſtremum Ciceronis locum veriùs, Eloquentiæ vim quàm Ariſtotelis ſententiam declarare.

Qui iniurias intulere, vel inferre parati ſunt.

PARTICVLA CCLXXXIII.

Κ Αὶ οἷς χαριοῦνται, ἢ φίλοις, ἢ θαυμαζομένοις, ἢ ἐρωμένοις, ἢ κυρίοις, ἢ ὅλως πρὸς οὓς ζῶσιν αὐτοί, καὶ πρὸς οὓς ἔστιν ἐπιεικείας τυχεῖν.

Riccobonus. ET quos iniuria afficiendo gratificabuntur aut amicis, aut ijs quos admirantur, aut quos amant, aut dominis, aut omnino ad quorum arbitrium viuunt ipſi, & apud quos licet æquitatem conſequi.

Maioragius. *ET quos ſi lædant aut amicis gratificantur, aut eis, quos ſuſpiciunt, aut amoribus ſuis, aut dominis, aut eis, a quibus omnino pendent, aut a quibus aliquid commodi ſperant.*

Ij & ſunt iniurijs expoſiti, quorũ offenſio grata accidere poſſit multis, & qui ſint ij.

SEd huc cauſas congerit ſeu prætextus propter quos aliqui iniurijs magis ac magis ſint obnoxii. Si enim ij ſint, quorum offenſio & iniuria grata accidat & periucunda lædentium aut amicis, aut ijs, quos admirantur & colunt, aut quibus in amore ſunt, aut quorum ſub dominatu degunt, & in vniuersùm ad quorum arbitrium viuunt, & a quibus conſentanea ratione aliquid commodi conſequi ſperent, ij facilè iniuriis appetuntur. Et ſanè tanta in quibuſdam fertur interdum gratificandi cupiditas, vt nihil turpe ſubuereantur, dummodo aut amicis, aut dominis, & huiuſmodi alijs rem gratam faciant. Declarat hoc M. Tullius Bloſii cuiuſdam exemplo, qui cum ſe pur- 1154
garet apud Lælium, dum quicquid Tiberius Gracchus vellet ſibi faciendum putaret, & Lælius quæſiſſet num Graccho iubente in Capitolium faces illaturus fuiſſet, Nunquam (reſpondit) voluiſſet id quidem: ſed ſi voluiſſet, paruiſſem. Sic Milonis ſerui Clodii ſeruos ac Clodium ipſum interfecerunt. Denique exempla ſuppetunt paſſim quibus intelligas eos, qui ad alterius nutum viuant, aut ab eo beneficium & commoda ſperent, facilè quempiam lædere vnde illis gratificentur.

PARTICVLA CCLXXXIV.

Κ Αὶ οἷς ἂν ἐγκεκληκότες ὦσι, καὶ προδιακεχωρηκότες. οἷον Κάλιππος ἐποίει τὰ περὶ Δίωνα. καὶ τοιαῦτα, ἐγγὺς τοῦ μὴ ἀδικεῖν φαίνεται.

Riccobonus. ET quibus crimen obtulerunt, & a quibus ſeiuncti ſunt, vt Calippus fecit in Dionem. Etenim talia vicina ſunt ei, quòd iniuriam facere non videtur.

Maioragius. *ET quibus crimina iam intulerint, & quibuſcum amicitiam diremerint, hæc enim ferè videntur nullam in ſe iniuriam continere, quemadmodum ſe Calippus contra Dionem geſſit.*

Qui crimine laceſſiti & amicitia diſiũcti.

ADdit Ariſtoteles eos etiam quibus aliqui iam intulerint crimina ſeque ab eorum conſuetudine & amicitia diremerint, obuios eſſe iniurijs: eos enim nouis iniuriis cumulare, quos iam accuſaueris & criminibus oneraueris, quibúſve amicitiæ nuncium remiſeris, id verò vix tibi quicquam iniuriæ habere videatur & iniuſtitiæ: Sic Calippus Dionem interfecit quîcum ſibi intercedebant ſimultates, & a cuius amicitia diſiunxerat ſe ſe. De qua re tota vide Plutarchum in Dione. Interim illud obſerues, eos qui anteactam amicitiam iniuriis compenſant & contumeliis, præſertim Calippi huius qui Dionem interfecit, exemplo, hos ſceleſtos omnino ac perfidos habendos eſſe; amicitia enim pia eſt ac ſancta, quæque etiã diſciſſa, ab iniuriis tuta eſſe debeat.

PAR-

PARTICVLA CCLXXXV.

1155 ΚΑὶ τοὺς ὑπ' ἄλλων μέλλοντας, ἂν μὴ αὐτοὶ, ὡς οὐκ ἔτι ἐνδεχόμενον βουλεύσασθαι. ὥσπερ λέγεται Αἰνεσίδημος Γέλωνι πέμψαι κοτάβια, ἀνδραποδισαμένῳ, ὅτι ἔφθασεν, ὡς καὶ αὐτὸς μέλλων.

Riccob. ET qui ab alijs lædentur, ſi eos ipſi non læſerint, quaſi non ampliùs liceat conſultare, vt dicitur Aeneſidemus Geloni miſiſſe cotabia, cum ſeruitutem induxiſſet, quòd præueniſſet, quaſi & ipſe facturus fuiſſet.

Maior. *ET quos vident ab alijs læſum iri, niſi ipſi præoccupauerint, tunc enim ſibi non ampliùs deliberandum cenſent, quemadmodum dicitur Aeneſidemus Geloni quadam munera miſiſſe, quod eos in ſeruitutem redegiſſet, quos ipſe inuadere ſtatuerat, niſi is præoccupaſſet.*

EOs etiam profert qui ab alijs mox opprimendi ſint vel lædentur, niſi a te opprimantur aut lædantur. Sic P. Virginius anteuertit filiam virginem enecare ne ab Appio turpiter violaretur: non enim conſultandi (atque hæc affertur ratio ab Ariſtotele) aut cauendi ſe ſe alia offert ratio. Rem tamen idem Ariſtotelis Aeneſidemi & Gelonis illuſtrat exemplo. cum enim ille populos quoſdam ſibi in ſeruitutem adiungere pararet, præoccupauit Gelo. Itaque Aeneſidemus præmijs quibuſdam Gelonem honorauit tanquam victorem eum præoccupaſſet. cotabia appellat iſta præmia, quæ leuia fuiſſe dicuntur, ſed tamen indices victoriæ: de qua re vide Pollucem lib. 6. Atheneúmque libro 11. nam intelliges ex cotabiis etiam indicari aliquem in certamine aut ludo præualere conſueuiſſe, & exigui momenti præmia fuiſſe, ídque nomine ipſo declarari. Interim eſt cur ſolers Ariſtotelis ingenium demireris cum huc peruaſerit, vt eos etiam qui ab iniuria niſi iniuria aut ſupplicio & morte liberari haud poſſent, iniurijs obuios obſeruarit. Quamquam illud admirabilius quòd exemplum tam nobile, tam
1156 aptum, & commodum inuenerit quo rem illuſtraret: res enim vſque adeo eſt inuſitata vix vt ſuppetant exempla. Huic rei affine (affine inquam non ſimillimum) eſt illud, quod de ijs efferri ſolet qui ex iactura quæſtum colligunt aut etiam redduntur incolumes, Perierat ni perijſſet: cuius tamen rei exempla proferri poſſent illuſtria: ſed ad rem redire iuuat.

Qui iã iã opprimẽdi ſint.

PARTICVLA CCLXXXVI.

ΚΑὶ οὓς ἀδικήσαντες δυνήσονται πολλὰ δίκαια πράττειν, ὡς ῥαδίως ἰασόμενοι, ὥσπερ ἔφη Ἰάσων ὁ Θετταλὸς, δεῖ ἀδικεῖν ἔνια, ὅπως δύνηται καὶ δίκαια πολλὰ ποιεῖν.

Riccob. ET quos ſi iniuria affecerint, poterunt multa iuſta agere, tanquàm facilè ſanaturi, vt dixit Iaſon Theſſalus. Oportere ſe nonnulla iniuſta facere, vt poſſet etiam iuſta multa facere.

Maiora gius. *ET quos ſi læſerint, multas deinde res iuſtas facere poterunt, quibus culpam eam facilè deleant, quemadmodum Iaſon Theſſalus dicere ſolebat, oportere quadam iniuſtè facere, vt facultas acquiratur, qua multa deinde iuſta fiant.*

Tt 3 Turpe

Qui læſi rebus iuſtis aperiãt ꝑ agendis.

TVrpe videri poteſt vt quis rem turpem & iniuſtam (talis eſt enim iniuria) cõmittat vt deinde res præclaras & iuſtas gerat: ſed tamen id quoque habet exemplum: nam Iaſon eo nomine ſe turpia quædam & iniuſta patrare dixit, vt iuſta facere poſſet multa. Sic Pompeius permiſiſſe dicitur vt Cicero, a quo publicè celebratus fuerat ac ſummis officiis & beneficiis ornatus, in exilium pelleretur, quò eum ipſe reuocaret. De Iaſone verò Plutarchus author eſt in libro de Præceptis ciuilibus: qui tamen refert eum in rebus leuibus elegiſſe lædere vt in magnis iuuare poſſet: quod ſanè citra iniuriã aut iniuſtitiam contingere poteſt vt cum alicui amputatur manus morboſa ne reliquum inficiat corpus: aut cum alicui gladius eripitur ne cui noceat. Quanquam crediderim Ariſtoteli Iaſonem minùs iuſtè ſe geſſiſſe: alioquin exemplum nutaret atque adeo alienum a propoſito videri poſſet, & tamen ſuſpicor Ariſtotelem animaduertiſſe in bonam quoque partem Iaſonis dictum fuiſſe acceptum ac pronunciatum: nam eæ voces *ὡς ῥᾳδίως ἰασόμενοι, tanquam facilè ſanaturi*, id ſubindicat, quaſi medici more iniuriam (ſi tamen iniuria dicenda eſt) illaturi eſſent illi. Quinetiam dum pergit è veſtigiò vt dixi: *Ἰάσων*, videtur Iaſonis nomine ad ſanationem alludere: vel certè, quoniam Ariſtoteles, quippe ſubtilioribus intentus, vix vnquam haſce orationis delicias conſectatur, Iaſon ipſe cum pronunciaret, ſe illa facere, indicarit quaſi *ἰασόμενος* & ſanaturus: vti ad ſuum nomen alluſiſſet: etſi lepos interim qui in hiſce verbis eſt, latino Inter-
preti deperit omnis. Atque hæc de ijs qui ſunt iniuriis expoſiti: quos tamen ita pro- 1157
tulit, vt interdum verearis ne vel ad eos redierit qui iniuriis inferendis procliues ſunt (vſque adeo & lædentes & læſi in hoc argumento ſunt inter ſe impliciti) vel aptiùs inde potuiſſe iniurioſorum hominum vim & naturam declarari quàm eorum qui afficiuntur iniuria. Quin illud veriſſimè obſerues, multos inter poſteriores referri qui in prioribus deſcribendis ſe ſe vltrò in conſpectum dederint.

PARTICVLA CCLXXXVII.

ΚΑὶ ἃ πάντες ἢ πολλοὶ ἀδικεῖν εἰώθασι, συγγνώμης γὰρ οἴονται τεύξεσθαι.

ET in ijs, in quibus omnes, vel multi iniuriam facere conſueuerunt. ſe enim veniam putant conſecuturos. **Riccob.**

EA verò peccata committunt homines, quæ vel omnes alij, vel multi committere ſolent; quoniam ſe facilè veniam conſecuturos exiſtimant. ***Maior.***

De Rebus ob quas inferũtur iniuria.

IAm docet quæ ſint eæ res in quibus iniuriæ inferri maximè ſolent. Sed cur ad has deſcendit, cum de ijs nihil ab initio? recenſuit enim ad decimi capitis initium totam huius Diſputationis œconomiam, ac propterea de cauſis iniuriarum & de perſonis quæ vel afficerent, vel afficerentur iniuria, antea verò de iniuria ipſa, ſibi dicendum propoſuit: in progreſſu etiam addidit ea, quæ item præmittere oporteret, & ſuperioribus adiungere: & hac de cauſa certis in locis colligebat quæ tum dicta eſſent, tum dicenda ſupereſſent. Et tamen in præſentia, cum iſthæc cumulatè ſit proſecutus, ſine propoſitione aut tranſitione vlla in nouum hunc campum excurrit. Victorius ſanè, *Oſtendit* (inquit) *ſupra ſe velle agere, non de perſonis tantùm, quæ ad iniurias accipiendas aptæ eſſent, ſed rebus etiam, in quibus maleficia committi ſolerent: & quæ, tanquam ſeges ac materia iniuriarum forent: quam partem nunc aggreditur*. Sic iſte. Ipſe tamen vbi id propoſuerit,
non inuenio. Crediderim igitur hanc ſubnectere tractationem vberioris doctrinæ gra- 1158
tia: præſertim quia re uera ex rebus, quæ ſunt iniuriis obnoxiæ, licet propoſitiones ſiue coniecturas & argumenta deriuare accuſationi & defenſioni accommodatas: itaut non minus conferat hæc tractatio ad genus iudiciale, quàm tractatio perſonarum. Etſi Ariſtoteles fortaſſe, vel quia nollet ab initio nimis accuratam, ne dicam minutã, diuiſionem adhibere Diſputationi, præſertim cum pauca de rebus occurrerent; vel

quia

quia res magnam habent cum cauſis & perſonis coniunctionem & affinitatem, earũ præterijt propoſitionem. Proinde ex abrupto ad has diuertit, atque harum conquiſitionem & tractationem, perſonarum quam modò expleuit tractationi, ſine tranſitione vlla aut præmunitione adnectit. Tametſi quoniam optat vt Orator res quoque, perinde ac cauſas iniuriarum & perſonas, diligenter obſeruet; non dubitat ad extremùm res etiam diſtinctè Epilogo concludere cum ſcribat, *Et quomodo quidem ſe habentes iniuria afficiant, & in cuiuſmodi rebus, & quos & quamobrem, fermè hæc ſunt*. Vt mirum ſit non defuiſſe qui affirmauerint Ariſtotelem in Iudiciali genere fuiſſe pumice aridiorem: cum omnes iniuriæ atque adeo accuſationis & defenſionis locos ſeu fontes oſtenderit & aperuerit. Sed de hac re opportuniore loco copioſiùs. Primò igitur (vt ad res huiuſmodi veniamus) iniurias in ijs rebus inferri ait, in quibus omnes vel multi iniuriam facere conſueuere: Sperant enim ſe veniam conſecuturos. Huius rei exemplum ſint contumelioſa verba, præſertim leuia, quæ facilè excuſantur: & ideo nemo ferè non interdum in hæc labitur & aliquid infert iniuriæ: quæ propterea nuſquam, maximè verò inter populares, non audiuntur. Sic Annibal perfidia læſit Romanos quòd Pœni hoc vitio iniurii eſſe ſolerent: id quod eleganter indicauit Latinus Poëta cũ Dido illud proferret. *Nullus amor populis, nec fœdera ſunto*: Lacedæmones quoque furto nobiles fuerunt paſſim, ita ut furto facilè daretur venia, præſerrim ſi cautè rem peregiſſent. denique multi piraticæ aſſueuerant, ita ut eiuſmodi rapinæ in promptu haberent excuſationem.

PARTICVLA CCLXXVIII.

1159 *ΚΑὶ τὰ ῥάδια κρύψαι. τοιαῦτα δ' ὅσα ἢ ταχὺ ἀναλύσκεται, οἷον τὰ ἐδώδιμα, ἢ τὰ εὐμετάβολα, ἢ σχήμασιν, ἢ χρώμασιν, ἢ κράσεσιν, ἢ ἃ πολλαχοῖς ἀφανίσαι εὔπορον.*

Riccob. ET in ijs, quæ facilia ſunt ad occultandum. Talia autem ſunt, quæ vel celeriter conſumuntur, vt eſculenta, vel facilè commutantur, aut figuris, aut coloribus aut temperamentis, vel quæ multis in locis abdere in promptu eſt.

Maior. *ET quæ non difficulter occultare poſſe ſperant. talia verò ſunt, quæ citò abſumuntur, vt cibaria: vel quæ variari facilè poſſunt commutata forma, uel colore, uel temperamento. Vel quæ multis in locis facile eſt ita abdere, ut non appareãt.*

HArum quæ facilè abdi poſſint & occultari ſpecimen dederat rerum multò antea, cum non modò eorum meminiſſet qui facilè ſe ſe abderent ac laterent, verùm etiam eos dixiſſet eſſe proclines ad iniuriã quibus occultatio aut modus aut locus aut alienatio in promptu eſt. *p. 264.* Ex quibus omnibus res etiam ſi non diſtinctè, vniuerſim certè, ſe ſe in conſpectum dabant. Tametſi Ariſtoteles huic loco, quippe proprio, diſtinctam harum rerum mentionem reſeruauit, quam propterea in præſens diligentiſſimè, ne dicam minutè, proſequitur, proſequetúrque continenter: in quibus tamen, quoniam perſpicua videri poſſunt non immoror: Quanquam dum multis res exemplis illuſtrat Maioragius quæ etiam nobilia videri poſſunt, videndũ eſt quàm Ariſtotelis ſententiæ apta ſint declarandæ: nam vel nemini in illis infertur iniuria, vel, ſi quæ infertur, non in rebus, ſed alia ratione id euenit. Atque hîc obſerues Ariſtotelem ipſum cenſeri huius calliditatis reum qui plurima ex Platone atque alijs Philoſophis acceperit quæ miro variauerit artificio vt laterent furta: de qua re nos egimus in Timæo non vno in loco. Et hinc factum eſt vt Ariſtoteles tantopere in Platonis doctrinam inſultet: hinc enim aduerſarius videri ſperauit faciliùs quàm expilator. Etſi fatendum quoque eſt Ariſtotelem pro magnitudine ingenii veterum doctrinas mirificè dilataſſe, ordinaſſe ac dilucidaſſe: id quod ex eius Phyſiologia ſatis conſtat in qua
1160 ab initio ad finem vſque Platonis Timæum ſeu librum de Vniuerſitate ſecutus eſt;

ita

ita tamen vt eum in immenſum propemodum dilatarit; itaut Plato naturalis Philoſophiæ ſemina ac tenellas radices obtulerit, quæ ille vberrimis veluti imbribus ingenii ad proceram ampliſſimámque arborem eámque floribus ac fructibus refertam, euexit. Niſi enim ex iis fortaſſe quæ Plato docuiſſe non verò ſcripſiſſe, fertur, alia deriuauit Ariſtoteles in Naturalem Philoſophiam quibus ille ſuperſediſſet in Timæo, ex exiguo fonte ampliſſimos fluuios aperuit Ariſtoteles. Stoici etiam hoc eodem nomine inſimulantur a M. Tullio, quos ait quæ profiterentur, a veteribus Academicis ferè omnia ſurripuiſſe: etſi periti furis exemplo ſuſdéque furta celauerint & commutauerint variè,

PARTICVLA CCLXXXIX.

TΟιαῦτα δὲ τὰ εὐβάστακτα καὶ ἐν μικροῖς τόποις, ἀφανιζόμενα: καὶ οἷς ἀδιάφορα, καὶ ὅμοια πολλὰ προϋπῆρχαι τῷ ἀδικοῦντι.

TAlia verò ſunt qua facilè portantur, & in paruis locis abduntur. Et quibus indifferentia, & ſimilia multa priùs erant ei, qui iniuriam facit. *Riccobonus.*

QValia ſunt ea, quæ facilè huc & illuc tranſportantur; & quæ paruis in locis occultantur. Et præterea cum auctor iniuriæ poſſidet aliqua, quæ vel eiuſdem generis ſint, vel eis ſimilia, quæ furaturus erat. *Maioragius.*

COmmemorauerat ad extremùm quæ facilè abduntur multis in locis itaut non appareant; hæc igitur quaſi expolitione quadam illuſtrat, atque illa eſſe dicit quæ huc illuc facilè comportantur anguſtiſque locis ac paruis latebris occultantur: atque hæc in primis ſunt gemmæ, proximè accedit aurum & pecunia. His addit poſtremo loco eas res quibus multa non diſſimilia aut æqualia priùs domi habebat qui facit iniuriam: de qua re tota nihil eſt quod longum faciam: ſunt enim per ſe perſpicua, ita vt Ariſtoteles ad hæc deſcendat vberioris doctrinæ cauſa. Pertinent quoque ad res iniuriæ obnoxias quæ commemorat ſic pergens,

PARTICVLA CCXC.

KΑὶ ὅσα αἰσχύνονται λέγειν οἱ ἀδικηθέντες: οἷον γυναικῶν οἰκείων ὕβρεις, ἢ εἰς ἑαυτούς, ἢ εἰς υἱεῖς. 1161

ET in ijs, quæ pudet dicere eos, qui iniuriam paſſi ſunt, quales ſunt mulierum propriarum contumeliæ, aut in ſe, aut in filios. *Riccob.*

EAs etiam iniurias inferunt, quas, qui patiuntur, pudet proferre; ut quæ uxoribus fiunt, aut ipſis, aut filijs. *Maioragius.*

QVæ pudet offenſos commemorare, de iis non pudet Ariſtotelem verba facere, honeſtis verbis tamen. Me tamen piget in iis immorari, præſertim cum perſpicua ſint ac plana in Ariſtotele, & verò ſatis ſupérque vſu comperta videri poſſint. Illud tamen non reticebo, id planè potuiſſe M. Tullio Cœlii accuſatores reſpondere. Cum enim Cicero hoſce reprehenderet, dum alii ſe a Cœlio olim pulſatos dicerent, alii ſuas vxores ab illo attrectatas ac teſtes proferrent; illud obiecit quòd cum nunquam antea de iis iniuriis conqueſti eſſent in iudicio, falſitatis nomine vnà cum teſtibus eſſent repellendi. Reſpondere inquam potuiſſent ſe antea præ pudore ac timore non expoſtulaſſe: nunc tamen cum vlciſcendi ſeſe offerret occaſio, quòd Cœlius iam criminoſus appareret

vndique,

Digitized by Google

vndique,placuiſſe has que contumelias aperire, ac propterea teſtes non eſſe repellendos quos proferrent. Ita quidem controuerſiæ ſtatus paulò difficilior euaſiſſet atque defenſio. Sed vt vt ſit, prudentis eſt cauere ne tua culpa vlla talis vnquam tibi accidat contumelia: Siquidem innocentiæ conſcientia in eiuſmodi infortuniis magnum affert ſolatium; maius tamen Chriſtiana tolerantia & moderatio vnde æquo animo ac fortiter res toleramus aduerſas: maximum iniuriarum cupiditas qua Magiſtrum optimum ac ſapientiſſimum imitantes,breues huius vitę ærumnas in perpetuum glorię decus commutamus; alioquin niſi præparato animo iniuriis reſiſtas,vel potiùs illas amplectaris,iis ſemper impar eris & quotidie cruciaberis inutiliter. Denique non eſt huius vitæ non contumeliis improborum affici.Itaque ne Auguſtus quidem eas vitare potuit:qui propterea ob probroſam filiæ ac neptis,adoptatęque ſobolis penè omnis, vitam , publicam lucem atque hominum congreſſum declinauit ac deuitauit aliquando.

PARTICVLA CCXCI.

1162 Καὶ ὅσα φιλοδικεῖν δόξειεν ἂν ὁ ἐπεξιών. τοιαῦτα δὲ τὰ τε μικρὰ, καὶ ἐφ᾽ οἷς συγγνώμη. ὡς μὲν οὖν ἔχοντες ἀδικοῦσι, καὶ ποῖα καὶ ποίους, καὶ διὰ τί, σχεδὸν ταῦτά ἐστι.

Riccobonus. ET in ijs, quæ tractare ſtudio litium videbitur is, qui ius perſequatur, huiuſmodi ſunt parua, & in quibus venia eſt. Ac quomodo quidem ſe habentes iniuria afficiant,& in cuiuſmodi rebus,& quos, & quamobrem.

Maioragius. *ET quas ſi quis iudicio perſequi velit, nimis appetens litium eſſe videatur, tales ſunt leues paruæque iniuriæ,quibus vulgò ſolent homines ignoſcere. Quemadmodum igitur affecti homines iniurias faciant, & quas, & quibus hominibus, & quibus de cauſis,ex his intelligi ferè poteſt.*

ADdit ad extremùm eas res quæ quoniam leues ac minutæ videri ſolent, nemo niſi litigioſus nimis, iudicio perſequatur: hinc enim fit vt tutiùs multi in iis iniuriam faciant.Hæc de rebus Ariſtoteles.Ita quidem verbis illis perorat,quæ paulò ante recitauimus: Sed tamen ita perorat vt adhuc nouum ſibi aperiat campum in quem ob Iudiciale genus excurrat,de qua re tota in capite proximo.

Pag. 76. B. Atque hîc antequam ad Caput XIII.deueniamus, obſeruandum eſt non defuiſſe qui(quod hoc ipſo in loco obſeruat Barbarus) Ariſtotelem reprehenderint,quòd de ſtatibus ſiue controuerſiis cauſarum mentionem fecerit nullam. His reſpondet iſte, *Ii forſè aut noluerunt animaduertere,aut neſciuere ex ſuis verbis elicere, quæ ad ſtatus pertinent, nam ſi coniuncturam quærimus, nihil melius nos in coniuncturas rerum actionúmque, quàm ſemita illa quæ nobis ſuperiùs eſt demonſtrata. Si de iure ambigimus, quod ſit, cum factum fatemur,ſed iurè factum defendimus,quod magis clarè hanc rem expedis,quàm hoc totum negotium? Ac demum de reliquis conſtitutionibus apertè ferè loquitur Ariſtoteles,cum qualitates,naturáſque rerum,& iniuriarum oſtendit. Nam quod hoc loco intendis Ariſtoteles eſt,oſtendere quænam res ſub ipſo iure collocentur,vt & accuſare ſi contra ius. & defendere ſi iurè factum ſit, valeamus.* Sic iſte;quam rem hoc eodem in loco attingit Riccobonus in ſua Paraphraſi ad Capitis extremum. Quæ obſeruaſſe volui, vt ne granis hic locus ex quo primùm Ariſtotelis ſententiam
1163 de cauſarum ſtatu depromunt,prætériiſſe videar. Nam de re tota opportuniore loco diſputabimus copioſè. Nunc ad Caput inſequens deſcendamus.

De ſtatibus cauſarum reprehenditur Ariſtoteles, qui ſuo loco defenditur.

PAR-

PARTICVLA CCXCII.

TA` δ' ἀδικήματα πάντα, καὶ τὰ δικαιώματα διέλωμεν, ἀρξάμενοι πρῶτον ἐντεῦθεν. ὥρισται δὴ τὰ δίκαια καὶ τὰ ἄδικα πρός τε νόμους δύο; καὶ πρὸς οὓς ἐστι διχῶς.

INiurias autem omnes, & iuſtè ſuſceptas actiones diſtinguamus, exorti primum hinc. Definita igitur ſunt iuſta & iniuſta ad leges duas, & ad quos referuntur dupliciter, *Riccobonus.*

NVnc verò quæ ſint iniuſtæ actiones, & quæ iuſtæ diſtinguamus; atque hinc initium ſumamus. Quæ iuſta ſint, atque iniuſta duplici lege definita ſunt, & duplici perſonarum genere. *Maior.*

QVid docere aggrediatur, non obſcurum; ſed quorſum, obſcuriſſimũ. Docet verò vel docendum proponit diſtinguendas eſſe iniurias omnes & iuſtas actiones quæ ipſe ἀδικήματα & δικαιώματα appellat, vbi latino Interpreti haud ſuppetit vna & altera vox quibus adamuſſim exprimat eas; niſi fortè malefacta dixeris & benefacta; quibus tamen non planè & ex æquo iniuſtas aut iuſtas actiones exprimas, maleficio forſitan melius aut iniuria planè ἀδίκημα complectaris, ſed δικαίωμα deinde beneficio, nullo modo, iuſtitia (quoniam hæc habitum veriùs quàm actionem refert) non ſatis, itaut iuſta actio & iniuſta ſit retinenda. Interim ſat ſit, iniurioſas & non iniurioſas actiones ſibi diſtinguendas proponere, imò verò diſtinguere; nam illud ὥρισται & quæ ſequuntur, valet: eſto igitur ac tanquam certum ponamus iuſta & iniuſta duplici lege, de qua dictũ eſt, definiri & contineri: itaut de propoſitione ſatis conſtet. Sed quò ſpectat iſta diſtinctio? Sanè quoniam in medio Iudicialis generis campo verſamur, lubet totam hanc rem paulò accuratiùs conquirere ac diſceptare. Eam igitur ponimus Controuerſiam

CONTROVERSIA LXXIII. Num iurè & opportunè iniuſtas & iuſtas actiones diſtinguẽdas proponat.

NVM verè & opportunè iniurias & iuſtas actiones hîc diſtinguendas proponat Ariſtoteles. Ac profectò in vniuersùm conſtare videtur ſatis, hanc diſtinctionem pertinere ad genus Iudiciale, cum iniurioſæ actiones accuſationi, non iniurioſæ defenſioni, ſuppeditent argumentum. Sed tamen cur hoc planè in loco ad has ſe ſe conuertat Ariſtoteles obſcurum, cum præſertim ſint fundamentum generis Iudicialis, ac propterea videantur ab initio fuiſſe afferenda. Denique cur tripartitæ aut quadripartitæ quam hactenus habuit diſputationi (de cauſis inquam, perſonis, & rebus iniuriarum) ſubnectatur hęc tractatio, id verò declarandum eſſet. Ergo dum Victorius ac Maioragius ſilent, Riccobonus indicare videtur ſtatum generalem & ſtatum definitiuum cauſarum pertractari; quidam multò aliter; nimirum iniuriarum rationem explicari. Sed hoc eſt rurſus quod quæritur: quorſum ſcilicet hoc in loco etſi non modò iniurias ſed iuſtas 1164
actiones, eáſque diſtinguendas potiùs quàm explicandas, proponit. Ipſe igitur ne longum faciam, ſic ſtatuo. Ariſtoteles illud ſibi primùm conſtituit vt proprias ſingulorũ generum propoſitiones afferret, idque vt Orator inde argumenta conflare poſſet pro generibus ſingulis. Cum verò propoſitiones deliberatiui generis abſoluiſſet in Cap. VIII. Demonſtratiui in IX. ad propoſitiones Iudicialis ſibi progrediendum propoſuit in X. Itaque ſic diſſerebat ad initium *De accuſatione autem, & defenſione, ex quot, & qualibus oportet conficere ſyllogiſmos, conſequens eſt dicere*. Sic Ariſtoteles. Qui tamen è veſtigio pergebat, *Iam aſſumenda ſunt tria, vnum quarum, & quot rerum cauſa iniuria afficiant: alterum quomodo ipſi affecti: tertium quales & quomodo ſe habentes. Cum definiuerimus igitur quid ſit iniuria afficere, cætera perſequamur.* Quo factum eſt vt tum ob tripartitam hanc qua precipuum argumentum anteuerterit, conquiſitionem, tum propter alia quædam quæ ſibi eâdem de cauſa in progreſſu explananda iudicauit, a præcipuo ſcopo tribus integris Capitibus abfuerit, etſi non inutiliter abfuit. Nunc igitur ad rem ipſam redit ac ſtatuit iniurioſas & non iniurioſas actiones iam tandem eſſe diſtinguendas: quæ verba propoſi-

tioni

Digitized by Google

tioni reſpondent illi, *De accuſatione & defenſione ex quot, & qualibus oportet conficere ſyllogiſmos dicamus*; nam vtroque in loco eò ſpectat vt accuſationis & defenſionis propoſitiones ac proinde argumenta nobis ſuppeditet.

Quanquam obiicies hæc cum iis non conſentire quæ de coniecturali cauſarum ſtatu dicebantur; nimirum hactenus coniecturalis ſtatus quæſtionem explicaſſe dum cauſas & perſonas iniuriarum veſtigaret; cæteros ſtatus conquiſiturus poſtea. Nam tripartitam illam conquiſitionem præmiſit Ariſtoteles vt nobis vniuerſum propoſitionum veluti campum in Iudiciali genere inde patefaceret, quemadmodum ad initium Capitis x. affirmauit; itaut commenticium videri poſſit id quod de coniecturali *Dubitatur.* I.
1165 ſtatu dicebatur, & ab Ariſtotelis ſententia longè alienum. Huc accedit quòd quæ tripartita illa cauſarum, perſonarum, ac rerum tractatione complexus eſt, videntur potiùs locos argumentorum, & propoſitiones offerre vnde accuſator & defenſor conficiat ratiocinationes, quàm vt viam muniant ad hæc perueſtiganda. Certè in Capite ix. conſimili planè ratione proprios laudis ac Demonſtratiui generis locos oſtendit, non vt aliquando illos oſtenderet, præmiſit; quaſi verò germanam tractationem anteuerteret. Quid quod multa ſunt quæ in Iudiciis peraguntur nec ſine Oratorum induſtria diſceptantur, quæ iniurias continent nullas? Etſi enim iniuriæ vel maximè, vnde accuſationes exiſtunt & defenſiones, omnino pertineant ad Iudicia, nihil tamen prohibet quò minus & hæreditatis diuidendæ & teſtamenti declarandi occaſio ac ratio atque his ſimilia non poſſint non iniuria carere. Itaque (vt me ſemel explicem) omnino videtur Ariſtoteles quoddam veluti Seminariũ proponere iniuriarum, quæ criminoſæ vocari ſolent, ciuiles verò prætermittere; quaſi verò Iudiciale genus non ciuilibus ſed criminoſis & probroſis tantùm controuerſiis contineatur & concludatur. Denique dum Ariſtoteles ad extremùm ex dictis iniuſtas & iuſtas ſibi actiones proponit diſtinguendas, videndum eſſet num illas verè diſtinguat conſtituátque & qua ratione id faciat: nam rurſus anteuertit, rurſus orditur altiùs, nec videtur in progreſſu fidem liberare ſuam: itaut tum his de cauſis, tum quia vix hactenus credi poſſit cauſarum ſtatus qui omnes neceſſarij cenſeri ſolent, attigiſſe, tum quia multa cæteri afferre ſolent ad genus Iudiciale, quæ ab Ariſtotele prætermittuntur, Ariſtotelea hæc tractatio & ſcopuloſa videri poſſit adhuc, & diminuta. Quanquam maioribus adhuc procellis iactatur: niſi enim aliquando planiùs docuerit quò ſpectarent ea omnia quibus hactenus tam longè ac latè præcipuum argumentum anteuertit, nec ea Iudiciali generi ſic aptarit vt accuſatori & defenſori de illorum vſu planè conſtet, non ſanè ſuſcepti muneris partes impleuerit. Debet enim eò rem traducere, vt & in promptu ſint res neceſſariæ & de illarum vſu conſtet perſpicuè quod ſi rem totam, quoniam Iudiciale genus ſpi-
1166 noſum eſt ac perdifficile Oratorum exemplis quoad eius fieri poſſit illuſtrarit, pleniùs item ſuo muneri ſatis fecerit. Sed quæſo huius inſequentiſque Capitis explicatum abſoluamus, & hanc dubitationum ſeriem reiiciamus: vbi etiam quæ iamdiu in hoc ipſo Iudicialis generis argumento obiecimus Ariſtoteli, opportunè expendemus, & (vt ſpero) opportuniſſimè atque vtiliter expendemus. Interim ſat ſit Ariſtotelem hoc in loco iniurioſas & non iniurioſas actiones ſibi diſtinguendas proponere; ita tamen vt aliunde ſibi ordiendum ſignificet nimirum a legum & perſonarum diſtributione, quibus iuſta & iniuſta ſunt definita. Et ideo pergit.

II. III. IV. VII.

Reditur ad litera explicatam.

PARTICVLA CCXCIII.

ΛΕ'γω δὲ νόμον, τὸν μὲν ἴδιον: τὸν δὲ κοινόν: ἴδιον μὲν τὸν ἑκάστοις ὡρισμένον πρὸς αὐτὲς: καὶ τέτων, τὸν μὲν, ἄγραφον: τὸν δὲ, γεγραμμένον: κοινὸν δὲ, τὸν κατὰ φύσιν. Ε'στι γὰρ ὃ μαντεύονταί τι πάντες, φύσει κοινὸν δίκαιον, καὶ ἄδικον: κἂν μηδεμία πρὸς ἀλλήλες ᾖ, μηδὲ συνθήκη. Οἷον καὶ ἡ Σοφοκλέους Α'ντιγόνη φαίνεται λέγουσα, ὅτι δίκαιον, ἀπειρημένον θάψαι τὸν Πολυνείκη ὡς φύσει ὂν τοῦτο δίκαιον. οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε ζῇ τοῦτο, κὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη. Καὶ ὡς Ε'μπεδοκλῆς λέγει, περὶ τοῦ μὴ κτείνειν τὸ ἔμψυχον: τοῦτο γὰρ, ἐ τισὶ μὲν δίκαιον: τισὶ δὲ, οὐ δίκαιον: ἀλλὰ τὸ μὲν πάντων νόμιμον διά τ' εὐρυμέδοντος αἰθέρος ἠνεκέως τέταται διά τε ἀπλέτου αὐγῆς. καὶ ὡς λέγει ἐν τῷ Μεσσηνιακῷ Α'λκιδάμας.

Dico

DIco autem legem partim propriam, partim communem. Propriam quidem ſingulis definitam inter ipſos, eámque aut non ſcriptam, aut ſcriptam. Communem verò ſecundum naturam. Eſt enim quoddam, quod augurantur omnes, natura communi iuſtum & iniuſtum, etiam ſi nulla ſocietas inuicem ſit, nullaque pactio, vt Sophoclis Antigone videtur dicere, iuſtum eſſe, interdictum ſepelire Polynicem, quaſi natura ſit iuſtum. Non etenim id nunc, & heri, ſed ſemper fuit. Et nemo ſcit, vnde eius ortus ſit. Et vt Empedocles dicit de non interficiendo, quod animatum eſt: id enim non quibuſdam quidem iuſtum eſt, quibuſdam verò non iuſtum, ſed hoc quidem omnium legitimum pérque latum æthera, omnibus in partibus extenſum eſt, pérque ingentem ſplendorem. Et vt dicit in Meſſeniaca Alcidamas. 1167

Riccobonus.

LEgem autem duplicem voco, quòd aliqua propria ſit, aliqua communis. propria eſt illa, quæ ad ſingulas tantùm ciuitates, aut nationes pertinet; quæ vel non ſcripta eſt, vel ſcripta. Communis verò lex ea dicitur, quæ inſita eſt a natura. Eſt enim quoddam iuſtum, atque iniuſtum natura commune, quod omnium mentes occupauit; quamuis conſenſio nulla hominum interceſſerit, neque ita inter ſe pepigerint: quemadmodum Antigona Sophoclis dicere videtur, iuſtum eſſe Polynicem ſepelire, quamuis interdictum eſſet, tanquam id natura iuſtum ſit; Hoc nanque non hodie, aut heri, at ſemper fuit. Nec quiſquam homo ſcit, eius ortus vnde ſit. Et quemadmodum Empedocles ait de non interficiendis animantibus; hoc enim non aliquibus quidem iuſtum eſt, aliquibus autem non iuſtum;

Maioragius.

Sed lex ſumma hæc eſt, extenſa per æthera magnum,
Aeráque immenſum, cunctis mortalibus alma.

Et quemadmodum ait Alcidamas in Oratione Meſſeniaca.

Legis diuiſio, ad quã iuſtas & iniuſtas diſtinguit actiones.

Oppugnatur.

QVantum in præſens legis diuiſio plana eſt ac trita, tantum prioris partis diſtributio eſt ſalebroſa & offenſionis plena. Etenim in capite x. (quẽadmodum videre eſt in Particula ccxix.) diſtribuit ille quidem legem in priuatam & communem; ſed tamen priuatam ſcripto dixit contineri, & hoc eam nomine oppoſuit communi, quam ſubiecit non ſcriptam ab omnibus cuſtodiri: & tamen hîc priuatam in ſcriptam diſtribuit & non ſcriptam; quaſi verò communem quoque ſub priuata ſaltem aliqua ex parte comprehendat, quod eſſet abſurdum dictu in diuiſione. Neque verò hîc ſuſpicari licet nouam afferri legis diſtinctionem, quaſi verò non tam priori inhæreat quàm de integro diuidat legem: nam apertè ſatis ſignificat ſe huc primam illam legis diuiſionem in memoriam reuocare: nam ait fuiſſe definita iuſta & iniuſta ad leges duas, quod fecerat in capite x. & rurſus faciet in Particula trecenteſima. Dum igitur ſilent Interpretes, crediderim ibi Ariſtotelem noluiſſe exquiſitè, ne dicam minutè, priuatam legem expẽdere: quòd opportuniori id reſeruaret loco in quo item legis partitione vti cogeretur: quod tum hîc facit tum in Particula trecenteſima. Huc accedit quod quæ priuatæ legi adnectitur pars non ſcripta, hæc eſt æquum, quod reuera oritur ex lege naturali ſeu communi, quam non ſcriptam vocat: licet dum eius habenda eſt ratio ijs qui ſcriptam legem adminiſtrant (quæ enim ſcripta lege non definiantur, æquitate iudicant) cum ſcripta lege coniungitur, & quaſi ſupplementum copulatur: de qua re infra in Particula ccc. ita ut nil mirum ſi hîc ſcriptæ adnectat æquitatem; ac propterea priuatam in ſcriptam & non ſcriptam diſtribuat, quam ſcriptam appellauerat. Interim verò noſter 1168

Docet communem legem eſſe ſecundum Naturam.

¶Author communem legem explicat copioſè. Primò igitur ait communem eſſe ſecundùm naturam. ita quidem cum ibi in capite x. de communi hac lege aliud nihil pronũciaſſet quàm non ſcriptam eſſe & continere ea de quibus videtur conſtare apud omnes, hîc altiùs in ea pedem defigens, ait eſſe ſecundum Naturam: atque hoc probat nũl torum teſtimonio. Itaut cum communis iſtius legis vim explicet hîc exactè; quod ibi

præ-

prætermiſit;ſatis conſtet idem feciſſe de priuata. At enim quibus probat communem legem eſſe ſecundum Naturam ſeu Naturalem? Primò ex Sophocle, tum ex Empedocle,deniq; ex Alcidamante. Ex Sophocle apud quem Antigone profitetur ſecundùm Naturam eſſe ac proinde iuſtum mortuos ſepelire;quicquid enim id lege de Polynice prohiberetur a Creonre Thebarum Tyranno, Polynicem fratrem ſibi ſepeliendum iudicauit Antigone: quaſi Natura iuſtum eſſet: ad quam rem Sophoclis refert verſiculos qui in aperto ſunt. Hîc verò duo obſerues velim, primò videri Sophoclem *Ex Sophocle.* *Atque hic duo ſunt obſeruanda.*
1169 communem legem exemplo confirmare quòd non tam primario Naturę continetur iure cuiuſmodi eſt honeſtè viuere,alterum non lædere,ius ſuum cuique tribuere,vno verbo talem æquitatem in alterum præferre qualem erga te requiras;quàm ad ſecundarium pertinet,cuiuſmodi eſt mortuos ſepelire;nam,vt omittam apud Græcos id facilè in vſu fuiſſe & naturale videri potuiſſe, apud barbaros quoſdam aliter contigiſſe, qui eos etiam comederent; ſanè hoc non ita perſpicuum eſt vt naturale omnino, & omnibus planè a Natura inditum,& exploratum videri poſſit. Alterum eſt nō pugnare cum ratione aut Natura vt quis propter ingens ſcelus cuiuſmodi verbi gratia eſt Patriæ proditio,ſepultura interdicatur & prohibeatur: quare id impium cenſeri fortaſſe potuit ab Antigone,cum Tyrannus leui de cauſa ac ſummis propoſitis pœnis id vetaſſet,impium quoque in Achille & Græcis qui per ſummam ſæuitiam canibus atque auibus demortua Troianorum corpora obiectarent;ſed in perfidis proditoribus non abeſt a iuſtitia. Iam verò exemplum ductum ex Empedocle cuius etiam refert Carmen,planum eſt:ac fortaſſe Pythagoram ſecutus eſt qui ab eſu carnium abſtinendum iubebat:de qua re extat etiam Porphyrij libellus. at Pythagoras ex Hebræis facilè hauſerat apud quos ante generalem eluuionem maiores abſtinuerant carnibus: quem tamen eſum conceſſum legimus poſt eam eluuionem : dum humana natura,quippe magis ac magis labefactata,ſolidiore cibo indigeret:atque hoc etiam exemplum a primario Naturæ iure abeſt longiùs,quicquid apud Ouidium clamet Pythagoras, *Parcite Morales dapibus temerare nefandis Corpora* —— & paulò poſt I. *Ex Empedocle.*

Heu quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi,
Congeſtóque auidum pingueſcere corpore corpus,
Alteriúſque animantem animantis viuere leto.

Poſtrema authoritas ex Alcidamante ducitur, nec tamen (credo quod & in promptu eſſet omnibus ſententia & verò Empedocles inhæreret) exprimuntur verba: expri *Ex Alcidamante.*
1170 mitur tamen locus,nam in Meſſaniaca extabat:ac facilè orationem intelligit:nam Alcidamas, Suida teſte,fuit Gorgiæ diſcipulus & Orator , etſi Philoſophus etiam;[vt propterea nobilis rhetor appelletur a M. Tullio,ſcripſitque Mortis laudationem inter cætera: reprehenditur tamen ab Ariſtotele in tertio huius operis libro quaſi dicendi genere & figuris peccet. His confirmat Ariſtoteles ſeu declarat quid communis legis intelligat nomine:quam (id quod prætermiſerat in capite x.) naturalem appellat.

PARTICVLA CCXCIV.

Πρὸς οὓς δὲ διώρισται, διχῶς διώρισται. ἢ γὰρ πρὸς τὸ κοινὸν ἢ πρὸς ἕνα τῶν κοινωνούντων, ἃ δεῖ πράττειν καὶ μὴ πράττειν. διὸ καὶ τὰ ἀδικήματα καὶ τὰ δικαιώματα διχῶς ἔστιν ἀδικεῖν καὶ δικαιοπραγεῖν. ἢ γὰρ πρὸς ἕνα ὡρισμένον ἢ πρὸς τὸ κοινόν. ὁ γὰρ μοιχεύων καὶ τύπτων, ἀδικεῖ τινα τῶν ὡρισμένων: ὁ δὲ μὴ στρατευόμενος, τὸ κοινόν.

Riccobonus. AD quos verò ſunt definita, dupliciter definita ſunt. aut enim ad communitatem, aut ad vnum eorum, qui ſunt in communitate, referuntur ea, quæ oportet agere,& non agere. Quamobrem & iniurias,& iuſtas actiones, dupliciter contingit perſequi, & iuſtè ſuſcipere, aut enim ad vnum definitum,aut ad communitatem referuntur. Nam qui committit adulterium,& verberat, iniuria afficit aliquem ex definitis;qui verò non militat,communitatem.

QVod autem ad perſonas attinet, duobus modis diſtincta ſunt ea, quæ facere aut non facere oportet; vel enim ad totam Ciuitatem, vel ad vnum aliquem eorum, qui in Ciuitate ſunt, referuntur. itaque duobus modis iuſtè, & duobus iniuſtè nos genere poſſumus; vel enim erga vnum certum ac definitum Ciuem, vel erga totam Rempublicam, nam qui adulterium committit, aut verberat, vnum certum hominem iniuria afficit: qui verò militiam detractat, totam offendit Rempublicam. *Maioragius.*

Perſonarũ diuiſio, ad quas item iuſtas & iniuſtas actiones diſtinguit.

DIſtinxit iuſtum & iniuſtum ſpectans in legem a qua manat ius & quæ iniuſtitia violatur: nunc ius item diſtinguit ſpectans in eos ad quos pertinent: duo igitur perſonarum profert genera ad quæ ius refertur quaéque contingat violari; priuatum ſcilicet hominum genus & cõmune: quam rem totam copioſè & verò perſpicuè declarat illuſtrátque exemplis. Vbi ſanè dum eius qui militiam detrectat exemplo, cõmunem offenſionem, declarat Rempublicam hinc violari ait: & rectè: ſiquidem bellum pro communi bono ſuſcipitur; itaut qui detrectant bellum, Reipublicæ cuius membra ſunt iniuriam faciant, dum recuſant opem illi afferre & opitulari: quare Solonem ferunt pœnam iis conſtituiſſe eandem quam ijs decreuerat qui locum deſeruiſſent in acie, aut clypeum abieciſſent: Romani quoque inter ærrarios, ignominiæ ſcilicet cauſa referebant eos qui poſt exactum decimum ſeptimum annũ militiam recuſarent: Veneti etiam inter remiges referre illos ſolent qui armatam militiam poſtquam adoleuerint & militiæ aſcripti ſint, detrectarint. at enim quid ſi quis religionis aut iuſtitiæ cauſa recuſet? vt ſi ſua Vrbs ac Patria alienas Vrbes per iniuriã aggrediatur, quemadmodum Philippum Macedonum Regem atque Alexandrum feciſſe legimus? Sanè magnum atque amplum eſt poſtulatum; ac propterea ſatius ſit ad eos confugere qui libros integros ſcripſerunt de iure belli: præſertim verò quia huc exempli tantum cauſa deuenit Ariſtoteles, vt ſcilicet declararet quî iniuria Patriæ inferatur quam declare quoque potuiſſet eorum exemplo qui vim illi inferunt proditione aut eam dilacerant libellis. illud tamen dicam non eſſe priuati hominis iudicare bellum a ſua Patria iniuſtè ſuſcipi; grauiores enim ſæpè intercedunt cauſæ & iniuriæ quàm priuati eas reſciant: ſæpè etiam grauiſſimæ quæ & latent & bellum vnum habent quo expientur. 1171

PARTICVLA CCXCV.

Ἁπάντων δὴ τῶν ἀδικημάτων διῃρημένων, καὶ τῶν μὲν, ὄντων πρὸς τὸ κοινόν, τῶν δὲ πρὸς ἄλλον καὶ πρὸς ἄλλους, ἀναλαβόντες τί ἐστι τὸ ἀδικεῖσθαι, λέγωμεν τὰ λοιπά. 1172

IAm cum omnes iniurias diſtinxerimus, vt aliæ referantur ad communitatem, aliæ ad alium, & ad alios, cum repetiuerimus, quid ſit iniuria affici, explicemus reliqua. *Riccobonus.*

CVm igitur iam diſtincti ſunt iniuriarum modi; & cum alia in Rempublicam, alia uel in unum priuatum, uel in plures fiant iniuria, deinceps ſi priùs explicuerimus, quid ſit iniuriam pati reliqua perſequemur. *Maior.*

Dicta colligit & dicenda proponit: in primis quid ſit affici iniuria Dubitatur. I.

COlligit veluti Epilogo ea quæ modò docuerat; & tranſitione vtitur in qua proponit dicendum de reliquis; ſi tamen priùs (inquit) repetiuerimus quid ſit affici iniuria. quæ omnia, quantumuis perſpicua videri poſſint, habent ſuas dubitationes. Ac primò ait ſe diſtinxiſſe *ἅπαντα ἀδικήματα* omnes iniurias, quaſi verò non duo ſint conſtituta genera ſed plura, & tamen duo ſunt, vt interim ipſemet ſatis indicat qui etiam *διχῶς* dixit ſupra, hoc eſt duob. modis & definitam

finitam iniuriam & relatam. Et tamen in libro 1. de Cœlo ad initium perſpicuè monet
de duobus *ἄμφω* dici & *ἀμφοτέρους* ambo & vtroſque non autem *πάντας*, omnes: ſed de
tribus hanc appellationem dici primò. An igitur cum ait ſe omnes iniurias diſtinxiſſe
intelligit formas illas varias iniuriarum quas proſequitur in capite x. & duobus ſequẽ
tibus dum & cauſas iniuriarum proſequitur, & qui faciant iniuriam, & quibus perſo-
nis aut quibus in rebus? reuera ibi iniuriarum occurrit ſilua: quæ tamen iniuriæ omnes
διχῶς referantur ad duo illa perſonarum genera. Vix ac ne vix quidem auſim huc con-
fugere, cum Interpretes iniuriam omnes intelligant diuiſam pro diuiſione legis ac pro
pterea *διχῶς*: & ſanè non videntur verba aliò referri poſſe. Idem dixerim ſi quis æſti-
met illa verba *ad communitatem referuntur aliæ, aliæ ad alium & alios*: nam non tripartita di-
uiſio affertur ſed communitati oppoſitum membrum diuiditur. Fateamur igitur ibi *Reſpondetur.*
1173 (in libris inquam de Cœlo) Ariſtotelem preſsè loqui ac propriè quemadmodum Philo
ſophum decet: hîc minùs propriè ac populari more & Oratorio: nam reuera non de- *Dubitatur II.*
ſunt qui omnes de duobus quoque pronuncient. Certè ad initium quoque huius ca-
pitis illud pronunciauit, *ἀδικήματα πάντα iniurias omnes* in medium afferendas eſſe quas
tamen ſtatim bifariam diſterminauit. Altera dubitatio eſt quia ſupra non docuit quid
ſit iniuria affici ſed quid ſit iniuriam inferre. Quare in Particula CCXVIII. *cum definieri-
mus* (inquit) *quid ſit iniuria afficere, cætera proſequemur*: quam rem totam proſequitur e ve-
ſtigio in ſequenti Particula, vbi docet iniuriam inferre eſſe nocere ſponte contra legẽ.
Sed ſat ſit ex hac definitione colligi alteram, nimirum iniuria affici eſſe lædi inuitum *Reſpondetur.*
& contra legem: adde ex capite 13. vbi de ijs agit quibus fit iniuria, colligi hos inuitos
lædi & contra legem: & idcirco fortaſſe ait Ariſtoteles *ἀναλαβόντες* quia reſumitur ac
tanquam hauritur ex his quæ dicta fuerant antea, in quibus poteſtate continetur hæc
definitio: præſertim quia iniuria afficere & iniuria affici mutuò ſe conſequuntur & re
feruntur inter ſe. Poſtrema dubitatio illa eſt quæ ſint reliqua illa quæ ſibi ait explican- *Dubitatur III.*
da vbi docuerit quid ſit affici iniuria: & ſanè in capite x. etiam his vſus fuerat verbis
quæ nos item recitauimus: vbi tamen quæ eſſent ea, ex ijs conſtat quæ iam tum dixe- *Sed in Particulam ſequentem reijcitur explicatio.*
rat; intelligebat enim tripartitam illam diuiſionem de cauſis iniuriarum, de perſonis
quæ iniuriam inferunt, de reliquis quibus infertur: adde ſi placet ea etiam quorum
cauſa tripartitam hanc inſtituebat diſputationem: verùm quę planè hîc intelligat dum
ait reliqua ſe proſecuturum cum docuerit quid ſit affici iniuria, obſcurum. Sed de hac
re in Particula CCXCVIII.

PARTICVLA CCXCV.

Ἔστι δὲ τὸ ἀδικεῖσθαι, τὸ ὑπὸ ἑκόντος τὰ ἄδικα πάσχειν. τὸ γὰρ ἀδικεῖν, ὥρι-
σται πρότερον ἑκούσιον εἶναι. ἐπεὶ δ᾽ ἀνάγκη τὸν ἀδικούμενον, βλάπτεσθαι καὶ
1174 ἀκουσίως βλάπτεσθαι, αἱ μὲν βλάβαι ἐκ τῶν πρότερον φανεραί εἰσι. τὰ γὰρ
ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ διῄρηται καθ᾽ αὑτὰ πρότερον, καὶ τὰ ἑκούσια, ὅτι ἐστὶν ὅσα εἰδότες.

Riccobonus. ESt autem iniuria affici, ab ijs, qui ſponte agunt, iniuſta pati. Iniuria enim afficere, definitum eſt priùs, ſponte eſſe. Et quoniam neceſſe eſt qui iniuriam patitur, eum noxam accipere, & non ſponte accipere: noxæ quidem ex ſuperioribus conſtant. Bona & mala diſtincta ſunt per ſe ſuperiùs, & quæ ſponte agunt homines, eſſe quæcunque ſcientes.

Maioragius. *ESt autem iniuriam pati, contra iuſtitiam offendi ab ijs, qui ſponte offendunt. nam iniuriam facere, ſupra docuimus eſſe voluntarium. Quia verò neceſſe eſt eum, qui iniuriam patitur, detrimento affici, & inuitum illud accipere; ſatis ex eis, quæ ſupra dicta ſunt, intelligi poteſt, quæ ſint detrimentorum genera. nam bona & mala priùs diſtincta ſunt per ſe: & quæ ſint ea, quæ ſponte faciunt homines, nempe quæ intelligentes faciunt.*

Quid ſit affici iniuria.

QVod explicandum propoſuerat, quid ſcilicet ſit iniuria affici, id expli
cat hoc in loco, atque ait eſſe ab ijs qui ſponte agunt, iniuriam pati:
quam rem declarat, docens cur ſponte dixerit, quod ait definitum
eſſe priùs, indicans Particulam ccxix, & ccxx: quibus addit eſſe ne-
ceſſarium hunc qui iniuriam patitur, noxam accipere (id verò ait
quia ibi dixerat iniuria afficere eſſe nocere) & ideo quia potuiſſet
aliquis ſciſcitari, quales intelligat noxas, nam a Natura quoque, ca-
ſu, fortuna promanare poſſunt, moribus etiam, intemperantia, conſuetudine contra-
hi, ita ut pateant quam latiſſimè; Ariſtoteles, vt ſe omni labore eximat, reuocat nos ad
ea quæ de iniurijs ac noxis illatis dixerat ſupra, dum doceret qui eſſent iniurijs vel pro-
cliues vel expoſiti & quibus in rebus: in primis verò ad ea quæ de bonis ac malis diſtin
xerat ſupra: quibus addit declarationem vocis illius ſponte (dixerat enim ab ijs qui ſpõ
te agunt, affici illos) atque ait ea homines ſponte agere quæ ſcientes agunt: quibus ver 1175
bis ſignificat, niſi ij, non dico conſultò & deliberatè ac præmeditatione adhibita, ſed
ſcientes ſaltem, & aduertentes noxam inferant, iniuriam inferri nullam: ita fit vt qui
ira aut odio mouentur, ſcientes noxam inferre dicantur licet conſultatione non vtan-
tur; ſatis enim eſt vt non ignorantes id agant quemadmodum furioſi aut dormientes:
de qua re conſtabit in ſequenti Particula pleniùs. Ita quidem perſpicua iam videri po-
teſt præſens hæc Particula, ſi ea verba exceperis, *& non ſponte accipere*, nam ſignificare,
videtur eſſe neceſſarium vt qui iniuriam patitur noxam accipiat, & non ſponte acci-
piat; quaſi verò ſint qui ſponte etiam accipiant, ac propterea ij eximendi ſint ex eorum
numero qui afficiuntur iniuria, cum ſcientes & volentes accipiant noxam: id igitur in
Controuerſiam reuocare cogor atque illud quærere, C V R dicat eſſe neceſſarium vt
quis inuitus noxam accipiat, ac ſummatim num aptè definierit vel declarauerit quid
ſit affici iniuria. Ac profectò cum in definitione haud expreſſerit *non ſponte affici*, vel
perperam omittitur, vel otioſè deinde declaratur ſeu definitioni explicandæ adhibe-
tur. Victorius igitur cum expenderet verba iſta *& non ſponte accipere*, non ineleganter
obſeruauit eum qui ſibi ſponte voléntque aliquod importet incommudum, vt Teren
tianus ille Menedemus, qui ſe ſe ipſe affictaret, hunc nulla affici iniuria: quis enim
eum qui ſe ipſe puniat & noxa afficiat, iniuriam pati affirmet? Atque in hanc ſenten-
tiam iuit Maioragius, quam explicauit illuſtrauitque mirificè. Quapropter cum dixiſ-
ſet, *Neque verò ſine cauſa addidit Ariſtoteles eum qui patitur iniuriam, inuitum accipere detri-
mentum: quoniam aliqui ſunt qui ſponte detrimentum accipiunt, quibus tunc nulla fit iniuria*, per-
gebat (lubet enim eius explanationem deſcribere totam quòd elegans ſit & erudita)
*Vt Zopyrus ille de quo Iuſtinus libro primo, qui domi ſe verberibus toto corpore lacerari iuſſit, na-
ſum, & labia, & aures præcidi, atque ita transfugæ titulo Babyloniam profectus, ea ſe paſſum Darij
crudelitate ſimulauit. itaque dux Babyloniorum contra Darium conſtitutus, ei & exercitum &* 1176
*Vrbem tradidit. Idem ferè factum a ſexto Tarquinio ſuperbi filio narrat Liuius libro primo. is
enim transfugit ex compoſito ad Gabios, patris in ſe ſæuitiam intolerabilem conquirens, qui beni-
gnè receptus a Gabinis. & totius exercitus Imperator creatus, poſt nonnulla ſecunda prælia nactus
ſummam apud Gabinos auctoritatem eos patri Tarquinio ſubiugauit. Piſiſtratus etiam hac arte
ſibi dominatum regium acquiſiuit, de quo ita Iuſtinus libro ſecundo. Quippe verberibus voluntarijs
domi affectus, laceratóque corpore in publicum progreditur, & aduocata concione vulnera populo
oſtendit, de crudelitate Principum, a quibus hoc ſe paſſum ſimulabat, queritur, obtinet ad cuſto-
diam corporis ſui ſatellitum auxilium per quos tyrannide occupata per annos triginta quatuor re-
gnauit. Eſt etiam apud Terentium ſenex quidam Menedemus nomine, ſe ipſum crucians ſponte ſua,
quia natus eius abierat.* Hæc rurſus iſte Victorio inhærens. Potuiſſet autem Vlyſſis quo-
que mentionem facere qui ſe deridendum præbuit, plagáſque pertulit non inuitus vt
faciliùs imponeret procis: quod exemplum vnà cum exemplo Zopyri profert Euſtra-
tius in tertio Moralium. Sed vtinam tam verè iſti quàm acutè: nam videri poſſit Ari-
ſtoteles diminutè omnino & imperfectè definiuiſſe quid ſit iniuria affici, ſi eo nomine
quod iſti affirmant, ea interpoſuiſſet verba; ſi enim neceſſe eſt vt quis inuitus afficiatur
detrimento qui iniuria affici dicendus ſit, cur tu Ariſtoteles id quod eſt neceſſarium in
propoſita definitione prætermiſiſti? certè cum ἄκοντα appoſueris dum definires quid ſit
iniuria afficere, debuiſſes ἄκοντα apponere dum definis quid ſit iniuria affici, præſertim
cum hanc definitionem ex illa deriues. Ergo (vt res explicetur) non ita ſubtiliter vide-

tur

tut æſtimanda, diceret enim Ariſtoteles ſe dum definiret quid ſit iniuria afficere, ἑκόντα appoſuiſſe, quia paſſim contingere ſolet vt multi noceant, qui tamen, quoniam nõ ſponte noceãt ſed neſcientes & inuiti, non dicuntur iniuriam facere. Sed inter eos qui
1177 afficiuntur detrimento vix ac ne vix quidem eſt auditum vt quis ſponte planè ac volẽs accipiat detrimentum, paſſim verò contingit quin ſemper inuitus aut non ſponte lædatur ac detrimento afficiatur: & ideo non neceſſe fuit inuitum addere in definitione qua quis iniuria afficitur, quemadmodum in altera qua quis iniuriam infert; itant qui noxa affici hunc dixerit qui iniuria afficitur, inuitum etiam lædi intelligat. At enim hinc facilè tuearis Ariſtotelem qui ſuperſederit ea voce in poſteriore hac definitione, non autem iurè ſpernas iſtorum diligentiam Interpretum, qui cum Ariſtoteles addiderit, ſaltem in declaratione, inuitum hunc lædi, rationem (quicquid ſit de re tota) & cauſam attulerint cur hoc addiderit, ac docuerint non defuiſſe qui ſponte detrimentum acceperint ac propterea non ſint dicendi iniuria affecti. Acutè rurſus: ſed tamen in Scyllam inciderent iſti dum Carybdim vitare niterentur. Quid eſt enim quod negligatis propoſitam definitionem ad veritatis normam examinare, quin, vbi ratio id poſtulet; oppugnare & ad extremùm, ſi tamen res ita poſtulet, defendere, dum inchoata tantum deprehenditur & imperfecta? talis enim eſt ſi conditio illa eſt neceſſaria, ac fatente Ariſtotele ipſo illa eſt neceſſaria. Sed fateamur id quod eſt; nec appoſuit Ariſtoteles ἄκοντα & inuitè in definitione, nec neceſſariam exiſtimauit vocem iſtam ſed ocioſam, quia damno affici inuitum includit, præſertim in Oratoria ſchola vbi non ſubtiliter ac Mathematico more, ſed populariter loquendum eſt, quia in tertio Moralium ſtatuit neminem eligere iniuriæ detrimentum, ſed tantùm perpeti conſtanter aliquando; itaut hîc inuitè lædi apponatur ad vim eius vocis exprimendam βλάπτεσθαι, vt inquam intelligatur damno affici & lædi valere inuitum affici. Et idcirco eorum qui
1178 merces in tempeſtate proijcerent, mixtam actionem dicit non planè ſpontaneam ac voluntariam. Itaque Sueſſanus hîc ſuſpenſione ait comprehendi iſta verba, quaſi dicat eum qui læditur non poſſe niſi inuitum lædi. Vt omittam Zopyri & Menedemi exempla aut etiam Piſiſtrati & Tarquinij ad rem non eſſe, cum ipſi ſibi ipſis damnum intuliſſent, non ab alijs eo affecti eſſent: itaut hinc etiam ceſſet iniuria. Quin. Tarquinij exẽplum multò alienius eſt, cum verbis profiteretur iniuriam, re accepiſſet nullam. Imò verò ne Vlyſſes quidem ſponte a procis accepit iniuriam; ſed pertulit vt eos necare cõmodiùs poſſet. Hæc habui quibus locum perdifficilem explanarem, & Ariſtotelem erroris & indiligentiæ qua omnino inſimulandus videbatur, culpa eximerem.

Lib. 3. c. 1. poſt in.

PARTICVLA CCXCVII.

Ὥστ᾽ ἀνάγκη πάντα τὰ ἐγκλήματα ἢ πρὸς τὸ κοινὸν, ἢ ἴδιον εἶναι, ἢ ἀγνοοῦντος καὶ ἄκοντος, ἢ ἑκόντος καὶ εἰδότος. καὶ τούτων. τὰ μὲν, προαιρουμένου. τὰ δὲ διὰ πάθος, περὶ μὲν οὖν θύμου ῥηθήσεται ἐν τοῖς περὶ τὰ πάθη. ποῖα δὲ προαιροῦνται καὶ πῶς ἔχοντες, εἴρηται πρότερον.

Riccob.

QVare neceſſe eſt omnia crimina aut ad communitatem, aut ad priuatam referri, aut ignorante illo, & non ſponte agente, aut ſponte, & ſciente. Et ex his alia præeligente, alia propter affectum. Ac de ira quidem dicetur in ijs, quę pertinent ad affectus. Qualia verò præelegant, & quomodo ſe habentes, dictum eſt ſuperiùs.

Maioragius.

ITaque neceſſe eſt omnia crimina vel contra totam ciuitatem, vel contra priuatos committi, vel ignorante illo & inuito qui iniuriam facit, vel volente & intelligente. Quas autem iniurias ſponte & intelligens quiſpiam facit, eas vel conſultò & cogitatò, vel perturbatione aliqua animi facit. ac de ira quidem tunc dicemus, cum animi perturbationes explicabimus: quæ verò de induſtria faciunt homines: & quomodo affecti, iam ſupra dictum eſt.

Colligit dicta, ut aditum a cendis aperiat, quod faciet in ſequenti.

PLana hîc quoque eſt ſententia quæ tota colligitur ex dictis. Duo tamen monebo: primum eſt Ariſtotelem non dicere omnem iniuriã, 1179
aut ad communitatem, aut ad priuatum referri, ſed omnia crimina quorum etiam nomine intelligit accuſationem, ſeu accuſationis libellum. Etſi enim ad communitatem & priuatum diſtinxit & retulit iniuriam; hîc tamen de accuſatione loquitur & libello in quo obtenditur quidem crimen & iniuria, ſed perperam interdum, itaut ſit accuſationi depellendæ locus: & ideo pergit aut ignorante illo & non ſponte agente: aut ſponte & ſciente: itaut crimen non pro vera iniuria & vero crimine tantùm vſurpetur hoc in loco ſed pro accuſatione & libello cui & veritas & falſitas ſubeſſe poteſt. Alterum eſt, quoniã crimen & iniuria ex dictis oriri poteſt ex actione quam vel conſultatio anteuerterit vel affectus repente induxerit, & in qua ſola cognitio non conſultatio interuenerit; propter poſſe quempiam de vtroque hoc actionis genere ſciſcitari. Quare de ea (inquit Ariſtoteles) quam conſilium anteuertit, actione, dictum eſt paulò ante. at verò de altera quæ a ſubita animi permotione oritur vt verbi gratia ab irato, dicemus in ijs quæ pertinent ad affectus: atque hic facit in ſecundo.

PARTICVLA CCXCVIII.

ἘΠεὶ δ' ὁμολογοῦντες πολλάκις πεπραχέναι, ἢ τὸ ἐπίγραμμα οὐχ ὁμολογοῦσιν, ἢ περὶ ὃ τὸ ἐπίγραμμα. οἷον λαβεῖν μὲν, ἀλλ' οὐ κλέψαι: καὶ πατάξαι πρότερον, ἀλλ' οὐχ ὑβρίσαι: καὶ συγγενέσθαι ἀλλ' οὐ μοιχεῦσαι: ἢ κλέψαι, ἀλλ' οὐχ ἱεροσυλῆσαι, οὐ γὰρ Θεοῦ τι, ἢ ἐπεργάσασθαι μὲν, ἀλλ' οὐ δημοσία. ἢ διειλέχθαι μὲν τοῖς πολεμίοις, ἀλλ' οὐ προδιδόναι. διὰ ταῦτα δέοι ἂν καὶ περὶ τούτων διωρίσασθαι, τί κλοπὴ, τί ὕβρις, τί μοιχεία ὅπως ἐάντε ὑπάρχειν ἐάντε μὴ ὑπάρχειν βουλώμεθα δεικνύναι, ἔχωμεν ἐμφανίζειν τὸ δίκαιον.

ET quoniam qui confitentur, ſæpè ſe egiſſe, aut litis inſcriptionem non confi- 1180
Riccobonus.
tentur, aut id, in quo eſt litis inſcriptio, vt accepiſſe quidem, ſed non furatum eſſe & fuiſſe priorem qui percuſſerit, ſed non intuliſſe contumeliam, & concubuiſſe ſed non commiſiſſe adulterium, aut furatum eſſe ſed non commiſiſſe ſacrilegium, non enim Dei aliquid, aut coluiſſe quidem, ſed non publica, aut collocutum eſſe cũ hoſtibus, ſed non prodidiſſe, propterea oportebit etiam, cum de his agetur, definire, quid ſit furtum, quid contumelia, quid adulterium vt ſiue eſſe, ſiue non eſſe velimus demonſtrare, poſſimus declarare iuſtum.

Maioragius.

ET quoniam ſæpè rei ſe feciſſe confitentur, & tamen facti nomen non concedunt, aut id, quod nomine illo appellatur ut ſuſtuliſſe quidem, ſed non furtum feciſſe, & priorem percuſſiſſe, verùm contumelia non affeciſſe; & rem habuiſſe non adulterium commiſiſſe; & furtum feciſſe non autem ſacrilegium, quòd ea res Dei non eſſet, & coluiſſe quidem agrum, ſed non publicum; & cum hoſtibus collocutum eſſe ſed non prodidiſſe: ideo hæc omnia definire atque explicare opus erit, quid ſit furtum, quid contumelia, quid adulterium vt ſi crimen illud vel hærere, vel non hærere reo oſtendere voluerimus, aperiendi quid æquum ſit facultatem habeamus.

Criminum vnde oritur accuſatio, definitiones dignoſcendas & cur.

PLaniſſima huius quoque loci eſt ſententia. & ſanè reus ſæpè factum quod obijcitur confitetur, iniurioſum tamẽ eſſe negat & crimino ſum: quod ſex declarat exemplis Ariſtoteles, a furto incipiens quod libello obtendatur & accuſatione, defenſione verò depellatur quòd factum furti nomine inſimulandum non ſit. atque hinc oritur facti controuerſia, in qua ſcilicet de illius vi & natura contenditur ac propterea confugiendum ſit ad facti illius definitionem ac ſtatuendum quid ſit furtum, quid contumelia,

melia, quid ex iis quæ obijciuntur vnumquodque crimen: ita demum res tota recidit ad quæſtionem & ſtatum definitionis, vnde ſtatus definitiuus oritur. atque hinc etiã licet animaduertere id quod Cicero deinde & Quintilianus de cauſarum ſtatibus aut Controuerſijs docuerunt in Ariſtotele deliteſcere, imò vero ſe ſe in conſpectum dare:
1181 de qua re diximus in particula C C X C I. ſuo quoque loco diſputabimus copioſè: in-
vide ad init. cap. 17 lib. 3. terim enim iuuat loca obſeruare quæ repetentur in diſputatione. Illud tamen addo coniecturalem ſtatum obſeruari in ſuperiore loco, definitiuum in præſenti, qualitatis in ſequenti; etſi reuera quantum finitionis ſtatus enitet hoc in loco, tantum in ſuperiore, aut in ijs quæ proximè in hoc libro conſequentur, obſcurè admodum adumbrantur reliqui; denique in nullo per ſe obijciuntur aut tractantur ab Ariſtotele, ſed aliò referuntur, Sed hæc mitto in præſentia, & illud libentiùs addo Ariſtotelem hîc proferre ſex iniuriarum & accuſationum genera, atque illa criminoſa penitus; itaut hinc etiam ſuſpiceris Iudiciale genus in criminoſis iniurijs penitus collocaſſe. Quod ſi in capite 15. leges profert, teſtes, pacta, & iuſiurandum quæ ad ciuilem quoque iniuriam pertinent, nihil prohibet quò minùs hæc proferat criminoſi generis gratia, quẽ-
par. 326 admodum profert quæſtiones: nam quod iuſiurandum adhibent cauſis etiam in quibus repetitur pecunia, nihil prohibet quominus id pertineat ad criminoſum genus: ſiquidem indicatur etiam furtim ablata dum dicitur ideo non deferri iuſiurandum reo quòd hic, ne reddat, iurabit facilè. Sed de re hac tota in capite 15. paulò planiùs. Interim verò obſeruari velim diligenter verba quibus concludit hanc particulã, dum, poſita actoris & rei controuerſia, de facti quod obijcitur, definitione, ait *Propterea oportebit etiam, cum de his agetur, definire quid ſit furtum, quid contumelia, quid adulterium, vt ſiue eſſe ſiue non eſſe velimus demonſtrare, poſſimus declarare iuſtum:* hæc enim definienda non ipſe recipit, & ideo nuſquam hæc definiri videas in poſterum; ſed Oratori committere vt ad eas definitiones confugiat, vel certè ipſe eas conflet. quod ait quia per idem tempus non facilè ab Oratoribus diſtinguebantur Iuriſconſulti, itaut ab ijs Orator poſſet hæc haurire, quemadmodum hauriebant apud Romanos Ciceronis tempore. Et quamuis Athenienſes & Græci leges habebant ac tabulas in quibus de furto, de adulterio, déque eiuſmodi alijs agebatur, vix tamen fortaſſe vnquam conceptis verbis furtum & cætera eiuſmodi crimina definiebant ſed ex maiorum communibus verbis proſequentes damnabant, itaut oporreret Oratorem inde haurire quidem ſed perfe-
1182 ctam atque omnibus numeris abſolutam eorum definitionẽ ſuo Marte conſtituere, vt planè liceret deinde docere num facta in criminis loco obiecta, puta furti & adulterij; eſſent vera furta & adulteria; & ideo ait hæc Oratori præſtanda, vt cum ſiue eſſe, ſiue non eſſe, velit demonſtrare, poſſit declarare iuſtum: iuſtum autem (vt opinor) ſuo modo & in ſpeciem plerunque, non abſolutè: nam qui vel accuſat vel defendit, ſi ſentiat germanam definitionem non ſibi fauere, eam prout ſibi conducere iudicauerit, conflare nitetur; etſi in ſpeciem profitebitur ſe veram definitionem proferre, ac iuſtum requirere & tueri, atque eſſe vel non eſſe, prout res poſtulat ac veritas demonſtrare.

PARTICVLA CCXCIX.

Ἔστι δὲ πάντα τὰ τοιαῦτα περὶ τοῦ ἄδικον εἶναι καὶ φαῦλον, ἢ μὴ ἄδικον ἢ ἀμφισβήτησις. ἐν γὰρ τῇ προαιρέσει ἐστὶν ἡ μοχθηρία καὶ τὸ ἀδικεῖν. τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ὀνομάτων προσσημαίνει τὴν προαίρεσιν, οἷον ὕβρις καὶ κλοπή. οὐ γὰρ εἰ ἐπάταξε, πάντως ὕβρισεν. ἀλλ' εἰ ἕνεκά του, οἷον τοῦ ἀτιμάσασθαι ἐκεῖνον, ἢ αὐτὸς ἡσθῆναι. οὐδὲ πάντως εἰ ἔλαβεν, ἔκλεψε, καὶ σφετερισμῷ ἑαυτοῦ. ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων ἔχει, ὥσπερ καὶ περὶ τούτων.

Riccobonus. SVnt autem omnia talia de eo, vtrum iniuſtum ſit & prauum an non iniuſtum id de quo eſt controuerſia. Nam in prælectione conſiſtit improbitas, & iniuriæ illatio. Eiuſmodi verò nomina ſignificant prælectionem, vt contumelia & furtum. Non enim ſi verberauit omnino contumelia affecit, ſed ſi cauſa huius

rei,

rei, vt dedecorandi illum aut percipiendi voluptatem. Neque omnino ſi clam accepit, furatus eſt, ſed ſi propter noxam furatus eſt, & vt ſibi ipſe aſciſceret, Similiter verò etiam de alijs res ſe habet vt de his.

IN omnibus enim his quæſtionibus controuerſia eſt, vtrum quod factum dicitur iniuſtum improbúmque ſit, an non iniuſtum, nam in deliberatione conſilióque peccatum eſt, & omnis iniuſtitia. his autem nominibus animi ſenſus, & conſilium indicatur, vt contumelia, furtum. Neque enim, qui percuſſit, omnino contumeliam impoſuit, niſi alicuius gratia id fecerit; vt ſi voluit eum ignominia afficere, aut ipſe voluptatem capere; neque omnino, qui clam aliquid ſuſtulit, furtum commiſit; niſi id fecit vt alteri damnum adferret, & id, quod ſuſtulit, ipſe haberet, eadem ratiò eſt etiam reliquorum omnium, quam horum eſſe diximus. Maiora sup. 1183

Clarius adhuc explicat cur criminū agnoſcendæ ſint definitiones.

QVód ait hæc omnia eò referri vtrum iuſtum, vel iniuſtum ſit id de quo oritur controuerſia, rationi omnino eſt conſentaneum: etſi enim pro ſuo quiſque ſenſu interpretabitur, & prout ſibi in controuerſia expedire iudicauerit, nemo tamen non profitebitur ſe interim non quid iuſtū aut iniuſtum requirere: & ideo ſaltem a iudice referantur oportet. Atque hinc licet animaduertere ſtatum qualitatis inde oriri vtrum enim iuſtum ſit vel iniuſtum illud factum de quo orta eſt controuerſia, ad ſtatum pertinet qualitatis, itaur dum ex definitione ac propterea ex ſtatu definitiuo colligitur, ſatis cōſtet ſtatus miſceri inter ſe. Tametſi verò quod dixit eas definitiones eò referri, vt cognoſcatur iuſtum & iniuſtum, vt planum eſt ac certum, veruntamen ratio quam huic rei confirmandæ ſtatim adhibet dicens, *nam in præelectione conſiſtit improbitas & iniuriæ illatio*; videtur falſa aut diminuta: ſiquidem ex ijs quæ paulò ante dixit & ſæpè etiā docuerat, conſtat non modò illum peccare & criminoſum eſſe qui deliberatè & conſultò verùm etiam qui inconſultò & ſola animi perturbatione peccat; & tamen hîc ait improbitatem & iniuriæ illationem in electione imò προαιρέσει, præelectione conſiſtere; quaſi verò qui per iracundiam aut odium repentè commouetur, & damnum infert, non inferat iniuriam. Denique fateor minùs peccare hunc ſed peccat tamen, minùs eſſe puniendum, ſed puniendus tamen eſt. tamen Ariſteteles crimen totum ad electionem & conſultationem reuocat. Verùm enim verò ſi quis attentiùs æſtimet; 1184
intelliget hîc electionis nomine illos comprehendi, qui affectu & perturbatione percelluntur: denique dummodo intelligentes & ſcientes id faciant: nam idcirco hos in quibus electionem requirit vt iniuſti & criminoſi dicantur, ijs opponit eos qui citra voluntatem lædendi damnum intulerint animum lædendi & voluntatem requirere in criminoſis: qui animus in ijs etiam reperitur, qui ira & perturbatione concitantur: nam reuera in ijs quoque tacita quædam quin expreſſa electio reperitur, licet repentina & citra conſultationem. Et pròpterea pergit, *non enim ſi verberauit, omnino contumelia affecit, ſed ſi cauſa huius rei*; vbi voluntatem non conſultationem ſtatuit eſſe neceſſariam: de qua re tota ex reliquis etiam exemplis conſtat, quæ ſubijciuntur ad finem huius particulæ, quæ omnia vna planè nituntur voluntate. Quare is verbi gratia qui filium plectit non contumeliæ ſed corrigendi cauſa, is damnum quidem infert, non cōtumeliam, & ideo non eſt criminoſus, præſertim ſi moderationem adhibuerit læſioni, & conſimilibus exemplis & detrimentis opponit Ariſtoteles electionem illam qua voluntate voluntatem quoque comprehendit auferendi ſed non furandi, percutiendi ſed non contumeliam inſerendi: atque idem tu dicito de cæteris quæ enumerauit criminibus aut enumerare potuiſſet. Illud tamen dubitatur adhuc quia leuis atque adeò friuola excuſatio obtendi videtur dum dicitur, *Neque omnino ſi clam accepit, furatus eſt; ſed ſi propter noxam furatus eſt & vt ſibi aſciſceret*: ſiquidem non mentem intuetur iudex, ſed factum, quo ille ſibi aſciuit quod accepit. Sed in exemplis non adamuſſim cadunt omnia: adde coniecturis poſſe Oratorem aperire eius qui accepit mentem eam fuiſſe vt nihil minùs quàm alterius noxam ſpectarit aut animo ſibi aſciſcendi quemadmodum

dum

dum obtendit accuſatio, acceperit. idem dixerim dum dicitur voluptatis non dede-
1185 corandi cauſa contumeliam feciſſe: num id exempli gratia dicitur: præſertim quia licet friuola atque adeò commentitia excuſatio habenda eſſet, ab Oratore tamen ex ijs quæ circunſtant factum vt coniecturis ſuaderi poſſet.

PARTICVLA CCC.

Ἐπεὶ δὲ τὰ δικαίων καὶ τῶν ἀδίκων ἦν δύο εἴδη. τὰ μὲν γάρ, γεγραμμένα, τὰ δέ, ἄγραφα. περὶ ὧν μὲν οἱ νόμοι ἀγορεύουσιν εἴρηται. τῶν δὲ ἀγράφων, δύο ἐστὶν εἴδη. ταῦτα δ' ἐστὶ, τὰ μὲν καθ' ὑπερβολὴν ἀρετῆς καὶ κακίας, ἐφ' οἷς ὀνείδη καὶ ἔπαινοι, ἀτιμίαι καὶ τιμαὶ, καὶ δωρεαί. οἷον τὸ χάριν ἔχειν τῷ ποιήσαντι εὖ, καὶ ἀντευποιεῖν τὸν εὖ ποιήσαντα, καὶ βοηθητικὸν εἶναι τοῖς φίλοις, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, τὰ δέ, τοῦ ἰδίου νόμου καὶ γεγραμμένου ἔλλειμμα. τὸ γὰρ ἐπιεικὲς, δοκεῖ δίκαιον εἶναι. ἔστι δὲ ἐπιεικὲς, τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον. συμβαίνει δὲ τοῦτο, τὰ μὲν ἀκόντων, τὰ δέ, ἑκόντων τῶν νομοθετῶν. ἀκόντων μὲν ὅταν λάθῃ, ἑκόντων δέ, ὅταν μὴ δύνανται διορίσαι. ἀλλ' ἀναγκαῖον μὲν ᾖ καθόλου εἰπεῖν μὴ ᾖ δέ ἀλλ' ὡς ἐπιτοπολύ, καὶ ὅσα μὴ ῥᾴδιον διορίσαι δι' ἀπειρίαν. οἷον τὸ τρῶσαι οἰδήρῳ, καὶ πηλίκῳ, καὶ ποίῳ τινι. ἰπολείποι γὰρ δὴ ὁ αἰὼν διαριθμοῦντα. ἂν οὖν ᾖ ἀδιόριστον, δέῃ δὲ νομοθετῆσαι, ἀνάγκη ἁπλῶς εἰπεῖν.

Riccob. ET quoniam iuſtorum & iniuſtorum erant duæ ſpecies, alia enim ſcripta, alia non ſcripta, de quibus quidem leges loquuntur, dictum eſt. non ſcriptorũ verò duæ ſunt ſpecies. Atque hæc ſunt partim ſecundum exuperantiam virtutis & vitij, in quibus ſunt probra, & laudes, ignominiæ & honores, & dona vt gratiam habere ei, qui benefecerit, & reddere beneficium ei qui dedit, & adiutorem eſſe amicis, & quæcunque alia eiuſmodi: partim propriæ legis, & ſcriptæ ſupplementum. Aequum enim videtur iuſtum eſſe, & æquum eſt, quod præter ſcriptam legem iuſtum eſt. Contingit autem hoc, partim inuitis, partim volentibus legumlatoribus. Inuitis quidem, cum eos latuerit: volentibus uerò cum minimè poſſint diſtinguere, ſed neceſſe ſit in vniuerſum dicere, non ſit tamen ita, ſed plerunque, & quæcunque non eſt facilè diſtinguere propter infinitatem vt vulnerare ferro & quanto, & quali: deficeret enim tempus eum, qui enume-
1186 raret. Si igitur ſit indefinitum, oporteat autem lege ſancire, neceſſe eſt ſimpliciter dicere.

Maiora gius. *QVia verò iuſtorum & iniuſtorum duo eſſe genera docuimus, & aliqua ſcripta eſſe, aliqua verò non ſcripta, de ijs quæ ſcripta ſunt & legibus conſtituta iam dictum eſt: quæ verò non ſcripta ſunt, ea rurſus bipartitò diſtribuuntur. Nam alia ſunt quæ & virtutis, & vitij quandam exuperantiam in ſe continent; in quib. ſunt vituperationes, & laudes, ignominia, & honores, & præmia, vt ei, qui beneficium dedit, gratiam habere, & ei beneficium reddere a quo acceperis; & promptum eſſe ad amicos auxilio ſubleuandos: & cætera, quæ ſunt eius generis. alia verò ſunt propriæ legis & ſcriptæ quaſi ſupplementa quædam. nam quod æquum & bonum eſt, id etiã iuſtum eſſe videtur. eſt autem æquum & bonum id, quod præter ſcriptam legem iuſtum eſt. quod quidem accidit partim inuitis, partim intelligentibus legumlatoribus, atque inuitis quidem, cum aliquid eos latet; intelligentibus autem cum omnia definitè nequeant explicare, ſed neceſſe habent generatim ſcribere, quamuis non ita ſemper ſe res habeat, ſed plerumque. Et cum propter infinitatem non facilè poſſunt*

poſſunt omnia diſtinguere ; vt vulnerare ferro, & quanto, & quali : deficeret enim priùs vita hominem, quàm omnia enumerare poſſet. Nam ſi quid adhuc indefinitum ſit, de quo legem ferre oporteat ; de eo neceſſe eſt ſimpliciter & vniuresè ſtatuere.

Duo ex dictis repetit duo verè iiſdem adnectit.

I. MVlta ſunt quæ docet Ariſtoteles in hac particula: atque illa ſanè cum per ſe pleraque obſcura ſunt, tum quòd non facilè ſit animaduertere quò ſpectent. Sed declaremus & explicemus ſingula quoad eius fieri poſſit; tum quò ſpectent inueſtigabimus. Primò igitur ait iuſtorum & iniuſtorum conſtitutas fuiſſe ſpecies duas, quod affirmat in ea intuens quæ dixerat ad initium huius capitis, vbi definierat & retulerat iuſta & iniuſta ad leges duas & ad duo hominum genera : in qua etiam diſtinctione fermè nixus multa ſubinde diſſeruerat : quod ſi interim legem ſcriptam rurſus opponit non ſcriptæ, cum tamen in particula CCXCIII. in ſcriptam & non ſcriptam diſtribuerit propriæ legis nomine, ſanè hîc breuitatis cauſa, vt opinor, ſcriptam & non ſcriptam profert; iis inhærens quæ dixerat in particula C C I X. de qua re tota vide quæ diximus in 1187

II. particula C C X C I I I. Addit ſe dixiſſe de iis de quibus ſcriptum eſt, hoc eſt de iis quæ ſcripta lege continentur : vbi in illa intuetur quæ modò dixerat dum definitiones criminum iuberet proferri, & ex legis præſcriptò diſceptari.

III. Addit eorum quæ non ſunt ſcripta, id eſt communis legis & iuſtorum, quæ communi lege continentur, duas eſſe ſpecies, vnam ſecundùm excellentiam virtutis & vitii, alteram ſecundùm æquitatem & vtriuſque proferr exempla quæ perſpicua ſunt: denique prioris ordinis ea ſunt quæ excellenti virtute aut vitio continentur, quibus præmia debentur ac laus, aut è contrario dedecus & infamia : alia quibus æquitas minùs apertè declaratur, vnde quoddam veluti ſupplementum priuatæ legi & ſcriptæ ſuppeditatur : nam id quod æquum eſt ſine dubio iuſtum eſt, & ideo legi qua iuſtum continetur, adnectendum. Ex quibus ea ferè habes quæ alii indicant legis naturalis nomine ac diſtinctione: dum ſcilicet hæc partim primaria faciunt quæque perſpicua ſint, partim ſecundaria, quæque

Vnde æquitatē in mediū affert, atque illius naturæ explicādæ aperit aditū.

IV. prioribus cedant perſpicuitate: atque hæc Ariſtoteles, quaſi ſpecies quaſdam; adnectit ſcriptæ legi, vel adnecti iubet: etſi interim non obſcurè fatetur ex non ſcripta ſeu communi, quam naturalem dixit, lege deriuari. Et quoniam potuiſſet ſciſcitari quiſpiam cur ea quæ æquitatis nomine introducit & ſcriptæ legi annecti iubet, fuiſſent a legiſlatoribus prætermiſſa (prætermiſſa enim ſunt ſi ſcripta non ſunt) huius rei cauſam affert, eámque nobilem. Ait igitur id legiſlatoribus contigiſſe inuitis partim, partim volentibus: inuitis, quòd multa eos latuerint, (ac verè neceſſe eſt vt legiſlatoris intelligentiam prætereuolent multa) volentibus quòd non poſſit legiſlator diſtinguere ac definire omnia, ſed neceſſe ſit in pleriſque vniuerſim dicere, præſertim in tanta rerum multitudine ac veluti infinitate, maximè verò in his quæ ſunt difficilia : quam rem illuſtrat exemplo, vt dum pœnam ei præſcribit qui vulnerauerit ferro: nec quo & quali & quanto explicauerit, (de qua re in particula ſequenti pleniùs) ſed indefinitum relinqueret : priùs enim legiſlatorem deficiat tempus & vita, quàm vt totam hanc varietatem quæque ſe immiſcere poſſunt, circunſtantias explorare poſſet ; cum tamen hinc ius & æquitas variari plurimum poſſit. Interim quoniam explanauimus quæ in hac particula continentur, videndum eſſet quò ſpectant. Sed quæſo rem tantiſper diſferamus, dum Ariſtoteles inſtitutam de æquitate abſoluerit præceptionem. 1188

PARTICVLA CCCI.

Ὥστε κἂν δακτύλιον ἔχων ἐπάρηται τὴν χεῖρα ἢ πατάξῃ κατὰ μὲν τὸν γεγραμμένον νόμον ἔνοχός ἐστι καὶ ἀδικεῖ, κατὰ δὲ τὸ ἀληθὲς, οὐκ ἀδικεῖ· καὶ τὸ ἐπιεικὲς τοῦτό ἐστιν.

QVare ſi annulum habens ſuſtulerit manū, vel percuſſerit, ſecundum ſcriptā legem reus eſt, & iniuriam fecit, ſed reuera non fecit. Atque hoc æquū eſt. *Riccob.*

Quare

QVare ſi quis annulum ferreum habens, elata manu quempiam percuſſerit; ex verbis legis ille reus eſt, & iniuſtè facit: re uera autem non facit iniuſtè. & hoc eſt quod æquum & bonum iudicatur.

ILluſtrat rem in eodem fermè perſiſtens exemplo: cum enim vniuerſim
prohibitum fuerit ferro vulnerare, quid ſi quis manum attollens ſiue *Aequitatis*
extendens, aliquem fortè annulo ferreo quem geſtaret digito, vulnera- *vim decla-*
tit? is certè vi legis reus habendus ac plectendus ſit: quod tamen ini- *rat exēplo.*
quum videri poſſit ac ſummi quoque iuris fines excedere; itaut qui tali
lege huiuſmodi factum omnino damnati ſtatuerit, ac talem legiſlato-
ris mentem fuiſſe iudicauerit, is fateatur neceſſe eſt legem iſtam ſanguine quodam-
modo non atramento ſcriptam eſſe: ac talem legiſlatorem veriùs hominum carnifi-
cem & oſorem exiſtimandum. præſtat igitur ad æquitatem confugere, ac facto dili-
genter inſpecto hominem iſtum iniuſtitiæ crimine ac pœna liberare: ac talis reuera
cenſenda eſt boni legiſlatoris ſententia, qui talem caſum, ſi in mentem veniſſet, pœ-
na liberaſſet. At enim ſi ita eſt, facilè quiſpiam annulo inſtruat manum & quod gla-
dio verbi gratia citra pœnam non poſſit, ferreo annulo perficiat, eum quem oderit *Reſponde-*
percutiens. Sed Ariſtoteles ita ſtatuit quod per idem tempus omnes paſſim ferreum *tur.*
annulum digito geſtarent: præſertim obſignandi cauſa: quo fiebat vt facilè continge- *Dubitatur.*
re poſſet vt quis per imprudentiam alterum læderet annulo; itaut minùs veriſimile
eſſet id data opera factum & malitioſè quare niſi de malitia conſtitiſſet quæ interim
1189 præſumenda (vt forenſes aiunt) non erat, is æquitate iudicandus fuit, & crimine ac
pœna liberandus. Secus fortaſſe hoc tempore, cum pauci vtantur annulo: qui enim
grauiter læſiſſet, hic ſuſpectus eſſet, nec facilè omni ex parte liberandus pœna. Con- *Ferreos an-*
ſueuiſſe verò annulum geſtare omnes, illud declarat quòd Annibal, vt Romanorum, *nulos geſta*
quos ceciderat, numerum iniret & Carthaginenſibus vnà cum victoriæ magnitudi- *re cōſueuiſ-*
ne declararet, iuſſit cæſos annulis ſpoliari atque hos (quoniam multos explebant mo- *ſe veteres.*
dios) Carthaginem tranſmitti. dum verò ſignificat Ariſtoteles annulos fuiſſe ferreos
(alioquin minùs ad rem loqueretur dum legem profert quæ ferro prohibeat vulne-
rare) id verò & eum propoſito Annibalis facto congruit qui profectò ſi fuiſſent aurei,
non tam ingentem vim auri quo paſſim indigebat, tranſmiſiſſet Carthaginem; & cū
Plinio conſentit qui Lacedemones ferreo annulo vſos & ſuperioribus ſæculis ſenato-
res quoque ferreos annulos geſtaſſe ſcribit, nec licuiſſe niſi legatis aureo vti, ídque
dum rem peragerent. quia ferreum annulum ij etiam geſtaſſe perhibentur, qui triū-
pharent, itaut annulo ferreo triumpharit Marius de Iugurtha; etſi per laſciuiam ſeu
ſuperbiam Senatores deinde & Equites in aureos cōmutarunt; quare appoſitè Quin-
tilianus in hunc intuens locum, quærit num is qui noctu cum annulo ferreo depre-
henſus ſit, legi ſit obnoxius quæ per noctem ferrum geſtare prohibeat. minùs appoſi-
tè Maioragius, qui quod ait Ariſtoteles ὅτι δακτύλιον ἔχων *quare annulum habens* vertit
annulum ferreum habens. etſi enim ferreum intelligit Ariſtoteles, id tamen in explana-
tione non in interpretatione exprimendum: ſed verba caſtè, quoad eius fieri poſſit,
cuſtodienda: id quod eò magis faciendum erat hoc in loco, ne videretur Ariſtoteles
ferreum apponere ne alioquin aureum intelligeremus, aut aureos quoque annulos
per idem tempus, ſeu apud nos, in vſu fuiſſe iudicaremus: & hinc eſt, dum Maiora-
gius multa interdum interponit liberiorem ſententiam contrahens, non ſemper ger-
manum exprimat ſenſum. Iam verò ex dictis coniectare licet atque adeo colligere eò
ſpectaſſe in particula trecenteſima, dum ea de quibus dubitabamus, repeteret, iiſdém-
que alia quædam adnecteret, vt æquitatis veluti campum ſibi aperiret ſiue vt de æqui-
tate ageret: quod reliquo hoc faciet capite toto. & ſanè non eſt quod dubitemus accu
ſatori in controuerſiis iuſtum & iniuriam ſpectandam maximè, defenſori iuſtum &
iniuriæ vacuitatem, ſed tamen æquitatis quoque ratio iiſdem habenda eſt: accuſatori
vt eam quoque violatam oſtendat. defenſori vt doceat ne eam quidem violatam eſſe: *Nunc tan-*
denique illi vt æquitatis perfugia defenſori pro viri parte ſua adimat: huic vt ſi factum *dē quò ſpe-*
ab iniuria liberare haud omnino queat, æquitate ſaltem mitigare moliatur. Vt omit- *ctet Ariſto*
tam Iudici æquitatis rationem habendam eſſe diligenter quoad eius fieri poſſit: ac *teles decla-*
propterea tam defenſori quàm accuſatori id reputandum, ne temerè cauſa cadat. *ratur.*

PAR-

PARTICVLA CCCII.

EI' δ' ἐστι τὸ εἰρημένον ἐπιεικὲς, φανερὸν ὁποῖά ἐστι τὰ ἐπιεικῆ καὶ οὐκ ἐπιεικῆ, καὶ 1190
ποῖοι οὐκ ἐπιεικεῖς ἄνθρωποι, ἐφ' οἷς τε γὰρ δεῖ συγγνώμην ἔχειν, ἐπιεικῆ ταῦτα
καὶ τὸ τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ ἀδικήματα μὴ τοῦ ἴσου ἀξιοῦν, μηδὲ τὰ ἁμαρτήματα καὶ
τὰ ἀτυχήματα. ἐστὶ δ' ἀτυχήματα μὲν ὅσα παράλογα καὶ μὴ ἀπὸ μοχθηρίας: ἁμαρ-
τήματα δὲ ὅσα μὴ παράλογα καὶ μὴ ἀπὸ πονηρίας. ἀδικήματα δὲ, ὅσα μήτε πα-
ράλογα, ἀπὸ πονηρίας τέ ἐστι. τὰ γὰρ δι' ἐπιθυμίαν, ἀπὸ πονηρίας, καὶ τὸ τοῖς ἀνθρω-
πίνοις συγγινώσκειν ἐπιεικὲς, καὶ τὸ μὴ πρὸς τὸν νόμον, ἀλλὰ πρὸς τὸν νομοθέτην σκο-
πεῖν, καὶ τὸ μὴ πρὸς τὸν λόγον ἀλλὰ πρὸς τὴν διάνοιαν τοῦ νομοθέτου σκοπεῖν. καὶ μὴ
πρὸς τὴν πρᾶξιν, ἀλλὰ πρὸς τὴν προαίρεσιν. καὶ μὴ πρὸς τὸ μέρος, ἀλλὰ πρὸς τὸ
ὅλον. μηδὲ ποῖός τις νῦν ἀλλὰ ποῖός τις ἀεὶ, ἢ ὡς ἐπιτοπολύ. καὶ τὸ μνημονεύειν
μᾶλλον ὧν ἔπαθε ἀγαθῶν, ἢ κακῶν. καὶ ἀγαθῶν ὧν ἔπαθε μᾶλλον, ἢ ἐποίησε. καὶ τὸ
ἀνέχεσθαι ἀδικούμενον. καὶ τὸ μᾶλλον λόγῳ ἐθέλειν κρίνεσθαι, ἢ ἔργῳ. καὶ τὸ εἰς δίαιταν
μᾶλλον, ἢ εἰς δίκην βούλεσθαι ἰέναι.

QVòd ſi quod diximus, æquum eſt, apparet, qualia ſint æqua, & non æqua, & quales non æqui homines. Nam in quibus oportet veniam dare, æqua ea ſunt. Et errata & iniurias non iudicare dignas æquali pœna, nec errata & infortunia. Sunt autem infortunia, quæcunque ſunt præter rationem, & non ab improbitate. Errata verò, quæcunque non præter rationem, & a malitia ſunt. Quæ enim ſunt propter cupiditatem, ſunt a malitia, Et humanis ignoſcere æquum eſt, & non ad legem ſed ad legiſlatorem reſpicere: & non ad orationem ſed ad ſententiam legiſlatoris reſpicere: & non ad actionem, ſed ad prælectionem: & non ad partem ſed ad totum: nec qualis aliquis nunc, ſed qualis aliquis ſemper, aut plerunque; & meminiſſe magis, quibus affectus ſit bonis, quàm malis: & bona, quæ acceperit magis quàm quæ fecerit, & patientem eſſe eum, qui iniuriam accipiat; & magis verbis velle iudicari, quàm factis: & ad arbitrium magis, quàm ad iudicium velle ire. *Riccobonus.* 1191

CVm igitur æquum & bonum ſit eiuſmodi, perſpicuum eſt quænam æqua & bona ſint, & quæ contraria; & qui ſint æqui & boni homines, & qui contra: nam illa ſunt æqua & bona, in quibus quamuis lapſi ſint homines, tamen eis veniam dare oportet. Aequum eſt etiam non pari pœna dignos ſtatuere errores, & iniurias, neque errores, & infortunia. Sunt autem illa infortunia quæ præter cogitationem eueniunt, & a nullo animi uitio; errores verò qui non quidem præter cogitationem accidunt, ſed tamen malitia carent. iniuriæ illæ ſunt, quæ & a cogitatione & ab animi vitio proficiſcuntur: nam etiam quæ impellente cupiditate fiunt, a malitia proueniunt. Humanæ etiam naturæ imbecillitatique ignoſcere, æquum ac bonum eſt: & non ad legem ipſam, ſed ad legiſlatorem animum referre: & non verba legis, ſed legiſlatoris ſententiam ſpectare. Neque factum ipſum, ſed eius qui fecit, animum conſiderare: neque partem tantùm, ſed rem vniuerſam perpendere. Et qui reus eſt non qualis nunc ſit, ſed qualis anteacto tempore fuerit, & maiori ex parte. Et potiùs bonorum, quæ quis acceperit, quàm malorum recordari. Et accepta potiùs beneficia meminiſſe quàm collata. & acceptam iniuriam æquo animo tolerare. Et magis verbis quàm factis de re decerni velle. Et ad arbitrum potiùs, quàm ad iudicem rem deferri uelle. *Maioragius.*

EX æquo & bono quòd paulò ante definiuit cum diceret eſſe iuſtum *De Aequo & bono & eius formis*
quod eſt præter legem ſcriptam, & exemplo ſerri & annuli illuſtrauit,
conſtare ait quæ & qualia ſint tum æqua & bona, tum non æqua &
bona: & quales inſuper non æqui homines. At enim æquum & bonũ
ex propoſita definitione conſtat illud quidem: conſtare quoque poteſt
aut colligi quæ ſint non æqua & bona. cum e contrariò ſtatuendum ſit
quæ præter legem ſcriptam non ſunt iuſta, ea eſſe non æqua & bona; ſed vnde conſtat
1192 aut colligere licet qui ſint non æqui homines? Victorius non æquos homines vocari
illos cenſet qui in iure dicendo æquum hoc ius non ſequuntur: Sed hoc, etſi nõ æquus
iudex iſte ſit, qui æquum non ſequitur, præſertim cum non cogitur aliquam ſcriptam
legem ad vnguem ſeruare; attamen non videtur cum Ariſtotelis mente congruere,
qui non de iudice ſed de ijs qui iudicandi ſint loquitur: itaut priùs de factis tum de il-
lorum authoribus verba faciat. Ergo quemadmodũ quibus oportet agenti ignoſcere
ac veniam dare ſunt æqua & bona, ita ij quibus datur venia æqui & boni cenſendi ſunt;
quod enim de factis dixit id de authoribus eodem iure colligendum relinquit: atque
idem dixerim ſi legas καὶ τοῖς ἐπιεικέσι, cum quibuſdam, aut etiam, vt optat Victorius,
καὶ τοῖς ἐπιεικέσι, καὶ οὐκ ἐπιεικέσιν ἀνθρώποις: ſingula enim ex eo fundamento regenda quo
definiuit æqua: & quod de rebus tam affirmando quàm negando, idem eodémque
modo ſtatuendum de iſtarum actoribus ſiue authoribus rerum. Iam verò cum ali-
quam æqui & boni formam ſed generalem quaéque ex æqui & boni definitione pen-
det, attulerit, ſubijcit alias quaſdam formas, quæ ſunt illæ quidem minùs generales,
ſed pro exemplis eſſe poſſint & nos erudire altiùs. Primum eſt æquum & bonum eſ-
ſe, errata & iniuſtè facta non æquali pœna æſtimare ac digna ſtatuere: neque pari item
pœna errores & infortunia plectere: vbi ne nos ambiguitas vocis tranſuerſos agat aut
hærentes habeat, declarat voces iſtas ſingulas idque a poſtrema incipiens. Quare in-
fortunia (ἀτυχήματα vocat ille) ſunt (inquit) quæcunque præter rationem eueniunt
nec ab improbitate: errata verò (ἁμαρτήματα vocat ille) ea ſunt e contrariò quæ non
præter rationem fiunt, ſed tamen non a prauitate manant: ita quidem infortunia pre-
ter rationem fiunt & ſine malitia: errata ſine malitia quidem ſed non præter rationẽ:
denique iniuſtè facta ſiue iniuriæ (ἀδικήματα vocauit ille) ea ſunt quæ nec præter ra-
tionem nec ſine malitia: atque hæc ſunt quæ ab improbitate manant: vt ſunt quæ cu-
piditate adminiſtrantur. Sed illuſtremus hæc exemplis: nam poſſent quidem de hac
1193 re tota vtiliter hauriri multa ex quinto libro de moribus vbi copioſè & ſubtiliter ex-
penduntur; ſed exemplis tamen docebimur abundè ſatis. Ergo ſi quis vepres agitari
animaduertat, opineturque feram ibi vt fit, látere, ac propterea eo ſagittã intorqueat,
qua tamen amicum qui ibi fortè deliteſceret, interficiat, is infortunio amicum inter-
feciſſe dicendus eſt: ſiquidem παράλογον eſt & præter rationem vt ibi deliteſceret ami-
cus: nec ab improbitate contigit læſio & interfectio, & propterea a fortuna dicitur cõ-
tigiſſe: quod ſi tu amicum aliquem, perſonatum tamen & ignotum, qui te ad necem
inuaſerit, tranſuerberes, & interficias, abſis quidem a prauitate & malitia, nec in in-
fortunium incidas, ſed in errorem tamen: cũ enim non abſit a ratione vt quem tranſ-
uerberes, interficiatur, ad paralogon & infortunium nequit huiuſmodi factum reuo-
cari, ſed errori tribuendum eſt vt amicum interfeceris. Quod ſi quis eum noſſet, &
data opera, cum ne contumelia quidem laceſſeretur, illum interfeciſſet, is in ἀδίκημα
& iniuriam incidiſſet; idque etiam accidiſſet ſi ira aut cupiditate aliqua permotus id
feciſſet non præmeditatione adhibita & cõſilio; ſiquidem a vitio itidem proficiſcitur.
Altera forma & ſpecies æqui & boni eſt facinus humana imbecillitate & fragilitate ad-
miſſum, cui item eſt ignoſcendum: itaut non legi mordicus inhærendum ſit, ſed quid
bonus legislator ſtatuerit reputandum. Atque hîc ſanè non abnuerim cum eo, qui
naturæ imbecillitate peccet, mitiùs agendum, præſertim ſi ſemel tantùm atque iterũ
peccauerit; ſed omni pœna liberandum, ægrè ſtatuerim, præſertim ſi ſæpè in hanc in-
ciderit culpam, nec debita veluti medicamenta, cum poſſet, adhibuerit imbecillitati
huic & procliuitati. denique in leuiſſimo flagitio fortaſſe penitus cõdonanda ſit fragi-
litati pœna vniuerſa: ſed in graui ac mediocri, vix ac ne vix quidem. Aequum quoque
eſt non verba legis, ſed ſententiam, ipſiúſque legislatoris mentem intueri: neque enim
perfractè inhærendum verbis ſed æquitati ſeruiendũ: atque idem dixerim ſi ſuperiora

verba illa *non ad legem ſed ad legislatorem reſpiciendum* alteram æquitatis formā poſtremæ 1194
huic affinem continere dixeris. Denique non factum ſed animum conſiliúmque ſpectare: non partem ſed rem totā expendere: non qualis nunc videatur qui culpatur, ſed qualis aut ſemper aut plerunque fuerit, æquum eſt & bonum reputare. Sed & quid boni egerit æquiùs reputes quàm quid mali, ſubdit Ariſtoteles. Quanquam in hoc etiam cautus ſis oportet; etſi enim mitiùs item cum illo agendum qui bona fecerit, verumtamen quemadmodum præmia benefactis ita pęnæ malè factis debentur. idem dixerim dum addit accepta beneficia æſtimanda magis quàm malefacta: ſiquidem (ſi de iudice loquamur) is ibi priuatam perſonam gerit hîc publicam; ibi gratum animum exerere debeat, ac beneficium, ſi poſſit, prolixè compenſare: hîc iuſtitiæ decus conſeruare. Addit æquum eſſe etiam ac bonum acceptam iniuriam æquo animo perſerre; quòd ipſe nō modò non probarim, ſed ſi omnino remiſerit obliuioníque tradiderit, celebrauerim, atque hîc etiam licer obſeruare Ariſtotelem quoque (id quod ſemel atque iterum iam antea obſeruaui) animaduertiſſe iniurias ſatius eſſe perferre, quā vlciſci; itaut quæ ſuptra e contrariò ſtatuit aliquando, populariter & ex communi quadam vulgi exiſtimatione pronunciauerit: quanquam, quoniam hîc quoque, vt Oratorem inſtituit, populariter loquendum, & ex quodam vulgi ſenſu; reputandum quoque eſt, non ita vulgus ab iſtiuſmodi ſententia abhorrere, vt aliqua, etſi leuis, eius fama non ad illius aures perueniat, itaut ſenſus iſte ſit quidem prudentium, ſed tamen Homeri cum illud vſurpari poſſit,

> *Ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν.*
>
> *Nos famam tantùm audiuimus neque quicquam ſcimus.*

itaut quæ ſcribit in particula CCIII. dum non reconciliari inimico laudi tribuit, populariter omnino effuderit. Ad extremùm æquum eſſe ait malle verbis quàm factis rem decerni, aut ad arbitrum confugere potiùs quàm itare ad iudicem; arbiter enim æquitatem ſectari ſolet, iudex legem; cum tamen arbiter æquitatis gratia introductus ſit & fotenſis contentionis declinandæ cauſa: ſed de arbitro in particula ſequenti.

PARTICVLA CCCHI.

Ὁ γὰρ διαιτητὴς τὸ ἐπιεικὲς ὁρᾷ, ὁ δὲ δικαστὴς τὸν νόμον. καὶ τούτου ἕνεκα διαιτητὴς 1195
εὑρέθη, ὅπως τὸ ἐπιεικὲς ἰσχύῃ. περὶ μὲν οὖν τῶν ἐπιεικῶν διωρίσθω τὸν τρόπον τοῦτον.

NAm arbiter æquū intuetur: iudex verò legē, & ob id arbiter inuentus eſt, vt æquū valeat. Ac de æquis quidem explicatio habita ſit hunc in modum. *Riccobonus.*

ARbiter enim æquum & bonum ſibi proponit: iudex autem ipſam legem. neque vlla alia de cauſa repertus eſt arbiter, niſi vt æquum & bonum valeat. Ac ea quidem quæ de æquis & bonis dicenda erant, hoc modo declarata ſint. *Maioragius.*

Poſtremā æqui ac boni formā declarat, & hoc argumentum perorat.

PLana ſunt quæ de Arbitro profert ac Iudice: niſi tamē te illud perturbet quòd videatur Iudici ac Iudicijs forenſibus vtcunque detrahere Ariſtoteles, cum tamen Principis ac legum authoritate & ad iuſtitiam tuendam, qua nihil præclarius, inſtituta ſint; Et ſanè qui hæc dicat Orator, inuidiam ſibi conflet apud iudicem & imprudentiæ ſubeat notā; præſertim cū dixerit (id quo ſuperior particula claudebatur) ſe ad arbitriū potiùs quàm ad iudicium velle accedere; id enim iudicis ac Principis minuat dignitatem. Ac profectò quod dixerat paulò ante, velle verbis potiùs & Oratione quàm facto rem æſtimari, in bonā partem accipi potuit, quaſi verò mallet omnia experiri quàm ad iurgia & contentiones deſcendere, tantum abeſt vt armis ac vi rem tranſigendā exiſtimaret; rectè enim Iaſon, *μὴ δ' αὔτως ἀλκῇ πρὶν ἔπεσσι πειρηθῆναι*; quod apud Terentiū Thraſo ille, etſi per ignauiam, expreſſit cum diceret, Omnia priùs conſilio experiri quā armis, ſapientē decet (quanquā reuera Ariſtotelens Orator forenſem tantùm contentionem hîc ſugillaret, quod totum ſequentibus verbis tanquam expolitione quadam fit planius) ſed quæ ſubiiciuntur clariùs inſimulant forum quàm vt diſſimulari poſſint. Verūtamen ea verba *magis verbis velle iudicari quàm factis: & ad arbitrium magis quàm* 1196
ad iudicium velle ire, non Oratoris ſunt verba qui ea pronunciat apud iudicem, ſed Ariſtotelis qui ad æquum & bonum declarandum, ait verbis magis velle iudicari,

quàm

quàm factis, & ad arbitrum magis quàm ad iudicem confugere, æquitatis eſſe ſeu æquum & bonum referre. & hoc eſt quod M. Tullius etiam, commodè tamen & ſine iudicis offenſione, commemorauit in Oratione pro Roſcio dum *Aliud eſt (inquit) iudicium, aliud eſt arbitrium. iudicium eſt pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. ad iudicium hoc modo venimus vt totam litem aut obtineamus aut amittamus. ad arbitrium hoc animo adimus, vt neque nihil, neque tantum quantum poſtulauimus, conſequamur.* & paulò poſt; *Quid eſt in arbitrio? mite, moderatum, quantò æquius & melius ſit dari.* Hæc ſunt formæ & ſpecies æquitatis quibus tanquam exemplis de bono & æquo erudimur & ideo totam hanc diſputationem perorans Ariſtoteles, & de æquis quidem explicatio habita ſit hunc in modum. Atque hîc non ab re obſeruauetis Ariſtotelem dum propoſitas æquitatis formas percenſeret, populariter locutum eſſe plerunque, vt cum diceret non ad legem, ſed ad legiſlatorem reſpiciendum, non ad actionem, ſed ad electionem, non qualis ſit aliquis, ſed qualis fuerit, nam ijs quæ in promptu ſunt, æſtimanda ſunt facta & ferendæ ſententiæ. itaut aliqua ex parte non tam quod æquum ſit quàm quid ab Oratore pro æquitate dici atque obtendi poſſit dum ſuæ fauet cauſæ, ſpectaſſe videatur. quare in Philoſophica ſchola paulò accuratiùs & ſubtiliùs hæc ſtatuiſſet, partim etiam diſſeruit in Moralibus vbi tulit occaſio. Nunc de maioribus aut minoribus iniutijs Ariſtotelem ſequentes dicamus: nam quæ ad propoſitas dubitationes & Controuerſias pertinent in hoc Iudiciali genere commodiùs diſceptabuntur cum Tractatio hæc tota fuerit abſoluta. quod ſi rem longiùs protraho, fidem tandem liberabo meam, vt (vt ſpero) non ſine fœnore liberabo.

CAPVT XIV.

1197

PARTICVLA CCCIV.

Ἀδικήματα δὲ μείζονα, ὅσα ἂν ἀπὸ μείζονος ᾖ ἀδικίας. διὸ καὶ τὰ ἐλάχιστα μέγιστα, οἷον Μελανώπου Καλλίστρατος κατηγόρει, ὅτι παρελογίσατο τρία ἡμιωβέλια ἱερὰ τοὺς ναοποιούς. ἐπὶ δικαιοσύνης δὲ τοὐναντίον. ἔστι δὲ ταῦτα, ἐκ τοῦ ὑπερέχειν τῇ δυνάμει. ὁ γὰρ τρία ἱερὰ ἡμιωβέλια κλέψας, κἂν ὁτιοῦν ἀδικήσειεν. ὁτὲ μὲν δὴ οὕτω τὸ μεῖζον, ὁτὲ δὲ ἐκ τοῦ βλάβους κρίνεται.

Ricco-bonus. INiuriæ autem maiores, ſunt, quæ à maiori ſunt iniuſtitia. Quamobrem etiam minimæ maximæ ſunt, vt Melanopum Calliſtratus accuſabat, quòd fraudaſſet tribus ſemiobolis ſacris templi conſtructores. At in iuſtitia eſt contrarium. Sunt autem hæc ex eo, quòd excellant facultate. qui enim tres ſacros ſemiobolos furatus, etiam quamcunque faceret iniuriam. Ac aliquando ſic maior, aliquando verò ex noxa iudicatur.

Maiora gius. *INiuriæ verò maiores illæ ſunt, quæ à maiore iniuſtitia proueniunt. itaque minima quæque iniuria maximæ ſunt, vt Calliſtratus Melanopum accuſat, quod tribus dimidiatis obolis, Deo dicatis, templi ædificatores fraudaſſet; ſed in rebus iuſtis iuſtitiaque contra accidit. hæc autem talia ſunt eo, quòd maiore quadã vi ſuperant, vt qui tres dimidiatos ſobolos furatur, etiã quiduis aliud facilè cõmitteret. Interdũ igitur quod maius eſt, hoc modo iudicatur; interdum etiam ex damni magnitudine.*

DE maioribus iniurijs verba facit, ac propterea de minoribus etiã: & idcirco in epilogo cõcludit de iniuria maiore & minore dictum eſſe vbi obſerua περὶ ἀδικήματος verba facere ac propriè de iniuria non de errato & infortunio quæ non proficiſcuntur a malitia, ſed de iniuria, quandoquidem a malitia proficiſcuntur, & accuſationi maximè eſt expoſita. Tu tamen, ſi quod erratum aut infortunium inciderit quod quoquo modo cum malitia coniunctum videri poſſit & ad iniuriam deflectere, ex ijs iudicato quæ de iniuria; proportione tamen ſeruata. ita quidem quemadmo- *De maioribus iniurijs.*

1198 dum in genere Deliberatiuo de maiori & minori vtili & bono diſſeruit vt lice-

ret inde ſuaſionis & diſſuaſionis argumenta deriuare, & in Demonſtratiuo egit
de maiore aut minore honeſtate, ac proinde turpitudine, vt laudanti aut vituperanti
in promptu eſſent argumenta; ita in præſentia de maiore aut minore iniuſtitia verba
facit, vt in promptu ſint accuſationis argumenta & defenſionis. Neque verò ij ſunt
audiendi qui ſcribunt Ariſtotelem nos docere in hoc capite de amplificandi ratione
ac via: nam fateor quidem, maioribus & minoribus iniurijs cognitis, facilem ſe ſe hinc
ad amplificationem & extenuationem aperire aditum; ſed tamen nulla amplificatio-
nis dantur præcepta, ſed ad extremum ſecundum maximè verò ad tertium reſeruan-
tur. Proinde diſputabit quidem Ariſtoteles de maiore ac minore bono, ſed vt inde ar-
gumenta eliciantur ad ſuadendum vel diſſuadendum (id quod luculentè docuit in
fine capitis 7.) non vt nos doceret de ratione amplificationis. Quod ſi laudanti com-
mendauit amplificationem (id quod fecit in capite 9.) hoc accidit quod Demonſtra-
tiuo generi maximè omnium accommodatam eſſe diceret amplificationem, exem-
plum contrà Deliberatiuo, Iudiciali Enthymema: de amplificatione tamen, quoniam
alterius erat inſtituti ac temporis, non præcepit. Hic igitur longo ordine enthyme-
matum gratia ad finem vſque enumerat maioris iniuriæ formas, atque in ijs diſtin-
guendis occupatur totus. Quapropter dum Sueſſanus amplificationem huc impor-
tat, audiendus non eſt: & ideo dum non multò poſt nonnulla quæ ad nouam quandã
maioris iniuriæ pertinent formam, ea ſcribit afferri vt de amplificandi ratione docea-
mur, explodendus eſt; de qua re ſuo loco. Nam vtrum hæc afferantur vt hinc explo- 1199
retur ac declaretur quantitatis ſtatus ſeu magnitudinis, id verò tractabitur opportu-
niore loco.

Iam igitur ſeptemdecim profert maioris iniuriæ formas. Ac primò maiores iniu-
riæ (inquit) illæ ſunt quæ proficiſcuntur a maiori iniuſtitia: quò fit vt iniuriæ minimæ
ſint maximæ. Sic Calliſtratus Melanopum hoc accuſabat nomine quòd tribus ſemio-
bolis ſacris templi fraudaſſet ædificatores. quo in loco non deſunt qui maioris iniuriæ
nomine eam intelligant quæ contra res ſacras atque adeò contra Deum committun-
tur; cum tamen cæteri multò aliter interpretentur locum, ac nihil minùs quàm rei
ſacræ ac Dei offenſionem hîc maioris iniuriæ nomine interpretentur. Sit igitur Con-

CONTROVERSIA LXXIV. Quam dicat iniuriã ex minima fieri maximam.

trouerſia quænam ex hiſce duabus ſententijs Ariſtoteli accepta ſit referenda. Ergo
dum video Sueſſanum, Barbarum, Victorium, Germanum Interpretem, Maioragiũ,
& Riccobonum in poſteriorem ſententiam pari conſenſione ire omnes, equidem
in eandem ſine cunctatione vlla deſcendiſſem, niſi pro altera grauiſſima ſe ſe mi-
hi offerrent argumenta: itaque dum ab iſtis omnibus omnino prætermittuntur, &
tamen in promptu ſunt, lubet illa in medium afferre, ac tandem, ſi ita poſtulauerit ra-
tio, enodare. Primò igitur certum eſt iniurias quæ Deo fiunt ac rebus ſacris, eſſe om-
I. nium maximas: itaut tales iniurias requirenti, oppidò ſint afferendæ: & tamen, ſi non
hoc in loco deſignentur, eas penitus prætermiſiſſet Ariſtoteles; ac turpiter etiam, cum
II. primum obtineant locum, prætermiſiſſet. Huc accedit quòd ſi quæ iniuriæ hunc ma-
ximè locum primum inquam, depoſcebant, diuinæ depoſcebant. Quis igitur inficias
ierit maximas haſce iniurias quæ primo loco proponuntur, eas eſſe quæ Deo fiunt ac
rebus ſacris? Denique quid erat cur Ariſtoteles hoc rem exemplo quod a ſacris rebus
III. peritur, illuſtraret, niſi vt ab iniurijs inciperet quæ Deo fiunt? Et huc pertinet etiam 1200
IV. quod minimæ (vt ait Ariſtoteles) in maximas conuertuntur: ſiquidem quæ fiunt Deo
iniuriæ hæ re uera, etiã ſi in re leui, vt in tribus ſemiobolis, fiant, maximæ cẽſendæ ſunt.
Hæc pro ſententia iſta: quibus illi ne verbum quidem: cum tamen, quoniam accura-
to explanatori non poſſunt non ſe ſe in conſpectum dare, ſatisfaciendum illis eſſet: id
quod maximè omnium præſtare debuit Riccobonus, qui ſententiam iſtam irridet nõ
obſcurè. Ipſe tamen tum demum ab ea diſcedam cum germanum Ariſtotelis ſenſum

Declaratur Ariſtotelis ſententia & communis expoſitio retinetur.

conſiliúmque dilucidauero, &, vt par eſt, propoſitis argumentis ſatisfecero. Ergo ſatis
videtur Ariſtoteles ſuam hac de re ſententiam declaraſſe dum ſignificauit ideo hanc
iniuriã eſſe maximã quod facultate ſuperet & excedat: facultate verò excedere (quod
ipſe ſtatim non obſcurè indicat) & ſuperare, eſt ſi non actu & reipſa, virtute tamen &
poteſtate eſſe maximam: id quod exemplo declarauit ſatis: dum enim is præ ſumma
auaritia non dubitat etiam in ſemiobolo aut in tribus ſemiobolis templum fraudare,
multò magis pro re maxima id faciat. itaut facultate, ſeu virtute & poteſtate, ac
quantum

Digitized by Google

quantum in eo eſt, auaritia, eminere iſte & excedere dicendus ſit: ac propterea iniuria iſta, etſi in re exigua, facultate, propter authoris auaritiam ſummam & improbitatẽ, cenſenda ſit maxima. Et hinc eſt quòd ſtatim ſubijciat Ariſtoteles in iuſtitia contrariũ accidere, in qua quò magis aliquis abſtinet a minima iniuria, eò iuſtior videri debet. qui enim maximo propoſito lucro, ſi iniuriam inferat, recuſat, iuſtior videri ſolet quã qui recuſet in exigua pecunia. Tota igitur rei moles in argumentorum pondere poſita eſt, quibus non facile eſt ſatisfacere. Sed ſatisfaciemus tamen. Ac primò ne ſi quidem concederetur ſacrilegium & iniuriam pecuniæ ſacræ factam deſignari & expri- *Reſpondetur ad argumenta.*
1201 mi verbis illis, ſatis ſuo muneri feciſſet Ariſtoteles qui interim Patriæ proditionem, parentiſque necem ac parricidium non expreſſiſſet: quia proditam religionem aut Dei inficiationem, vnde religio euertitur omnis, omiſiſſet: denique furtum ſolummodo rei ſacræ commemoraſſet, maiores iniurias multas prætermittens. Fateamur igitur id quod eſt, Ariſtotelem totam hanc maximarum offenſionum molem in ſecundo loco exprimere dum ait maximam eſſe illam iniuriam, cui æqualis pœna non inuenitur, ſed quæcunque eſt impar: hæc enim docebimus pertinere ad Dei religioniſque iniurias & parridia. Neque mirum ſi primo loco non hoc iniuriæ genus collocauit, quod eſt maximum: nam placuit quoddam iniuriæ genus propemodum incredibile, ſed admirabile tamen & maximum, commemorare, quod obſeruandum eſſet diligenter: cuiuſmodi illa eſt iniuria quæ exigua & minima ex ſe videri poſſit, propter ſummam tamen improbitatem maxima ſit iudicanda: vt cum quis propter ſummam auaritiam non dubitat ſemioboli ſacrilegium obire: talis etiam eſſet latronis iniuria qui oboli cauſa viatorem trucidaret. quod ſi ſacræ ac Deo oblatæ pecuniæ mentionem fecit, id contigit quia exemplum Calliſtrati occurrebat perquam accommodatum ob exiguam materiam ex qua maxima colligebatur improbitas: caſu tamen accidit vt pecunia illa eſſet ſacra. Si tamen ſacra dicenda erat; nam ædificatoribus ſubripiebatur verius quàm templo: & ideo cum fraudarentur non ſacri viri, profana cenſenda erat. itaque ſi fortè Menalopus reſtituere ſtatuiſſet, eam ædificatoribus reddere debuiſſet. Sed nimirum ſacra dicitur, quia hæc ſacro ærario detrahebatur: alioquin ciuili potius quàm ſacræ actioni fuiſſet locus. & ideo appoſitiſſimè proferatur latronis exemplum qui viatorem oboli cauſa enecet. Atque hinc intelligere licet quo nomine dixerit Ariſtoteles minimas iniurias euadere maximas: nam æſtimanda eſt maxima
1202 improbitas, inquit ille. & ideo ſubdit aliquando autem non maxima improbitas ſed maxima noxa æſtimatur; ita ut non ex maxima improbitate ſed ex re ipſa æſtimetur iniuriæ magnitudo: & inter has Principatum tribuit iis iniurijs quæ parem non inueniunt pœnam de quibus iam iam dicendum erit.

Ad I. / Ad II. / Ad III. / Ad IV. (marginal notes)

PARTICVLA CCCV.

Καὶ ἧ μὴ ἔςιν ἴση τιμωρία, ἀλλὰ πᾶσα ἐλάττων. καὶ ἧ μὴ ἔςιν ἴασις. χαλεπὸν γὰρ καὶ ἀδύνατον. καὶ ἧ μὴ ἐςὶ δίκην λαβεῖν τὸν παθόντα. ἀνίατον γάρ ἡ γὰρ δίκη καὶ κόλασις, ἴασις. καὶ εἰ ὁ παθὼν καὶ ἀδικηθεὶς αὐτὸς αὑτὸν μεγάλως ἐκόλασεν. ἔτι γὰρ μείζονι ὁ ποιήσας δίκαιος κολασθῆναι. οἷον, Σοφοκλῆς ὑπὲρ Εὐκτήμονος συνηγορῶν, ἐπεὶ ἀπέσφαξεν ἑαυτὸν ὑβρισθείς, οὐ τιμήσειν ἔφη ἐλάττονος, ἢ ὁ παθὼν ἐτίμησεν ἑαυτόν.

Riccob. ET cuius non eſt æqualis pœna, ſed omnis minor. Et cuius non eſt Medicina: grauis enim res eſt etiam quæ fieri non poteſt. Et cuius non poteſt iudicium obtinere is, qui paſſus eſt, quia ſub medicinam non cadit. Nam iudiciũ & caſtigatio ſunt medicina. Et ſi is, qui paſſus eſt, & ſi is, qui iniuriam accepit, ipſe valde caſtigauit. Adhuc enim magis, qui fecit, dignus eſt, qui caſtigetur, vt Sophocles pro Euctemone cum cauſam diceret, quoniam occidit ſe ipſum, qui contumeliam paſſus erat, ſe non æſtimaturum dixit minoris, quàm quo is, qui paſſus erat æſtimauit ſe ipſum.

Illa etiam maior eſt iniuria, cui par pœna nulla inueniri poteſt; ſed omnes ſunt Maioragius.
inferiores. Et cui nulla medicina poteſt adhiberi; difficile eſt enim, & omni po-
tentia maius. Et in qua, qui paſſus eſt malum, pœnas iudicio ſumere non poteſt; id
enim inſanabile eſt, ſiquidem pœna eſt caſtigatio & medicina quædam. Et qui læſus
eſt, & iniuriam accepit, in ſe ipſum grauiter animaduertit; nam multò maiore pœ-
na dignus eſt, qui iniuriam intulit. Vt Sophocles Euctemone, qui cum iniuriam
accepiſſet, ſeipſum iugularat, dixit ſe non minorem reo pœnam irrogaturum ea, 1203
qua qui contumeliam acceperat, ſe ipſum multauerat.

Proſequitur maioris iniuriæ formas ad finē vſque huius capitis.

EXigebat ratio vt qui maiores iniurias requirebat, ab eis inciperet quæ
maximæ cenſeri ſolent: ſed tamen, vt ſuum oſtentaret ingenium Ari-
ſtoteles, ab iis initium duxit quæ reuera minimæ viderentur: cũ enim
admirabile viſurum eſſet ac propemodum incredibile, vt ex iis quæ
minimæ eſſent aut viderentur, maxima colligeretur & oſtentaretur
iniuria, hinc initium facere placuit, atque induſtriæ & ingenii ſpeci-
men dare: itaque docuit iniuriam rei exiguæ & minimæ eſſe maximam quod Autho-
ris improbitatem maximam oſtendat. quæque maxima quoque pœna digna videri
poſſit. Nunc reuertitur ad ordinem: quem etiam ipſe fatetur: atque ait ſi non ex im-
probitate ſed ex detrimento & noxa ſit æſtimanda iniuriæ magnitudo, illud iniuriæ
genus eſſe maximum cui par & æqualis pœna ſit nulla, ſed omnis impar ac minor:
quibus verbis comprehendit vniuerſim & quæ Deum & religionem, & quæ Patriã,
& quæ Parentes, Principes etiam qui præſertim iuſtè imperant, ſpectare ſolẽt: ac pro-
fectò Atheo, aut religionem euertenti, aut Patriam prodenti, ac Regem & Principem,
vel Parentes interficienti, par nulla reperitur pœna, ſed minor eſt omnis. id quod de
Patriæ proditore copioſè diſſerit Salluſtius in ea concione quam in Catilinaria habet
Cæſar de Lentulo atque aliis qui hoc eſſent conuicti crimine; quod egregiè ſanè con-
firmatur a M. Tullio Oratione 4. in Catilinam vbi oſtendit nullam tantam pœnam ex-
cogitari poſſe quam coniuratorum non ſuperet ſcelus. de Parentibus verò Solon de-
clarauit qui ſe nullam parricidio pœnam præſcripſiſſe dixit quòd neminem futurum
exiſtimaſſet qui ſe tali ac tanto ſcelere commacularet. & ideo M. Tullius, *Scelestum,*
Dii immortales, ac nefarium facinus (inquit) *atque eiuſmodi quo vno maleficio ſcelera omnia com-*
plexa eſſe videantur. etenim id quod præclarè a Sapientibus dicitur, vultu ſæpè læditur pietas; 1204
quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipſum, ſi
res poſtulauerit, iura diuina atque humana cogebant? De Deo autem ac propterea etiam de
religione quæ Deo debetur, nihil attinet dicere; cum religio primum obtineat iuſtitiæ
locum, ac propterea principem iniuriam referat, ſi violetur; Deus verò is ſit cuius be-
nificentia ſumus & viuimus, & in quo Parentes, principes, pietas, religio excellenter
& tanquam in fonte continetur. Et de Rege ac Patria exponit hunc locum Sueſſanus,
maximam iniuriam eſſe ſtatuens in Patriam ac Regem conſpirare; eodem modo Bar
batus, qui proditionem, hæreſim, ſacrilegium hoc iniuriæ genere comprehendit. Ma-
ioragius etiam parricidium intelligit: quo etiam maleficio M. Tullius ſcelera omnia
cõtineri affirmat; eodémque modo locum hunc explicat Germanus Interpres. Quod
obſeruare volui, ne quis Victorium mihi obiiciat & Riccobonum aut Bartholomæũ
Caualcantem: ex quibus priores, rem, quod pertinet ad propoſita parricidii & religio-
nis exempla, prætermittunt hoc in loco, poſtremus in libro ſeptimo ſuæ Rhetoricæ
exponit quidem ſuperiorem locum de iniuria in re leuiſſima, in qua tamen non de-
trimentum ſed ſumma improbitas Authoris ſit æſtimanda; ſed præſentẽ locum nul-
lis illuſtrat exemplis ſed iiſdem quibus Ariſtoteles vtitur verbis, iniuriam maximam
dicens quæ imparem habet pœnam, prætereà nihil. Crediderim verò Ariſtotelem
pauciſſimis hiſce verbis, *Καὶ ἧ μὴ ἔστιν ἴση τιμωρία ἀλλὰ πᾶσα ἐλάττων. Et cuius ſupplicium*
nullum æquale eſt ſed omne minus; tam ingentem rerum varietatem comprehendiſſe,
quòd & verba eſſent ſignificantiſſima (quid enim ſignificantius, quàm ſcelus tormẽ-
ta omnia ſuperare?) ac ne inſuper in maximorum ſcelerum quæ humana diuináque
continebant immorarentur alioquin cum in particula CCIII. laudi vel maximè tri-
buiſſet aliquid præclarè vel vtiliter pro Patria geſſiſſe, par erat vt crimini quoque tri-

bueret

bueret eam læſiſſe,ac maximo etiam tribueret crimini. Iam verò alias profert formas maiorum iniuriarum multas,itaque tertio loco ſuccedit illa cui medicamentum reperitur nullum,ſiquidem quæ eſt immedicabilis iniuria, fine dubio cenſenda eſt maxima. Et ſanè quæ habent præſidium aliquod & remedium offenſionis, minus habent
1205 iniuriæ,itaque eleganter Mitio apud Terentium, Fores effregit,reſtituentur, diſcidit Veſtem,reſarcietur,eſt (Dijs gratia) et vnde hæc fiant,& adhuc non moleſta ſunt. Sed ſi oculis aliquem orbaueris aut parentem optimum,, prouiſio ac remedium ſupereſt nullum. Quartò iniuriam numerat cuius damnum ſarcire nequeas in iudicio, vt ſi ægrotus ſit,aut pupillus,aut mendicus,aut denique iniuria ſit maior quàm vt in iudicio ipſo ſanari poſſit,vt ſi quis clam tibi domum aut villam incenderit. Quintò cum is qui iniuriam accepit,in ſe ipſum grauiſſimè animaduerterit, quemadmodum Euctemon qui iniuria affectus, ſe præ dolore ac pudore interfecit, eum enim qui Euctemonem iniuria affeciſſet,Sophocles non minori pœna plectendum iudicauit. Nec ab huiuſmodi iniuria abſuit qui Lucretiam conſtuprauit Sex. Tarquinius, aut Appius Claudius qui L. Virginij filiæ vim paraet inferre, cum illa ſibi mortem conſciuerit, hanc pater ipſe,ne tali afficeretur iniuria,interemerit,huc etiam Themiſtoclis reuocari poteſt factum ſeu mors,huc Annibalis, Bruti, Catonis,& aliorum.

PARTICVLA CCCVI.

Καὶ ὁ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μετ' ὀλίγων πεποίηκε. καὶ τὸ πολλάκις τὸ αὐτὸ ἁμαρτάνειν μέγα. καὶ δι' ὃ ἂν ζητηθῇ καὶ εὑρεθῇ τὰ κωλύοντα καὶ ζημιοῦντα: οἷον ἐν Ἄργει ζημιοῦσι, δι' ὃν ἂν νόμος τεθῇ, καὶ δι' οὓς τὸ δεσμωτήριον ᾠκοδομήθη.

Riccobonus. ET quam ſolus,vel primus,vel cum paucis,fecit. Et ſæpè in eodem peccare, magna iniuria eſt. Et propter quod quæſitæ & inuentæ quæ prohibent, & quæ puniunt,vt Argis,puniunt propter quem lex lata eſt,& propter quos carcer ædificatus eſt.

Maioragius. *ET quam ſolus, aut primus, aut cum paucis fecit. Sæpius etiam in idem peccatum incidere, graue eſt. Illud quoque maius eſt propter quod remedium ac pœnæ quæſitæ ſunt & iniuria; vt Argis eos puniunt, qui ſunt in cauſa vt noua lex conſti-*
1206 *tuatur, aut carcer ædificetur:*

QVinque hîc maiorum profert iniuriarum formas,quas ſupra etiam (poſtrema excepta) attigit omnes: etſi enim,eas non eodem vſurpauit nomine, quin contrario ferè, (vt ſcilicet de maiore honeſtate conſtaret, quemadmodum in Particulà ccxiii videre eſt) vſurpauit tamen: nam quæ ſolus,vel primus,vel cum paucis,aut etiam ſæpè (id de quo in ccviii etiam) quis rectè egit, hæc illi vertebat laudi ac maiori laudi: vt propterea quæ mala eodem modo fecit quiſpiam,iniuſtitiæ tribuat & iniuriæ,ac maiori vertat iniuriæ. Atque hi omnes qui talium authores fuerunt iniuriarum,eò magis culpandi ſunt quòd duces fuerunt ſceleris alicuius, aut primi vel ſoli, itaut alijs nouæ iniuriæ rationem ac viam exemplo commonſtrarint ſuo. Sit verò primæ iniuriæ exemplum Heroſtratus,Phalaris, Mezentius, Sinon,qui ſinguli atroci ſcelere (nihil enim refert ſi Poetica exempla cum Hiſtoricis miſceamus dummodo rem declaremus) crudelitate, ſæuitia, fraude fuere nobiles: ſecundæ ſint ijdem ferè: tertiæ Vlyſſes dum Palladium abſtulit ac Rheſi equos auertit; Epeus quoque & Vlyſſes in Durio; quartæ Cæſar & Catilina qui bis aut ter in Patriam coniurarunt. Inauditum tamen, non dico ſceleris & iniuriæ, ſed pœnæ genus videri poteſt quod poſtremò numeratur, ſi ſpectetur Ariſtotelis exemplum; cum enim nouæ legis conſtitutio aut carceris ædificatio, ſit poſterior iniuriæ cuius cauſa inſtitutæ ſunt,& tamen iniurius ob eam quam ijs conſtituendis occaſionem dedit, Argis puniretur, ſanè puniretur non propter admiſſum ſcelus, ſed quia remedio inueniendo aut carceris ſtruendæ occaſionem præbuiſſent: aut certè *Alias quinque maioris iniuriæ profert formas.*

bis

bis in eum animaduerteretur, primò dum flagitij cõuincitur, deinde dum remedium illud ſtatutum eſſet. Quanquam eam (ſi quis attentiùs æſtimet) inter maiores iniurias refert Ariſtoteles, quæ anteacto tempore ob alterius ſcelus ad eiuſmodi remedia legiſlatorem impulerit, itaut non in eodem authore nec in eodem ſcelere, ſed in eiuſdem generis & ſcelere & authore nunc maiorem obſeruet iniuriam & comparatè. Quod 1207
verò id maiori aſcribit authoris iniuriæ vnde nouæ leges ſtatutæ ſunt, vtiliter cum iis conferatur quæ habet in Particula ccxiii. vbi laudi etiam tribuit authori quæ in eius honorem inuenta fuerint, & conſtituta, par enim eſt vt malefactis pœnæ, benè factis præmia honoreſque exiſtant.

PARTICVLA CCCVII.

Καὶ τὸ θηριωδέστερον ἀδίκημα μεῖζον, καὶ τὸ ἐκ προνοίας μᾶλλον. καὶ ὃ οἱ ἀκούοντες φοβοῦνται μᾶλλον ἢ ἐλεοῦσι: καὶ τὰ μὲν ῥητορικά ἐστι τοιαῦτα ὅτι πολλὰ ἀνῄρηκε δίκαια, ἢ ὑπερβέβηκεν. οἷον ὅρκους, δεξιάς, πίστεις, ἐπιγαμίας. πολλῶν γὰρ ἀδικημάτων ὑπεροχή.

ET magis ferina iniuria, maior: & quæ ex prouiſione magis. Et quam audientes timent magis quàm miſerantur. Ac oratoria quidem ſunt, quòd multa ſuſtulit iura, aut tranſgreſſus eſt vt iuſiurandum, dexteram, fidem, connubium. Multarum enim iniuriarum exuperantia eſt. *Riccabonus.*

ET quod magis belluinos mores imitatur, peccatum grauius eſt, & quod conſultò & cogitato committitur. Et quod in animis eorum, qui audiunt, potiùs metum quàm miſericordiam excitat. Et hæc quidem propria Rhetorum ſunt vt, vno facto multa iura ſuſtuliſſe aut violaſſe dicant; vt iuſiurandum, dextras, fidem datam, ius coniugij. Sic enim multarum iniuriarum exuperantia demonſtratur. *Maioragius.*

Tres alias iniuriæ nouas profert formas: forſaſſe etiam quatuor.

TRes maioris iniuriæ formas, atque explicatas ſatis offert primùm: Prima quæ belluæ magis quàm hominis refert naturam ac mores. Talis eſt eorum iniuria qui filios enecant aut humana veſcuntur carne. Quanquam multa ſunt in homine vitia quæ ferina magis quàm humana dici ſolent, & tamen eorum in feris exemplum aut veſtigium inuenias nullum. dicuntur tamen ferina quòd ab humanis moribus humanáque natura videntur longè aliena, itaut humanam naturam exuiſſe videantur qui in ea vitia inciderint, & huiuſmodi hominum iniurias inprimis intelligit Ariſtoteles. Denique tum ea deſignat vitia quæ in feris cernuntur, ſi tamen vitia dicenda ſunt, vt deſæuire in mortuos, tum alia quæ in nullis obſeruantur feris, ſed ſæuitiam ingentem referunt & crudelitatem aut morum acerbitatem, quæque cum humanitate ipſa pugnare videantur. Secundo loco numerat ea quibus conſultò peccatur & præmeditatione adhibita, vt enim partim excuſatur qui ita repentè inuaditur ac 1208
penè abripitur, ita qui meditatus ad iniuriam deſcendit, quoniam odium altiùs confirmatum oſtendit & improbitatem, ſeueriùs plectitur. Tertia eas refert iniurias quæ audientibus metum incutiunt potiùs & horrorem quàm commiſerationem, hinc enim fit vt dum nos, vt homines ſumus, infortuniiſque expoſiti, ſæpè etiam meticuloſi, quoquomodo timemus, commiſerationi vix ac ne vix quidem relinquamus locum, atque huiuſmodi iniuria maior cenſeri ſolet. Sequuntur quæ dicuntur Rhetorica, quæque multis videntur implicata iniuriis, hæc tamen ſic proferuntur & explicantur ab Ariſtotele vt nequeas ex eius verbis maiorem quandam iniuriam colligere, præſertim quia nouo quodam tenore verborum videtur vti. Itaque plerique hunc locum ſic exponunt vt nouum iniuriæ genus obſeruent nullum, verba prout ſe ſe offerunt declarantes, nec quò ſpectent docentes. Alij contra nouum hinc quoque proferunt genus, idque ea de cauſa quòd ſcelus vnde multa iura violantur, vt iuſiurandum, coniugium

gium & ſimilia, præſeferat magnam iniuriam: alij non maiorem iniuriam ſed iniuria-
rum amplificationem ac viam oſtendi. Age dum igitur, quoniam in re lubrica verſa-
mur, hæc ſtatuatur Controuerſia diſceptanda, Quæ tandem Rhetorica appellet Ari- *CONTROVERSIA LXXVI. Quæ appellet Rhetorica & quò ſpectet.*
ſtoteles, & quò ſpectet. Qua de re Sueſſanus ſic ſcribit, *Cum aſſignaſſet loca amplificandi ex
parte iniuſtitiæ in ſe, nunc docet amplificare iniurias ex circunſtantijs iniuriæ, & plura etiam loca
affert & dicit. (Rhetorica vero) id eſt amplificantia vero iniurias, (hæc ſunt) quæ ſtatim ſubſcribit,
& dicit (quia multa iuſta euerterit) vt quod commiſerit furta, & adulteria, & homicidia, nam ſic
multitudine ſcelerum erit magis iniuſtus.* Hæc iſte. Sed mirè allucinatur: neque enim ad am-
1209 plificationem incumbit Ariſtoteles interim, etſi enim hæc amplificationi commodè
ſeruire poſſunt, quin amplificationem habent adiunctam, tamen in locis Enthyme-
matum tradendis perſeuerat, quare nec ſupra ex parte iniuſtitiæ (vt ait Sueſſanus) ne-
que hîc ex circunſtantijs iniuriæ amplificandæ, ſed maioris iniuriæ declarandæ, operā
dedit; vt ſcilicet argumenta nobis ſuppeditet ad fidem faciendam. Et hinc eſt vt Sueſ-
ſanus perperam huc furta, adulteria, homicidia obtrudat, quæ ne ſomniat quidem Ari-
ſtoteles. Sed magis adhuc & magis allucinatur dum inſequentia Ariſtotelis verba,
Aut contempſerit iuſiurandum & quæ ſequuntur, hæc ſubijcit, *Aſſignat* &c. vſque *vxorem
duceret*: quæ ſanè nunquam protuliſſet ſi animaduertiſſet iuſiurandum, dexteram, fi-
dem, coniugium in idem recidere, quantumuis ab Oratore quaſi varia crimina incul-
centur. Fateamur igitur id quod eſt: Ariſtoteles docere ea quoque crimina ſingula,
quæ ab Oratore amplificari poſſunt & verborum artificio multiplicia fingi, hæc tan-
quam multis criminibus inuoluta ſint, inter maiora crimina eſſe numeranda: vbi ſine
dubio ſignificat vni alicui crimini Oratorio artificio ſpeciem atque imaginem multo-
rum criminum ſic affingi vt quantumuis ſit vnigenum, multiplex videatur, & ob id
inter maiores iniurias referatur. id quod exemplum ſatis indicat dum ait accuſator,
reum tranſgreſſum eſſe iuſiurandum, dexteram, fidem connubium: quæ in idem reci-
dunt, ſi quis æſtimet diligenter, non varia continent crimina. Quare dum Sueſſanus
huc furtum, adulterium, homicidium intrudit, ac rurſus iuſiurandum crimine diſtin-
guit a dextra, fide, & connubio, perperam diſſita huc refert crimina. Itaque Orator (vt
rem planiore exemplo illuſtremus) qui Theſeum ſibi accuſandum propoſuiſſet, dum
Ariadnam deſeruiſſet, facilè ad ſcelus amplificandum clamare potuiſſet, hunc iuſiu-
randum, hunc datam dexteram, hunc fidem, hunc connubium contempſiſſe ac violaſ-
1210 ſe; itaut videri poſſit Theſeus multis criminibus detur pari. Iurè autem Rhetorica dici-
tur, quia non Philoſopus, aut quiſquam ex ijs qui pedeſtri & ſimplici ſtylo ſcribit, tali
vtitur dicendi genere ſed Orator tantùm. Nam ſi forte Hiſtoricus Synonimis vtatur
atque ijs ad amplificandum vtatur, quod in concionibus facilè contingat, Oratoris
perſonam ſumit ac partes, a proprio tantiſper diſcedens munere, quod eſt vt ſimplici-
ter narret, non amplificet. Idémque dixerim de Poëta qui multò magis cōciones ad-
amat & amplificationes, atque Oratoris induit perſonam, & hinc illud Latini Vatis,

Mene fugis? Per ego has lacrymas, dextrámque tuam, te,
Quando aliud mihi iam miſera nihil ipſa reliqui,
Per connubia noſtra, per inceptos hymenæos,

Vbi Rhetorica vtitur amplificatione, quaſi dextra, connubia, hymenæi multa ſint.
Ita fit vt iſthæc dicantur ab Ariſtotele multarum iniuriarum exceſſus & exaggeratio,
quia ſcilicet iniuria, quantumuis vna, Oratorio artificio fit quaſi multiplex ac propte-
rea inter maiores iniurias videtur numeranda. Quare (ne licentiùs videar locum inter-
pretari) verba ſic exponenda ſunt, *Et quæ quidem Rhetorica* (ſunt nimirum) *eiuſmodi ſunt,
hoc eſt maioris iniuriæ referunt formam: quemadmodum alia quæ interim commemorata ſunt. Vt
multa ſuſtulit iura,* (id eſt enim quod clamaret Orator) *vel tranſgreſſus eſt; vt iuſiurandum
dextram, fidem, connubium*: id quod totum in ſpeciem fit ob multiplicis ſceleris imaginem
quam vni eidémque ſceleri affingit Orator: & ideo, *Multarum ſubdit iniuriarum exceſſus.*
Quod ſi quis nitatur tres priores huius particulæ formas facere Rhetoricas, quaſi Ari-
ſtoteles iſtis explicatis, doceat Rhetoricas eſſe cenſendas & appellandas, ſiue eſſe pro-
prias Rhetorum, Maioragium habet qui tali explicationi anſam obtulit: ſiquidem ſta-
tim ac tres illas formas protulit ſeu genera iniuriarum, pergebat. *Et hæc quidem propria
Rhetorum ſunt*. Sed qui talem Ariſtoteli tribuat ſententiam, is nec oſtendere poſſit quî
exemplum Ariſtotelis ad rem faciat dum ait, vt iuſiurandum, dextram, fidem, coniu-
gium,

gium, nec cur tres illas formas appellet Rhetoricas: hæc enim (id quod ex eiuſdem 1211
Maioragij explicatu deinde colligitur) nihil ad illas pertinent. Atque hîc etiam, quoniam huc diſputando peruenimus; non ab re fuerit obſeruare ea Victorij quibus hunc locum interpretatur verba, *Et quæ ſtudia Oratorum adiuuant, huiuſcemodi ſunt*, magnam habere ambiguitatem: cum germanus ſenſus ſit, & quæ item Rhetorico more efferuntur, talia ſunt continéntque maiorem iniuriam. Sed & Brocardus qui vertit, *Illa verò ad amplificandum valent, in quibus oſtenditur aliquem vno facto plura iura peruertiſſe aut imminuiſſe, ac violaſſe. vt iuſiurandum, datam dexteram, fidem, connubia, affinitatem. nam multa crimina iniuſtitiæ indicant exuperantiam*, ab Ariſtotelis ſententia diſcedit quàm longiſſimè: Denique ijs qui amplificationi ſeruientem hîc faciunt Ariſtotelem, cum ex ijs, quæ amplificationi adhiberi ſolent ſynonima, maiorem iniuriam oſtendi velint ægrè vnquam aſſenſerim: nam in maioris & minoris fidei locis aperiendis verſatur totus.

PARTICVLA CCCVIII.

ΚΑὶ τὸ ἐνταῦθα οὗ κολάζονται οἱ ἀδικοῦντες. ὅπου ποιοῦσιν οἱ ψευδομάρτυρες. ποῦ γὰρ οὐκ ἂν ἀδικήσαιεν. εἴγε καὶ ἐν δικαστηρίῳ. καὶ ἐφ' οἷς αἰσχύνη μάλιστα, καὶ εἰ τοῦτον ὑφ' οὗ εὖ πέπονθε. πλείω γὰρ ἀδικεῖ, ὅτι τε κακῶς ποιεῖ, ὅτι τε οὐκ εὖ ποιεῖ, καὶ ὁ παρὰ τὰ ἄγραφα δίκαια. ἀμείνονος γὰρ μὴ δι' ἀνάγκην δίκαιον εἶναι. τὰ μὲν οὖν γεγραμμένα, ἐξ ἀνάγκης. τὰ δ' ἄγραφα, οὔ. ἄλλον δὲ τρόπον εἰ παρὰ τὰ γεγραμμένα. ὁ γὰρ τὰ φοβερὰ ἀδικῶν καὶ τὰ ἐπιζήμια, καὶ τὰ μὴ ἐπιζήμια ἀδικήσειεν ἄν. περὶ μὲν οὖν ἀδικήματος μείζονος, καὶ ἐλάττονος, εἴρηται.

ET quam fecit ibi, vbi caſtigantur, qui iniuriam faciunt. quod faciunt falſi teſtes. vbi enim non erit iniurioſus, ſi etiam in foro? Et in quibus eſt pudor maximè. Et ſi eum iniuria afficiat, a quo beneficio affectus eſt. Plures enim iniurias facit, tùm quòd malefaciat, tùm quòd non benefaciat, Et quæ eſt contra non ſcripta iura. melioris enim eſt, non propter neceſſitatem iuſtum eſſe. Ac ſcripta quidem, ſunt ex neceſſitate, non ſcripta verò nequaquam. Alio autem 1212
modo ſi contra ſcripta. Nam qui in metuendis iniuriam facit, & in pœnæ obnoxijs, etiam in non obnoxijs iniuriam faciet. Ac de iniuria quidem maiore & minore, dictum eſt. *Riccobonus.*

ET in eo loco vbi ſontes puniuntur, quod falſi teſtes faciunt; quem enim locum a ſcelere vacuum relinquent, qui etiam in ipſo iudicio ſcelus admittere non dubitant. Et ea, in quibus erubeſcere maximè conſueuerunt. Et ſi eum læſit, a quo beneficium acceperat: multis enim modis iniuſtus eſt; quòd damnum inferat, & quòd benemerenti non gratiam referat. Maius etiam oſtenditur, quod contra ius non ſcriptum commiſſum eſt: nam viri melioris indicium eſt, nulla coactum neceſſitate iuſtum eſſe; quæ enim ſcripta ſunt, ea neceſſario ſeruantur; quæ verò non ſcripta non neceſſario. Contra etiam magis peccare videtur, qui contra iura ſcripta quippiam committit: nam qui ſcelera, quæ terribilia ſunt, committit, nec pœnas reformidat; quantò magis in eis iniuſtus erit, vnde nullum ſibi damnum impendere videat. Ac de iniuria quidem maiore & minore dictum eſt. *Maior.*

QVinque ſubijcit maioris iniuriæ formas & perorat totam hanc Tractationem. prima eſt iniuria quæ eo ipſo in loco perpetratur in quo puniuntur ſontes: id quod falſis teſtibus vſu venire ſolet qui in foro & curia vbi falſi teſtes damnantur, tale audent flagitium: idem multò magis de latrunculis quibuſdam affirmetur qui dum fures ſuſpenduntur in foro, clam ſurripiunt crumenam. Maior eſt igitur horum iniuria. quem enim locum a furtis ac ſcelere vacuum relinquant qui in foro & curia tale ſcelus

lus

luſaudent. Altera eſt in qua homines valde erubeſcunt. de qua re dixit etiam ſupra
(etſi alio nomine) dum perſonas deſcriberet & iniurias quas multi in iudicio perſequi
1213 vererētur. vt violatæ vxoris aut ſororis crimē. Quanquā hîc paulò latiùs manare vide-
tur oratio: nā eas iniurias deſignat quæ pudorē gignunt quidē quēadmodū de violata
vxore dicebatur, ſed tamen alias complectitur etiam, quæ nos attingunt: vt cum nos
pudet aliena vitia cōmemorare & crimina. Talia ſunt quæ generatim Antonio obij-
cit ſæpè M. Tullius in Philippicis, quæ præ pudore non audet Auditoribus efferre.
Tertia eſt quæ ab eo committitur qui illum afficit iniuria a quo beneficium accepit:
nam non modò non rependit beneficium], verum etiam infert damnum maleficio;
itaut augeatur iniuria dum non vnum ſed geminum violat ius. Quare quemadmodū
in particula CCCIII. iurè eos laudat qui rependunt beneficium, ita hîc ijs ingrati ani-
mi vitium obijcit qui illud tradunt obliuioni: maiori item eos notant crimine ſi iniu-
riam inferant ac maleficium reponant pro beneficio. Huius verò rei nihil attinet exē-
pla proferre cum in promptu ſint omnibus. ſæpiſſimè enim contingit vt quem bene-
ficio affeceris, hunc tibi ſentias damnum inferre, itaut beneficium ſimul & amicum
amittas. Itaque prudentis eſt proſpicere ne malè collocetur beneficium: quod tamen
eſt perdifficile & lubricum: niſi tamen in pauperem amicum conferas beneficium &
Chriſtianæ pietatis ergo: hoc enim nunquam amittitur, & verò a Deo cœleſti præ-
mio compenſatur. Quarta iniuria illa eſt qua non ſcripta iura violantur: quod inde
probat quia viri probi ac melioris eſt non propter neceſſitatem iuſtum eſſe quæ nobis
ſcripta lege imponitur ac præfinitur, ſed citra neceſſitatem. Quanquam difficile eſt
intellectu quî maiorem adhuc iniuriam inferat qui non ſcriptam legem violet: nam
licet quidem maioris probitatis argumentum inde colligere quòd quis naturalem le-
gem violare detrectet dum nulla præſcribitur pœna, vt non opem ferre amico labo-
ranti; ſed illi maius affingendum crimen ſi talem legem violarit, quàm ſcriptā legem
1214 videtur rationi diſſentaneum. Quare interim videtur Ariſtoteles paralogiſmo vti: ne-
que enim ex eius ſententia nō vſurpandus paralogiſmus cum referr probabilitatis ſpe-
ciem aliquam, quemadmodum ex particula CCV. licet animaduertere vbi prodigū
liberalitatis nomine laudari iubet quod prodigus liberalis referat imaginem quādam;
itaut paralogiſmus (ita enim loquitur ipſe) perinde ac ratio apud eos valeat quibus
liberalitatis ſpecimen obijcit prodigus. Et idcirco ab initio docuerat Oratorem idem
facere ſiue demonſtret ſiue demonſtrare ac fidem facere videatur: & tamen Oratoris
retinere nomen, quantumuis Dialecticus econtrario Sophiſta reputetur ſi adumbra-
tis atque adeo falſis vtatur rationibus. Scio Sueſſanum atque alios affirmare Ariſtote-
lem a contrario argumentum ducere; locum verò a contrario eſſe optimum. Sed ta-
men putaſſem vt docuiſſent ritè hoc in loco argumentum a contrario deriuari ac ſuā
propterea habere efficacitatem: ſiquidem qui aliquid facit quod ſola videtur naturali
lege prohiberi, vt opem denegare amico laboranti (id enim ius naturale veriùs quàm
ſcriptum prohibet non maiori illum afficit iniuria quàm ſi plagis affeciſſet, quod pro-
hibetur ſcripta lege. Quò fit, vt licet quidem colligere maiorem illius iuſtitiam qui nec
naturalem violat legem: non tamen maiorem iniuſtitiam dum eam violat. Sed fortè
Ariſtoteles naturalis ſeu non ſcriptæ legis vim ac pondus in ijs ſpectauit quæ primaria
ſunt & grauiſſima vt Parentibus opem ferre, non verò vniuerſim & in re mediocri.
Vel eò ſpectauit quod improbitatem hinc colligere liceat ius non ſcriptum violantis;
quaſi verò is in iniuriā irrumpat per animi vitium & improbitatem, quod tamen in
ijs quæ lege ſcripta prohibentur haud committat pœnæ ac ſupplicij timore, non pro-
bitate: proindéque fieri vt quoniam magna iniuria ex magna improbitate penſanda
1215 eſt, huic maioris iniuriæ crimen eſſe tribuendū. Quinta & poſtrema eius eſt qui ſcri-
ptam violat legem: quæ eſt planiſſima: qui enim nec legum metu nec pœnarum gra-
uitate ab iniuria inferenda deterretur, multò faciliùs noxam intulerit & iniuriam vbi
nulla fuerit pœna propoſita. Atque hæc ſanè ratio non paralogiſmo nititur ſed perſpi-
cuo iudicij lumine ex quo fit vt quarta quæ cum hac pugnat e ueſtigio, mihi quidem
paralogiſmi locum obtinere videatur, niſi fortè ad ea quibus mitigare viſi ſumus in-
uidiam omnem, confugias. Ita quidem ſe dixiſſe ait Ariſtoteles de maiore & minore
iniuria: tametſi reuera de maiori dixit re ipſa, de minore tantummodo poteſtate, quia
ſcilicet ex contraria dignoſci poſſit. De amplificationis ratione ac de ſtatus ſeu cōtro-
uerſiæ

Digitized by Google

uerſiæ magnitudine, nihil interim colligens: quod argumento eſt nec re ipſa nec poteſtate hæc fuiſſe explicata, aut ſaltem non hæc per ſe ſpectari interim ab Ariſtotele.

QVÆ ſint adhuc explicāda de genere Iudiciali.

Iam verò multa ſunt quæ, niſi diligenter explicentur & enucleentur, minus vtilem, ne dicam ocioſam reddant totam hanc, quam declarauimus, Iudicialis generis Tractationem. Acprimum illud eſt, Quæ planè ſint ea quæ dicenda aut declaranda propoſuit Ariſtoteles de genere Iudiciali, & an iurè illa propoſuerit. Alterum vbi illa ſit
I. proſecutus & num rectè conuenientérque, in primis verò perſpicuè, ſit proſecutus.
II. Tertium An Iudiciale genus crimino ſis iniurijs & accuſationibus ita incluſerit, vt ci-
III. uiles vel ignorauerit vel prætererit. Quartum Num verè Ariſtoteles in his quatuor
IV. capitibus quatuor illa quæſtionum ſeu Controuerſiarum genera nobis obtulerit, quę cauſarum ſtatus appellant multi: neque enim deſunt qui in primo coniecturalem ſtatum nobis oblatum dicant, in altero definitiuum: tum qualitatis ac denique quantitatis ſeu magnitudinis in tertio & quarto; & ſanè cum Ariſtoteles a quibuſdam hos
V. ſtatus vix ac ne vix quidem attigiſſe a quibuſdam etiam eos (ſi Deo placet) ignoraſſe 1216
dicatur, operæpretium eſt id totum examinare. Quintum, an fidem artis expertem ſic pertractauerit, vt omnes eius partes complexus ſit & conuenienter complexus.
VI. Poſtremum illud ſit Num ea omnia de hoc genere docuerit quæ deinde a M. Tullio atque optimis dicendi Authoribus de hoc ipſo genere tradita ſunt, vel ſaltem ea quæ
VII. neceſſaria videri poterant. Et quoniam ipſe etiam ab initio propoſui quæ de huiuſmodi genere docere & explanare decreuiſſem, prouidendum erit vt in his ipſe quoque fidem liberem meam. Sed quæſo inſequens caput explicemus, quod item pertinet ad Iudiciale genus: de quo item dubitare cœpimus: etſi enim nouum fidei genus proſequitur & ab artificioſo, de quo hactenus dictum eſt, diſſidens & alienum; ad Iudiciale tamen pertinet genus, ita quidem & quæ interim dubitationes in medium afferuntur ſeptem capitibus comprehenſæ, & quæ iam antea varijs in locis propoſitæ ſunt & in hunc locum reiectæ, & quæ fortè in decimi quinti capitis huius curſu ſe ſe rurſus in conſpectum dabunt aduerſus Iudiciale genus, percommodè proſequemur. Quod ſi paulò ſeriùs fidem meam liberabo, opportuno tamen loco, & (vt ſpero) non ſine quæſtu aliquo & fœnore liberabo. Nunc ad caput decimum quintum deueniamus.

Reijciuntur ad finē capitis XV.

Cont. 69. 71. & part. 295. 217. 218. 299. 300. & c. 14.

CAPVT XV.

PARTICVLA CCCIX.

Περὶ δὲ τῶν ἀτέχνων καλουμένων πίστεων ἐχόμενόν ἐστι τῶν εἰρημένων ἐπιδραμεῖν. 1217
ἴδιαι γὰρ αὗται τῶν δικανικῶν. εἰσὶ πέντε τὸν ἀριθμόν, νόμοι, μάρτυρες, συνθῆκαι, βάσανοι, ὅρκος.

Fidem verò, quæ dicitur arte carens, conſequens eſt ijs, quæ dicta ſunt, vt percurramus: quia propria ipſa ſit iudicialium. éſtque quintuplex, leges, teſtes, pacta, quæſtiones iuſiurandum. *Riccob.*

Deinceps ea percurrenda ſunt, quæ ad probationes artis expertes, pertinere videantur: nam hæ iudicialium controuerſiarum propria ſunt. Sunt autem numero quinque; leges, teſtimonia, tabulæ, quæſtiones, iuſiurandum. *Maioragius.*

De Fide artis experte.

Deuenio ad Caput XV. in quo primus hic clauditur liber. Aggreditur verò Ariſtoteles ad fidem artis expertem: ſiue enim abſoluerit ea quę pertinent ad artificioſam fidem, ſiuę inchoatam relinquat interim (de hoc enim conſtabit paulò poſt) certum eſt hîc περὶ ἀτέχνων πίστεων, hoc eſt de probationibus, vt loquuntur aliqui; ſiue de argumentis carentibus arte, diſputationem inſtituere. Meminiſtis autem, opinor, Ariſtotelem in capite II. oratorias πίστεις in artificioſas diſtribuiſſe & expertes artis,

tis, illúdque ſubieciſſe, ſe res non artificioſas vocare quæcunque non excogitantur ab Oratore, ſed erant antea, vt teſtes, quæſtiones (eius verba refero) ſyngrapha & quæcunque ſunt huiuſmodi. Nunc igitur haſce ſiue fides ſiue probationes (impolitis hiſce vocibus vtar interdum cum aliquibus breuitatis cauſa) ſiue expertes artis rationes ſiue argumenta quæ carent arte, in mediū profert, quæ ſanè quinque partitò diſtribuit, nimirum in leges, teſtes, pacta, quæſtiones, iuſiurandum. Vbi tamen nolim ad hæc explicanda deſcendere, niſi priùs & de ordine cōſtiterit & de tota hac fidei diſtributione, ac ſummatim, num opportunè ac rectè hanc diſputationem inſtituat noſter Author.

CONTROVERSIA LXXVIII NVM opportunè ac rectè de fide artis experte hic diſputet Ariſtoteles. Oppugnatur in multis.

1218 Controuerſia igitur ſtatuatur, NVM opportunè ac rectè de fide artis experte hîc diſputet Ariſtoteles. Qua in re multa ſunt quibus videtur poſſe Ariſtotelis methodus & induſtria oppugnari. Ac primùm quia nondum abſoluit eorum explicatum quæ pertinent ad fidem artificioſam: quin in medijs illam ſpatijs perturbat perimítque. Et ſanè artificioſam fidem eo ipſo in loco quem paulò ante recitaui, in rationes, affectus & mores diſtribuebat: quin etiam rationes quippe quæ ex rebus ducerentur, tum enthymematis tum exēplis concludebat: ac rurſus rationes tū proprijs tum cōmunibus propoſitionibus indigere affirmabat, quas propterea ſtatim in mediū proferre cœpit, a proprijs ducto initio. poſtulabat igitur ratio vt priùs totā hāc artificioſæ fidei ſeriē euolueret & abſolueret tū ad ea deſcēderet quæ carent arte. Quod ſi dicas leges & reliquas huiuſmodi fidei partes proprias eſſe generis Iudicialis (nam hoc eſt quod interim affirmat Ariſtoteles vt ſibi liceat eiuſmodi tractationem cum Iudicialis generis explicatu I.
coniungere) illud magnopere obſtat quòd Deliberatiuum quoque genus & legibus & teſtibus atque huiuſmodi alijs vti ſolet. II. Quapropter cum Hortenſius & Catulus Manilianam legem oppugnarent de qua in Senatu orta erat deliberandi occaſio, in leges intuebantur per quas non liceret tali ac tanta poteſtate vnum eundémque Imperatorem augere: quin Demoſthenes in deliberationibus ipſis ſæpè legibus certat ac teſtibus. Quid plura? M. Tullius teſtes ipſos in Curia non modò & appellat & profert ſed ab inferis excitat. Quin nihil prohibet quominùs in Demonſtratiuo quoque genere & pacta & leges & id genus alia laudationi aut vituperationi adhibeantur. Sed ſac
1219 multò magis in Iudiciale genus cōueniant iſthæc quàm in cætera genera: at exempla etiam (Ariſtotele ipſo teſte) magis conueniunt in genus Deliberatiuum, & amplificatio in Demonſtratiuum: III. & tamen quoniam pertinebant ad fidem artificioſam, neque illa cum Deliberatiuo, neque hanc cum Demonſtratiuo, cōiunxit, ſed intra fines tractationis artificioſæ fidei cohibuit. Sed mitto quæ ad ordinem pertinent: atque illud perpendo, Num leges & reliquæ huiuſmodi partes careant arte. Video enim ſummo artificio atque omnibus Eloquentiæ neruis pro teſtibus & contra teſtes (idem tu iudicium facito de legibus ac reliquis iſtis partibus) diſputari; IV. itaut nihil fortaſſe in Iudicijs maiore artificio & contentione tractetur. Atque hinc eſt vt veteres in oratoria palæſtra ſe ſe olim ſummo ſtudio exercerent in vtranque partem, vt, cum tuliſſet occaſio, paratiores eſſent ad leges, teſtes & huiuſmodi alia vel oppugnanda vel propugnanda, itaut ars in hac re eluceret vel maximè. Ad hæc cur quinque tantùm afferuntur huiuſce fidei partes? V. Sanè Quintilianus ſex profert, nimirum præiudicia, rumores, tormenta, tabulas, iuſiurandum, teſtes: quibus ſi leges addas quas prætermittit, ſeptēnario non quinario comprehendantur numero. Quid multa? Cicero ipſe non vno in loco cum hoc fidei genus generali quodam teſtimonij nomine complexus eſſet, mox teſtimonia in diuina primùm & humana diſtinguebat: tum diuina rurſus in oracula, auſpicia, vaticinationes, ſacerdotum reſponſa & aruſpicum coniecturas diſtribuebat; humanum verò ſcriptis, pactis, promiſſis, iuratis & quæſitis comprehendebat; demū quicquid ex authoritate, voluntate, oratione, ſine tacita ſiue expreſſa, colligeretur id totum ad humanum teſtimonii genus redigebat. Quo factum eſt vt Antonius in 2. de Oratore multo maiorem quàm Ariſtoteles talium partium percenſeat numerum. Hæc contra Ariſtotelem. Sed ſi rem attentiùs expēdamus licebit propoſitas dubitatio-
1220 nes diluere & Ariſtotelem planè defendere priùs igitur ea diluamus quæ aduerſus mēthodum allata ſunt, tum progrediemur ad cætera. *Reſpondetur.* Ergo illud obſeruandum eſt, leges, teſtes ac cæteras illas partes eſſe vſque adeò coniunctas cum genere Iudiciali vt ab eo diſiungi nullo modo poſſint. itaque niſi accuſator vel legem vel teſtes vel huiuſmodi alia protulerit quibus foueat accuſationem, hæc omnino cōcidat & euaneſcat. Neque

enim Iudex quidquam fidei adhibeat accuſatori, quin ne accuſationem quidem exci-
piat, niſi aut legibus aut teſtibus, aut pactis alióue huiuſmodi probationis genere præ-
ſto ſit: quæ tamen non neceſſaria ſunt in cæteris generibus: quæ perrarò etiam illa no-
runt aut aſſumunt. Cum igitur in tractatione ea ſint coniungenda quæ ſe ſe mutuò ac
neceſſariò conſequuntur, quæque intima ſunt quemadmodum accidit in definitio-
nibus, rectè Ariſtoteles haſce partes cū Iudiciali genere cuius propriiſſimæ & intimæ
ſunt, coniungit. Denique vſque adeò remotæ ſunt ab vſu Demonſtratiui aut Delibera-
tiui generis, vt cum niſi extrinſecus non aſſumantur in ijs, & perrarò admodum aſſu-
mantur, contra in Iudiciali ſint perneceſſariæ, in hac planè tractatione fuerint decla-
randæ. Atque idcirco Ariſtoteles hæc, inquit, propriæ ſunt iudiciorū: & hoc vno præ-
textu omnino cenſuit cum Iudicialis generis tractatione copulandam totam hanc re-
rum artis expertium cōquiſitionem. Atque hæc ſanè methodus & ratio nullo modo
fuit in exemplis aut amplificatione aut enthymematis retinenda; ſiquidem dixit ille
quidem exempla eſſe magis accommodata Deliberatiuo generi quàm Demōſtratiuo
aut Iudiciali, non tamen eſſe propria Demonſtratiui quemadmodum leges, teſtes &
huiuſmodi alia Iudicialis generis affirmat eſſe propria. Eodémque modo amplifica-
tionem Demonſtratiuo, Enthymemata Iudiciali ſignificat eſſe magis accommodata,
ita tamen vt fateatur cuicunque generi conuenire, quod tamen de teſtibus atque hu-
iuſmodi alijs negat quæ dicit eſſe propria iudiciorū: & ideo iurè intra fines artificioſæ
fidei, enthymematis, exempli & amplificationis cohibuit explicatum: leges, teſtes &
id genus alia quippe propria iudiciorum quæque vix in cæteris generibus aſſumãtur,
idque perrarò, cum iudicialis generis tractatione coniunxit. Neque verò (vt reliquam
dubitationis partem explicemus) non quinque iſtis quas Ariſtoteles recenſet, partibus
continetur quicquid ad fidem pertinet carentem arte: nam oracula & cætera illa quæ
diuina teſtimonia cenſebantur, ad teſtes pertinent, qui propterea humana diuinaque
teſtimonia complectuntur: Senatuſconſulta verò, plebiſcita, magiſtratuum edicta, Iu-
riſprudentum reſponſa, ad tabulas ſeu leges pertinent. Ita demum nihil proferas quod
non ad quinque iſtas quas Ariſtoteles percenſet, partes, nō oppidò ſuo iure reuocetur. 1221
Tametſi quoniam ob teſtamēta inprimis res videri poſſit habere adhuc dubitationē,
ibi rurſus paulò pleniùs hanc explicabimus controuerſiam, vbi περὶ τῶν συνθηκῶν, de pa-
ctis inquam quibus teſtamenta adnectere moliantur aliqui, verba faciemus. Neque ve-
rò (vt huic quoque dubitationis parti ſatisfaciam) ea de cauſa carere dicuntur arte le-
ges, teſtes & cæteræ huiuſmodi partes, quia non ſummo artificio tractētur, ſed quia ab
Oratore nō excogitātur aut inueniūtur, ſed antegrediuntur & præexiſtunt, vt ita dicā;
itaut Orator illas aſſumat quidem & eiſdem vtatur, non verò illas veluti pariat ſua in-
duſtria ſicuti alterum fidei genus in quo rationes ipſe excogitat & parit, quemadmo-
dum in eo quem nuper afferebam, loco docuimus copioſè. Denique illæ & inuentio-
ne & tractatione ſunt artificioſæ hæ tractatione tantùm: ſiquidem ab Oratore, cui ab
actore aut reo deferuntur, confirmantur, exaggerantur, amplificantur, aut etiam ele-
uantur & refelluntur. Quod ſi vrgeas rationes quoque illas ex rebus quæ præexiſtunt
duci; vt cum probat M. Tullius Catilinam de Republica occupāda cogitare, quia ære
alieno prematur, noctu cum ſicarijs clam verſetur, Senatores multos ad cædem deſti-
narit, ſanè iſta valde remota ſunt, nec niſi acceſſerit magna Oratoris induſtria & Elo-
quentia, fidem faciunt, cum alij innumeri ære alieno premerentur, cum ſicarijs verſa-
rentur, multos ad cædē deſignaſſent, nec tamen de Republica occupanda cogitaſſent.
Secus cum id ex proprio chirographo & litteris proprio annulo obſignatis, & ex teſti-
bus atque huiuſmodi alijs conuincatur. Denique res in oratorijs ſpatijs populariter
non ſubtiliter ac Mathematicorum more æſtimandæ ſunt & metiendæ.

PARTICVLA CCCX.

Πρῶτον μὲν οὖν εἴπωμεν περὶ νόμων πῶς χρηστέον ϗ προτρέποντα ϗ ἀποτρέ-
ποντα, ϗ κατηγοροῦντα, ϗ ἀπολογούμενον. φανερὸν μὲν γάρ, ὅτι ἐὰν μὲν ἐναν- 1222
τίος ᾖ ὁ γεγραμμένος τῷ πράγματι, τῷ κοινῷ νόμῳ χρηστέον, καὶ τοῖς ἐπιεικέσιν ὡς
δικαιοτέροις. καὶ ὅτι τῇ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ χρώμενος, τουτ᾽ ἐστι, τὸ μὴ πάντῃ χρῆσθαι τοῖς
γεγραμ-

γεγραμμένοις. καὶ ὅτι τὸ μὲν ἐπιεικὲς ἀεὶ μένει, καὶ οὐδέποτε μεταβάλλει οὐδ' ὁ κοινός. κατὰ φύσιν γάρ ἐστιν. οἱ δὲ γεγραμμένοι πολλάκις.

Riccobonus.

AC primùm quidem dicamus de legibus, quomodo ipſis vtendum ſit, tùm ei, qui ſuadet, tùm qui diſſuadet, tum qui accuſat, tum qui defendit. Apparet enim ſi contraria ſit facto lex ſcripta, communi lege vtendum, & æquis, tanquam iuſtioribus. Et quòd mente optima vti eſt, non omnino vti ſcriptis. Et quòd æquum ſemper manet, & nunquam mutatur, neque communis lex. Secundum naturam enim eſt: ſcriptæ verò leges ſæpè.

Maioragius.

AC primò quidem de legibus dicamus; & quomodo eis in ſuadendo, & diſſuadendo, in accuſando, & defendendo vtendum ſit. Planum eſt enim, ſi quis ſcriptam legem cauſæ ſuæ contrariam habeat, ad communem legem ei confugiendum eſſe; & æquo ac bono tanquam iuſtiore nitendum: & dicendum hoc eſſe æquiſſima ſententia iudicare, ſi quis non omninò ſcriptis legibus adhærere velit. Et æquum ac bonum ſemper idem manere, nec vnquam immutari, ſicuti neque communis lex; inſitum eſt enim in ipſa natura, ſcriptæ verò leges ſæpè variantur.

DE Legib.

DE legibus ſiue quia has primo loco enumerauit, ſiue quia præcipui momenti ſunt in iudicijs, diſputat primo loco docétque continenter quomodo ijs vti debeat tum is qui ſuadet vel diſſuadet, tum qui accuſat vel qui defendit. At enim quorſum is qui ſuadet aut diſſuadet hîc inſtituitur, cum nō in Deliberatiuo genere verſemur, ſed in Iudiciali? Denique leges vnis Iudicijs conuenire, & τῶν δικανικῶν proprias eſſe,
1223 affirmauit paulò ante. An igitur per verba iſta προτρέποντα καὶ ἀποτρέποντα actorem ac reum deſignauit, itaut continenter per accuſatorem ac defenſorem explicentur? vix crediderim: non enim tam facilè abundat verbis Ariſtoteles. Ergo propriè illa accipiamus, ac fateamur in Deliberatiuo quoque genere (id quod paulò ante obſeruauimus) poſſe vſurpari leges, & tam ad ſuaſionem quàm ad diſſuaſionem referri: ſed tamen veluti extrinſecus aſſumi, cum tamen in iudiciis tanquam propriæ iudiciorum ferantur & vſurpentur. Et hoc eſt quod ſibi voluit Ariſtoteles dum diceret leges ac cæteras illas partes eſſe proprias iudicialium cauſarum: quod ſanè nihil prohibet quominùs aſſumantur in alijs generibus quemadmodum laus & vituperatio quæ propria eſt Demonſtratiui, in Deliberatiuo quoque & Iudiciali aſſumitur. Ergo ſi lex ſibi aduerſetur, eò confugiendum vt illam reprehendas ac veluti deturpes: lex enim ſcripta (de hac enim loquitur interim) id habet vt ſemper ferè quoquo modo carpi poſſit & labefactari. Ad quam rem quatuor nobis offert vias ſolertiſſimus Ariſtoteles. Prima eſt vt ad communem legem confugiamus: hæc enim quippe naturalis, anteponenda eſt ſcriptæ legi: quo loco docendum & exclamandum æquitatem qua communis lex carere nequit, amplectendam, æquitatem tanquam iuſtiorem in iudicio ſectandam & conſeruandam: id enim eſt γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ optimo animo ac iudicio ſententiam dicere, non ſcriptæ verba legis mordicus & perfractè ſequi: verè enim dici poteſt communem legem & æquitatem manere ſemper & nūquam mutari, cum a Natura proficiſcatur, & ex diuina mente hauſta ſit ſeu deriuata: ſcriptam verò hominum legem, quippe quæ infirmi iudicij authorem habet, mutari ſæpè. Quam rem totam ex So-
1224 phocle confirmat eleganter, de qua re in particula ſequenti. Nunc illud ex Polluce cū Victorio & Maioragio obſeruemus, Athenis fuiſſe in more poſitum vt Iudices antequam audirent cauſas, iurarent ſe ex legibus ſententiam de ijs omnino eſſe laturos de quibus leges ipſæ ſtatuiſſent: de ijs verò de quibus nulla extaret lex, æquiſſima ſententia ac mente ſe iudicaturos. quare facilè in hoc inſtitutum ſpectauit Ariſtoteles dum diceret hoc eſſe mente optima, ſeu æquo & optimo animo, iudicare. ita ſanè quod Pollux verbis illis γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ *ſententia iuſtiſſima* expreſſit, Ariſtoteles γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ complexus eſt: etſi crediderim Pollucis verba cum iudicum verbis planè conſentire, quòd Demoſthenes item in oratione contra Ariſtocratem ad eundem mo-

Dubitatur

Reſpondetur.

Reditur ad explicatū: & oſtēditur qui deturpari poſſit ſcripta lex, ſi ſibi aduerſetur

rem alludens ait iudices γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ ſe iudicaturos iurare conſueuiſſe. tametſi δικαιοτάτην in ἀράσιν fortaſſe velit Ariſtoteles, quod δικαιοτάτη non pro iuſtiſſima (quæ vox rigorem iuris offerre videtur) ſed pro æquiſſima, excipienda ſit, ac talem eſſe deceret Iudicis mentem. Conſimilem verò iurandi rationem apud Romanos quoque fuiſſe in more poſitam ex Cicerone etiam intelligitur qui iuratos ſæpe appellat Iudices.

PARTICVLA CCCXI.

Ὅθεν εἴρηται ἐν τῇ τοῦ Σοφοκλέους Ἀντιγόνῃ. ἀπολογεῖται γὰρ ὅτι ἔπραξε παρὰ τὸν τοῦ Κρέοντος νόμον, ἀλλ᾽ οὐ παρὰ τὸν ἄγραφον. οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ᾽ ἀεί ποτε. ταῦτα οὖν ἐγὼ ἔμελλον ἀνδρὸς οὐδενός, καὶ ὅτι τὸ δίκαιόν ἐστιν ἀληθές τι καὶ συμφέρον, ἀλλ᾽ οὐ τὸ δοκοῦν. ὥστ᾽ οὐ νόμος ὁ γεγραμμένος. οὐ γὰρ ποιεῖ τὸ ἔργον τὸ τοῦ νόμου. καὶ ὅτι ὥσπερ ἀργυρογνώμων ὁ κριτής ἐστιν, ὅπως διακρίνῃ τὸ κίβδηλον δίκαιον καὶ τὸ ἀληθές. καὶ ὅτι βελτίονος ἀνδρός, τὸ τοῖς ἀγράφοις ἢ τοῖς γεγραμμένοις χρῆσθαι καὶ ἐμμένειν.

VNde dictum eſt in Sophoclis Antigone, cum illa defendit ſe egiſſe contra 1225
Creontis legem, ſed non contra non ſcriptam. Non enim hoc nunc, & *Riccobonus.*
heri, ſed ſemper. Ideo ego non timeo virum vllum. Et quòd iuſtum eſt verum quoddam, & vtile ſed non quod videtur. Quare non eſt lex quæ ſcripta eſt: non enim obit munus legis. Et quòd tanquam argentarius iudex eſt, vt diſcernat adulterinum iuſtum à vero. Et quòd melioris viri eſt, non ſcriptis, quàm ſcriptis vti, & ſtare.

VNde illud in Antigona Sophoclis dictum eſt vbi tuetur illa factum ſuum: quod licet contra Creontis legem fecerit, non tamen contra legem non ſcriptam; *Maior.*

Hoc namque non hodie aut heri, at ſemper fuit,
Ideo ego non timeo viri vllius minas,

Et iuſtum id eſſe, quod eſt verum atque vtile, non autem quod ſpeciem tantum habet; quare quæ ſcripta eſt, non eſt lex. neque enim legis officium exequitur. Et rebus iudicandis præpoſitum eſſe iudicem tanquam argentarium, qui id iuſtum, quod ſimulatum & adulterinum eſt, ab eo quod eſt verè iuſtum, diſcernat. Et melioris eſſe viri, non ſcriptis legibus, quam ſcriptis vti atque inſiſtere.

Rem exemplo illuſtrat. PRofert Antigonæ exemplum, quod multis confirmat. Et quoniam Antigonis verba non ita pridem ex Ariſtotele & Sophocle retulimus & expendimus, quid illis addat Ariſtoteles videamus. Ait igitur iuſtum illud eſſe cenſendum quod verum atque vtile ſit non quod videatur & quandam vtilitatis præſeferat ſpeciem tantum, ac propterea iure affirmari poſſe ſcriptam legem in legis loco non eſſe habendam, niſi cum id ſpectarit quod verum & vtile ſit cum hoc vnum ſit germanum legis opus ac munus. Quibus addit Iudici in memoriam reuocandum eum quaſi trapezitam & argentarium iudicijs eſſe præpoſitum, vt nimirum bonum aurum ab adulterino diſcernat: denique 1226
melioris viri eſſe legem naturalem & non ſcriptam ſcriptæ anteponere, & non ſcripta vti; ac propterea naturam & æquitatem ſequi oportere non in ſcriptis inſiſtere.

PAR-

PARTICVLA CCCXII.

Καὶ εἰ πῃ ἐναντίος νόμῳ εὐδοκιμοῦντι, ἢ αὐτὸς αὑτῷ. οἷον ὁ μὲν, ἐνίοτε κελεύει κύρια εἶναι, ἅττ' ἂν συνθῶνται. ὁ δ' ἀπαγορεύει μὴ συντίθεσθαι παρὰ τὸν νόμον. καὶ εἰ ἀμφίβολος, ὥστε στρέφειν καὶ ὁρᾷν ἐφ' ὁποτέραν τὴν ἀγωγὴν, ἢ τὸ δίκαιον ἐφαρμόσει, ἢ τὸ συμφέρον, εἶτα τούτῳ χρῆσθαι. καὶ εἰ τὰ μὲν πράγματα ἐφ' οἷς ἐτέθη ὁ νόμος μηκέτι μένει, ὁ δὲ νόμος, πειρατέον τοῦτο δηλοῦν, καὶ μάχεσθαι ταύτῃ πρὸς αὐτόν.

Riccobonus. ETſi quā in re contraria ſit legi, quæ probetur, vel ipſa ſibi, vt hæc quidem aliquando iubet rata eſſe, quæcunque pepigerunt: illa verò vetat, pactiones fieri contra legem. Et, ſi ambigua ſit, ita vt torqueas, & videas, in vtram deductionem aut iuſtum quadrare poſſit, aut vtile, deinde eo vtaris. Et ſi res de quibus lata eſt lex, non amplius maneant, lex verò maneat, conandum eſt, vt id declares, & pugnes ac ratione contra ipſam.

Maioragius. *ET ſi lex, qua premimur, aliquo modo contraria eſt iam probata legi, aut ſi ſecum ipſa pugnat; vt interdum altera lex iubet rata eſſe, quæcunque inter ſe homines pepigerunt, altera vrò vetat pactiones fieri contra leges. Et ſi ſit ambigua lex, vt quis eam torquere poſſit; tunc videre oportet, in quam partem iuſtum, atque vtile conueniat, deinde illo vti. Et ſi res illæ, propter quas lata lex fuit, non amplius manent, lex tamen adhuc ſeruatur; tunc laborandum eſt, vt id notum fiat, & hac ratione contra legem pugnandum.*

SEcundam oſtendit rationem ac viam vnde legis quæ nobis obſtat, vim infringamus aut labefactemus: quæ ſanè ratio eſt tripartita. ac prima
1227 quidem in eo eſt poſita vt Orator obſeruet diligenter num eiuſmodi lex vel pugnet aliquo modo cum lege altera quæ probetur & laudetur, vel ſibi ipſi aduerſetur: atque hanc repugnantiam contra aduerſarium vrgebit ſtrenuè. Interim verò Ariſtoteles priorē partem illuſtrat exemplo; vt ſi vna iuſſerit ea eſſe rata ac firma quæ inter ſe homines pepigere: altera paciſci vetet aliquid contra legem: etſi enim facilè conciliari poſſint ſi dicamus tunc ſolùm legem concedere nos aliquid paciſci, cum huiuſmodi pactum non repugnet legi, contra verò cum repugnet prohibere & irritare, veruntamen ſi quis in legibus benè verſatus ſit, non difficilè legem inuenerit aliquam quæ ſpecie ſaltem cum pactione illa pugnare videatur, ita vt ſemper ſit repugnantiæ locus, & vnde ἀνομία obtendatur. Altera ratio eſt, ſi lex quæ obſtat, fuerit ambigua; ita vt detorqueri poſſit, & huc illuc impelli: ſic enim Orator ad eam partem flectet impellétque legem quæ pars ſibi ceciderit vtilior, atque hanc, dum ſuæ quadret ſententiæ, iuſtiorem eſſe contendet. Hoc verò non minùs defenſori quàm accuſatori obſeruandum eſt: vterque enim quod ſibi obſtat, abſurdum, inutile, iniquum, turpe eſſe quoad eius fieri poſſit oſtendet: contrariam perutilem, iuſtam ac rationi maximè conſentaneam. Quis autem non ſentiat Amphibologiam in ſcriptis eſſe frequentiſſimam? præſertim verò quia ex multis veluti fontibus ſolet: denique nomen vnum tibi multiplicem ſignificationem ſæpe offerat & Amphibologiam maximam. Certè gallus & canoram illam auem ſignificat quæ omnibus nota eſt, & tamen aliquando eſt viri nomen, aliquando cognomen ita vt familiam ſignificet, aliquando gentem, ſic Celta gallus a nobis appellatur. Quin apud Ouidium Phrygæ alicubi deſſignat amnem *Amnis & inſana nomine gallus aqua*; interdum etiam Cybelis ſacerdotem indicat, *Populus vlulauit triſtia gallus*, inquit Lucanus de vate ac ſacerdote Cybelis. Atque id ſanè, quoniam amphibologia vnde ambigui controuerſia oritur ac ſtatus, occurrit paſſim, diligentem Oratoris requirit induſtriam.

Contrariæ legis eludēdæ triplex adhuc proponitur ratio.

I.

II.

ſtriam. Et hac maximè de cauſa M. Antonius in II. de Oratore Dialecticam require-
bat in Oratore, quòd diceret hac arte poſſe commodiùs agnoſcere & diſtinguere quæ
III. haberent ambiguitatem. Poſtrema ratio eſt ac via, ſi id cuius cauſa lex lata fuit, nunc
non exiſtat, fac enim olim dum obſidione premeretur vrbs, ſancierit Princeps ne quis
peregrinus conſcendat muros aut ad eos concurrat, fac poſt multos annos cùm Vrbs
obſidione ſoluta eſſet omni ac timore, fortè peregrinus aliquis animi cauſa ad muros
diuerterit: num ſi comprehenſus fuerit, mulctandus erit? re enim elapſa cuius cauſa
lex fuerat lata, quid ni lex ipſa irritetur & abrogetur; Quanquam reuera niſi lex ipſa 1228
contrario fuerit vſu abrogata, itaut hoc exemplis oſtendi poſſit, vix crediderim idcir-
co legem antiquatam quòd ea quorum cauſa lata fuerint, interciderint. Atque idem
dixerim de ijs quæ conſuetudine inducta ſint: niſi enim contrario vſu abrogari cœpta
ſint, ſuo iure careant difficulter. Hæ ſunt tres rationes quibus docet qui labefactetur,
quæ nobis obſtet lex: etſi priorem tantùm primæ rationis partem illuſtrauit exemplo,
fortaſſe quòd cæteræ eſſent perſpicuæ. At enim quid ſi lex faueat Oratori, non obſtet?
docet quid huic agendum, quinque illi vias ac rationes commonſtrans vnde hinc ad
victoriam aſpiret, quare ſic pergit.

PARTICVLA CCCXIII.

Ἐὰν δὲ ὁ γεγραμμένος ᾖ πρὸς τὸ πρᾶγμα, τότε γνώμη παρὰ τὸν νόμον ἕνεκα δικάζειν ἐστίν, ἀλλ' ἵνα ἐὰν ἀγνοήσῃ ὅτι λέγει ὁ νόμος μὴ ἐπιορκεῖν. καὶ ὅτι οὐ τὸ ἁπλῶς ἀγαθὸν αἱρεῖται οὐδείς, ἀλλὰ τὸ αὑτῷ, καὶ ὅτι οὐδὲν διαφέρει, ἢ μὴ κεῖσθαι, ἢ μὴ χρῆσθαι. καὶ ὅτι ἐν ταῖς ἄλλαις τέχναις οὐ λυσιτελεῖ παρασοφίσθαι. οἷον παρὰ τὸν ἰατρόν. οὐ γὰρ τοσοῦτον βλάπτει ἡ ἁμαρτία τοῦ ἰατροῦ, ὅσον τὸ ἐθίζεσθαι ἀπειθεῖν τῷ ἄρχοντι. καὶ ὅτι τὸ τῶν νόμων σοφώτερον ζητεῖν εἶναι, τοῦτ' ἐστὶν ὃ ἐν τοῖς ἐπαινουμένοις νόμοις ἀπαγορεύεται. καὶ περὶ μὲν τῶν νόμων, οὕτω διωρίσθω.

Riccobonus.
SI verò lex ſcripta accommodata ſit ad factum, tunc optimâ mente eſſe dicen-
dum eſt, non vt contra legem iudicet, ſed vt ignoret, id, quod dicit lex, ne
peieret. Et quod eſt ſimpliciter bonum, eligere neminem, ſed quod ibi. Et ni-
hil intereſſe, vel legem non ferri, vel non obſeruari. Et in alijs artibus non eſſe
vtile agere captioſè, vt contra medicum: quia non tantum nocet error medici,
quantum ſi quis aſſueſcat non obedire principi. Et ſe legibus ſapientiorem eſſe
ſtudere, eſſe id, quod in laudatis legibus prohibetur. Ac de legibus quidem hæc 1229
explicata ſint.

Maioragius.
QVod ſi ſcripta lex pro nobis facit, tunc dicendum eſt, æquiſſima ſententia iudicare, non eſſe ideo iudicibus conceſſum, vt contra legem aliquid ſtatuant; ſed ne fortaſſe peierent, ſi vim ac ſententiam legis non benè perceperint. Et neminem eſſe, qui quod abſolutè bonum eſt, quærat; ſed quod ſibi ipſi. Et nihil differre non latas eſſe leges & in nullo eſſe vſu. Et in alijs artibus non vtile eſſe diſcedere à præceptis, & callidè aliquid excogitare, vt contra medicum; neque enim tantum detrimenti adfert erratum medici, quantum mala conſuetudo non illi parendi qui imperium habet. Et hoc eſſe quod in probatis legibus prohibetur, ne quis ipſis legibus quærat, aut velit eſſe ſapientior. Et de legibus quidem hæc dicta ſint.

Si lex obſtet aduerſario, quin quepartita illius vrgenda affertur ratio.

SI ſcripta lex, inquit, primò tuam iuuet cauſam, iuſtam & optimam eſſe
illam fatearis ac profitearis, & propterea commemores a lege non eſſe
diſcedendum, ſed ſecundùm illam iudicandum: cum ſancitum ſit vt
quod lex definierit id ſtatuatur; non verò conceſſum vt a lege diſceda-
tur. ita quidem Iudex de non peierando (modeſtè tamen) admonebi-
tur; cum, vbi lex rem definiat, Iudici integrum non ſit ab ea ſine iuſiu-
randi offenſione diſcedere. Denique optima mens cui ſe iureiurando obſtinxerit, in I.
præſens alia ratione conſeruari nequeat, niſi ex lege ſententia omnino pronuncietur
ac ſtatuatur. Atque hoc ſanè eſt quod & Periclem & Socratem Iudicibus in memoriã
reuocaſſe legimus; nimirum reputarent ſe idcirco ſedere, vt iudicent non pro arbi-
tratu, ſed ſecundùm legem. Quod Ariſtoteles ab initio ferè confeſſus eſt, cùm diceret
optandum maximè vt lex omnia, quoad eius fieri poſſit, complectatur, nec quid Iu-
dici definiendum relinquatur: ídque ea de cauſa quia lex perturbationi non eſt obno-
xia, Iudex flecti poteſt ac perturbari: addo ego facilè gratia & largitione corrumpi, &
1230 a recto quamlongiſſimè abduci. itaut quamuis magnopere optandum ſit vt Iudici in-
tegrum ſit legis rigorem cum æquitate, æquitatem cum rigore, pro opportunitate
miſcere ac temperare, attamen cum raro illi inſit ſumma illa integritas quæ in eo exi-
gitur, quæque in tali ac tanto munere eſt neceſſaria, præſtat vt lex vna in iudicijs do-
minetur. Secunda ratio & via quam nobis commonſtrat illa eſt: reputandum Iudici II.
legem illam fuiſſe in ea vrbe ſiue in illa Reipublicæ forma ſancitam, quòd illi maximè
conducere videretur, cum legiſlator non tam ſpectet quid bonum ſit atque vtile in
vniuersùm, quàm quid ſigillatim huic conducat Reipublicæ cui leges præſcribit. Hoc
autem videtur Ariſtoteles in memoriam reuocare, vt ne fortè Iudex qui legem illam
non vniuerſim optimam reputaret, atque omnibus accommodatam, mutaret; & ne
communi ac naturali legi, cui obtemperandum ſit, aduerſari exiſtimaret: quicquid
enim ſit, Vrbi ac Politiæ in qua verſatur, accommodata eſt iudicanda. Tertia ratio III.
eſt, leges ferri vt obſeruentur, ac propterea non obſeruari perinde eſſe ac non ferri.
quid enim eſt cur Legiſlator tantopere deſudet in formandis ac ferendis legibus, &
tam longam animi præuiſionem adhibeat ferendæ legi, quam deinde Iudex qui eſt le-
gis adminiſter, eam non obſeruet ac ſequatur? Certè ſatiùs eſſet vt nunquam fuiſſent
conditæ. Quarta neque in alijs artibus committendum aut ferendum vt quod aliquis IV.
vtiliter excogitarit quæque præcepta dederit, alter qui ingenioſus videri cupiat, &
plus quàm author ſapere, ea contemnat ac violet. nam Medico non obtemperare, de-
trimentoſum eſt, ſed Legiſlatori ac legi quibus omnino eſt obediendum, detrimen-
tum affert multò maximum: debemus enim aſſueſcere legibus, ac morem gerere
1231 Principi optimo. Poſtrema eſt turpe eſſe ſapientiorem legibus videri velle, quibus ne-
fas ſit repugnare, præſertim ſi commendentur. At enim quid ſi Iudex non eundem V.
de lege illa ſenſum habeat? aut ſi habeat de illa, alteram (quod tu faciebas) in medium *Dubitatur*
afferat quæ è regione pugnare videatur? Denique leges quoquo verſus flecti ſolent;
itaut facilè ſit vel aduerſario vel Iudici qui interdum alicuius ſupplet vicem, legem
aliquam in contrarium afferre aut interpretari; proindeque cauſam (id quod hoc
tempore vſitatiſſimum eſt, ne dicam turpiſſimum) in controuerſiam perpetuámque
diſcrimen vocare. Huic igitur malo prouidendum fuerat Ariſtoteli, dum ei qui pro
ſe legem haberet, conſuleret. Sed fortaſſe nondum per idem tempus tot ac tanta in *Reſpondetur.*
iudicijs irrepſerant ob leges diſcrimina: præſertim cum legum multitudo minor
eſſet ſatis quàm hoc tempore, fortaſſe etiam id immedicabile cenſuit quòd
Iudicis mens nunquam ſatis ad legis perpendiculum dirigi poteſt,
itaut Iudex quoquo modo ſit legi ſuperior. Hæ ſunt ra-
tiones quibus Ariſtoteles & pro lege diſputat & con-
tra legem, & ideo De legibus, concludit,
hæc explicata ſint. Nunc quid de
teſtibus doceat audia-
mus.

PARTICVLA CCCXIV.

ΠΕρὶ δὲ τῶν μαρτύρων, μάρτυρές εἰσι διπλοῖ. οἱ μὲν, παλαιοὶ, οἱ δὲ πρόσφατοι. καὶ τούτων, οἱ μὲν μετέχοντες τοῦ κινδύνου, οἱ δ᾽ ἐκτός. λέγω δὲ παλαιοὺς, τούς τε ποιητὰς, καὶ ὅσων ἄλλων γνωρίμων εἰσὶ κρίσεις φανεραί. οἷον, ἀθηναῖοι ὁμήρῳ μάρτυρι ἐχρήσαντο περὶ σαλαμῖνος. καὶ τενέδιοι ἔναγχος περιάνδρῳ τῷ κορινθίῳ πρὸς σιγειεῖς. καὶ κλεοφῶν κατὰ κριτίου τοῖς σόλωνος ἐλεγείοις ἐχρήσατο, λέγων, ὅτι πάλαι ἀσελγὴς ἡ οἰκία. οὐ γὰρ ἄν ποτε ἐποίησε σόλων, εἰπεῖν μοι κριτίᾳ πυῤῥότριχι πατρὸς ἀκούειν. περὶ μὲν οὖν τῶν γενομένων, οἱ τοιοῦτοι μάρτυρες. 1232

QVod attinet ad teſtes, eorum ſunt duo genera. Alij quidem ſunt antiqui: alij verò noui. & ex his alij participes periculi, alij extra periculum. Voco antiquos, & Poëtas & alios omnes illuſtres, quorum ſunt iudicia clara, vt Athenienſes Homero teſte vſi ſunt de Salamine, & Tenedij nuper Periandro Corinthio in Sigeenſes, & Cleophon contra Critiam Solonis Elegijs vſus eſt, dicens olim petulantem fuiſſe eius familiam; non enim vnquam ceciniſſet Solon, *Dic flauo Critiæ vt ſtudeat parere parenti*. Ac de præteritis quidem tales ſunt teſtes. Riccob.

TEſtium verò duo ſunt genera: nam alij ſunt antiqui alij noui. nouorum autem partim periculi participes ſunt, partim extra periculum poſiti. Antiquos teſtes voco poetas, & claros authores, viróſque illuſtres, quorum ſunt opera iudicia, vt Athenienſes Homeri teſtimonio de Salamine vſi ſunt. Nuper etiam Tenedij contra Sigienſes Periandri teſtimonio ſunt adiuti. Et Cleophon contra Critiam, Solonis elegijs vſus eſt, dicens, eius familiam iampridem fuiſſe petulantem, neque enim aliter Solon vnquam ceciniſſet; Maioragius.

Dic flauo Critiæ, vt ſtudeat parêre parenti.

Et rerum quidem præteritarum teſtes ſunt huiuſmodi.

De Teſtib. DE teſtibus agit ſecundo loco quos etiam ſecũdo loco propoſuerat. quod igitur pertinet ad teſtes illud primò obſeruandum (inquit) duo eſſe teſtium genera, antiquos alios, alios recentes & nouos: vbi medios prætermittit, opinor, ne minutè rem perſequi videatur: alioquin pro tripartita ſæculorum varietate tripartitum genus teſtium ſtatuendũ erat dum ex tempore æſtimantur. Addit ex teſtibus alios eſſe periculi participes, ſi videlicet mentiri viſi ſint (id quod ſubijci & paulò poſt) alios extra aleam poſitos eſſe & citra periculum: quod ſi non explicat interim quos periculo obnoxios dicat, quos extra periculum poſitos, in progreſſu etiam vix vno verbo indicat, quos dicat obnoxios, illos tamen commodè intelligere poſſis, qui cum mẽdaces inuenti ſint, 1233
puniri poſſint, & infamiam ſubire. Quod ſi interim eos dici velis periculi participes, quos recentes appellauit, extra periculum, quos priſcos dixit: quaſi verò recentes poſſint vel apud alteram litigantium partem offendere aut etiam apud Iudicem ob mendacium aut quoquo modo, dum in viuis degunt, periclitari: priſci extra omnem aleã poſiti ſint; non equidem repugnabo: nam hanc quoque interpretationem admittunt Ariſtotelis verba, græcè præſertim: nam particulæ illæ *οἱ μὲν* optimè ad recentes, illæ verò *οἱ δὲ* rectè ad priſcos referri poſſunt: non enim Græci id habent vt priores ſemper referant, quemadmodum ad ambiguitatem tollendam ſcitè faciunt Latini, ſed miſcent promiſcuè. Et hinc eſt vt non ſatis liceat ſtatuere, num per vocem illam *τούτων* nouos rurſus diuidat, quemadmodum ſentit Maioragius dum vertit, *Nouorum autem partim periculi participes ſunt, partim extra periculum poſiti*; an primos, & ſecundos, priſcos inquam, & nouos: quod ſi etiam vtroſque intelligat, adhuc dubites num hos, aut illos

deſignet prius, tametſi eos, qui mentiri viſi ſint, hos planè dicas periculo cenſeri expoſitos, aberrare nequeas cum id ſubijciat Ariſtoteles. Iam verò quos ſaltem priſcos dicat oſtendit hoc in loco, aítque ſe Poëtas intelligere, & alios probatos Authores, laudatóſque viros, qui ſuum illi iudicium declarauerint paſſim ac probauerint: quibus verbis præter Poëtas, Oratores etiam, Hiſtoricos, Legiſlatores ac Philoſophos ipſos deſignat. Itaque Athenienſes, inquit, Homero teſte vſi ſunt de Salamine contendentes, Tenedij Periandro contra Sigientes, Cleophon Solone contra Critiam: quæ ſanè exempla clariora ſunt apud Authorem, quàm vt indigeant explicatu: etſi eruditi viri multis explicant illa, ſi non ad Ariſtotelis ſententiam dilucidandam, at certè ad rerum, quæ ne morantur, ſeriem vniuerſam hiſtorico more proſequēdam. Tu de Athenienſibus & Megarenſibus, inter quos de Salamine Inſula orta erat contentio, ita ut vtrique hanc ſibi inſulam vindicarent, Plutarchum & Laërtium conſulito in Solonis vita. De Tenedijs item in Periandri vita apud eundem Laërtium legere eſt; etſi qua de re inter illos & Sigienſes orta eſſet diſſenſio, & quale fuerit Periandri Teſtimoniū, & carmen, non aperit. Ariſtoteles etiam reticet, credo quod res tota tunc recens eſſet, ac peruulgata; nam ideo ait, *Nuper* De exemplo denique in quo Cleophon inſimulat
1234 Critiam, Laërtium item conſulas licet in Solone, vbi Elegos huius affert verſus. Ita quidem concludit Ariſtoteles de rebus præteritis tales ſeſe offerre teſtes, & priſcos nimirum & recentes: niſi tamen priſcos tantùm intelligas: nec vniuerſim, ſed circa præterita, quemadmodum exponit Maioragius: atque idcirco fortaſſe de futuris teſtes profert è veſtigio, ſic pergens.

PARTICVLA CCCXV.

Περὶ δὲ τῶν ἐσομένων, καὶ οἱ χρησμολόγοι. οἷον Θεμιστοκλῆς, ὅτι ναυμαχητέον τὸ ξύλινον λέγει τεῖχος. ἔτι καὶ αἱ παροιμίαι, ὥσπερ εἴρηται, μαρτυρία ἐστίν. οἷον, εἴτις συμβουλεύει μὴ ποιεῖσθαι φίλον γέροντα, τούτῳ μαρτυρεῖ ἡ παροιμία. μή ποτ' εὖ ἔρδειν γέροντα. καὶ τὸ τοὺς υἱοὺς ἀναιρεῖν, ὧν καὶ τοὺς πατέρας. νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείποι.

Riccobonus. DE futuris verò, etiam interpretes oraculorum, vt Themiſtocles nauibus pugnandum eſſe, ligneum ſignificare murum. Præterea verò prouerbia, vt dictum eſt, teſtimonia ſunt, vt ſi quis conſulat, ne paretur amicus ſenex, ei atteſtatur prouerbium, ne conferas in ſenem. Et, vt filios tollat, quorum etiam ſuſtulerit parentes: *Stultus qui natos, occiſo patre, relinquit.*

Maioragius. *FVturorum autem etiam vates & augures: vt Themiſtocles, cum, nauali prælio confligendum eſſe, probare vellet, oraculum interpretatus eſt, quod iubebat, vt ſe ligneo muro defenderent. Quin etiam prouerbia ſunt ex eo genere, quod dictum eſt, teſtimonia: vt ſi quis cuipiam ſuadeat, ne ſibi ſenem amicum facere ſtudeat, & hoc vtatur prouerbio; In ſenem ne quod beneficium contuleris: Et ſi quis hortetur quempiam, vt eos filios tollat, quorum patres iam necarit, illud proferat,* Stultus qui natos, occiſo patre, relinquit.

AT verò de futuris (inquit) ſeſe offerunt etiam vates, ſiue Oraculorum interpretes, inter quos Themiſtocles tibi occurrat, qui, cum oraculū reſpondiſſet ligneis muris certandum, claſſem deſignari vaticinatus
1235 eſt: de qua re Herodotus & Thucydides copioſè. Hîc verò caue putes hos vnos rerum futurarum teſtes iudicari ab Ariſtotele, nam ſi oraculorum interpretes excipit, multò magis oracula ipſa admittat, aruſpices, vates, quod facit M. Tullius, Sacerdotes, & ſi qui huiuſmodi: fortaſſe etiam prudentum reſponſa & iudicia non cōtemnat, atque illorum qui experientiſſimi ſunt rerum: quin artium periti veluti teſtes adhibēdi eſſent: cuique enim in ſua credendum arte,

arte, ſi verè peritus ſit: & hos tacitè omnes facilè indicauit Ariſtoteles verbis illis, etiã interpretes oraculorum, quaſi verò alij etiam eſſent, de quibus minùs eſſet dubitandum. Et tamen rectiùs fortaſſe dicas ſubieciſſe Ariſtotelem de futuris, etiam oraculorum interpretes eſſe teſtes, vt intelligeremus de futuris præter eos, quos commemorauerat, qualis fuit Homerus, Periander, & Solon, interpretes quoque oraculorum afferri poſſe. Atque hîc etiam obſerua verbis illis, *De futuris verò*, tacitè ab Ariſtotele proferri, non dico aliud quoddam teſtium genus, quemadmodum interpretantur aliqui, ſed res futuras proferri, quæ præteritis opponantur, & quarum tum ijdem illi, de quibus mentionem fecerat, teſtes ſint, tum alij: vel certè & res diſtinguantur in præteritas & futuras, & ſuperioribus teſtibus adiungantur alij. Sed & prouerbia teſtimonij obtinent locum: quam rem illuſtrat exemplis, quæ ſunt perſpicua & verò ſcita; inter hæc tamen poſtremum, quod carmine illo continetur. *Stultus qui natos, occiſo patre, relinquis*, impium videri poteſt, & Homero qui in alijs multis peccauit nõ indignum, ipſe enim cecinit, Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει.
Atque inde hauſit Philippus Alexandri pater, qui & carmen in ore frequenter habebat, & per ſæuitiam cæde ipſa compleuit ſæpè; tametſi non negarim ad Rempublicam a Tyranno tuendam expedire, filios etiam ſi non trucidare, at certè arctiſſimè comprimere: nam ex malo coruo improbi pulli, quinque aliquando tyrannidem inſtaurare non ſibi turpe ducant. Et conſimili de cauſa iuſſus eſt Hebræus populus interdum vel mingentem ad parietem enecare: vſque adeo Idololatriæ radices extirpandæ ſunt.

PARTICVLA CCCXVI.

Πρόσφατοι δ' ὅσοι γνώριμοι, καὶ κεκρίκασί τι. χρήσιμοι γὰρ, καὶ αἱ τούτων κρίσεις τοῖς περὶ τῶν αὐτῶν ἀμφισβητοῦσιν. οἷον, Εὔβουλος ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἐχρήσατο κατὰ Χάρητος, ὃ Πλάτων εἶπε πρὸς Ἀρχίβιον, ὅτι ἐπιδέδωκεν ἐν τῇ πόλει τὸ ὁμολογεῖν πονηροὺς εἶναι. καὶ οἱ μετέχοντες τοῦ κινδύνου ἂν δόξωσι ψεύδεσθαι. οἱ μὲν οὖν τοιοῦτοι τῶν τοιούτων μάρτυρές εἰσι, γέγονεν, ἢ μή. ἔστιν, ἢ μή.

NOui verò ſunt, quicunque illuſtres etiam aliquid iudicarunt. Vtilia enim ſunt etiam horum iudicia ijs, qui de ijſdem rebus controuerſantur, vt Eubulus in iudicijs vſus eſt contra Charetem eo, quod Plato dixit aduerſus Archibium, quòd increbuit in ciuitate, & fateantur ſe improbos eſſe. Et participes periculi ſunt, ſi viſi fuerint falſum dicere. Ac tales quidem de talibus teſtes ſunt, 1236
factum ſit, nec ne, ſit nec ne.

Riccob.

NOui autem teſtes ſunt, qui, cum noti, illuſtréſque ſint, iam de aliqua re indicium fecerunt, nam horum iudicia ſunt eis vtilia, qui de ijſdem rebus ambigunt. Vt Eubulus in iudicijs contra Charetem vſus eſt eo, quod aduerſus Archibium Plato dixerat, rem hanc increbeſcere, pluréſque eſſe in ciuitate, qui ſe improbos eſſe fateantur. Noui etiam teſtes ſunt, qui periculi participes fiunt, ſi mentiri viſi fuerint. Atque huiuſmodi teſtes tantùm illud teſtatur; factum fuerit; nec ne, ſit, an non ſit.

Maiora gius.

REdit ad primam teſtium diuiſionem, vel potiùs in eadem perſiſtit, ac membrum declarat alterum, vt quoniam de antiquis dixit, de recẽtibus quoque dicat ac nouis. Videtur autem nouos teſtes non omnes appellare, aut admittere, ſed eos maximè, vel potius vnos, qui noti, illuſtréſque ſint, ac digni cenſeantur qui in propoſita controuerſia iudicium ac teſtificationem interponant, aut etiam antea in re non diſſimili interpoſuerint: quam rem plano etiam illuſtrat exemplo Eubuli, qui vno Platonis dicto, ſiue

exemplo

exemplo vſus eſt. At enim quoniam de priſcis, & recentibus teſtibus dixiſti, qui ſanè ad primam diuiſionem pertinebant, quæſo te de ijs quoque dicas quos in ſecunda diuiſione periculi expertes, aut periculo obnoxios appellaſti, alioquin temerè huius partitionem videri poſſis attuliſſe. De obnoxijs ſe le explicat, atque illos eſſe dicit, qui viſi fuerint non ſine mendacio teſtimonium dixiſſe: de quibus nihil præterea, ita ut prætereat non obnoxiôs: res tamen per ſe eſt non obſcura, cum priſcos intelligat, quique iamdiu è viuis deceſſerint; monet verò horum teſtium partes eſſe, illud tantùm teſtari, num res facta fuerit, nec ne, ſiue an ſit, vel non ſit. Id quod in primo capite affirmauerat, dum diceret Iudicis eſſe quid factum, aut non factum, quid verum, aut non verum a litigatoribus diſcere: quid iuſtum aut iniuſtum per ſe Iuriſprudentiæ, ac legum vſu & præſidijs adiutum dignoſcere. Sed de hac re in ſequenti Particula copioſiùs.

PARTICVLA CCCXVII.

1337 Περὶ δὲ τοῦ ποιοῦ, οὐ μάρτυρες. οἷον, εἰ δίκαιον, ἢ συμφέρον ἢ ἀσύμφορον. Οἱ δ' ἄπωθεν καὶ περὶ τοῦ πιςότατοι. Πιςότατοι. δ' οἱ παλαιοί· ἀδιάφθοροι γάρ. Πιςώματα δὲ παρὰ μαρτυριῶν. Μάρτυρας μὲν μὴ ἔχοντι, ὅτι ἐκ τῶν εἰκότων δεῖ κρίνειν: καὶ τοῦτ' ἐςὶ τὸ γνώμῃ τῇ ἀρίςῃ. Καὶ ὅτι οὐκ ἔςιν ἐξαπατῆσαι τὰ εἰκότα ἐπ' ἀργυρίῳ. Καὶ ὅτι οὐχ ἁλίσκεται ψευδομαρτυριῶν τὰ εἰκότα.

Riccobonus. DE qualitate verò non ſunt teſtes, vt Iuſtúmne, an Iniuſtum, Vtile, an inutile. Qui verò longinqui ſunt, etiam de his fide digniſſimi ſunt. Nam digniſſimi fide ſunt antiqui, quia incorrupti. Certa enim fides eſt a teſtimonijs. Teſtes quidem non habenti illud ſeruit, quòd ex veriſimilibus oportet iudicare, & id ſignificat, mente optima eſſe. Et quod non licet corrumpere veriſimilia argento. Et quòd non arguuntur falſorum teſtimoniorum veriſimilia.

Maior. *DE qualitate verò nihil dicunt; vt ſi iuſtum an iniuſtum ſit, vtile an inutile. Qui autem remoti ſunt, etiam de his maximè ſunt idonei teſtes. Sed omnium maximè fide digni ſunt antiqui; quia corrumpi non poſſunt & probationes ab eorum teſtimonijs ducuntur. Quod ſi quis teſtes non habeat, poterit dicere, iudicium ex argumentis fieri debere; & hoc eſſe æquiſſima ſententia iudicare: neque enim argumenta pecunijs deprauari poſſunt; neque coargui ſolent, quod mentiantur, aut fallant.*

DIxerat teſtes illos teſtificari debere num id de quo quæritur, factum ſit nec ne, aut ſit necne. Statim igitur quæri potuiſſet num eorundem ſit teſtificari iuſtúmne ſit an iniuſtum, vtile, vel inutile, & in vniuersùm quale quale ſit. Ait igitur de qualitate iſtos non eſſe teſtes, vt an aliquid ſit iuſtum, vel iniuſtum, vtile, vel inutile. Sed tamen οἱ ἄπωθεν, ſubdit Ariſtoteles; hoc eſt qui remoti ſint (tempore ſcilicet vt docebo) digniſſimi ſunt quibus de ijs etiam, hoc eſt de iuſto & iniuſto de vtili & inutili, fides
1338 habeatur. Sed cur obſecro? exponit id ſtatim. Nam veteres (atque hinc conſtat remotos ac diſſitos tempore planè intellexiſſe) corrumpi non poſſunt nec prece flecti aut precio. Ex quo fit vt quoniam in teſtimonijs authoritas maximè fidéſque requiritur, iſti, quippe qui corrumpi non poſſunt, fidem maximè mereantur. Ita quidem remoti iſti teſtes & antiqui erunt Poëtæ de quibus mentionem fecit, illuſtréſque doctrina & authoritate viri, qualis item fuit Periander, Solon, Plato, Themiſtocles & huiuſmodi alij: prouerbia etiam valebunt plurimùm quæ inter teſtes numerata ſunt: denique ea omnia vnde præiudicia afferri poſſint. quo fit vt ſi a Iudicibus aliquando ſiue a Senatu eâdem de re, aut ſimili, aliquid fuerit conſtitutum aut pronunciatum, id in optimi teſtis loco haberi & poſſit & debeat. Sic M. Tullius in oratione pro Cluentio docet

duobus

duobus præiudicijs, in Scamandrum vno, altero in Fabricium, oppianicum veneficij conuictum eſſe, Quanquam ea præiudicia non ſunt reticenda quibus præiudicia ipſa deturpantur & euertuntur a M. Tullio in Oratione pro lege Manilia. Itaque cũ obijceret Catulus nihil noui ſtatuendum contra exempla inſtitutáque Maiorum, Cicero e contrario, *Non dico* (inquit) *Maiores noſtros* ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati, paruiſſe: ſemper ad nouos caſus temporum, nouorum conſiliorum rationes accommodaſſe: non dicam duo bella maxima, Punicum, & Hiſpanienſe ab vno Imperatore eſſe confecta; duas vrbes potentiſſimas, quæ huic Imperio maximè minabantur; Carthaginem, atque Numantiam ab eodem Scipione eſſe deletas: non commemorabo, nuper ita vobis patribúſque veſtris eſſe viſum, vt in vno C. Mario ſpes imperij poneretur, vt idem cum Iugurtha, idem cum Cymbris, idem cum Theutonis bellum adminiſtraret: in ipſo Cn. Pompeio, in quo noui conſtitui nihil vult Q. Catulus: quàm multa ſint noua, ſummáque Catuli voluntate conſtituta, recordamini. quid tam nouum, quàm adoleſcentulum priuatum, exercitum difficili Reipublicæ tempore conficere? confecit; huic præeſſe? præfuit, rem optimè ductu ſuo gerere? geſſit. quid tam præter conſuetudinem, quàm homini per adoleſcenti, cuius a Senatorio gradu ætas longè abeſſet, imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Aphricam, bellúmque in ea adminiſtrandum? fuit in his prouincijs ſingulari innocentia, grauitate, virtute: bellum in Aphrica maximũ confecit, victorem exercitum deportauit. Quid verò tam inauditum, quàm equitem Romanum triumphare? At eam quoque rem populus Romanus non modò vidit, ſed omni ſtudio viſendam putauit. quid tam inuſitatum, quàm vt cum duo conſules clariſſimi, fortiſſimíque eſſent; eques Romanus ad bellum maximum, formidoloſiſſimúmque pro Conſule mitteretur? miſſus eſt; quo quidem tempore, cum eſſet non nemo in Senatu, qui diceret, nõ oportere mitti hominem priuatum pro Conſule: L. Philippus dixiſſe dicitur, non ſe illum ſua ſententia pro conſule ſed pro conſulibus *mittere*. Sic Princeps Oratorum Cicero. Et huc pertinet quod ſubdit paulò poſt, *Quid tam* ſingulare, quàm vt ex Senatuſconſulto legibus ſolutus, conſul ante fieret, quàm vllum alium Magiſtratũ, per leges capere licuiſſet? Quid tam incredibile quàm vt iterum eques Romanus ex S.C. triumpharet? Quæ in omnibus hominibus noua, poſt hominum memoriam cõſtituta ſunt, & tam multa non ſunt quàm hæc quæ in hoc vno homine *vidimus*, Sic rurſus Cicero. Ita quidem res anteactæ & conſtitutæ, quoniam nec odio mouentur nec gratia nec prece rurſus nec precio, digniſſimæ ſunt quibus habeatur fides. 1239

At enim quid ſi quis teſtes non habeat? rationem quoque affert Ariſtoteles vnde quis teſtium inopiam ſarcire poſſit. Ergo contendat iudicium argumentis ſeu veriſimilibus rationibus (id enim valent *εἰκότα*) fieri debere: ídque eſſe quod dicitur mente optima iudicare: quis enim mente optima ferat ſententiam qui rationes non anteponat teſtibus? ſanè veriſimiles rationes non argento corrumpuntur aut gratia flectuntur quemadmodum teſtes: neque rurſus argumenta coarguuntur falſitatis, quaſi verò mentita ſint aliquando, quemadmodum teſtes qui mentiuntur ſæpè & conuincuntur. Quam rem egregiè proſequitur M. Tullius in Partitionibus, Impugnanti teſtes vnus locus eſt vt dicatur de toto genere teſtium quàm id ſit infirmum; & argumenta rerum eſſe propria: teſtimonia voluntatum: & retinentur exempla quibus teſtibus creditum non ſit. Alter vt dicatur de ſingulis teſtibus; ſi natura vani, ſi leues, ſi ignominia, ſi ſpe, ſi metu, ſi iracundia impulſi, ſi præmio, ſi gratia adducti: comparentúrque ſuperiore cum authoritate teſtium quibus tamen creditũ nõ ſit. Sic Cicero. Atque hoc eſt quod item docet Author ad Herrennium; maiorem ſignis & argumentis fidem eſſe habendam quàm teſtibus, cum ea rem prout geſta eſt, indicent: teſtes precio, gratia, metu, odio & ſimultate poſſint deprauari. Itaque egregiè M. Tullius in Oratione pro Cælio, Equidem vos abducam a teſtibus; neque huius iudicii veritatem quæ mutari nullo modo poteſt, in voluntate teſtium collocari ſinam, quæ facillimè effingi nullo negocio flecti ac detorqueri poteſt: argumentis, ſignis omni luce clarioribus crimina refellemus. Sic Cicero; qui quo artificio deinde hoc faciat digniſſimus eſt qui obſeruetur. 1240

PAR.

PARTICVLA CCCXVIII.

Ἔχοντι δὲ, πρὸς μὴ ἔχοντα ὅτι οὐχ ὑπόδικα τὰ εἰκότα. Καὶ ὅτι οὐδὲν ἂν ἔδει μαρτυριῶν, εἰ ἐκ τῶν λόγων ἱκανὸν ἦν θεωρῆσαι.

Riccob. HAbenti verò contra non habentem quòd ſubiecta iudicio non ſunt veriſimilia. Et quòd nihil opus eſſet teſtimonijs ſi rationibus ſatis eſſet rem perſpicere.

Maioragius. *QVi teſtes habet contra eum qui non habet, dicet argumenta nequaquam pœnæ ſubiecta eſſe, nihilque opus fore teſtimonijs ſi ad probandum verba ſufficerent.*

DIxit de teſtibus vniuerſim priùs, tum cõtra teſtes pro rationibus, nunc
1241 pro teſtibus contra rationes, quas item labefactat, ídque duobus, ac
ſanè percommodis, argumentis: primum eſt argumenta iudiciorũ
metu non teneri, quaſi dicat hinc fieri vt ſigna & coniecturæ quibus
continentur argumenta, vagentur liberiùs ac rendetorqueant temporíque
ſeruiant veriùs quàm veritati: quod ſanè haud facerent ſi eſſent ὑπόδικα, & in iudicium rapi poſſent quemadmodum cõtingit teſtibus; itaut cum impunè mentiantur, nihil non audeant. Alterum eſt quia ſi argumentis rerum veritas omnium dignoſci poſſet, ſuperfluus eſſet teſtium vſus; quaſi diceret prudentium iudicum authoritate ac legum in more poſitum eſſe vt teſtes adhiberentur cauſis ac diligenter audirentur, nimirum quia intelligerent minorem eſſe argumentorum vim quàm vt ex illis præſertim vnis, intelligi poſſet veritas: ac propterea perſonis magis quàm verbis fidem habendam, imò illis omnino habendam, ijs non facilè. Hæc ratio altera. Eodem modo, *Producenti teſtes* (inquit M. Tullius) *primus locus eſt vt genus ipſum laudetur, dicatúrque ne argumentis teneretur reus, ipſum ſua cautione feciſſe, teſtes effugere non potuiſſe. Alter locus vt ſinguli laudentur: vt dicatur argumento firmo, quia tamen ſæpè falſum eſt, poſſe rectè non credi: viro bono & firmo ſine vitio iudicis non poſſe non credi*. Hæc pro teſtibus Cicero, quæ, etſi nonnihil a Ciceronibus rationibus videantur variare, in idem tamen recidunt vt fidem argumentis abrogent, concilient teſtibus. Et quoniam preſsè teſtium vim ornat Ariſtoteles, Cicero autem omnino iubet ornari teſtes ac laudari, illud meminiſſe oportet, commemorandam eſſe Patriæ dignitatem, ſi ex nobili Patria ortus ſit noſter teſtis & præclara: familiæ quoque (ſi poſſit) nobilitas ac ſplendor: vt breuiter efficiamus non eſſe vllo
1242 modo putandum virum hunc Patriæ ac familiæ Maiorúmque ſuorum ſplendorem ac dignitatem obſcurare & dedocarare voluiſſe turpiter mentiendo ac Iuſiurandum violando: eodémque modo vrgebis quoad eius fieri poſſit & commemorabis eius diuitias, famam & exiſtimationem; itaut nec pecunia corrumpi debuerit, nec prece id quod multo magis aſſequeris ſi alios quoque teſtes probare poſſis idem confirmare. Quòd ſi docere poſſis hos nec affinitate nec amicitia cum ijs eſſe coniunctos pro quibus dixerunt teſtimonium, maius huic pondus adiunges: idem dixerim ſi demonſtraueris ijs contra quos dixit, non eſſe inimicos aut infenſos, nec æmulationem vllam inter illos intercedere, itaut odio planè omni vacui ſint: quod ſi oſtendere poſſis eorundem eſſe amicos aut affines, firmiſſimum eorum euadat teſtimonium.

PARTICVLA CCCXIX.

Εἰσὶ δὲ αἱ μαρτυρίαι, αἱ μὲν περὶ αὐτοῦ· αἱ δὲ, περὶ τοῦ ἀμφισβητοῦντος· καὶ αἱ μὲν περὶ τοῦ πράγματος· αἱ δὲ, περὶ τοῦ ἤθους. Ὥστε φανερὸν, ὅτι οὐδέποτέ ἐστιν ἀπορῆσαι μαρτυρίας χρησίμης. Εἰ μὴ γὰρ κατὰ τοῦ πράγματος, ἢ αὐτῷ ὁμολογουμένης, ἢ τῷ ἀμφισβητοῦντι ἐναντίας, ἀλλὰ περὶ τοῦ ἤθους, ἢ αὐτοῦ εἰς ἐπιείκειαν, ἢ τοῦ ἀμφισβητοῦντος εἰς φαυλότητα. Τὰ δ' ἄλλα περὶ μάρτυρος, ἢ φίλου, ἢ ἐχθροῦ, ἢ μεταξὺ ἢ εὐδοκιμοῦντος, ἢ ἀδοξοῦντος, ἢ μεταξύ· καὶ ὅσαι ἄλλαι τοιαῦται διαφοραὶ, ἐκ τῶν αὐτῶν τόπων λεκτέον, ἐξ ὧνπερ καὶ τὰ ἐνθυμήματα λέγομεν.

SVnt autem teſtimonia partim de ipſo, partim de aduerſario. Et alia quidem de facto, alia verò de moribus. Quare apparet, nunquam fore, vt careamus teſtimonio vtili: quia ſi non adſit de re, quod aut ſibi faueat, aut controuerſanti aduerſetur, at de moribus ipſius aderit ad oſtendendam probitatem vel controuerſantis ad improbitatem. Alia verò de teſte aut amico, aut inimico, aut medio, aut probato, aut infami, aut medio, & quæcunque aliæ eiuſmodi differentiæ, ex iiſdem locis ducendæ ſunt, ex quibus etiam enthymemata ducimus. *Riccobonus.*

SVnt autem teſtimonia vel de ſe ipſo, vel de aduerſario, vel de facto, vel de vita ac moribus. itaque perſpicuum eſt nunquam fore vt teſtimonio vtili careamus. nam ſi de facto teſtimonium habere non poſſumus, quod aut cauſam noſtram confirmet, aut aduerſarij refellat; certè de moribus non deerit teſtimonium, quod vel æquitatem noſtram oſtendat vel improbitatem aduerſarij. Reliqua verò quæ de teſte quæri ſolent, amicus ſit an inimicus an neutrum & ſpectatæ fidei an infamis an medius; & quæcunque ſunt eius generis differentiæ ex eiſdem locis ſumuntur vnde etiam enthymemata ducuntur. *Maior.* 1243

QVatuor ſubiungit teſtium diuiſiones: ex quibus duæ priores apertæ ſunt ſatis & perſpicuæ. Has verò ſe ea de cauſa proferre ait Ariſtoteles, vt ne ei bene gerendæ occaſio deſit Oratori vt ſiue pro teſtibus dicat ſiue contra teſtes, ſuam cauſam ſtrenuè agere poſſit. Etenim ſi de re ipſa non ſuppetant teſtimonia quibus aut ſententiam noſtram confirmemus aut aduerſariam refellamus, at certè de moribus teſtiũ dicere licebit vnde aduerſarij ſententia labefactetur ac noſtra iuuetur & confirmetur. Iuuetur, ſi optimis moribus noſtros teſtes eſſe probemus, labefactetur, ſi improbos mores affingamus aduerſarijs. Et ſanè ampliſſimus eſt hic campus, & in quo vtiliter verſetur oratio; idque non modò vt iudicem doceas, verùm etiam vt eius animum permiſceas, ac ſummatim tibi concilies, in aduerſarium irrites. Duæ verò diuiſiones reliquæ ſunt item perſpicuæ in Ariſtotele, dum teſtem amicum, vel inimicum aut inter hos interiectum facit, quod pertinet ad tertiam; ſiue probatum ſiue infamem, ſiue mediũ conſtituit teſtem, vnde quarta conſtituitur diuiſio. Quanquam non eſt quod inficiemur poſſe alias teſtium excogitari & obſeruari differentias, quæ non inutiliter proferãtur vt ſunt pauperes vel diuites, nobiles vel ignobiles & huiuſmodi alij quos paulò ante nos ex parte attigimus. Ariſtoteles tamen, ne longũ faciat, hæ (inquit) differentiæ omnes & partitiones ex iiſdem locis ducendæ ſunt ex quibus etiam enthymemata ducimus: ita quidem ad pacta progreditur. Hîc igitur declarandum eſſet, ac propterea diſceptandum proponimus, qui ſint loci ex quibus tum de amicis inimiciſve teſtibus aut neutris tum rurſus de probatis ac ſpectatæ fidei aut infamibus, mediiſve, erudiamur, quique item ſint ex quibus de alijs teſtiũ, quas reticet, differẽtijs & partitionibus inſtruamur (ad hos enim locos nos reijcit Ariſtoteles) & qua tandẽ ratione ex iſtiuſ- 1244

CONTROVERSIA LXXVIII Quos dicat Ariſtoteles enthymematum, ad quæ nos reijcit locos.

modi locis de tota hac rerum varietate doceamur. Maioragius itaque, & Riccobo-
nus ſilent: Brocardus quem ſecutus eſt Victorius vno atque altero verbo explicant, ſi
tamen explicant. *Ex ijs locis ſumentur* (inquit) *ex quibus ad fidem faciendam, vt aliquid eſſe
aut non eſſe demonſtretur, argumenta premuntur*. Alter verò *ex iiſdem locis ſumenda ſunt vnde
enthymemata duci oſtendimus, cum quidpiam eſſe aut non eſſe probare volumus*. Sed vereor vt
ijs fidem adiungam: nam teſtem eſſe amicum, vel inimicum, probatæ aut malæ fidei,
& cætera illa quæ memorat Ariſtoteles, pertinent ad qualitatem & idcirco etiam dif-
ferentiarum ea complectitur nomine, cum iſti non ad locos qualitatis confugiant, ſed
quibus aliquid eſſe aut non eſſe demonſtratur. An igitur intelligit locos enthyme-
matum in vniuersùm ſiue proprios velis ſingulorum generum, ſiue communes? ni-
hil enim prohibet quominùs ex immenſa illa locorum veluti ſilua in quibus omnige-
na latent argumenta, ea quoque deriuentur quæ pertinent ad qualitatem, ac propte-
rea occaſionem ſuppeditẽt vnde de amico aut inimico teſte dicas aut huiuſmodi alijs
quos hiſce differentijs variat Ariſtoteles. profectò argumenta quæ ducuntur a coniu-
gatis a ſimilitudine & diſſimilitudine, ab effectu, in primis verò ab adiunctis, plurimũ
valeant neceſſe eſt. Ipſe tamen quantumuis iſthinc crediderim poſſe nos haurire mul-
ta; hæreo quia (quemadmodum docebo paulò poſt) verba quibus interim vtitur Ari-
ſtoteles, videntur nos ad ea quæ hactenus docuit, reuocare, non ad communes locos
de quibus dicturus eſt multò poſt. Suſpicor igitur Ariſtotelem ex ijs ipſis locis ex qui-
bus hactenus nobis ſuppeditauit argumenta in tripartito cauſarum genere, hæc quo-
que velle & diſci & deriuari; idque ea maximè de cauſa quia de bonis & malis, de vitio
& virtute, de vtili & inutili, de honeſtate inſuper & turpitudine copioſiùs diſputauit
quàm vt non ſe ſe apetiat campus, vndè teſtium bonitas & malitia, virtus & vitium,
probitas denique & improbitas, non ſpectari poſſit aut colligi: & hoc eſt quod Ariſto-
1245 teles ſignificare videtur dum iſthæc ait ex ijs haurienda eſſe ex quibus colligebat en-
thymemata: enthymemata verò colligebat vel ſumenda eſſe proponebat ex ijs quæ de
bonis & huiuſmodi alijs diſputauerat. Hi erunt enthymematum loci, niſi tamen con-
tendas iſthæc ex ijs tantùm locis haurienda, quæ Iudiciali generi nuper præſcripſit:
dum enim & cauſam iniuriarum & iniurioſorum hominum mores, & eorum qui in-
iuria afficiuntur conditiones, exploraret, atque hæc omnia cupiditatibus in primis, ſeu
vitioſitate & incontinentia metiretur, ſimúlque de iucundis ac moleſtis ageret vnde
illi excitari ſolent, vereor ne hinc potiùs ea quæ de teſtibus comprehenſim ferè attin-
git diſcrimina, duci iubeat: quod tamen quoniam iſthæc preſsè attigit, nec tam deſcri-
bere & explicare quàm more ſuo adumbrare viſus eſt, diligentem a nobis requireret
induſtriam. Sed fortaſſe tutius ſit affirmare eos ipſos locos deſignari qui nobis conſu-
lendi ſunt & obſeruandi in hac ipſa teſtium tractatione; itaut quos locos modò nobis
obijciebat pro confirmandis aut infirmandis teſtibus; qui loci ex eorum probitate,
improbitate, moribus & (vt ſemel dicam) qualitate ducuntur; hi ipſi ſint ad quos cõ-
fugere debeamus vt doceamus rurſus num amici aut inimici cẽſendi ſint & id genus
alia. Sed vt ſit, voluntaria ac liberior mihi videri ſolet hac in re Sueſſani explicatio,
De huiuſmodi teſtium differentijs, ex ijs locis quærendum (inquit iſte) *ex quibus enthymemata
etiam ipſa colligimus; dico enthymemata quæ fiunt in genere Demonſtratiuo: nam ex illis poſſumus
probare vel improbare teſtes: non enim teſtes valent niſi fuerint probati atque viri boni*. Sic iſte.
& tamen cum interim Ariſtoteles affirmet ſe hoc in loco agere de teſtibus & huiuſ-
modi alijs quia in Iudiciale tantùm genus cadunt, quid eſt quod ad teſtes Demonſtra-
tiui generis reijciamur? Deniquè facile fuit affirmare prouocari ab Ariſtotele ad enthy
memata generis Demonſtratiui, ſed difficile eſt quod probetur; præſertim quia genus
1246 Demonſtratiuum narratione in primis gaudet rerum geſtarum & amplificatione ex-
tenuationéque, nõ facilè enthymematis. Vt omittam dicendum fuiſſe qua ratione ex
Demonſtratiui generis enthymematis colligere liceat teſtium qualitatem. Nam de
Germano interprete qui in Diſputatione de Affectibus collocari videtur locos iſtos
atque ad hos reijci nos exiſtimat, nihil attinet dicere, tum quia ad locos enthymematũ
ablegat nos Ariſtoteles, non ad affectuum, quos planè enthymematis opponit, tracta-
tionem: tum quia illud *enthymemata ſumimus ſeu deriuamus*, refellunt ſententiam iſtam.
Verba Germani Interpretis hæc ſunt. *Explicato vſu teſtium, iam quomodo refellantur aut
probentur monet: ſed eam rationem ex ijs locis petendam dicit, ex quibus enthymemata eruuntur*.

Vt ſi amicus teſtis ſit aduerſarij, ex locis enthymematum de affectibus cognoſcimus amorem cacũ eſſe qui verè pro amicis aduerſus inimicos non iudicet. Hinc quoque in domeſticis teſtibus tanquam ſuſpectis, teſtimonij fides legibus improbatur, quò referatur illud Prouerbium *ἴκοθεν μάρτυρ; domeſticus teſtis*. Sic ille. Qui ſi fortè tales locos non in Diſputatione de affectibus collocet, ſed in ijs qui pro tripartito genere cauſæ allati ſunt (nam paulò poſt ad Deliberatiui generis nos amandat locos quoſdam) atque affectuum locos quoſdam intelligat, ſane rogandus erat vt hos commonſtraret. Itaque crediderim omnino ex hac ipſa teſtium tractatione ea eſſe colligenda, vbi ſignificatur, etſi breuiſſimè, quid pro teſtibus aut cõtra teſtes dicendum ſit, & hoc ipſum indicat Ariſtoteles dum ait. *Ex iiſdem locis iſthæc ducenda ſunt ex quibus etiam enthymemata λέγομεν, ſumimus ſeu potiùs ducimus:* quibus verbis videtur omnino hanc ipſam teſtium tractationem indicare, & quæ iam tum de teſtibus diſputabat. Itaque tum demum (vt ad alteram dubitationis partem deueniam) licebit nobis obſeruare quî ex iſtis locis quos deſignat tantùm & adumbrat, liceat erudiri de tota ratione qua de iſtiuſmodi teſtibus agere valeamus, cum accuratè 1247
locos illos explorauerimus, & æſtimauerimus (id quod nos ſuo loco fecimus) quibus teſtes refelluntur aut comprobantur.

PARTICVLA CCCXX.

Περὶ δὲ τῶν συνθηκῶν, τοσαύτη τοῦ λόγου χρῆσίς ἐστιν, ὅσον αὔξειν, ἢ καθαιρεῖν, ἢ πιστὰς ποιεῖν, ἢ ἀπίστους: ἂν μὲν αὐτῷ ὑπάρχωσι, πιστὰς καὶ κυρίας: ἐπὶ δὲ τοῦ ἀμφισβητοῦντος. Πρὸς μὲν οὖν τὸ πιστὰς, ἢ ἀπίστους κατασκευάζειν, οὐδὲν διαφέρει τῆς περὶ τοὺς μάρτυρας πραγματείας. ὁποῖοι γὰρ ἄντινες ὦσιν οἱ ἐπιγεγραμμένοι, ἢ φυλάττοντες, τούτοις αἱ συνθῆκαι πισταί εἰσιν,

DE pactis eatenus orationis vſus eſt, quatenus ea auget, aut diminuit, aut fide digna efficit, aut indigna. Si pro ſe faciant, fide digna, & rata, ſi pro aduerſario, contra. Atque ad ea quidem fide digna, aut indigna reddenda, res nihil differt a teſtium tractatione. Quales enim ſint, qui inſcripti ſunt, aut qui aſſeruant, his pacta fide digna ſunt. Riccobonus.

QVod ad tabulas attinet quibus pacta & conuenta continentur, nulla alia oratione opus eſt, niſi vt eos Orator augeat, aut deprimat, fidem eis addat, aut adimat. nam ſi pro ſe faciunt, illis fidem addere, ratáſque facere, ſi pro aduerſario, fidem adimere contendat. Quod autem ad fidem eis addendam, aut adimendam ſpectat, nihil differt a teſtium tractatione, quales enim ij fuerint, qui tabulas ſcripſerint, aut aſſeruarint, talem etiam fidem habebunt. Maioragius.

De Pactis. EGit de Legibus ac teſtibus, nunc περὶ συνθηκῶν ſeu de pactis verba facit. συνθήκας verò quæ nos Græcorum exemplo multitudinis numero plerunque gaudentes, pacta appellamus (etſi pactum non aſpernamus: quemadmodum nec illi συνθήκην) non ita perſpicuam habent ſignificationem, quin ea præſtet antea dilucidare: præſertim quia rem breuius attingit Ariſtoteles quàm vt nõ aliquid nobis erecet ambiguitatis. Nam 1248
CONTROVERSIA LXXIX. NVM Pactis ſyngraphas cõprehenderit ac teſtamẽta. vbi obſecro ſyngraphæ, quas inter haſce partes commemorauit ab initio? vbi teſtamẽta quæ inter eaſdem partes ferè obtinent principatum? Ergo (vt initium ducã) quemadmodum pollicitatio eſt vnius offerentis promiſſio, ita pactum eſt mutua duorũ vel aliquorũ contrahentiũ conſenſio: quod ſi huiuſmodi conſenſus ſtipuletur & ſcriptis mandetur ac tabulis conſignetur, pactũ vndique ratũ exiſtit, ac propterea ſtipulatione accedente pactum conuentum appellari ſolet. Ita fit vt quò elatiore & ſolidiore ſtipulatione munitum fuerit, eò magis ac magis robur accipiat: & hoc eſt quod ait Ariſtoteles, quales ij fuerint qui obſignarunt aut cuſtodiunt ſcriptionem continentem pacta, talis erit de ipſa ſcriptione opinio ac fides. Quanquam obſeruandum quoque eſt interdum a latinis pacta ipſa tabulas appellari, ea nimirum de cauſa quòd pacta tabulis conſignentur & aſſeruentur: quo fit vt & publicæ

tabulæ

tabulæ & priuatæ inde exiſtant; prout vel publici tabellionis vel priuati hominis ſcri-
ptione continentur: quæ priuatæ ſcriptiones vel teſtibus muniuntur, vel ſine teſtibus
conficiuntur: & huc etiam reuocantur fœdera quæ etſi plerunque publicè, clam ta-
men interdum & priuatim obiri ſolent. Atque hæc omnia comprehendit Ariſtote-
les *τῶν συνθηκῶν* nomine. Nam teſtamenta quæ ijs cõprehenduntur a Maioragio, nec
ſemel ad pacta reuocantur, mihi quidem videntur ab Ariſtotelis ſententia longè alie-
na. Etſi enim conceſſerim tabulis teſtamenta quoque a latinis deſignari, non tamen
conceſſerim pactis teſtamenta comprehendi: denique pacta a nobis tabularum nomi-
ne eleganter deſignantur quidem quod tabulis mandari ſoleant, non tamen quicquid
mandetur tabulis id oppidò *τῶν συνθηκῶν* pactorum concludatur nomine, cum tabulæ
latiùs manent quàm ſiue pacta ſiue teſtamenta ac propterea hæc cenſeri poſſint tabu-
1149 larum ſpecies quædam & formæ. At enim ſi ita eſt, teſtamenta omnino prætermiſit
Ariſtoteles: tametſi inter ea quæ a litigatoribus extrinſecus afferuntur, atque arte ca-
rere dicuntur, ſine dubio teſtamenta præcipuum obtinent locum: itaque M. Tullius
in libro 2. de Oratore teſtamenta primo ferè numerat loco, quę etiam a tabulis pactiſ-
que diſſociat dum ſic ſcribit, *Ad probandum autem duplex eſt Oratori ſubiecta materies,
vna rerum earum, quæ non excogitantur ab Oratore ſed in re poſitæ, ratione tractantur: vt tabu-
læ, teſtamenta, pacta, conuenta, quæſtiones, leges, ſenatuſconſulta, res iudicatæ, decreta, reſponſa,
& reliqua ſi quæ ſunt, quæ non ab Oratore pariuntur, ſed ad Oratorem a cauſa, & a reis deferuntur.*
Syngraphæ quoque periclitabuntur: & tamen ab initio nimirum in particula XXV.
cum declararet quid intelligeret fidei nomine carentis arte, illud protulit, *vt teſtes,
quæſtiones, ſyngraphæ, & quæcunque eiuſmodi.* Ego verò de ſyngraphis non magnopere la-
boro: nam hæ interdum pro pactis vſurpantur a Græcis, quin ad quodcunque ſcri-
pturæ genus traducuntur quò fit vt quod in poſteriore loco *συνθηκῶν* ſeu pactorum ex-
preſſit nomine, id in priore per ſyngraphas deſignarit, cum pacta comprehendant. Vt
omittam & in loco ſyngraphas a multis codicibus abeſſe tam græcis quàm latinis:
quare exempli gratia Victorij codex ſic habet *οἷον μάρτυρες βάσανοι, καὶ ὅσα τοιαῦτα*, *ceu
teſtes, quæſtiones, & quæcunque huiuſmodi*. Difficilius eſt quod pertinet ad teſtamenta quæ
pactorum nomine non continentur, cum pacta contineant nulla. Et ideo Ariſtoteles
dum hoc in loco pro pactis confirmandis aut infirmandis diſſerit, pacta propriè vſur-
pat, ſigillatímque contractus illis comprehendit qui a teſtamento longè differunt nec
obſtat quòd tabulæ apud Latinos & pactis aptentur & teſtamentis: nam (vt omittam
in græcarum vocum ſignificatione ac vi perſiſtendum) latini hac in re eleganter qui-
1250 dem, ſed licenter, genus vſurpant pro ſpecie, ac propterea tabulas, quoniam iis & pa-
cta & teſtamenta commendantur, pro pactis vſurpant aut teſtamentis: tametſi ad vi-
tandam ambiguitatem tabulas pactorum, tabulas teſtamenti, teſtamentariæ tabellæ,
tabulas item dati & accepti & ſimilia dicere ſolent. quare nihil eſt quòd *συνθήκας* &
pacta tabulis exprimentes, hinc tabulis & pactis teſtamenta expreſſa cauillemur: alio-
quin ipſe quoque picturas pugnabo ad fidem artis expertem pertinere, cum picturæ
etiam tabulæ appellentur. Fateamur igitur id quod eſt, Ariſtoteli teſtamenta in men-
tem non veniſſe, ac propterea ea prætermiſiſſe: quod inde etiam facilè accidit, quia in
Iudiciali hoc genere explanando mirum eſt quantopere ſemper cogitatione in crimi-
nibus hæſerit totus; quaſi verò ciuiles controuerſiæ non veniſſent in mentem, & cri-
minoſæ tantùm ſe ſe offerrent quibus conſtitueretur Iudiciale genus. Certè de iniu-
rijs & cauſis iniuriarum & de perſonis ſiue procliuibus ad iniurias inferendas, ſiue in-
iurijs expoſitis, & de rebus ipſis ſic egit, vt criminoſæ iniuriæ tantùm rationem ha-
buiſſe videantur. quid mirum igitur ſi prætermiſerit teſtamenta? Quod ſi quis Ariſto-
teli patrocinari adhuc velit, fortaſſe pugnare poſſit Ariſtotelem de criminoſis iniuriis
tanquam de præcipuis egiſſe, omninóque voluiſſe vt certa quadam analogia & pro-
portione ciuiles iniurias ex his agnoſcamus quæ de criminoſis diſſeruit, ac locos en-
thymematum quos de criminoſis iniuriis deſcripſit vel adumbrauit, propoſitionibus
& argumentis ſeruient in ciuilibus, adhibito tamen ſtudio. Et huc fortaſſe pertinet
quòd quæ diſputat ad extremùm de legibus, de teſtibus, de pactis, manant paulò la-
tiùs; ita vt ad ciuiles quoque controuerſias pertinere poſſint. Quid quod ſub pactis cõ-
tractus coërcet, qui contractus ad ciuilem controuerſiam declinant? quanquam de
contractibus non eo nomine mentionem fecit Ariſtoteles vt ciuilibus controuerſiis

ſeruiret, ſed vt oſtenderet violatis pactis, violati contractus atque humanum cõmer- 1251
cium perturbari & propemodum euerti; quod ampliorem criminoſis controuerſiis aperit campum quàm ciuilibus. Ita quidem homo fuit Ariſtoteles qui teſtamenta & ſi quid huiuſmodi prætermittere potuerit dum partes fidei expertis arte percenſeret. Sic Author ad Herrenium ita Iudicialis generis campum peragrauit, vt criminoſas controuerſias ferè perpetuò ſpectare viſus ſit. Quod ſi quis recolat ex Rhetoricæ ferè initio συναλλάγματα quæ contractus appellant aliqui, fuiſſe commemorata in quibus Oratoris verſaretur induſtria, ac propterea hæc etiam, quoniam extrinſecus Oratori afferuntur, fuiſſe numeranda inter partes fidei carentis arte, iam iſthæc ad pacta eſſe reuocanda vel cum pactis reciprocari, vel pactorum partem eſſe & formam, nihil eſt quod dubitemus. *Reditur ad explicañ.* Sed iam de pactis agamus: de quibus illud primum moneo, ex iis maximè intelligi quî aliqua ſint artis expertia: nam leges aſſumuntur quidem extrinſecus & antegrediuntur cauſam; ſed tamen vt ingens eſt legum multitudo, ac veluti ſilua, non rarò patronus ipſe ſiue Orator legem aliquam inuenit quam detorqueat ipſe & clientuli auctet cauſæ; quin leges fermè a patrono explorantur & aſſumuntur: at verò pacta a cliente omnino deferuntur Oratori, itaut omni ex parte, ſi inuentionẽ ſpectes (nam de tractatione alia eſt ratio, hæc enim indiget arte) ſint artis expertia. Illud præterea obſeruandum quod iam nos admonet Ariſtoteles; nimirum videndum eſſe qua ratione illa augeamus, fidem ſcilicet illi adiungentes, vel minuamus & extenuemus, fidem ſcilicet eripientes: quæ res tota perinde agenda erit ac de teſtibus: vt enim oſtenſum eſt qua ratione confirmari aut infirmari poſſit eorum fides, ita id elaborandum eſt circa pacta. qua in re te ad obſignatores cõuertas oportet, & ad eos qui pactorum conſeruant tabulas; prout enim iſti probati fuerint viri ac fide digni exiſtimentur aut indigni, fides habebitur tabulis illis. Illud tamen diſcriminis inter nos fortaſſe & veteres illos intercedat, quòd Ariſtotelis tempore non videantur aliqui publica authoritate delecti & conſtituti qui pacta ſic exciperent vt iis authoritas derogari haud poſſet: par enim apud nos eſt tabellionum fides & authoritas, nec æſtimanda perinde ac teſtium fides.

PARTICVLA CCCXXI.

Ὁμολογουμένης δ᾽ εἶναι τῆς συνθήκης οἰκείας μὲν ὅσης αὐξητέον. ἡ γὰρ συνθήκη, 1252
νόμος ἐστὶν ἴδιος καὶ κατὰ μέρος καὶ αἱ μὲν συνθῆκαι, οὐ ποιοῦσι τὸν νόμον συνθήκας, καὶ ὅλως αὐτὸς ὁ νόμος συνθήκη τίς ἐστιν, ὥστε ὅς τις ἀπιστεῖ καὶ ἀναιρεῖ συνθήκην, τοὺς νόμους ἀναιρεῖ. ἔτι δὲ πράττεται τὰ πολλὰ τῶν συναλλαγμάτων, καὶ τὰ ἑκούσια, κατὰ τὰς συνθήκας. ὥστε ἀκύρων γιγνομένων, ἀναιρεῖται ἡ ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων. καὶ τἆλλα δὲ ὅσα ἁρμόττει, ἐπιπολῆς ἰδεῖν ἐστίν.

CVm verò conſtat adeſſe pactum, quod proprium ſit, augendum eſt. Pactum enim lex eſt priuata, & ſecundum partem. *Riccobonus.* Et pacta quidem non efficiunt legem ratam. Leges verò rata efficiunt, quæ cum lege conueniunt, pacta. Et omnino ipſa lex pactum quoddam eſt. Quare quicunque nõ credit, & tollit pactum, leges tollit. Præterea aguntur multa ex contractibus, & quæ ſponte aguntur, ex pactis ſunt. Quare ſi irrita fiant tollitur inter ſe vſus hominum. Et alia, quæcunque conueniunt, promptum eſt perſpicere.

CVm autem eſt tabulas eſſe confectas, ſi pro ſe faciunt, debet eas Orator augere, dicens, eas propriæ ac priuatæ legis vim habere. *Maiora gius.* *Et tabulæ quidem ratam legem non faciunt, leges autem eas tabulas, quæ legitimæ ſunt, corroborant. Et omnino lex pactum quoddam & conuentum eſt: itaque ſi quis pacti & conuenti tabulas aufert, leges etiam ipſas tollit. Præterea maior pars eorum, quæ homines inter ſe contrahunt, & ſponte faciunt, tabulis continentur: itaque ſi quis eas irritas faciat, omne commercium hominum inter ſe tolletur. Et alia quæ huic diſputationi conueniunt, ſatis patent, in promptúque ſunt.*

Admonet

ADmonet quidem nos Ariſtoteles pacta perinde ac teſtes vrgenda eſſe
& pertractanda; ſed tamen non idcirco nos reijcit ad teſtes declinát-
que laborem: itaque docet quî tractanda ſint, etſi teſtium rationem
1253 ſequitur ac viam. Si igitur (inquit) inter aduerſarios conſtit de pactis
itaut vtrinque pacta extra omnem controuerſiæ aliam poſita ſint, ac
ſummatim tabulæ ſint perſpectæ, iam videndum eſt num tibi aduer-
ſentur an verò faueant: quod ſi faueant (id enim valere *συνθήκης οἰκείας μὲν οὔσης, pacto
exiſtente proprio*: & ideò huic opponitur deinde *ἐναντία συνθήκη contrarium pactum*) au-
gendum erit pactum, itaut illi authoritas & pondus addatur: id quod quatuor argu- Pro Pactis
mentis aſſequeris: primum ſi dixeris pactum nihil eſſe aliud quàm priuatam contra- I.
hentium legem: & rectè, præſertim cum leges ipſæ pacta ſeruari iubeant; hinc enim
fit vt vim habeant legis, ſolúmque a lege differant quod hæc de toto genere aliquo
ſtatuat ſeu de certis formis ac ſpeciebus humanarum actionum: pacta ad ſingularem
quandam actionem ac definitos homines & ſingulares deſcendat. Quanquam M. Tul
lius auget adhuc vim pacti & authoritatem dum in libro ſecundo de Inuentione, *Pa-
ctum* (inquit) *eſt quod inter aliquos conuenit, quod iam ita iuſtum putatur, vt iuri præſtare dica-
tur*. Id quod Author ad Herennium repetit iiſdem ferè verbis dum pacta obſeruari ait
ex conuentu, itaut pacta iuri præſtare dicantur. Quod ſanè tum demum veriſſimè af-
firmari exiſtimauerim, cum pacta non diſſenſerint a legibus, ſed cum iuſtitia & æqui-
tate planè conſenſerint, Etenim cum hinc legis faueat authoritas quæ rata haberi iu-
bet pacta, illinc contrahentium accedat voluntas, qui prudentes & ſcientes ad paciſcē-
dum deſcendunt, & vſu legis confirmant vim, quidni ipſi iuri vtcunque æquū pactum
conuentum anteponatur? & ideò quidam pacta id habere affirmant vt vtrinque iuſti-
1254 tia ſarta ſit ac tecta, vtrinque detrimentum præcludatur. Altera ratio quia pacta non II.
quidem efficiant legem ac ratam reddant, ſed legibus quibus communiter obtempe-
rant, rata ac legitima reddantur: vt propterea inde leges etiam conſeruentur. Ac pro-
fectò dum pacta cum æquitate conſentiant, legitima omnino cenſenda ſunt. itaut quē-
admodum illis fauet lex, ita viciſſim pacta faueant ac pondus addant legi. Dixi ſi cum
æquitate conſentiant, ſiquidem pacta quibus violentur leges aut boni mores, a legi-
bus ipſis irritantur: ac iurè quidem, præſertim ſi violent bonos mores: nam quod at-
tinet ad leges, videndum eſt vt leges quoque ipſæ non deerrent ab æquitate: id quod
humanis legibus accidere interdum poteſt: nam vt legitima & æqua cum naturali le-
ge & communi pugnent, fieri nullo modo poteſt. Tertia ratio quia lex ipſa ſit quod- III.
dam veluti pactum: ac propterea qui pacta euertat, legem quodammodo euertat. Sed
quid ſi quis neget leges eſſe quædam veluti pacta? Sanè ſi lex ad pacta pertineat, iure
fortaſſe affirmes eſſe quoddam veluti pactum, cum pacta contineat poteſtate quibus
præſcribit normam: ſed cæteræ leges ægrè videantur ad pacta reuocari: ſed reuocan-
tur tamen quia leges humanæ ortum habuerunt ex mutuo imperantium & parentiū
conſenſu, quo populi ſponte pacti ſunt ſe Regi aut Magiſtratui obtēperaturos, quem-
admodum illi è contrariò ſe iuſtè ac ſecundum legem iudicaturos. Atque id planè de
populo Hebræo legimus, qui, cum a legislatore Dei nomine oblata eſſet lex, Cuncta
(reſpondit) quæ locutus eſt Dominus faciemus. Et hinc fœderis quoque nomen ac
pacti diuina lex obtinuit. Poſtrema ratio illa eſt quia permulti contractus ab homini- IV.
bus celebrantur humani commercii cauſa & vtilitatis, itaut qui pacta violet, humanū
commercium violet ac publicum bonum. Et ſanè *συναλλάγματα* (Vlpiano Authore)
contractus humanos multos & varios continent, cuiuſmodi eſt emptio, venditio, lo-
1255 catio, obligatio, donatio, & ſi quid huiuſmodi. Quo fit vt non poſſit humanæ vitæ ra-
tio non magnopere perturbari, perturbatis pactis. Hæc Ariſtoteles pro pactis: quibus
addit, alia quæ huc conueniant in promptu eſſe. At enim quid ſi quis ſciſcitetur quæ
ſint tandem? Silent omnes præter Sueſſanum, qui Egidij ſententiam refellens, profert
ſuam. *Cætera verò loca amplificandi* (inquit) *facile eſt videre: & ideo non oportet vlterius
immorari. Egidius verò intelligit cætera abſurda quæ ſequuntur ad infirmandum pacta. Sed pri-
ma expoſitio verbis græcis conuenit*. Ac verè Ariſtotelis verba ea ſunt quæ alia quoque eſ-
ſe ſignificant quibus pacta amplificari aut ſaltem infirmari poſſint, quacunque tandē
ratione confirmentur. Sed de his quærimus adhuc, quæ ſint tandem. Sint igitur vt
doceas pacta iſta ſumma libertate & conſenſione fuiſſe celebrata: aduerſarium eſſe
vitium

virum induſtrium ac gnarum, ac tum per ſe ſat noſſe quid expediat, tum, vt eſt appri-mè cautus, ſolere peritos conſulere de rebus agendis: non extra vim ac metum con-traxiſſe, ac ſcientem ac prudentem, verùm etiam ipſum primò conditiones illas obtu-liſſe: nunquam antea reclamaſſe: alios multos conſimili pacto ſtetiſſe; ac propterea nihil eſſe cur iurè poſſit recedere.

PARTICVLA CCCXXII.

Ἂν δ᾽ ἐναντία ᾖ καὶ μετὰ τῶν ἀμφισβητούντων, πρῶτον μὲν, ἅπερ ἄν τις πρὸς νόμον ἐναντιούμενον μαχήσαιτο, ταῦθ᾽ ἁρμόττει. ἄτοπον γάρ, εἰ τοῖς μὲν νόμοις μὴ ὀρθῶς ὦσιν, ἀλλ᾽ ἐξαπατῶσιν οἱ τιθέμενοι, οὐκ οἰόμεθα δεῖν πείθεσθαι, ταῖς δὲ συνθήκαις ἀναγκαῖον. εἶθ᾽ ὅτι τοῦ δικαίου βλαβευτής ἐστιν ὁ δικαστής. οὐκ οὖν τοῦτο σκεπτέον, ἀλλ᾽ ὡς δικαιότερον. καὶ τὸ μὲν δίκαιον, οὐκ ἔστι μεταστρέψαι, οὔτ᾽ ἀπάτῃ, οὔτ᾽ ἀνάγκῃ πεφυκὸς γάρ ἐστι· συνθῆκαι δὲ γίγνονται, καὶ ἐξαπατηθέντων, καὶ ἀναγκασθέντων.

QVod ſi contrarium ſit, & faciat cum aduerſarijs, primum quibus aliquis ad- *Riccobonus.*
uerſus legem aduerſantem pugnauerit, ea conueniunt. Abſurdum enim eſt, ſi legibus quidem cum minùs rectè latæ ſint, ſed fraudem fece- 1256
rint qui tulerunt, nõ putemus oportere obedire, at pactis neceſſarium putemus. Deinde conuenit illud, Iuſti diſpenſatorem eſſe iudicem, vt non hoc ei ſpectandum ſit, ſed quod eſt iuſtius. Et iuſtum quidem non licere peruertere, nec fraude, nec neceſſitate, quia natura factũ ſit: pacta verò fieri & a deceptis & a coactis.

QVod ſi tabulæ nobis contrariæ fuerint, & pro aduerſarijs faciant; primò quæ ſupra diximus de contraria lege, conuenient in hanc rationem omnia: nam perabſurdum eſſet, cum malè poſitis legibus, quibus nos legislatores decipiunt, parendum eſſe non putemus, ſi tabulis parere neceſſarium eſſe dicamus. Deinde iudicem ipſum eſſe iuſtitiæ diſpenſatorem dicemus, non igitur tabulas ſpectare ſed id, quod iuſtius eſſe debet. Et iuſtum quidem nemo detorquere poteſt neque fraude, neque neceſſitate vlla; quia natura tale eſt; tabulæ verò & deceptis, & coactis hominibus ſæpè fiunt. *Maior.*

Contra pacta.

I. IAm multis docet argumentis quæ res tractanda ſit ratione, ſi pacta nobis aduerſentur, & faueant aduerſarijs. Ac primò ijs fermè vtendũ ait quibus oppugnabantur leges quæ minùs rectè latæ eſſent nec carerent fraude: vbi a maiore ad minus argumentaberis. Si enim legibus minùs rectis arbitramur non eſſe obtemperandum; multò minùs neceſſe fuerit eiuſmodi pactis obtemperare. Quanquam, dicat quiſpiam, interim non tam ſumendum eſt ac tanquam certum arripiendum pactis aliquid ſubeſſe fraudis & iniquitatis, quàm demonſtrandum; itaut friuola & puerilis videri poſſit huiuſmodi ratio. Sed fortaſſe rem ad inſequẽtes reijcit rationes quibus id quoque demonſtretur; nunc hîc quaſi proœmio quodam vtitur, ac ſignificat pacto illi ſtandum non eſſe, ſi tamen docuerit ei ſubeſſe iniuſtitiam, ac propterea multò minùs eiuſmodi pacto parendum quàm quæ iniquitatem cõtineant, legibus. Quanquam ideò Ariſtoteles reij- 1257
cit ad ea quæ contra leges dicta ſunt; ac iubet vt ad iſthæc confugias priùs vt inde adiu-
II. tus probes ſimul iniqua eſſe pacta iſta. Altera ratio eſt, dicendum, iudicem eſſe iuris diſpenſatorem ac propterea ſpectandum illi quid ſit iuſtius, non quid pactis fuerit cõprehenſum. Sed eſto tale ſit iudicis munus, ac propterea illi circumſpiciendum quales quales ſint pactiones illæ, vt ſi quid pactis iniquum ſubeſſe viderit, ea repudiet. verùm ſatius eſſet vt tu id doceres, déque pactorum iſtorum iniquitate illa nos edoceres; Rectè iſtud quoque: ſed tamen nihil prohibet quominus interim ex ijs quæ contra leges dicta

dicta ſunt, inſtructus Orator, id faciat, vel etiam, quoniam ex iure potiùs quàm ex facto pendeat iſtius cognitio iniquitatis, non a Iudice ipſo ſit detegendum, ac propterea pactum reſcindendum. Subiungit tertiam rationem, quæ eſt ius neque vi neque fraude corrumpi poſſe aut peruerti, cum a natura ipſa vim habeat; pacta contra ſic iniri vt aliqui interdum aut decipiantur aut cogantur. Atque hìc etiam docendum erit non ſumendum, pacta iſta vi & neceſſitate fuiſſe contracta aut aduerſarii dolo conciliata; id enim caput eſt: & ideò eodem planè modo explicanda hæc ratio quā duæ antea actæ. Tametſi ex quarta ratione, quæ iam iam ſubiicietur, tibi offeratur occaſio vnde inſtituantur quoque propoſitæ rationes ac ſuum habeant pondus. Antequam tamen ad quartam rationem deueniam quam continenter expendemus, vnum atque alterum obſeruandum eſt. Primum videri non ſine Principis aut Iudicis iniuria & offenſione illud proferri: non rectè latas eſſe quaſdam leges, ſed fraudem feciſſe legislatorem: quantumuis enim nec Iudex ipſe eas tuliſſet, nec qui in præſens obtineret Principatum, iniuriùs tamen iis ſis qui, dum eorum authoritate ac voluntate adhuc vigent & ibi coluntur, fraudem habere clames: nam verba illa *non putemus oportere obedire*, ad illius fori leges pertinent: ita ut aliquæ fori illius leges culpentur & iniuſtitiæ nomine inſimulentur. Vel igitur rectiùs legas ἐξαμαρτῶσιν pro ἐξαπατῶσιν (vt habent libri aliqui) quaſi non tam illi fraudem fecerint quàm aliorum fraude lapſi ſint eas leges ferentes. vel in vniuerſum de iniuſtis legibus intelligēdus eſt Ariſtoteles ex hypotheſi, ſi fortè iniuſtæ deprehenderentur aliquæ illius fori leges: quo tempore cauendum eſſet Oratori vt ne Principis illius leges videretur inſimulaſſe. Alterum eſt dum ait iudicem eſſe iuſti βραβευτὴν quod interpretes diſpenſatorem vertunt, βραβευτὴν eum fuiſſe qui præeſſet gymnicis certaminibus, & lauream virgam geſtaret quam victori tribueret. Sic Plato gymnicorum certaminum βραβέας profert & Sophocles βραβεῖς: vbi facilè a ῥάβδος ſeu virga fluxit βραβεὺς ſeu βραβευτὴς quòd ῥάβδον geſtaret victorique traderet, ex lauro tamen, vt eſſet victoriæ ſignum. Transfertur autem ad Iudices & moderatores etiam legum, quo nomine Euripides δίκης βραβῆς *iuſtitia moderatores* appellauit cauſæ Iudices. Quo nomine Ariſtoteles etiam Iudicem βραβευτὴν appellauit, quòd ipſius eſſet iuſtitiam & æquitatem intueri, & cauſam tanquam virgam illi adiudicare quem æquitas victorem oſtenderet. Quare quemadmodum iudicem, βραβευτὴν iudiciorum ita gymnaſiarcham νικητὴν certaminis eleganter dicere poſſis.

III. (at the line "de corrumpi poſſe…")

Duo obſeruanda. I. (at the line "alterum obſeruandum eſt…")

1258 (beside the line "qui) quaſi non tam illi…")

II. (at the line "eſſe iuſti βραβευτὴν…")

PARTICVLA CCCXXIII.

Πρὸς δὲ τούτοις σκοπεῖν εἰ ἐναντία τινὶ ἔστω, ἢ τῶν γεγραμμένων νόμων ἢ τῶν κοινῶν, καὶ τοῖς δικαίοις ἢ καλοῖς. ἔστι τε, ἢ ἄλλαις συνθήκαις ὑστέραις ἢ προτέραις. ἢ γὰρ αἱ ὕστεραι κύριαι, ἄκυροι δ᾽ αἱ πρότεραι ἢ αἱ πρότεραι ὀρθαί, αἱ δ᾽ ὕστεραι ἠπατήκασιν, ὁποτέρως ἂν ᾖ χρήσιμον. ἔτι δὲ τὸ συμφέρον, ὁρᾶν εἴ τι ἐναντιοῦται τοῖς κριταῖς, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα· καὶ γὰρ ταῦτα εὐθεώρητα ὁμοίως.

Riccobonus. PRæterea conuenit animaduertere, an contraria alicui ſint aut ex ſcriptis legibus aut ex communibus & iuſtis, aut honeſtis. Præterea an alijs pactis poſterioribus, aut prioribus aut enim poſteriora rata ſunt, & irrita priora aut priora recta ſunt, & poſteriora falſa. Vtroque modo erit vtile. Deinde expediet videre, ſi qua in parte aduerſentur iudicibus, & quæcunque alia huiuſmodi. Etenim hæc facilia cognitu ſimiliter ſunt.

1259 (beside the line "ſterioribus, aut prioribus…")

Maioragius. *AD hæc ſpectare oportet, an alicui lege vel earū, quæ ſcripta ſunt, vel quæ ſunt communes; an rebus iuſtis & honeſtis tabulæ contraria ſint. Videndum etiam eſt an tabulæ quæ proferuntur, alijs tabulis vel poſterioribus, vel prioribus contraria ſint: vel enim poſteriores erunt ratæ, vel priores irritæ, vel ſi priores rectæ ſint; in poſterioribus erit fraus; id autem arripiemus, quod cauſæ noſtræ vtile fuerit. Conſiderãda eſt etiam vtilitas: & ſi qua in re tabulæ iudicibus aduerſentur, & cætera eius generis, quæ facilè videri, atque intelligi poſſunt.*

Anſam

Quarta ratio: quæ eſt tripartita. I.

ANſam hinc offert vnde pacta infirmentur quaſi vel iniuſtitiam contineant vel fraudem, ac ſummatim minùs iuſta & æqua ſint quàm leges. Explorandum eſt igitur (inquit Ariſtoteles) num pugnent cum aliqua lege ſiue ex ſcriptis ſit, ſiue ex communibus, quæque naturali iure vigeant, & iuſtæ aut honeſtæ communiter cenſeantur. Et ſanè cum reuera lex maius habeat pondus quàm pactum, pactum quod cum lege pugnet, irritetur neceſſe eſt: præſertim verò quia quæ cum lege pugnant pacta, tacitè vel expreſsè prohibita ſunt; ita quidem hinc pacta labeſactare liceat ac tanquam iniqua deturpare: idque multò maximè cum pugnent cum lege communi ſeu naturali: lex enim communis à natura profecta eſt, itaque lex naturalis quippe pleniſſima æquitatis & omnibus perſuaſa, pactum quod illi aduerſetur euertat oppidò. Hîc verò communes leges appellat ſine dubio leges naturales vt dicere cœperam, & ideo eas ſcriptis opponit legibus, quòd ſcilicet non ſcriptæ illæ quidem ſint aut hominum authoritate ſancitæ ſed a Natura ſeu Naturæ authore Deo in hominum mentibus impreſſæ. Sed cur addit & iuſtis aut honeſtis? an fortaſſe communis lex vlla aut Naturalis reperitur quæ non iuſta ſit & honeſta? Minimè verò: ſed ad maiorem expreſſionem adduntur illa verba, & vt intelligatur cur lex communis aptiſſima ſit quæ euertat pacta. tametſi nihil prohibet quò minùs ea verba *& iuſtis aut honeſtis* ad vtrumque legis genus referantur; quaſi diceret videndum num pactum illud aduerſetur legi ſiue ſcriptæ ſiue non ſcriptæ & communi, & in vniuerſum iuſtæ aut honeſtæ: nam ſcriptæ quoque leges iuſtitiam & honeſtatem ſectari ſolent. & ideo non neceſſe eſt communium legum nomine, alias quàm naturales exponere leges; quaſi verò Ius gentium (quicquid hoc in Naturale recidere videatur) ſiue leges quæ municipalibus communiores ſunt ac latiùs manant, intelligendæ ſint. nam Ariſtoteles alludit ad diſtinctionem paulò ante vſurpatam ac tritam humanæ & naturalis, quas item in ſcriptas &

II. non ſcriptas diſtribuit, non ſcriptas itidem communes nuncupans. Sed & illud quo- 1260
que eſt explorandum & conſiderandum num ea pacta repugnent alijs pactis ſiue poſteriora illa ſint ſiue priora; quòd ſi pugnent cum poſterioribus, contendendum eſt poſterioribus irritari priora: quid eſt enim quod poſteriora celebrata ſint niſi vt priorum incommoda atque adeò pacta ipſa abrogentur? quod ſi è contrariò aduerſentur prioribus, pugnandum, & quoad eius fieri poſſit demonſtrandum, priora eſſe recta atque illis, quippe antiquis & temporis diuturnitate firmatis inhærendum, non poſteriorum leuitatem vel potiùs falſitatem probandam. Ita quidem vtile erit verſatile ingenium ac ſtudium gerere quo prout res poſtulauerit aut poſterioribus aut prioribus

III. bonam fidem aut dolum malum conciliemus. Denique circunſpiciendum quoque num ea pacta aduerſentur iudicis vel commodo & vtilitati vel dignitati aut iudicio & voluntati: ſiquidem faciliùs deinde iudicem in tuam ſententiam adduxeris cui ea pacta

Quales ſint propoſitæ rationes. minùs commoda aut grata ceciderint. His argumentis inſtruit Oratorem Ariſtoteles contra pacta: ex quibus pleraque præſertim poſteriora non tam cum æquitate conſentiunt quàm illam infringunt & labeſactant: non enim ſpectandum eſt quid iudici minùs commodè accidat vel quid huiuſmodi, ſed quid ratio poſtulet, quid honeſtas, quid æquitas, quid veritas, Atque hinc licet animaduertere Ariſtotelem populariter diſputare & communem ſenſum ac morem ſequi ac deprauatæ iudiciorum conſuetudini inhærere. Et hoc eſt quod ab initio ſignificauit, captioſas argumentationes Sophiſtarum eſſe, veriſimiles Dialectici, vtraſque Oratoris. Et ob id ſtatuebat Dialecticum ſi de induſtria captioſis vtatur argumentationibus, Sophiſtam euadere; Oratorem nequaquam ſed vtriſque vti poſſe dummodo veriſimili reſperſæ ſint. Denique
Oratori, quoniam perſuadere aliquid nititur vulgari multitudini, ſatis eſſe iudicat ra- 1265
tiones afferre aliqua reſperſas probabilitate; Dialectico, quoniam a vulgari cętu disiungitur, prohibet fallaces rationes: de qua re nos alibi copioſè. Addit Oratori videnda quoque eſſe & animaduertenda καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα & quæcunque alia huiuſmodi:

Qua rurſus circumſpici iubeat ad pacta infirmanda. quæ vel ad iudicem referenda ſunt; quaſi verò alia quoque huiuſmodi, quæ ſcilicet incommodent iudicem, ſpectari velit (hæc nos attigimus paulò ante,) vel potiùs ad vniuerſam pactorum infirmandorum rationem pertinent; quaſi ſentiat alia multa ſpectari poſſe dum pacta euertere nitimur, quæ quoniam facilia ſint cognitu, iuuat prætermittere. Et ideo ſubdit e veſtigiò, *Etenim hæc facilia cognitu ſimiliter ſunt*. Et hæc

ſine

ſine dubio eſt germana ſententia: nam quemadmodum paulò ante cum pro pactis diſſereret, ad extremum concludebat alia quæ in hoc argumentum conueniunt ſpectari poſſe, quæ tamen prætermiſit quòd diceret eſſe in promptu; ſic in præſens alia quæ contra pacta dici poſſent, prætermittit quòd facilia ſint cognitu. At enim quid ſi quis ea requirat? Ergo quoniam protulimus quæ prætermiſit antea, proferamus quæ prætermittit in præſens. Si igitur is cui pacta aduerſantur ſit minor quàm per ætatem paciſci liceat exclamandum non licuiſſe huic ad pacta deſcendere, quin fraude fuiſſe ab aduerſarijs adductum: vel ſi tutor aut curator aſſenſerit, dicendum nunc tanquam de iniuria reclamari cum liceat: eodémque modo ſi teſtes ſuſpicioſi, ſi verba obſcura, ſi pactum ſine exemplo, ſi neceſſitate veriùs vrgente quàm voluntate ſuadente, fuerint celebrata, hæc omnia contra pacta erunt vrgenda.

PARTICVLA CCCXXIV.

Αἱ δὲ βάσανοι, μαρτυρίαι τινές εἰσιν· ἔχειν δὲ δοκοῦσι πίστιν, ὅτι ἀνάγκη τις πρόσεστιν. οὔκουν χαλεπὸν οὐδὲν περὶ τούτων ἰδεῖν, καὶ τὰ ἐνδεχόμενα εἰπεῖν: ἐξ ὧν ἄν τε ὑπάρχωσιν οἰκεῖαι, αὔξειν ἔστιν ὅτι ἀληθεῖς μόναι τῶν μαρτυριῶν εἰσιν αὗται. ἐάν τε

1262 ὑπεναντίαι ὦσι. καὶ μετὰ τοῦ ἀμφισβητοῦντος διαλύοι ἄν τις τἀληθῆ, λέγων καθ' ὅλου τοῦ γένους τῶν βασάνων. οὐδὲν γὰρ ἧττον ἀναγκαζόμενοι τὰ ψευδῆ λέγουσιν, ἢ τἀληθῆ: καὶ ῥαδίως κατὰ ψευδόμενοι ὡς παυσόμενοι θᾶττον. δεῖ δ' ἔχειν ἐπαναφέρειν ἐπὶ τοιαῦτα γεγενημένα παραδείγματα, ἃ ἴσασιν οἱ κρίνοντες.

Riccob. QVæſtiones autem teſtimonia quædam ſunt. Habere verò videntur fidem, quia neceſſitas quædam in eis ineſt. Non eſt igitur difficile earum vim intelligere, & quæ de ijs dici poſſunt, explicare. ex quibus ſi ſint propriæ, eas augere licet, quia veræ ſolæ ex teſtimonijs ſint: ſi aduerſentur, & cum aduerſario faciant, euerterit aliquis veritatem, dicens de vniuerſo genere quæſtionum. Nihil enim minùs, qui coguntur, falſa dicunt, quàm vera, & tolerantes, ne dicant vera, & facilè mentientes, vt requieſcant citiùs. Oportet autem habere facultatem referendorum ad hæc præteritorum exemplorum, quæ ſciunt iudicantes.

Maioragius. *QVæſtiones verò, teſtimonia quædam ſunt, quæ videntur ea de cauſa fidem facere, quia neceſſitas quædam eis ineſt. itaque non difficile eſt earum vim intelligere, & quæ de ipſis dici poſſunt excogitare. Nam ſi pro nobis faciant; eas augere poterimus, ac dicere ſolas ex omni genere teſtimoniorũ eſſe veras. Quod ſi nobis contrariæ fuerint, & pro aduerſario faciant, veritatem earum euertere licebit, de genere toto quæſtionum diſputando. Quibus enim neceſſitas adhibetur, ij non minus falſa, quàm vera dicere ſolent: nam vel dolorem tolerantes, verum occultant; vel facilè mentiuntur, vt citiùs a cruciatu liberentur. Ad hæc proderit exempla proferre, quæ aliàs acciderunt, & ipſis iudicibus cognita ſunt.*

QVantum hactenus leges, teſtes, pacta quoque ſi propriè ſumantur; ſuo illa nomine indicarunt quæ ſignificent & contineant, quæque ſit notio illis aut materia ſubiecta, tantum in præſens quæſtionis nomen ambigeronos cogit. Veruntamen dum quæſtio propriè ſignificat quod *DE Quæſtionibus.*
1263 quæritur ſeu conquiſitionem ipſam, hinc analogia quadam & proportione ad dubitationem, quoniam nos inducit ad quærendum, ac diſceptationem quæ conquiſitionem ſequitur, ſimúlque ad interrogationes & examen cõtinenter traducitur atque hinc demum ad ea detorquetur (ac verè detorquetur) quæ de aliquo exprimuntur rigido examine ac tormentis. & ideo quæſtiones a Quintiliano

no tormenta appellantur; ſanè minùs propriè, cum non tormenta ipſa ſignificentur,
ſed quæ inter tormenta a reis, aut alijs exprimuntur, ſed non obſcuriſſimè tamen, ſi
obſeruemus cauſam pro effectu, id quod fit in præſentia, aliquando & vſurpari. Sunt
autem tormenta iſta eruendæ veritati inſtituta, de quibus Vlpianus & Iuriſconſulti
nō vno in loco. Ac Cicero ipſe (ne nos perturbet ambiguitas) quæſtionis nomē pro ijs
vſurpat quæ de reis vi tormentorum exprimuntur, ac propterea illas inter teſtimonia
recenſet; quibus aliquando ea omnia complexus eſt quæ pertinent ad fidem artis ex-
pertem. Scio quidem ad hoc comprobandum ex M. Tullio a quibuſdam proferri loca
quædam & ſententias quæ id minùs efficiunt, vt illam *Facti in Equuleo quæſtio eſt, Iuris in
iudicio*; vbi conquiſitionem intelligit, quæ ſi ſit facti, equuleo fit ac tormentis, vnde
emergit quæſtio: ſi ſit iuris, in iudicio fit ac ſine tormentis. Quare per quæſtionem
non id quod iſti volunt, propriè ſignificatur hoc in loco, nec Ariſtotelis reſpondet
βάσανος: alioquin in iudicio etiam ad quod a Cicerone interim æquè refertur quæſtio
quæ habetur in iudicio & citra tormenta, pertinerent tormenta. Sic Liuius de Piſiſtra-
to aliquæ quæſtiones tormentis habitæ, quod eſt conquiſitiones tormentis habitæ;
itaut hæc & alia id genus loca ac dicta veriùs interrogationes & examen ſignificent
quàm quod in præſens quæſtionis ſignificat nomen. non deſunt tamen apud M. Tul-
lium exempla quibus euincitur quæſtionis nomine aliquando ſignificari id quod tor-
mentis exigitur. Sic in Partitionibus, Quæſtiones probanti duplex eſt locus, vnus vt 1264
confirmetur genus quæſtionum & dicatur de vi doloris: ſic quæſtio de furto poſtula-
re in quæſtionem, dare ſeruos in quæſtionem, abripi ad quæſtionem, exercere quæſtio-
Dubitatur nem & ſimilia: atque hinc quæſitor qui quæſtionibus hiſce præeſt, aut eas exercet.
atque hæc ſanè omnia ſcitè a M. Tullio de Græcis ſunt deriuata: nam Græcis a *βασάνω*
Lydio inquam ſeu Heraclio lapide vnde probatur aurum *βάσανος* hoc eſt probatio, ele-
ganti ſanè metaphora, & inquiſitio examénque deriuata ſunt: quo factum eſt vt in-
quiſitio per tormenta idē inuenerit nomen: & huic reſpondet quæſtio apud M. Tul-
Reſpondetur. lium dum id ſignificat quod deponitur (vt ita dixerim) ab ijs qui inter tormenta exa-
minantur. quemadmodum *βασανιστὴς*, qui quæſtionem exercet, & tormentis exami-
nat, quæſitor ab eodem M. Tullio, Græcorum item ſimilitudine appellatur. At enim
ſi ita eſt, cur quæſtio non ad teſtes reuocatur, cum præſertim hos fidei artificioſæ par-
tem item fecerit. certè ſiue tormentis examinetur teſtis ſiue citra tormenta, teſtis eſt.
& ideo ipſemet Ariſtoteles quæſtionem fatetur eſſe quoddam teſtimonij genus. Ea
de cauſa ad teſtes non reuocatur quæſtio; quin veriùs in reos exercetur quæſtio quàm
in teſtes: nam veritas a reo tormentis exquiri ſolet: a teſtibus niſi ſe falſitatis reos red-
dant aut talem ſibi conflent ſuſpicionem nullo modo. Quapropter qui citra falſitatis
ſuſpicionem aut cauſam tormenta teſtibus adhibent ij per iniuriam id faciunt. quin
ne rei quidem iurè torqueantur niſi indicia éaque tormentis digna ſint in promptu
atque hinc vis tum *βασάνω* tum quæſtionis notio explicata ſit: & cur ſeorſim a teſti-
bus quæſtio inter huiuſce fidei partes numeretur. Nunc ad rem ſeu ad Ariſtotelem: 1265
qui primò ait quæſtiones eſſe teſtimonia quædam: ſi ſcilicet ſpectentur quà reo ad-
uerſantur inſtar teſtium, non quà a reis ipſis promanant. & quoniam potuiſſet quiſ-
piam eiuſmodi quæſtiones & tormenta veluti carnificinam horrere & improbare,
ſubdit Ariſtoteles videri habere fidem quia neceſſitas quædam ineſt illis, extorquendi
ſcilicet veritatē: itaut in crimine veritatis indagandæ cauſa, omnino probāda videātur.
Sed de hac re tota, ſcilicet probāda eſſe tormēta iſta, præſertim debita cautione adhibi-
ta & moderatione, cōſtabit pleniùs in progreſſu. Interim Ariſtoteles eò cōuertit diſpu-
Pro quæſtionibus. tationē vt quæſtiones iſtas confirmet prius, tū infirmet. Ac primū ſi ſint *ἄτεχνοι*, inquit,
quod eſt propriè ac nobis faueāt *ἀτέχνους* appellauit) confirmentur quia inter teſtimonia
ſeu inter ea quæ ad faciendā fidē extrinſecus aſſumuntur & arte carere dicuntur, ſolæ
quæſtiones veræ cenſendæ ſunt. Quid enim prohibet quominus ea quæ ex rei ipſius
confeſſione profecta ſunt non veriſſima cenſeantur dum eidē reo aduerſantur? quan-
quam, quoniam *μαρτυρίαι* (græcæ enim voci hærendum mordicus) hoc in loco ſigni-
ficare videntur omnino indicia, ſatius ſit docere ſolas teſtificationes huiuſmodi, quæ
ſcilicet ex reo excerptæ ſint, inter indicia & ſigna aut teſtes etiam ad ſummum habere
veritatem. Quo fit vt quæſtiones interim non cæteris omnibus anteponantur quæ ad
fidem artis expertem pertinere dicuntur; ſed indiciis ac ſignis ac teſtificationibus te-
ſtifica-

ſtibúſque ipſis. Etſi enim Cicero interdum teſtimoniorum nomine omnes eiuſce fi-
dei complectitur partes, *μαρτυρίαι* tamen non tam latè manant; ita ut dum quæſtiones
ſunt quædam teſtium formæ, quemadmodum dictum eſt ab Ariſtotele, hîc continē-
ter quæſtiones teſtimoniis reliquis tantùm aut etiam iudiciis ſimul ac ſignis (nam hæc
1266 quoque complectuntur) ab eodem anteponantur. Et tamen ſubdurum eſt dicere ſo- *Dubitatur*
las iſtas quæſtiones eſſe veras, præſertim ſi non a reo ipſo ſed a teſtibus ſint expreſſæ
quorum res non agitur: ij enim ſæpè ſuum commodum anteponunt veritati, præſer-
tim vt deuitent cruciatus. Adde alia multa veritatem habere poſſe, & fidem facere;
ita ut ſola eorum qui cruciantur dicta non poſſint niſi falsò appellari vera. Certè M.
Tullius in Topicis, *Verberibus torti* (inquit) *& igni fatigati, quæ dicunt, ea videtur veritas
ipſa dicere*, ſed hinc tantum veritatem elici non affirmat. Sed hoc largiendum eſt ora-
toriæ amplificationi qua quod veritate præſtat, id vnum dicitur verum eſſe: nam cum *Reſpondetur.*
hîc iuſſiſſet Ariſtoteles vt orator teſtium pondus exaggeraret, dum nobis fauent, aptè
ſolæ quæſtiones dicerentur veræ vel ſaltem tolerabiliter. Et hinc eſt quod Quintilia-
nus totum hunc locum ſic exprimat, vt veritatem non abroget aliis probationibus,
mendacium etiam concedat quæſtionibus, *pars altera* (inquit) *quæſtionem vera fatendi
neceſſitatem vocat, altera ſæpè etiam cauſam falſa dicendo, quod alijs patientia facilè mendacium
faciat, alijs infirmitas neceſſarium.* At enim quid ſi aduerſetur nobis. Ergo ſi aduerſentur
(inquit Ariſtoteles) & faueant aduerſario, inde quis eas infirmabit, & veritatem quæ
ex quæſtionibus iſtis obtenditur & obiicitur, euertet, de toto iſto quæſtionum genere *Cōtra Quæſtiones.*
diſſerens; docebítque vi tormentorum non minùs falſa extorqueri quàm vera: quin
reperiri multos qui vſque adeò tolerantes ſunt, vt vera celent: alios etiam qui vt ſe
eximant tormentis, facilè mentiantur. atque id totum exemplis erit illuſtrandum quæ
præſertim rem ante oculos ponant, & verò iudici vel nota ſint vel planè cōfirmari poſ-
1267 ſint. Hæc Ariſtoteles de quæſtionibus. Vbi quoniam in vtranque partem nos inſtru- *CONTROVERSIA LXXX.*
xit Ariſtoteles, & quæſtiones comprobauit priùs tum infirmauit, non ab re fuerit do-
cere num iuſtæ ſint & retinendæ. Et ſanè dum carnificinam quodammodo videntur *NVM Quæſtiones probandæ*
exercere & crudelitatem continere, eóque ſæpè adducere vt quis cruciatus impatiēs, *ſint ac retinendæ.*
ſe reum fateatur falsò, quis non hoc horreat conquiſitionis genus? *Tormenta* (inquit
M. Tullius) *gubernat dolor, moderatur natura cuiuſque animi & corporis; quod eſt dolor & im-
becillitas aut duritiei in his dominatur non veritas.* & ideò pergit, *Regit quæſitor, flectit libi- Reijciūtur priùs.*
do, corrumpit ſpes, infirmat metus; vt in tot rerum anguſtijs nihil veritati loci relinquatur: id
quod magis contingit ac iuſtitiæ refragatur, quòd tormēta a multis leui crimini imò
innocenti adhibentur & admouentur, quod turpe eſt non modò iniquum. Nam qui
torquetur, quantumuis abſoluatur & innocens declaretur, quandam veluti labem ac
maculam videri ſolet contraxiſſe. Quid quod multi inter huiuſmodi tormenta ani-
mam efflant ipſam, atque interdum innocentes efflant? Nam de periurijs nihil attinet
dicere. Et tamen interim innumeri ſunt qui iuſiurandum violant, nihil minùs quàm
Deum teſtem vocaſſe, ac diis ſe pro veritate deuouiſſe, recolentes. Contra tamen vi-
dentur quæſtiones iſtæ in ſubſidium veritatis omnino excipiendæ præſertim in graui
crimine. Et ſanè cum improbi homines ac nefarij non legum pœnis, non infamiæ de- *Cōprobantur.*
terreātur publicis flagitijs, quale flagirium ac ſcelus intentatū relinquant vbi ſe nullis
cruciatibus ac clandeſtinis ſceleribus arceantur. Denique apud omnes & a priſcis vſ-
que temporibus vſu receptæ ſunt quæſtiones & a ſapientiſſimis legislatoribus publi-
cis literis commendatæ. Quapropter *Maiores* (inquit Cicero) *eam rem totam niſi probaſ-
ſent, certè repudiaſſent: de inſtitutis Athenienſium, Rhodiorum doctiſſimorum hominum, apud
quos etiam (id quod acerbiſſimum eſt) liberi ciues torquentur.* Sed clauſula hæc ſit, quæſtio-
nes omnino eſſe æquas & probandas, dum tamen iuſta indicia in promptu ſint, iuſta
verò appello quæ verè ſint idonea. quo tempore prouidendum quoque eſt vt crucia-
1268 tus indiciis proportione reſpondeant. de qua re tota bonus iudex conſtituat oportet
diligenter vt friuolas ſuſpiciones ac leues citra cruciatus tranſigat, graues aut medio-
cres graui aut mediocri tormento ſubiiciat: quo tempore non carnificinam exerceri
putandum erit, ſed veritati ac iuſtitiæ patrocinia adhiberi. At enim hinc multi præ do-
lore falsò ſe aut alios fatentur reos, peierantes turpiter. Fac igitur iudex, quemadmo-
dum indicia & ſuſpiciones diligēter æſtimat atque perpendit, ſic cautionem adhibeat,
ne qui torquetur perperam delictum fateatur ac mentiatur. Quod tum demum aſſe-

quetur cum per quam diligenter priùs facti ſeu criminis explorauerit tempus, locum, perſonas & ea denique omnia quæ ipſum circũſtant factũ itaut quoad eius fieri poſſit totam criminis ſeriem ac circunſtantias (quas appellant) reſcierit, tum verò dum reũ torquet (reum appello qui quæſtioni ſubijcitur) compellabit vt veritatem enarret: nec ipſe facti circunſtantias aperiet vllas vnde conſentanea ratione mentiri poſſit, ſed eas celabit, & reo ipſi aperiendas reſeruabit. Quod ſi reus per ſe factum & crimen ſic expreſſerit vt eas planè circunſtantias exprimat & adhibeat facto, ſanè vix mentiri potuerit: præſertim quia rurſus indagare poſſit iudex num circunſtantiæ illæ omnes cohæreant cum delicto: rurſus citra tormenta iubere vt reus facti ſeriem & circunſtantias ſemel iterum (interrogationis tamen ordine mutato ac forma) ac tertio enarret: ex quibus omnibus intelligat num memoria facti veritate ſuſtineatur, ac ſummatim an vltima primis reſpondeant. Itaque ſatis intelligitur ſæpè multos reos ſibi aut alijs falsò crimen aſcribere propter iudicum imprudentiam & improbitatem, qui quas celare debent facti circunſtantias, reis obtrudunt qui propterea cõſentanea ratione mentiuntur. Id quod exemplo illuſtrare lubet ex quo mirificè conſtare quoque poterit 1269
quo tempore iudex imprudenter ſe gerat & iniquè, quo prudenter & iuſtè: & qua tandem ratione ſit adminiſtranda quæſtio vt non crudelitatẽ aut iniquitatem ſed æquitatem præferat, ac veritatis & iuſtitiæ contineat patrocinium, quod exemplum eò libẽtiùs afferam quòd & Ariſtotelis doctrinam, qui exempla in promptu eſſe iubet quæſtioni labefactandæ, dilucidabo, & veritatẽ nobili ſanè euẽtu & admirabili cõfirmabo. Ergo ijs quæ huc ex Valerio Maximo afferri poſſent exempla, prætermiſſis quæ tamẽ dignisſima ſunt quæ recolantur, nouum exemplum accipito. Ante quadrageſimũ ab hinc annum Mutinæ duo Ciues ex eadem porta in quam fortè eodem inciderant tẽpore, Vrbem egreſſi ſunt, & vt amici erant, ſimul poſt ſalutationem iter obiere; breui tamen vnus ab altero digreſſus eſt & ad villam diuertit: alter pro inſtituto longiorem viam peragrauit. Redit primus intra quatriduum: peregrinatur alter: cúmque multi iam præterijſſent dies, atque is non modò nõ rediijſſet ſed ne ſchedulam quidẽ miſiſſet qua ſuos de abſentia redderet certiores, mirantur ij: paulò poſt etiam illum requirunt vndique, itaut ad extremum vicinas quoque explorẽt vrbes: ſed fruſtra. Interim cũ ex ianitore de illo audiſſent, quicum illum egredientẽ vidiſſet, hunc interrogant: hic ingenuè fatetur id quod erat, ſe ſtatim ferè atque egreſſi eſſent, in villam diuertiſſe, atque illum reliquiſſe quò conceſſerit, ignorare: tum ij ad iudicem confugiunt quẽ onerant ſuſpicionibus: ita ſocium illum carceri mandari curant, tormentis examinari. Quid plura? cũ iudex ſuas illis ſuſpiciones interrogationibus obtruderet augerétque imprudenter, ille doloris impatiens, quicquid imprudens ſuggerit iudex arripit ac fatetur, quod totum ſubinde citra tormenta, nouos ſcilicet cruciatus pertimeſcens, confirmat. Quo fit vt iudex eius teſtificationi pleniſſimam fidẽ adiungens, paulò poſt miſerum illum plectendum curârit. Sed ecce tibi intra biduum reuertitur alter: quo cognito & audito, qui obſecro clamores Vrbe tota, quæ lamentationes, qui affinium & 1270
amicorum luctus? tragicus vix hæc ſtylus cõmemoret pro dignitate. Hoc igitur maleficium ac ſcelus optimè euitaſſet prudens iudex ac probus qui tantùm de ſocio interrogaſſet ac tormentis etiam inſtitiſſet vt de eo fateretur: cum enim deinde ex eo, quo homicidam ſe faceret, de loco (inter tormenta itidem) tempore, cauſa, aliiſque circunſtantiis multis ſigillatim, non dico quæſiſſet ſed ab eo audiſſet, atque has deinde obſeruari omnes iuſſiſſet, vt facti veritatẽ omnino deprehenderet; animaduertiſſet falſa eſſe quæ dixerat & dolori condonanda: Nec obijcias eadem calliditate rem peragere poſſe qui crimen admiſerit, itaut quæſtionis tẽpus eximat circunſtantiis enarrãdis quæ a veritate abſint longiùs: nam ſi tormentis erit impar corporis atque animi tolerantia nõ ſanè iudicem nenijs ac falſis circunſtantijs onerabit ſed veras aperiet ex quibus veritas detegetur: ſi par ſit ac ſuperior, nihilominus tormenta ſubibit & cruciatus quos idonea & iuſta præſcripſerint indicia, ita quidem iuris ordo ſeruabitur, nec iuſtitia violabitur quicquam.

Ad contraria argumenta. Sic ſanè hac moderatione adhibita & norma, nec carnificinam exerceas qui iuſtitiæ patrocineris, neque anſam offeras ad mentiendum, qui tali ac tanta cautione interroges; nec leuia crimina grauiſſimis tormentis exquiras qui indicia æſtimes diligenter. Sed nec labem cõtrahat qui ob indicia ſuſpectus ſit, ſed habeat vnde ſuſpicionẽ omnẽ a ſe

li.8.c.4.

a ſe depellens ac pugnans, tueatur ſuã dignitatem. Quin etiam dum veritati conſtanter inhæreas atque illam cruciatibus anteponas, meritum tibi concilies. Quod ſi etiam effles animam inter tormenta, coronam tibi compares immortalitatis. Nam ſi qui interim violent iuſiurandum, id eorum improbitati acceptum eſt referendum non
1271 iudicis vitio vertendum, qui muneri ſatisfacit ſuo denique in hac vita nihil ex omni parte beatum, & ideò nil mirum ſi non omnis poſſit ſubmoueri offenſio.

PARTICVLA CCCXXV.

Περὶ δὲ ὅρκων τετραχῶς ἐστι διελεῖν. ἢ γὰρ δίδωσι καὶ λαμβάνει, ἢ οὐδέτερον. ἢ τὸ μὲν τὸ δ' οὔ. καὶ τούτων, ἢ δίδωσι μὲν, οὐ λαμβάνει δέ, ἢ λαμβάνει μὲν, οὐ δίδωσι δέ.

Riccob. IVſiurandi verò ratio, quadripartita diſtributio eſt. aut enim offert, & accipit, aut neutrum: aut vnum quidem, alterum verò nequaquam. Et ex his aut offert, non accipit: aut accipit non offert.

Maior. *IVris verò iurandi ratio quadripartita eſt. aut enim aduerſario dat, & ipſe etiam capit iuſiurandum, aut neutrum facit; aut alterum facit, alterum nequaquam: vel enim iuſiurandum dat, neque tamen capit; vel capit ipſe, neque tamen aduerſario dat.*

IVſiurandum quod plerique, præſertim ex forenſibus, iuramentum appellant; ad extremum reiecit cum fidem artis expertem in ſuas partes tribueret. Nunc igitur poſtremo loco declarat illud. Tametſi quoniã ſacrum quodammodo religioſũmque cenſetur (per Deum enim concipitur & cum religione coniungitur) ſuo iure potuiſſet primo loco & numerari & explicari. Denique idcirco ſacramentum quoque ab antiquis dicebatur, quòd inter ſacroſancta, (ſi tamen ſolemni ratione aliqua obiretur quòd in malitia & in iudiciis contingere ſolebat) haberetur. Etſi nos quoniam ſanctioribus rebus ſacramenti tribuimus nomen ac dignitatem, iureiurandi nomen aut iuriſiurandi vſurpabimus in præſentia. Ait igitur Ariſtoteles iuſiurandi rationem eſſe quadripartitam, de qua etiam ſatis conſtat ex verbis. Hîc tamen grauis ſe ſe dubitatio obiicit: nam iuſiurandum, non quaſi ad fidem artis expertem pertineat, ſed potiùs cum artificioſa cohæreat, diſtribuit. vt enim cum fide artis experte cohæreat, neceſſe
1272 eſt vt cauſam & iudicium antegrediatur, & ab actore aut reo ad Oratorem quem de facto ipſo edocet, extrinſecus deferatur, quemadmodum de teſtibus maximè & pactis conſtat: & tamen hîc rationẽ ediſſerit iuſiurandi: perinde ac ſi in ipſius litis curſu ab Oratore vel actoribus offerretur: id quod tum quadripartita hæc docet ratio tum quæ mox ferè ſubiiciuntur, confirmant ſatis. An igitur verbis ſic de iureiurando videtur agere quaſi cauſæ tractationem comitetur, re verò antegrediatur? Vt enim Hiſtorici quæ anteacto tempore geſta ſunt, quaſi tunc gererentur, narrant, eodémque narrandi more & Poëtæ gaudent & Oratores, quòd facilior ſit & rem ponat ante oculos: ſic iſthæc de iureiurando narrauit forſitan Ariſtoteles. Vix crediderim: ſiquidem ad extremùm quaſi reuera iuſiurandum non quaſi fidem carentem arte pertractaſſet, ſed veluti artificioſam, ſic diſputat, *Quod ſi iam ab ipſo conceptum fuerit iuſiurandum*: vbi videtur ad bonas fruges reuocare præceptionem, quaſi priora ad artificioſam fidem reuera pertinerent. Vel igitur fatendum eſt Ariſtotelem alieno loco iſthæc de iureiurando protuliſſe, ſed tamen ad propoſitum poſtremò rediiſſe; vel certè planioris & vberioris doctrinæ gratia inde duxiſſe initium. De qua te iam iam clariùs.

De Iureiurando.

Dubitatur

Reſpondetur.

Digitized by Google

PARTICVLA CCCXXVI.

Ἔτι ἄλλως περὶ ταῦτα εἰ ὀμώμοσαι. καὶ οὕτως ἢ ὑφ' αὐτοῦ, ἢ ἐπ' ἐκείνου. οὐ δίδωσι μὲν οὖν, ὅτι ῥᾳδίως ἐπιορκοῦσι. καὶ ὅτι ὁ μὲν ὀμόσας, οὐκ ἀποδίδωσι, τοὺς δὲ, μὴ ὀμόσαντος, οἴεται καταδικάσειν. καὶ ὡς οὗτος ὁ κίνδυνος κρείττων ὁ ἐν τοῖς δικασταῖς· τοῖς μὲν γὰρ, πιστεύει, τῷ δ' οὔ. οὐ λαμβάνει δ' ὅτι ἀντὶ χρημάτων ὅρκος.

Riccobonus.

PRæterea alius eſt conſiderandi modus, an iuratum ſit, & ſic aut ab ipſo, aut ab illo. Ac non offert quidem, quòd facilè peierant, & quòd iuratus non reddit, hos autem etiam non iuratum arbitratur damnaturos. Et quòd hoc periculum melius eſt in iudicibus, quia his quidem credit, illi verò nequaquam. Non accipit quod pro pecunijs iuſiurandum eſt.

Maior.

PRæterea videndum eſt etiam an iuſiurandum iam conceptum fuerit; ſiue ipſe iurauerit, ſiue eius aduerſarius, Qui iuſiurandum deferre non vult, is dicet 1273
aduerſarios facilè peierare; vt poſteaquam iurauerint, nihil reddant; ſe verò confidere fore vt iudices non iuratos aduerſarios condemnent; & ſe malle curatorum iudicum periculum facere, quod melius eſt, quia iudicibus ipſis credat, aduerſarijs autem non credat. Qui non capit iuſiurandum oblatum, dicet ſe pecuniarum cauſa iurare nolle.

Appendiculam ſubnectit diuiſioni, & viam ſibi aperit vnde de iureiurando appoſitè diſputet.

ANimaduertit Ariſtoteles ſe quadripartitam illam diuiſionem non a iureiurando duxiſſe quod cauſam antegreſſum ſit quemadmodum poſtulabat propoſitum argumentum; & idcirco nunc occaſionem arripit vnde eò regredi poſſit. Itaque Appendiculam ſubnectit quadripartitæ diuiſioni, atque ait videndum quoque eſſe an iuratum fuerit, idque ſiue ab actore, ſiue ab aduerſario, ita quidem locum ſibi reſeruat vnde tandem de antegreſſo iureiurando dicere poſſit, cum hoc inſtituti ſit maximè. Interim igitur vt filum propoſitionis ſequatur, & de ſingulis illius membris diſſerat vnde vberiùs de iureiurando quod pertinet ad cauſam erudiamur, ab ea incipit parte in qua de illo dictum eſt qui recuſat aduerſario iuſiurandum offerre: ſeu (quicquid de diuiſione illa ſit) argumenta profert quibus ſe excuſet qui nolit iuſiurandum deferre aduerſario. Tribus igitur argumentis (inquit) vti poſſit qui nolit vt iuret aduerſarius. Primum eſt eum facilè peierare, ac proprerea in præſentia quoque peieraturum, vt ne quod debet reſtituat. Et ſanè qui poſſit oſtẽdere aduerſarium aliàs peieraſſe, is iurè illi deneget iurandi locum: idem ferè ſi mentiri ſoleat: nam id ad peierandum adducit facilè: idem ſi de illius improbitate ac ſcelere aliquo docuerit; vſu enim venire ſolet vt improbus nullo negocio ab vno vitio in aliud incidat, & improbitatem improbitate cumulet. Alterum eſt quia confidimus fore vt citra iuſiurandum reus a iudice decernatur, & ad reſtituendum compellatur. Quare nolle nos iureiuran- 1274
do committere quod ſine iureiurando ex bono iure conſecuturi ſimus. Poſtremum ſibi ſatis ſuffragaturum iudicis ipſius iuſiurandum: cum enim is ex legum decreto & optima mente ſe iudicaturum iurauerit, nihil eſſe quod ad ipſius aduerſarii iuſiurandum confugiat, cuius integritatem omnino ſuſpectam habet: ſed potiùs iudicis periculum eſſe faciendum. ita quidem docebit cur nolit aduerſario iuſiurandum deferri. Atque hîc ſanè quod ait actor, fore vt hoc periculum meliùs faciat in iudicibus, quàm in aduerſario, verè fortaſſe: nam reuera de iudice quoque interim periculum facimus, qui vel propter inſcitiam, vel propter largitionem aut aliis de cauſis poſſit fauere aduerſario. Sed tamen tutiùs dixerit velle ſe iudicis integritati rem committere non malle ſe iudicis periculum facere, videatur enim vtcunque ſignificare iudicem quoque ſibi ſuſpectum eſſe atque adeò illum offendat & irritet. Tametſi iis quæ ſubiicit verbis eleuat inuidiam; dum ait ſe illi credere. Sed melius & culpa cauere, quàm culpam deprecari.

Cur negandum vt iuret aduerſarius.

PAR.

PARTICVLA CCCXXVII.

ΚΑὶ ὅτι εἰ φαῦλος, κατωμόσατο ἄν· κρεῖττον γὰρ ἕνεκά του φαῦλον εἶναι, ἢ μηδενός. ὀμόσας μὲν γὰρ ἕξει; μὴ ὀμόσας δ', οὔ. ὥστε διὰ ἀρετὴν, ἂν εἴη, ἀλλ' οὐ δι' ἐπιορκίαν τὸ μὴ, καὶ τὸ τοῦ Ξενοφάνους ἁρμόττει, ὅτι οὐκ ἴση πρόσκλησις αὕτη, ἀσεβεῖ πρὸς εὐσεβῆ, ἀλλ' ὁμοία. καὶ εἰ ἰσχυρὸς, ἀσθενῆ πατάξαι, ἢ πληγῆναι προσκαλέσαιτο.

Riccobonus. ET quod ſi eſſet improbus, iuuaret, quia melius eſt cauſa alicuius rei improbum eſſe, quàm nullius, iuratus enim habebit: nam iuratus nequaquam.
1275 Quarę ob uirtutem erit, ſed non ob periurium non iurarer. Et illud Xenophanis quadrat, quòd non æqualis prouocatio ipſa eſt impio aduerſus pium, ſed ſimilis, ac ſi robuſtus debilem ad verberandum, vel vapulandum prouocaret.

Maior. *QVod ſi improbus eſſet, facilè iuraret: melius enim eſſe alicuius vtilitatis gratia, quàm nullius improbum eſſe; iuratus enim pecuniam haberet, non iuratus autem minimè haberet. Sic enim propter bonitatem ac virtutem, non autem propter peierandi timorem iurare nolle videbitur. Cui loco Xenophanis illud dictum benè congruit; non eſſe aquam prouocationem impij aduerſus pium hominem; ſed conſimilem eſſe, ac ſi quis robuſtus imbecillum vel ad verberandum, vel ad vapulandum prouocaret.*

POſtularet ſanè ratio vt qui recuſat iuſiurandum deferre aduerſario, hoc ipſe ſubire non recuſaret, ſed iuraret; alioquin calumniator videri poſſit qui peiat aliquid ab aduerſario, nec tamen iureiurando confirmare velit. Sed tamen huic recuſanti patrocinatur Ariſtoteles his argumentis. Ac primò quia de pecunijs agitur: quaſi dicat turpe videri ac ſordidum ſubire iuſiurandum quod religioſum eſt ac ſanctum pro re tam profana, & idcirco Iſocrates pro pecunijs, quantumuis alioquin non falsò iures, nullo modo iurandum præcipiebat cum Demonicum inſtitueret Ἕνεκα τῶν χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσῃς, μηδ' ἂν εὐορκεῖν μέλλῃς. & quamuis id cauſæ proferebat quia aliquibus videri poſſit φιλοχρημάτως ἔχειν, ἐπιορκεῖν pecuniæ auidior atque adeò auarus, vel etiam peierare, veruntamen præcipua cauſa ea ſit quòd ſordidior ſit pecunia quàm vt paranda ſit iureiurando: ſanctius item Dei nomen quàm vt pro re vili ſit proferendum. Ac enim quid quòd interim iudex aut alij reputabunt te iniuſtè petere, cum declines iuſiurandum? imò verò, inquit Ariſtoteles, (atque hinc ad ſecundum delabitur argu- Cur recuſet oblatū iuſiurādū. I.
1276 mentum) id totum in tuam laudem ac probitatis opinionem conuertas, ſi dicas, fore vt ſi improbus eſſes, non vererer is iuſiurandum accipere vt pecuniam lucreris: ex improbitate enim præſtat vtilitatem capere quàm nihil commodi: ita fiet vt cum pecunijs carere malis quàm iurare, omnem a te improbitatis depellas ſuſpicionem: quia propter probitatem ac virtutem non propter peierandi metum videberis iuſiurandū declinare. At enim quid ſi aduerſarius ac iudex id tibi obiecerit accuſanti, & iniquum eſſe dixerit nolle pro veritate iurare præſertim petentem; ſanè quoniam hinc nullus ſubeſt peierandi locus, illinc nullam improbitatis ſuſpicionem præbere debes, ac ſummatim offerenti iuſiurandum iudici minùs habeas cur abſtineas, ſanctè verius ac piè iuraueris quàm iuſiurandum violaueris, aut temerè Dei nomen vſurpaueris. vbi enim caueris ne veritatem violes, & in tempore iures, non citra neceſſitatem vllam aut occaſionem, tutus videri poſſis: ſi quidem præſtabilius ſit oblatum iuſiurandum non modò verè & iuſtè ſed graui de cauſa ſuſcipere, ſed tamen pro mediocri etiam id iuſtè feceris; ſi tamen mediocris agitur cauſa vbi remouenda eſt oblata iniquitatis ſuſpicio: & ideò dices malle te oblatum iuſiurandum ſubire quàm nō eos ſuſpicione eximere. Et idcirco qui pro pecunijs, ne iures hortatur, Iſocrates, is cauendum quoque monet II. Dubitatur Reſpondetur.

ne abſtineas vbi te ipſum turpi crimine, vel amicum periculo liberaueris. ὅρκον ἐναντίον προσδέχου διὰ δύο προφάσεις, ἢ σεαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων, ἢ φίλους ἐκ κινδύνων διασώζων. Et quamuis non modo pro amico ſed pro inimico etiam legitimè oblatum iuſiurandum obeundum eſt, nec (quod Iſocrates indicare videtur) recuſandum, veruntamen cætera ſunt aurea. alioquin vbi pro theſauro etiam eligas iuſiurandum declinare, dum iuſtè poſſis, piè feceris. Iam verò quod dixit confirmat Ariſtoteles exemplo ſeu dicto Xenophanis Colophonij, qui affirmare ſolebat non eſſe parem prouocationem impij aduerſus pium: quemadmodum nec par eſt aut æqua robuſti prouocatio, dum ad 1277
certamen vocat imbecillum: impius enim quippe qui nec Deum nec homines vereri ſolet, impudenter iubeat iuſiurandum: contra verò vir pius timidè ſemper ad illud accedat ac Dei nomen niſi graui de cauſa appellare ac teſtem adhibere non audeat. quò fit vt laudi vertendum ſit tibi iuſiurandum vereri, vitio alteri ad iuſiurandum ſemper eſſe paratiſſimum: atque hos ſanè ſugillat Tragicus qui eos ait nec homines vereri nec Deos: atque impium vereri nihil. ὃς οὔτε τοὺς γῆς νέρθεν οὔτε τοὺς ἄνω δείσας, διέπραξεν ἔργον ἀνοσιώτατον. Et hac de cauſa Plato in XII. de legibus ijs qui parationes videantur ad iurandum & cupidi, iuſiurandum concedi vetat, quòd lucri cauſa iurare ſoleant: & ideò cauſam citra iuſiurandum diſceptari iubet. Ita quidem ſecundum diuiſionis membrum (quoniam ab hoc placuit incipere, quanquam de hac re planius infra) declarauit, & cur nec deferendum nec ſuſcipiendum dicerem, probari voluit aut excuſari. Etſi quoniam fuit totus in pecuniæ exemplo, hinc tu analogia quadã de cæteris conijcias quę vel ad honorem pertinent, vel ad ſalutem, ſiue tuam velis ſiue aliorum: ſimúlque obſerues anſam nobis præbuiſſe dum cæteroquin in criminoſo iudicio hærere videtur totus, & a Ciuilibus Controuerſijs Iudiciale genus auertere.

PARTICVLA CCCXXVIII.

ΕἸ δὲ λαμβάνει ὅτι πιστεύει αὑτῷ, ἐκείνῳ δ' οὔ· καὶ τὸ τοῦ Ξενοφάνους μεταστρέψαντα, φατέον, οὕτως, ἴσον εἶναι, ἐὰν μὲν ὁ ἀσεβὴς διδῷ, ὁ δ' εὐσεβὴς ὀμνύῃ. δεινόν τε τὸ μὴ ἐθέλειν αὐτόν, ὑπὲρ ὧν ἐκείνους ἀξιοῖ ὀμόσαντας δικάζειν.

SI accipit, illud conuenit, quod credit ſibi, illi nequaquam. Et illud Xenophanis inuertendo dicendum ſic, æquum eſſe, ſi impius offerat, pius iuret. Graueque eſſe, nolle iurare ipſum, de quibus illos dignum iudicat iuratos iudicare. *Riccobonus.* 1278

QVod ſi iuſiurandum oblatum recipit; dicet ſe ſibi ipſi credere, non autem aduerſario: atque illud Xenophanis dictum ita conuertet, vt dicat parem eſſe prouocationem, cum impius iuſiurandum defert, pius autem iurat. Præterea indignum eſſe, nolle ſe iurare in ea re, de qua petit, vt iurati iudices ſententiam ferant. *Maioragius.*

Cur accipiat. IAm è contrariò tribus inſtruit argumentis illum qui oblatum iuſiurandum accipiat Primò igitur dicat ſe oblatum accipere iuſiurandum non verò relinquere aduerſario, quia ſibi ipſe fidat non aduerſario. Ac profectò id obtendere poſſis & profiteri cum de veritate ac iuſtitia ſibi cõſcius ſis: contra verò aduerſarij religio tibi ſuſpecta ſit vel probitas, aut ſaltem ignotus ſit ille ac terræ filius. Tametſi Ageſilaus ea maximè de cauſa barbaris iuſiurandum cenſuit deferendum quod vt illud facilè violabant, Deos ſibi facilè etiam infeſtos redderent: quaſi verò infeſtum ſit hoſtibus optandum numen. Sed Ethnicus erat. Etſi non barbarus ſed græcus, & inter græcos probitate excellere cenſeretur nobis certè nefas eſt id in aliquo optare aut laudare, ſed piè deteſtandũ eſt. Deinde affirmes (Xenocratis dictum conuertens) æquum eſſe vt impius offerat, pius excipiat: quo ſanè conſtat item iuſiurandum apud Ethnicos inter res pias ac religioſas fuiſſe numeratum, non ciuilis cautio tantum & forenſe experimẽtum haberi. Quanquam ſi non iudex ipſe ſed aduerſarius vt dicebatur, illud tibi offerat, ſatius fortaſſe

taſſe ſit teſpondére malle te pecuniam quam iutando recuperare poſſis, aut conſtuare aduerſatio concedere, quàm pecuniæ cauſa iurare, etſi veriſſimè poſſis. Poſtremo dicas te iurare, quia turpe ſit & indignum nolle iurare ea in re in qua iudicet iuratus iudex. Et ſanè vbi iudex rem dignam exiſtimet illam ad quam iuratus accedat, lex quo- III.
1279 que ipſa ſic ſtatuat; nihil eſt quod tibi vitio vertas oblatum obire iuſiurandum: & hoc ſanè eſt quod ait M. Tullius iuſto ſacramento contendere. Id verò is maximè obire poſſit qui non modò ſibi conſcius ſit de fide bona, verùm etiam publicè bene audiat: quandoquidem nihil eſt cur quiſquam ſuſpicetur de eius fide, nam boni viri apud bonos viros τρόπον (vt ait Iſocrates) ὅρκου πιστότερον, mores iureiurando ſplendidiores ac probatiores præſeferant. Multò verò minus refugiat iuſiurandum vir probus, cum inde non propriæ vtilitati ſed alienæ ac veritati patrocinetur. Sic M. Tullius, cum publicè iuſiurandum recepiſſet a Metello oblatum magna voce iurauit: populus verò quoniam ſumma erat illius integritatis opinio, magna voce iurauerit verè illum iuraſſe. Atque hîc obſerues cum agatur res aliena & legitimè tibi offeratur iuſiurandũ, nefas eſſe illud detrectare niſi aliunde ſarcias vndique alterius detrimentum: ſecus ſi res tua agitur: qui tamen vbi nobilitate floreas ac dignitate, vt dicere cœperam, aut publicũ munus exerceas in quo habenda ſit ratio dignitatis, non facilè recuſare poſſis.

PARTICVLA CCCXXIX.

Εἰ δὲ δίδωσιν, ὅτι εὐσεβὲς τὸ θέλειν τοῖς θεοῖς ἐπιτρέπειν. Καὶ ὅτι οὐδὲν δεῖ αὐτὸν ἄλλων κριτῶν δεῖσθαι: αὐτῷ γὰρ δίδωσι κρίνειν, καὶ ὅτι ἄτοπον τὸ μὴ θέλειν ὀμνύναι, περὶ ὧν ἄλλους ἀξιοῖ ὀμνύναι.

Riccobonus. SI offert, quòd pium ſit, velle Dijs rem committere, & quòd non oportet ipſum alios iudices rogare: ipſi enim offert vt iudicet. & quòd abſurdum eſt eum nolle iurare, de quibus alios dignum iudicet iurare.

Maioragius. *SI verò defert alijs iuſiurandum, dicet pium eſſe Deis ipſis rem totam committere, neque opus eſſe aduerſario, vt alios iudices roget, cum ipſi de tota re iudicandi poteſtas detur: & rem abſurdam eum facere, qui iurare nolit in ea re, de qua poſtulati, vt iurati iudicent.*

1280 INſtruit alteri deferentem: qui dicet pium eſſe rem Dijs committere. *Cur offerat* Et rectè: nam in rebus obſcuris cum nulla ſuperſit illas declarandi ratio, iuſtè ad iuſiurandum confugimus, ac Deum qui & nouit & vlciſcitur ſcelera, teſtem inuocamus. Addet ſe aduerſarium omni labore eximere, cum non neceſſe habeat confugere ad iudicem, ſed iureiurando iudicis partes tanquam explere. Atque hoc argumentum eſt maximum: tot enim ſumptus, tot labores, tot incommoda, & tam magni temporis diſpendium ſubeunt, ac patiuntur litigatores, vt qui poſſit iurando (iurando inquam non peierando) ſe ſe tot eximere incommodis, rectè faciat. Denique abſurdum videtur vt quis recuſet iurare de quibus alios dignos iudicet vt iurent: vbi quoniam de offerente ſic loquitur iudicem intelligat oportet, indignúmque cenſeat vt cum iuratus iudex ad illam rem deſcendat, is cui offertur iurandi locus, non paratus ſit ad iuſiurandum. Vel vniuerſim loquitur & eos etiam intelligit quibus fortè remitteretur iuſiurandum quod obtulerit: nam turpe quippe eſſet illud ſubire nolle quod obtulerit cæteris.

PARTICVLA CCCXX.

E'Πεὶ δὲ καθ' ἕκαςον δῆλον πῶς λεκτέον, καὶ συνδυαζόμενον, πῶς λεκτέον, δῆλον, οἷον, εἰ αὐτὸς μὲν θέλει λαμβάνειν, διδόναι δὲ μή. καὶ εἰ δίδωσι μὲν λαμβάνειν δὲ μὴ θέλει, καὶ εἰ λαμβάνειν καὶ διδόναι θέλει, εἴτε μὴ δὲ ἕτερον. ἐκ γὰρ τῶν εἰρημένων, ἀνάγκη συγκεῖσθαι, ὥςε καὶ τοὺς λόγους ἀνάγκη συγκεῖσθαι ἐκ τῶν εἰρημένων,

ET quoniam de ſingulis manifeſtum eſt, quomodo dicendum ſit, etiam copulando, quomodo dicendum ſit patet, vt ſi ipſe quidem vult accipere, aut non offerre: &, ſi offert quidem, accipere verò recuſat: & ſi accipere & offerre vult; & ſi neutrum. Ex ijs enim, quæ dicta ſunt, neceſſe eſt, vt copulentur. Itaque etiam rationes neceſſe eſt copulare ex ijs, quæ dicta ſunt, *Riccobonus.* 1281

QVia verò planum iam factum eſt, quid ſigillatim dicendum ſit; patet etiam, ſi copulare duos modos opus fuerit, quid ſit adferendum: ut, ſi ipſe quidem capere uelit, non autem dare; aut, ſi dare quidem non abnuat, ſed minimè uelit oblatum accipere; aut ſi ſimulet dare, & accipere ſit paratus, aut neutrum facere uelit, nam ex eis, quæ dicta ſunt, hæc copulantur; itaque rationes etiam ex ijſdem copulari neceſſe eſt, *Maioragius.*

INſtruxit eos primùm qui nolint iuſiurandum deferre alteri, & qui nolint accipere, quod in diuiſione poſuerat ſecundo loco: inſtruxit etiam eum qui accipiat aut deferat, quod ſtatuerat primo loco, nunc poſtularet ratio vt de reliquis diceret & cæteras diuiſionis partes perinde ac duas priores pertractaret. Ipſe igitur rem totam committit Oratoris induſtriæ: cum enim tum recuſanti tum excipienti argumenta ſuppeditarit, licebit iam ex dictis argumenta depromere pro differentijs reliquis, cum ex recuſantis aut offerentis pendeant argumentis. Quanquam ſuſpicor Ariſtotelem hactenus non tam ſecundum ac primum diuiſionis membrum ſpectaſſe & explicandum ſuſcepiſſe (dare enim & accipere ſimul iunxit in propoſitione & pro vno habuit membro: neutrum facere, pro altero; cum tamen non hæc coniunxerit in explicatu) quàm generatim ac ſeorſim inſtruxiſſe & qui nolint & qui velint & accipere: vt ſcilicet ijs argumentis tueri quiſque poſſit quamcunque tandem diuiſionis propoſitæ partem; denique quacunque tandem ratione copulentur recuſantis aut offerentis formæ illæ, habeas vnde argumentis confirmes tuam ſententiam: non enim forma vlla inde exiſtere poteſt quin ex dictis poſſit confirmari. & hoc eſt quod ſibi vult Ariſtoteles dum ait ex his quæ dicta ſunt formulas copulari, ac proinde ex propoſitis argumentis pro 1282
ſingulis formis poſſe rationes deriuari,

PARTICVLA CCCXXXI.

E'Αν δὲ ᾖ γεγενημένος ὑπ' αὐτοῦ ὁ ἐναντίος, ὅτι οὐκ ἐπιορκία· ἑκούσιον γὰρ τὸ ἀδικεῖν ἐςι· τὰ δὲ βίᾳ καὶ τὰ ἀπάτῃ ἀκούσια. ἐνταῦθα οὖν συνακτέον, καὶ τὸ ἐπιορκεῖν, ὅτι ἐςὶ τὸ τῇ διανοίᾳ ἀλλ' οὐ τῷ ςόματι. ἐὰν δὲ τῷ ἀντιδίκῳ ᾖ ὀμωμοσμένος, ὅτι πάντα ἀναιρεῖ ὁ μὴ ἐμμένων, οἷς ὤμοσε. διὰ γὰρ τοῦτο καὶ τοῖς νόμοις χρῶνται ὀμόσαντες. καὶ, ὑμᾶς μὲν ἀξιοῦμεν ἐμμένειν, οἷς ἂν ὀμόσαντες δικάζητε.

QVòd ſi ſuſceptum fuerit ab ipſo contrarium, quòd non eſt periuriū. Sponte enim eſt iniuriam facere, & peierare eſt iniuriam facere. Quæ verò vi, & fraude fiunt, non ſponte ſunt. Hic igitur concludendum eſt etiam periurium *Riccobonus.*

eſſe

eſſe in mente, & non ore. Si verò ab aduerſario iuratum fuerit, quòd omnia ſubuertit, qui non ſtat illis quæ iurauit: quia hac de cauſa etiam legibus vtuntur iurati.

Maioragius. *QVòd ſi iam ab ipſo conceptum iuſiurandum fuerit, quod huic præſenti contrarium ſit; dicet non eſſe periurium. nam qui facit iniuriam, ille ſponte facit, ſed peierare eſt iniuriam facere; quæ verò fiunt vel ui, vel dolo, nequaquam ſponte fiunt. huc igitur referre periurium oportet; ac dicere, id in mente, non autem in lingua eſſe. Quodſi aduerſarius aliàs iurauerit; dicendum eſt, eum omnia ſubuertere, qui non ſtat eis, quæ iuratus affirmauit; hac enim de cauſa ſecundum leges non niſi iurati iudices ſententiam ferunt.*

REcolendum eſt diligenter Ariſtotelem ſtatim atque propoſuit quadripartitam illam diuiſionem quæ re vera iis maximè aut vnis ſeruiebat qui poſt inſtitutam litem de iureiurando altercarentur aut deli-
1283 berarent, è veſtigiò Apendiculam ſubieciſſe, ac monuiſſe videndum quoque eſſe an iuſiurandum antea conceptum fuerit & ſuſceptum: nam reuera tale iuſiurandum tantummodo pertinet ad fidem artis expertem. Nunc igitur ad hanc partem deſcendit. ait igitur, Si a nobis iuratum fuerit, tamen nunc & aduerſarius ſe deceptum clamet quòd fidem non præſtiterimus, docendum nobis erit & contendendum nos non peieraſſe, cùm non ea fuerit noſtra ſententia, ac rem ad vim vel dolum reuocabimus vt ſpōte minimè iuratum oſtendamus; nam qui iniuriam facit peierando, hic ſponte faciat neceſſe eſt non vi abreptus aut dolo. Denique periurium in animo non in lingua, in voluntate non in verbis poſitū eſſe; itaque iurè apud Euripidem in Hippolito Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος quem locum vertit Cicero iuraui lingua, mentem iniuratam gero. Et idcirco idem Cicero in poſtremo de officiis, Non enim falſum iurare, peierare eſt; ſed quod ex animi tui ſententia iuraris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere periurium eſt. Et hac de cauſa prædonibus iuſiurandum non eſt ſeruandum (inquit) cum neque ex animi ſententia iuraueris, neque fides cum communi hoſte (quanquam id cautè reputandum) communis eſſe debet ac reuera iniuria proficiſcitur ab animo & voluntate; ita ut qui metu aut vi aut dolo ad iurandum inducitur vnde periurium ſequi videatur, iniuriam inferat nullam. Videndum tamen qua de re concipiatur iuſiurandum: nam contra religionem ac Dei honorem metus ac vis non excuſat, mors enim eligenda ſit potiùs ac fortiter ſubeunda: quòd ſi res agatur a religione remota, & metus grauem habeat cauſam, quique in conſtantem virum cadere poſſit, ſæpè excuſationi ſit locus. At enim quid ſi aduerſarius peierauerit? clamandum ſubuertere iſtum omnia, nec promiſſis ſtare ac iureiurando; quicquid enim ſtatuant leges quæ iudices etiam iure-
1284 iurando obſtringunt, iſti ſus déque permiſcent; cum nos legibus in quas iurauimus, ſtandum putauerimus.

PARTICVLA CCCXXXII.

ΑΥ'τοὶ δ' οὐκ ἐμμενοῦμεν, καὶ ὅσα ἄλλα δ' αὔξων τίς εἴπειε. περὶ μὲν οὖν τῶν ἀτέχνων πίστεων, εἰρήσθω τοσαῦτα.

Riccobonus. ET vos quidem dignum iudicamus ſtare illis, quæ iurati iudicetis; ipſi verò non ſtabimus? & quæcunque alia amplificando aliquis dixerit. Ac de arte quidem expertis arte tam multa dicta ſint.

Maioragius. *NOs igitur (inquiet ille) poſtulamus vt vos Iudices eis maneatis, quæ iurati iudicauiſtis; & ipſi non manebimus? Cætera etiam huius generis quærenda ſunt, quæ ad amplificandum pertinent. Ac de probationibus quidem artis expertibus hæc dicta ſufficiant.*

PRoſopopœia concludit diſputationem & tanquam ex abrupto Orato-
rem inducit, qui, quoniam aduerſus iuſiurandi cõtemptores dicebat,
quaſi ſtomachetur aduerſariorum factũ, qui, cum ipſi iudices iuſiu-
randum colerent, fidem ac iuſiurandum violare non dubitarunt. an
vos iudices ijs ſtabitis quibus iuraſtis, nos uerò ab ijs diſcedemus? Et
quoniam interim amplificare cœperat Ariſtoteles; & tamen huc eo
conſilio tantùm deuenerat vt de fide artis experte, quam Iudicialis generis gratia pro-
ſecutus fuerat, nos erudiret, non vt amplificandi vias hoc in loco nobis oſtenderet, id-
circo cætera (inquit) quæ ad amplificandũ pertinent, quæque alibi attingenda erunt,
eodem modo huc fidei cauſa conferri poterunt. Atque hæc (concludit) ſufficiant de
probationibus artis expertibus; etenim reuera hactenus totus in eo fuit vt nobis pro-
prios trium generum veluti fontes aperiret vnde propoſitiones hauriremus, & enthy-
memata conflaremus in generibus ſingulis; etſi ad extremùm cum hoc aperiret in
Iudiciali genere, eò prouectus eſt vt expertem quoque artis ſubiecerit fidem: de qua
hæc (inquit) ſint ſatis.

CONTROVERSIA LXXXI. Quæ propoſuerit Ariſtoteles de genere Iudiciali: & NVM iurè propoſuerit; & LXXXII NVM explicarit tãdem, & an vallè explicarit.

NVNC quæ paulò ante recepimus, atque adeò ſæpè in opportuniorem locũ reie-
cimus, aggrediamur. Ac vaſtum ſanè (fateor) & ſcopuloſum ingredimur pelagus, vel 1285
potiùs ingreſſi ſumus, ſed enitendum ac velis remiſque contendendum, vt ex eo inco-
lumus tandem ac faciliter euadamus. Ergo quod pertinet ad primam Controuerſiam
& II. in qua diſceptandum eſt Quæ planè ſint ea quæ dicenda ſeu declaranda propo-
ſuit Ariſtoteles de genere Iudiciali, NVM iurè illa propoſuerit, & AN illa ſit proſe-
cutus; illud eſt recolendum Ariſtotelis conſilium ſine dubio illud fuiſſe vt argumen-
ta nobis ſuppeditaret accuſationis & defenſionis ſed argumenta non pro ratiocinatio-
nibus & argumentationibus vſurpanda, ſed pro medio termino (vt latini aliqui Peri-
patetici loquuntur Græcos imitantes) & cauſa illationis, quod eſt pro initio & fun-
damento, ſiue elemento (ſic enim id appellat Ariſtoteles in 2. libro ad extremùm) vn-
de ratiocinantes deinde, colligimus concluſionem. Eſt enim argumentum veluti per-
fectum ſemen argumentationis & ratiocinationis; & hoc nomine M. Tullius ſæpè ar-
gumentum diſtinguit ab argumentatione quòd hanc dicat eſſe argumẽti explicatio-
nem vt propterea argumentatio ſit explicatum argumentum, argumentum contra-
cta & inuoluta argumentatio, proindéque poteſtate contineat concluſionem atque
adeò ratiocinationem vniuerſam. idem argumentum propoſitionum nomine appel-
latur ſæpè ab Ariſtotele præſertim in capite 3. vbi primùm de argumentis parandis ſta-
tuebat & commonſtrandis; & idèò appoſitè in particula LXV. monebat ex terminis
veriſimilibus & ſignis (hæc verò ſunt argumenta) fieri propoſitiones, ex ijs ſyllogiſ-
mos & enthymemata. idque ea de cauſa quia ex propoſitionibus colligitur comple-
xio non ſecus quàm ex argumento: verè enim argumentum vtranque propoſitionem
continet poteſtate: nam qui verbi gratia docere velit iuſtitiã eſſe colendam quia per- 1286
ficiat animum, quod eſt argumentum ſeu medius terminus & cauſa illationis, is inde
conflet oportet propoſitiones & dicat, Quicquid perficit animum eſt colendum, ſed
Iuſtitia perficit animum, Iuſtitia igitur colenda eſt. en in medio illo termino ſeu argu-
mento contineri propoſitiones. Et idem argumentum locus quoque dicitur ab Ari-
ſtotele vbi elementum item appellatur: ac locus dicitur quòd in eo contineatur argu-
mentatio: vt enim corpora in ſuo quæque loco continentur & conſeruantur, ita argu-
mentationes in argumento tanquam in proprio loco continentur aſſeruantúrque, ſi-
ue communes argumentationes velis, ſiue proprias. Atque hac planè de cauſa inter-
dum dicitur ſyllogiſmus, interdum etiam enthymema: quia qui ad extremùm ex lo-
cis illis ſiue argumentis & propoſitionibus conflatur ſyllogiſmus, vel ad enthymema,
quod Oratorius item eſt ſyllogiſmus, reuocatur; ibi veluti in ſua ſede deliteſcit & con-
tinetur. Denique, etſi propoſitionis nomen libentiùs tribuere videtur proprijs ſingu-
lorum generum formis, communes verò formas, communes locos appellat ſæpius, *Par. 58.*
vtrunque tamen formæ genus propoſitionis nomine appellari, cum aliunde tum ma- *& 66.*
ximè ex capite 2. & 3. conſtat ſatis. Ariſtoteles igitur illud ſibi propoſuit vt locos &
argumenta explicaret vel indicaret quibus induſtrius Orator vteretur in Iudiciali ge-
nere: & hoc ſibi voluit in propoſitione cum diceret ſibi dicendum eſſe ex quot & qua-
libus oporteret conficere ſyllogiſmos ſeu ratiocinationes oratorias. Videndum eſt
igitur

Igitur vbi nam hæc nobis argumenta obtulerit. Et ſanè cum huius rei cauſa dixerit ſi-
bi tria illa priùs explicanda, quæ nimirum ſint cauſæ iniuriarum: quo modo affecti ſint
qui inferunt iniuriam; qui affecti ſint, qui expoſiti ſint iniurijs; profectò in tripartita
1287 hac diſputatione re ipſa (re ipſa, inquam, non poteſtate) non potuit propoſitum exe-
qui, & quod in primis ſtatuerat perficere; ſed tantùm ea parare quæ ad illud exequen-
dum præſtandúmve neceſſaria videri poterant. Idem dixerim dum diſputat de iniu-
ria: nam id aſſumit ad tria illa explicanda commodiùs; itaut hinc multò minus ſatiſ-
fecerit propoſitioni. Idem dixerim dum interim in hoc curſu diſputationis diſputat
de lege: (id enim facit ad iniuriæ naturam declarandam) idem dum ſcribit eos qui eli-
gunt iniuriam facere, vitioſitate duci & incontinentia: idem dum docet quid ſit ſpon-
te agere, quid ex electione: vnde ad tripartitam illam quam propoſuit diuiſionem ag-
greditur in particula CCXXII. Idem dixerim dum haud ita ad hæc deſcendit quia
rurſus rem noua anteuertat conquiſitione de ijs quæ expetimus aut fugimus: quod
item facit in particula propoſita extrema. Neque rurſus id quod propoſuerat præſtat
explétue continenter his quæ interpoſuerat abſolutis: ſiquidem mox noua propoſi-
tione ac conquiſitione rem anteuertit, ab humanarum actionum cauſis altiùs repetito
initio: quò fit vt de duobus humanarum actionum generibus (non per ſe appellat
vnum, per ſe alterum) priùs, tum de ſeptem actionum illarum cauſa, fortuna, natura,
& huiuſmodi alijs benè lõgam diſputationem vnde de cupiditatis natura in primis, &
ob id de iucundis, differit copioſè & de moleſtis: itaut vndecimum caput interponat
totum iucunditatis formis ediſſerendis, idque vt de cauſis iniuriarum quæ ſunt iucun
di appetitus, & moleſti fuga conſtaret. Ita ſanè ab humanarum actionum cauſis illis
ſeptem ad duas has, quæ ſunt ſigillatim cauſæ iniuriarum & ſub illis continentur, pro-
fectus eſt, tum ſecundum & tertium rerum dicendarũ caput, de procliuibus inquam
ad inferendas iniurias & de his qui iniurijs ſunt obnoxii egit in duodecimo: quibus ad-
didit quartum caput, de rebus ſcilicet in quibus fit iniuria. & ideò perorabat his ver-
1288 bis. *Ac quomodo quidem ſe habentes iniuria afficiant & in cuiuſmodi rebus, & quos, & quamo-
brem, fermè hæc ſunt.* Hactenus igitur præparationem eámque ingentem ſanè adhibuit
argumentis illis inueniendis & commonſtrandis, argumenta certè re ipſa non com-
monſtrauit. Viſus eſt tamen ad initium decimitertij capitis, quaſi præparationem ab-
ſoluiſſet omnem, ad argumenta ſe conuertere: nam idcirco ſtatim poſt recitata verba
pergebat. *Iniurias autem omnes & iuſtè ſuſceptas actiones diſtinguamus*. Sed hoc opus, hic
labor, docere quomodo hinc receptum munus ac propoſitum exequatur: præſertim
verò quia videtur adhuc digredi, vel ſaltem ita obſcurè colligere quæ dicta ſunt & ex
ijs alia eruere vt vix ac fortaſſe ne vix quidem deprehendas aut tutò ſtatuas, num &
quomodo ad argumenta illa commonſtranda vel indicanda deuenerit. Cum enim
dixiſſet iniurioſas & non iniurioſas actiones diſtinguamus, vnde ſine dubio materiam
& argumenta accuſatori & defenſori offerre cœpiſſet; è veſtigiò pergebat, *Exorſi pri-
mùm hinc Definita igitur ſunt iuſta & iniuſta ad leges duas*, & quæ ſequuntur: vbi ad ante-
actas diſtinctiones quaſdam repetendas redire atque adeò cunctari vel digredi videtur
totus. Sed clauſula hæc ſit, hîc eò ſpectat vt doceat & ſtatuat Oratori qui in Iudiciali
verſetur genere & accuſet, ex dictis obſeruanda ea omnia quæ vnam aut alteram ex
dictis legibus violare, ac ius ſiue proprium ſiue commune (quod item declarat lucu-
lentè) infringere videantur. idque ſiue perſona aliqua priuata inde iniuria afficiatur,
ſiue humani generis aut etiam aliquorum hominum vniuerſitas. Contra verò ei qui
defendat, hæc eadem ſpectanda, vt nullum ius violatum, nullam iniuriam illatã oſten-
1289 dat, ac ritè accuſationem depellat. Et hoc eſt quod ſibi voluit in particula CCXCVII.
cum enim in quatuor antecedentibus ea iteraſſet & exemplis illuſtraſſet quæ de dua-
bus legibus & de duobus perſonarum generibus diximus, ſimúlque docuiſſet quid
ſit iniuria affici, pergebat, *Quare neceſſe eſt, omnia crimina aut ad communitatem aut ad pri-
uatam referri, aut ignorante illo, & non ſponte agente, aut ſponte, & ſciente. Et ex his alia præ-
eligente, alia propter affectum.* Vbi continenter hinc inde accuſatorem & defenſorem
ſubinde inſtruebat de varia accuſationis aut defenſionis ratione, déque ſubterfugiis
admonebat: ac propterea docebat eſſe neceſſarium aſſumere, ſeu perſpectas habere
furti, adulterij, vno verbo, ſingulorum criminum definitiones vt iniuriam & iuſtam
actionem internoſcere ac diſtinguere liceat: quibus tandem diſputationem addidit

tum

Digitized by Google

tum de æquitate ad quam vtrique reſpiciendum & confugiendum eſſet pro opportu-
nitate: de maiore & minore iniuria (hanc verò ſubiecit in capite 14. quam item accu-
ſationi & defenſioni inſtituendæ par eſſet agnoſcere. Quibus omnibus egregiè ſuum
ille Oratorem ſiue accuſatoris ſiue defenſoris obire partes, altiùs erudiuit. Atque hinc
habemus Ariſtotelem in 10. capite & duobus ſequentibus initia iecisse & præparaſſe,
in x111. collegiſſe & indicaſſe, ex quibus tandem enthymemata ſint conflanda, ac pro-
pterea docuiſſe quomodo accuſatio vel defenſio ſit peragenda. Hæc de prima & ſe-
cunda Controuerſia in qua quærebam tum. Quæ planè eſſent quæ dicenda aut decla-
randa propoſuiſſet de Iudiciali genere, & an iurè illa propoſuiſſet: tum vbi, & num re-
ctè, illa proſecutus eſſet. Vbi cum a fundamentis ac germanis initijs deriuarit omnia,
nobis humanarum & actionum & iniuriarum fontes commonſtrans, vnde oritur ac
manat Iudiciale genus, rectiſſimè peregit omnia. Etſi Ariſtoteles eſt: qui ſcilicet De-
lium natatorem requirit, vel certè laborioſum ac nauum.

CONTROVERSIA LXXXIII NVM vnis criminoſis iniurijs concluſerit Iudiciale genus.

Succedit tertia, in qua quærimus num criminoſas tantùm iniurias agnouerit, ac de 1290
ijs nos docuerit, quaſi verò genus Iudiciale his tantùm contineatur, an verò ciuiles
quoque agnouerit ſpectaritque. Qua in re illud ſtatuendum, prima initia iniuriarum
explicandarum conuenire & ciuilibus & criminoſis: nam iucundi cupiditas eſt perſe-
cutio, moleſti etiam fuga, ea ſunt initia quæ homines ad vtrunque iniuriæ genus indu-
cunt: definitio quoque iniuriæ vnde primùm exorſus eſt, vtranque complectitur iniu-
riam: præſertim quia leges quas violare dicitur qui infert iniuriam, ciuiles actiones
non minùs ſpectant quàm criminoſas: idem dum is qui iniuriam facit, ſponte, ſiue
ſciens tantùm ſiue eligens & conſultò, iniurius dicitur: nam & in ciuilibus & in crimi-
noſis id contingere poteſt: idem multò magis dum actiones a generalibus illis bona-
rum ac malarum actionum ſiue iuſtarum & iniuſtarum, initijs repetuntur: huc etiam
pertinere poteſt quòd tum æquitas tum maior ac minor iniuria in vtrunque illud ge-
nus cadere ſolet: huc quod ad extremùm, vbi agitur de fide artis experte, idque Iudi-
cialis generis gratia, de legibus, teſtibus, pactis, iureiurando diſſeritur: vix enim habeas
quæſtiones ſeu tormenta quę inter hæc ad ciuiles iniurias ægrè pertineant. quin; ſi rem
a primis initijs repetere liceat; huc etiam illud reuocare poſſis quod ſcripſit in capite
primo: vbi τὰ συναλλάγματα, contractus inquam quos appellant, ad genus retulit Iu-
diciale. Etſi enim mirum videri poſſit vt huiuſmodi genus contractibus vnis coërcere
viſus ſit eo in loco, (de qua tamen re diximus ibi) retulit tamen. Quanquam non eſt
diſſimulandum Ariſtotelem tandem cum de genere Iudiciali præcipere cœpiſſet, de
cauſis iniuriarum ſic egiſſe vt ab initio cœperit ad criminoſas iniurias deflectere: mul-
tò magis dum eos peruestigauit qui iniurijs inferendis procliues ſint, vel iiſdem expo-
ſiti: idem vbi de rebus egit in quibus facilè excipiuntur iniuriæ: viſus eſt enim furti, 1291
contumeliæ, vulnerum, adulterij & huiuſmodi rerum, quibus crimen conflatur, ra-
tionem habuiſſe vel maximè: eodémque modo viſus eſt æquum & bonum ac maio-
res iniurias ſpectare & exemplis illuſtrare: idem dum geminas illas leges propriam &
communem proferret: idem dum exemplis geminas quoque perſonas illas, quibus
iniuriam fieri dixit, deſignaret. Quid plura? in particula CCXCVIII. vbi controuerſiæ
capita & diuerſicula varia perluſtrat, furti, contumeliæ, adulterij, ſacrilegij, luculen-
tam rationem habet, ac propterea iſthæc ait definitione comprehendi oportere, de ijs
quæ ciuilem conſtituunt controuerſiam exemplum nullum profert, quin ne verbum
facit vllum, ita ut reuera ciuiles controuerſias, niſi generatim & ob initia quædam in
quibus ciuilis cum criminoſa communicat (quæ etiam propter criminoſam tantum
viſus eſt proſequi) vix attigerit. Sed qui proportionem ſeruauerit, ac iudicium crimi-
noſis adhibuerit, facilè ex ijs quæ vel vniuerſim vel ſigillatim diſſerit Ariſtoteles de
iniuria, poſſit ciuiles tranſigere & adminiſtrare. De qua re tota ea etiam conſulas quæ
ſcripſimus in Controuerſia ſeptuageſima ſeptima extrema.

CONTROVERSIA LXXXIV NVM de cauſarũ ſtatibus, præſertim data opera nos edocuerit.

Succedit ea Controuerſia,
N V M de cauſarum ſtatibus nos edocuerit, præſertim data opera, quemadmodum
deinde M. Tullius atque multi alij factitarunt. De qua re ſic ſtatuo. Si quæramus
N V M Ariſtoteles eò retulerit induſtriam vt docuerit ſtatim circunſpiciendum in
quo poſita ſit Controuerſiæ difficultas ſeu quod ſit difficultatis punctum vnde oritur
Controuerſiarum ſeu ſtatuum varietas, haud dubiè id fecit egregiè: nam in particu-
la CCXCVIII. monebat ſiue obſeruabat ſæpè fieri, vt aliqui fortè confiteantur factũ,

litis

litis tamen inſcriptionem non confiteantur, ſiue id cuius nomine inſimulantur, & appellatur factum, vt ſe furatos eſſe, haud contumeliam feciſſe, aut adulterium commiſiſſe, aut ſacrilegium: & in libro 3, capite 17. ſcribit *περὶ τοῦ ἀμφισβητουμένου*, *de eo quod in Controuerſiam vertitur*, quatuor quæri aut diſceptari poſſe, An fecerit, & ſi fecerit, an nocuerit: & ſi nocuerit, an tantopere nocuerit: & ſi tantopere nocuerit, an iuſtè nocuerit: hinc enim quadripartita illa ſtatus, ſiue cauſæ, ſiue Controuerſiæ (vt ipſe ſignificantiſſimè loquitur) varietas oritur, an, quid, quale, quantū; ex quibus varietas quoque oritur coniecturæ & definitionis, qualitatis, item magnitudinis: id quod ſi non ita prolixè, diſtinctè tamen & perſpicuè docuerat antea in capite 16. cum diceret in cauſa, artis eſſe demonſtrare de eo quod oritur Controuerſia, aut eſſe, aut quale ſit, aut quantum, aut etiam omnia. Quinetiam dum alij cauſarum ſtatus videntur ferme omnes in Iudiciali genere tantùm agnoſcere aut effingere, ipſe in deliberatiuo genere etiam figurat commonſtrátque cauſarum ſtatus. De qua re tota ſuo loco. Interim enim hæc obſeruare volui vt conſtet & nomine, & re ſtatus cauſarum expreſſiſſe. Iam verò ſi
1292 quis quærat NVM hos ſtatus & eorum varietatem in hac Iudicialis generis tractatione de induſtria ac data opera expreſſerit, & vt de Controuerſiis cōſtaret cauſarum, omnino reſponderim non data opera hæc attigiſſe & vt ſtatus ipſos conſtitueret, ſed obiter: quin nihil minùs cogitaſſe quàm de iis ibi vllo modo declarandis. Denique quemadmodum contingere ſolet paſſim vt qui in ſole ambulat, vmbram gignat, etſi de vmbra ne cogitaret quidem, ſic Ariſtoteles, dum enthymemata ſeu propoſitiones requireret aut locos accuſationis & defenſionis, in locos primùm incidit qui coniecturæ, tum qui definitioni & qualitati, ad extremùm etiam magnitudini ſeruiunt vel ſeruire videntur: ita nos Iudicialis generis locos & propoſitiones requirentes, in Controuerſiarum quoque theſaurum, ſed permixtum confuſúmque propoſitionibus, in-
1293 cidimus. Neque verò ſuſpicandum eſt inter propoſitionis illos ſtatus abdidiſſe ſaltem aut diſſeminaſſe de induſtria, quandoquidem neque in Iudiciali curriculo tantū erant diſſeminandi (tametſi huic præcipuè ſeruiunt) ſed vniuerſim de illis dicendum aut certè curiæ quoque tribuendi, quod facit in tertio: neque tam obiter proferendi, ne dicam gryphis concludendi. Et hinc eſt vt qui in capite 12. coniecturali controuerſiæ accommodati ſe ſe offerunt loci, caſu ſe ſe offerant: quia ſcilicet natura comparatum eſt vt qui de facto diſceptant, coniecturis vti ſoleant: ita fit vt dum indiciis ac ſignis eos explorat Ariſtoteles qui procliues ſint ad iniuriam inferēdam, coniecturas offerat vnde exiſtit coniecturalis ſtatus. Etſi ſigna illa & indicia tenuiter omnino coniecturali controuerſiæ ſuppeditant argumenta, cum neceſſe ſit vt Orator deinde in reo ſua induſtria perquirat illa & agnoſcat. Idem dixerim de iis quæ ſubinde in reliquis huius libri capitibus ac locis (particulam ducenteſimam nonageſimam octauam excipio) adumbrata quædam ſuppeditant argumenta cæteris cauſarum ſtatibus. Vt propterea cum non eſſet hîc de ſtatibus cauſarum differendi locus, haud ſit cur diſceptemus nū aptè nos de iis edocuerit ſatis: præſertim verò cum id alibi faciat (quocunque conſilio id faciat) ac dilucidè & opportunè. Sed de hac re tota opportuniore loco copioſiùs: vbi docebimus cæteros nec inter ſe planè de hoc argumento ſibi conſtare, nec idem ſemper docere, denique longiore quidem rem peragere diſputatione, ſed nō clariore.
Iam verò videndum eſſet num Ariſtoteles quinque partita illa diuiſione ſiue enumeratione, legum inquam, teſtium, pactorum, quæſtionum, iuſiurandi, complexus ſit partes omnes fidei quæ *ἄτεχνος* & arte carens dici ſolet. De qua re, ne te moret, eas conſulas quibus ſatisfecimus poſtremo ſeptuageſimæ quintæ controuerſiæ argumento quæque rurſus diſceptauimus in ſeptuageſima ſeptima tota. Quod ſi etiam perlegas
1294 quæ ſcripſimus in particula IX. Iudiciale genus confert cum Deliberatiuo, & XXV. & XXVI. in qua ſigillatim quærimus num ſyngrapha comprehenderit ac teſtamenta, vbi primùm in medium attulit & declarauit artificioſæ & non artificioſæ fidei partitionem, multa etiam occurrant ex quibus intelligas expertem artis fidem egregiè niſi te fortè hærentem habeat teſtamentum; quinque partitò diſtribui ab Ariſtotele, ita dum alii ſex, alii multò plures proferunt partes, veriùs legem verbi gratia in ſuas partes tribuant, quàm nouam vllam ac germanam, eámque primariam huiuſce fidei partem enumerent. Quin verendum eſt ne Quintilianus præcipua quædam omiſerit membra, alii etiam idem iterarint aliis verbis. Dum verò quæritur NVM ea omnia

CONTROVERSIA LXXXVI NVM omnes partes complexus, ſit & conuenienter cō-plexus quæ pertinēt ad fidem artis expertem.

complexus

complexus ſit Ariſtoteles quæ hinc pertinent ad propria enthymemata Iudicialis, illinc ad fidem expertem artis, omnino affirmauerim hæc fuiſſe tradita & explicata; quin etiam quæ ad hæc duo pertinent capita, ſi quis attentiùs æſtimet, nemo perfectiùs. Ita quidem hæc teneamus interim: quæ ſuperſunt ſuo loco explorabimus, & cum Tullianis, prout opus fuerit conſeremus. Atque his equidem ſatisfeciſſe velim ijs dubitationibus quas in capite 14. afferebam ad extremum. Quòd ſi ad initium capitis decimi huc ea ſubiicienda propoſui quæ ad inuenta argumenta ritè & diſponenda & exornanda & pronuncianda pertinere viderentur (quanquam ſi locus tuliſſet ac tempus ea explananda recepi & perſequenda) ſatius erit hæc cum Ariſtotele proſequi libro tertio. Fateor me ex M. Tullio in primis & Authore ad Herennium, quoniam reuera ille Iudicialis generis præcepta complexus eſt copioſiùs quàm cætera, ille in Iudiciali genere occupatur ferè totus; plurima collgiſſe quæ cum Ariſtotelicis cōiungerem, atque huc ſubiicerem vbi ſigillatim de Iudiciali genere quinque integris capitibus diſputat noſter Author. Atque id ſanè eò ſtatuebam libentiùs quòd veritus interim ne quid mihi humanitus accideret vnde ingentem hanc Commentariorum mo- 1295
lem inchoatam reliquiſſem, huc ſaltem ea, ne incaſſum laboraſſem, coniicienda iudicaram. Nunc tamen cum animaduerterim longiorem diſputationem huc interponendam ſi ea perſequi velim, ſatius iudicaui in Ariſtotelis methodo ac œconomia perſiſtere, & quæ collegi ſuis quæque locis collocare, ac propterea omnia ad Tertium reiicere. Denique eò alacriùs faciam ac libentiore animo ſententiam mutabo quòd in præſens magnam ſecundi partem commentarijs complexus ſim; ita ut, vita comite, ac Deo bene iuuante, intra annum abſoluere opus ſperem vniuerſum. Hîc igitur libri primi concludimus explicatum.

Finis Libri Primi.

Henricus Clericus Gallus Vuliſcolorenſis publica authoritate corrigebat.

REGISTRVM.

✱ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa.

Omnes ſunt Terniones præter ✱ quæ ſunt Duerniones, & A a a. Quaterniones.

Errata partim committuntur Lectoris iudicio, partim hic ſubijciuntur.

Lib.1. Pag.1. teſtatum cor. reſtatur p.3. tum ex c. ex p.6. ſedet c.ſed & p.12. exiſticam c.eriſticam p.15.f.etiam & c.etiam eſt p.17.contrariam c.contractam p.20.p. At c. Ac p.20.ſane c.ſine p.24. f.at non c.An non p.27. tot in c.tot inde m.tec.tu p.28. m. effectus c.affectus m. dementiam c. clementiam p.29.f.appellamus c.appellemus f.fin c.ſine p.33.m.abſoluerat c.abſoluerant p.34. pr.accideret c.accideret perinde m. ſibilum c.ſi hilum p.42. m. videret c.euideret p.45. m. ea c. eam p.46.m.præuiſi c. præciſè p.47.enthimema: tum c.enthimematum p.48. pr. perfectam c. perfecta p.56.m.tanquam c.inquam p.67.tractationem c.tractationem inquam p.68.m.ſenſu-que c.ſenſique p.72.f.etiam c.eam p.74.f.depopoſcerit c.deprompſerit p.76.cauſarum c.cau-ſarum ac ſummatim p.76.m.vnde c.cum de p.79.recedat c.recidat p.80.f.dicitis c.dictis p.81. conditionibus c.concionibus p.83.animo c.omnino p.88. ſe c.ſentit p.90.f. vt ſi c.niſi p.91.pr. Datorem c.Oratorem p.98.pr.diſcipulorum c. diſciplinarum p.99. m. c.adumbraret m. etiam c.dicatur p.100. m.propterea c.proportione p.105.differat c.inductio & ſyllogiſmus p.107.pr. vnquam c. nunquam p.113.m.diſcrimen c.diſcrimen explicat enthimema & exempli p.114. p. reſpondebat c.reprehendebat p.116.p.ſatisfacit c.ſatis fuit p.122.pr. ius c.eius f.capit c.capitur p.129.ſcopum c.ſcopulum p.130.p.ethimema c.vocari ſed ſyllogiſmum p.135.p.ideo c. inde.

Similia Errata ſunt pleraque ad finem vſque Libri huius.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google